ORBIS SACER ET PROFANUS ILLUSTRATUS. PARS PRIMA [-SECUNDA]...

Francesco Orlandi





ORBIS
SACER
ET
PROFANUS.

154

II

ORBIS SACER
ET
PROFANUS
ILLUSTRATUS;

REGIÆ CELSITUDINI

JOANNIS GASTONIS
MAGNI ETRURIÆ DUCIS

DICATUS.



FLORENTIÆ. Anno M.DCC.XXVIII.
Typis Bernardi Paperini Typographi S. R. C. Magnæ Principis Viduæ ab Etruria.

CUM APPROBATIONE.

ORBIS SACER
ET
PROFANUS
ILLUSTRATUS.

Pars Prima

In qua Diœceseon, Provinciarum, & Metropoleon, tum Ecclesiasticarum, tum Civilium distributio, ad normam Veteris Notitiæ Imperii Romani explicatur.

IN RELIQUIS SINGULÆ MUNDI PARTES,

EUROPA, ASIA, AFRICA, AMERICA

EARUMQUE PROVINCIÆ, METROPOLES, ET URBES DESCRIBUNTUR.

OPUS ECCLESIASTICÆ, ET PROFANÆ HISTORIÆ,

NEC NON

GEOGRAPHIÆ STUDIOSIS APPRIME UTILE:

Auctore

P. FRANCISCO ORLENDIO

ORDINIS PRÆDICATORUM MAGISTRO,

ET IN UNIVERSITATE PISANA THEOLOGICORUM DOGMATUM PUBLICO PROFESSORE.




FLORENTIÆ. ANNO M.DCC.XXVIII.

Typis Bernardi Paperini Typographi S. R. C. Magnæ Principis Viduæ ab Etruria.

Prope Ecclesiam Divi Apollinaris, sub Signo Palladis, & Herculis.

SUPERIORUM PERMISSU.



REGIA CELSITUDO.



Ommendatam fuiſſe ſemper ab omnibus omnium ſeculorum, atque omnis memoriæ Sapientiſſimis viris Orbis terrarum cognitionem nemo non novit; illam præſertim, quæ Sacris Profana conjungit, atque hæc illis opitulari, & in-

ſe-

ſervire demonſtrat: quod & Religioni maximum decus aſferat, ac dignitatem, & humanæ Societati commodum, & utilitatem, & animo non hebeti, & prorſus impolito oblectationem, & ornamentum. Nemini autem eam magis convenire, quàm Chriſtiano Principi, quippè qui ab ea in adminiſtranda Republica, populiſque ſibi commiſſis ad temporalem non modò, verùm etiam, quod longè optabilius eſt, ad ſempiternam felicitatem dirigendis, optimam ſui regiminis normam nanciſcatur. Quamquam enim viciſsitudo quædam ſit, ac veluti continuata varietas gentium, morum, legumque civilem adminiſtrationem ſpectantium; ubi tamen in unam Supremi Numinis veram Religionem omnes conſpirant, maxima indè tam diverſarum rerum concordia, conſenſuſque promanat, qui iisdem legibus, moribus, ſacrorumque conſortio vivere cunctos admonet, ac mutuo benevolentiæ vinculo colligari jubet, nec alterum alterius fines invadere, aut aſpernari conſuetudinem, & commercium; ſed omnes pacem, amicitiamque invicem inter ſe conciliare: quo fit, ut & populi tranquillè agant, & Principes faciliùs eos in officio contineant, iisdemque feliciſſimè imperent. Hæc ego perpendens animo, facilè mihi ſuadebam, non ingratum Regiæ Celsitudini Tuæ *futurum, ſi munus hoc humili obſequio* Tibi *ſiſterem; quod nullius nomini ipſum juſtiùs poſſe inſcribi animadverterem, quàm* Tuo: *Qui, quo ſtudio Sacras, Profanaſque antiquitates, varios exterarum Nationum mores, Regnorum, Provinciarumque ſitus complectaris, probat vel â teneris annis jampridem cùm â Sapientiſſimis Præceptoribus, tùm ex puriſsimis optimorum Scriptorum fontibus hauſta hujuſmodi rerum cognitio: probant omnes propè Gentium Europæ linguæ, quas perfectè calles, plurimâque lectione, ſelectiorum voluminum comparata eximia illa eruditio, verè tanto Principe digna, quæ* Te *omnibus diſciplinis excultum demonſtrat. Derivatum quippe a Majoribus* Tuis, *una*

cum

cum Regio Sanguine, Literarum amorem intimo corde nutriens, eas nedùm colere, & tueri; sed & augere exemplo, & promovere adhortationibus satagis ingenti Literatorum utilitate, ac maxima TUI, *nostræque Etruriæ laude, & existimatione. Illud* TIBI, *& Augustæ Familiæ* TUÆ *potissimum acceptum referunt Sacra, & Profana Historia, ac ceteræ disciplinæ, quod vigeant, & floreant: quis enim ignorat, quantum reconditam vetustioris ætatis eruditionem* MEDICEÆ *Gentis Heroës promoverint, dum superfusis Græciæ Barbaris, fugientes in Etruriam Musas, immò ipsas pænè Athenas in suum-met sinum excipientes, innumera Græcorum volumina ab interitu vindicarunt? Pulvere, & oblivione sepulta marcescerent tot Sapientum scripta, quodque dolendum magis foret, nuda Græcorum Patrum nomina in invidiam longior ætas, ac hostium furor rapuisset, eorumque doctæ, cedroque dignæ lucubrationes supremo Græciæ fato oppressæ jacuissent, nisi easdem captarum Urbium rogis subtractas, Mediceorum provida solicitudo, ac liberalis munificentia profusis thesauris coëmisset a Barbaris, atque ex Græcia Florentiam deportatas in Laurentiano Prytanæo sartas-tectas servasset. Et sanè tot Medicei nominis trophæa de vindicata ab Turcarum vesania Illustrium Virorum gloria exhibent celeberrimæ Bibliothecæ, Laurentiana, Palatina, & Divi Marci, quæ tot Manuscriptos optimæ notæ antiquissimos Codices continent, quos* COSMUS *Pater Patriæ*, LAURENTIUS *Magnificus*, LEO X., *&* CLEMENS VII. *Summi Pontifices, magnis impensis conquisitos in eas transtulere. Quàm grata hæc*, REGIA CELSITUDO, *Majorum* TUORUM *Nomina Viris eruditis! Enim verò reminiscuntur illorum Ædes, & gazas Musis omnibus, bonisque Artibus dicatas, atque eorum potissimùm ope, & auspicio ab Italia nostra, immò & Europa universa veternosam illam præteritorum tem-*

porum excussam fuisse barbariem, eaque sibi ornamenta comparasse, ut jam cum vetustioribus ipsis Latinis, Græcisque Scriptoribus doctrina, & elegantia certare possint Franciscus Petrarcha, Angelus Politianus, Marsilius Ficinius, Bartholomæus Scala, Angelus Bargæus, Ugolinus Verinus, & innumeri alii Mediceorum Alumni, quos omnes ab iisdem liberalitate perpetua ad eximia omnium disciplinarum studia invitatos, nemo est qui nesciat. Nam Eruditis patrocinari Mediceum est: TUÆQUE *Gentis ea singularis est laus, ut per eam præcipuè resurrexerit, quidquid intericrat Literarum. Avorum suorum exempla imitatus Pientissimus Parens* TUUS COSMUS III. *Magnus Dux, optimas disciplinas, earumque cultores impensè adamavit; quô verò ardentiùs in eas incumberent, Regia planè munificentia plurimùm juvit: in eo præsertim emicuit ingens desiderium, & cura ornandi, ac defendendi Ecclesiam per Sapientum scripta, dum non tantùm sibi subjectos pro auctoritate ad id impulit, verùm etiam exteros suaviùs eodem inclinavit, spe præmii illos alliciens; utrosque verò gratia, favore, beneficentia, & patrocinio fovens.* TU *autem*, CLEMENTISSIME PRINCEPS, *tanti Parentis dignissima soboles, & gentilitiis exemplis, & virtute propria instructus, ubi ad capessendam Rempublicam accessisti, quem semper erga Literas amorem animo nutriveras, nunc ardentiùs expandis, solemque æmulatus beneficentiæ radios abundantiùs effundis. Quæ quidem mecum mente revolvens, in spem magnam erectus præsens Opus* Orbis Sacro-Profani, *quod in lucem profero*, REGIÆ CELSITUDINI TUÆ *offerre non vereor, eximia illa fretus humanitate* TUA, *qua Majorum* TUORUM *imitatione tenues quoque Musarum cultores minimè dedignaris. Sed & ea simul animo Sententia stetit, nullius nomine illud justius pose inscribi, quàm* TUO*: quis enim umquam civilia, & Sacra decen-*

tiùs

tiùs pertractat, quàm PRINCEPS *pientissimus, & apprimè Orthodoxus; aut cui magis accomodum Origines Regnorum, Ecclesiarumque perscrutari, quàm* SUPREMO REGALIS ETRURIÆ DOMINO, *in cujus Ditione publica felicitas efflorescit, concordia potissimum Sacerdotii, & Imperii? Nec deest muneri pretium, nisi me meus fefellerit Amor, utcumque collecta magna ex parte prius hæc fuerint, quæ in Notitia Romani Imperii Profanam, Sacramque Orbis terrarum politiam exhibent: dein reliquis, si superis placeat, prælo committendis ejusdem partibus, Europæ, cùm primis Italiæ, & Etruriæ* TUÆ, *ceterarumque Provinciarum; tum Asiæ, Africæ, & Americæ amplissima Regna, Regiones, Principatus, eorumque vicissitudines; Gentium ritus, mores, ac instituta proferrentur, ut subindè uno in Opere omnia hæc, velut in tabula splendescant. Gratum propterea* REGIÆ CELSITUDINI TUÆ *futurum fore munus hoc non immeritò confido; laboris enim mei non exigua pars est, quod hic egregia facinora clarissimorum Heroum, cum in propagando temporali Imperio, tum in amplificandâ Christi Ecclesiâ enarrantur, quæ* SERENISSIMÆ FAMILIÆ TUÆ *quodammodo communia censentur, quum illa Cæsaribus, Christianissimis Galliarum Regibus, ac potentissimis Europæ Principibus Sanguine conjuncta, omnium triumphos, præclaraque gesta in consortium gloriæ suæ traxerit. Sed quid opus ab aliis mutuari exempla? Habes,* MAGNE DUX SAPIENTISSIME, *Domi Majorum* TUORUM *plurima, eaque præstantissima, quibus præluceas ceteris, invideas nemini. Plurimùm illi laborarunt consilio, auctoritate, opibus, militari virtute, ut Christianum nomen longè, latèque propagaretur, atque gloriosiùs de prostrata impietate Religio triumpharet. Quid memorem Mediceos Duces in Græciam, & Palæstinam victricibus armis Vexillum Crucis intulisse? Quid* MAGNI COSMI *Patris Pa-*

triæ liberalem munificentiam, non in unam Etruriam, non in solam Italiam, & Europam, sed & Constantinopolim, & Jerosolymas, & in remotiores Orientis Provincias effusam? Quid LAURENTII *Magnifici strenuam operam, prudens consilium, sedulam curam, ut inter Christianos Principes concordiam, Italiæ tranquillitatem, Etruriæ gloriam, felicitatemque conservaret; cujus nomen vel ipsis Barbaris in maxima fuit existimatione? Quid si posteriora inspiciamus tempora, quàm uberes se se offerunt palmarum segetes?* COSMUS I. MAGNUS DUX, *Stirpis* TUÆ *decus immortale, periclitanti intestinis bellis Galliarum Monarchiæ opem tulit, instructisque strenuorum militum cohortibus, ab Hæreticorum perduellium armis defendit, una florentissimum Regnum, & Catholicam Religionem tutatus: constituto insuper Equitum Divi Stephani Ordine, ac maritima instructa Classe, sæpius Turcarum impetus fregit, Italiamque a Barbarorum incursionibus incolumem, salvamque conservavit. Ejusdem* MAGNI COSMI *Filii, & Nepotes, Avi, & Proavi* TUI: COSMUS III. *optimus Parens* TUUS, *opem, & Sanguinem liberaliter impendentes, Christianam rem, sæpe in discrimen a suis hostibus adductam, pro virili propugnarunt. Nota loquimur, & loquitur ipsa Classis, cum multa Nobilitate Etrusca, tot jam continuis annis in præsidium Venetorum contra perfidos Mahumeti Sectatores directa: loquitur Insula Sanctæ Mauræ, prima gloriosæ hujus expeditionis palæstra, ubi Christianorum quidem omnium, sed in primis Tuscorum eluxit imperterrita virtus, per cædem, & cadavera suorum in locis paludosis viam Sociis sternentium ad Urbem: loquuntur Civitates in Peloponeso fortitudinem Etruscam expertæ, ac feliciter tunc Religioni subactæ. Quid plura? Ipsa Religio beneficium a Majoribus* TUIS *sibi præstitum agnoscere visa, remunerari conata est, cum quatuor Romanos Ponti-*

fices,

fices, plurimos inter summos S. R. E. Proceres adlegit, purpureo coloris amictu accepto adumbrantes gloriam, quam Tui *profuso Sanguine, sibi, Mediceæ Genti, Imperio, Religioni pepererunt. Plura congeri potuissent egregia ex Avorum* Tuorum *fastis excerpta*, Regalis Familiæ Tuæ *decora: plura itidem* Tibi *uni propria recenseri, nisi vires mihi deficerent, Animique* Tui, *quamvis ad laudem nati, singularis modestia prohiberet. Id unum petere audeo*, Regia Celsitudo, *ut patiaris splendorem Medicei Nominis lucere in fronte Libri; utque ei ornando commodare digneris tot illius ornamenta, ob quæ Musarum delicium, Sacræ, Profanæque Historiæ promptuarium, cultioris omnis literaturæ exemplar apud omnes audit, ad Italiæ totius insignem laudem, ipsiusque, quod rarum, Europæ admirationem. Vale: Teque Deus incolumem diutius servet ad Etruriæ quietem, ac felicitatem.*

Regiæ Celsitudinis Tuæ

Humill.[mus], Addictiss.[mus], Obsequentiss.[mus] Famulus
Fr. Franciscus Orlendius Ord. Præd.

VIII.



PRÆFATIO.



Nemo Catholicorum inficiari potest, summo Dei consilio, & providentia factum esse, ut duobus maximis præsidiis instructa sit humani generis societas ad felicitatem adipiscendam, Sacerdotio nimirum, & Imperio, atque utrique huic cardini innixa sacra, & civilis totius Orbis administratio, tam longo seculorum fluxu firma consistat. *Duo quippe sunt* (ajebat Gelasius Papa) *quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas*: quorum alterum divinis incumbens ministeriis, sempiternam animorum salutem: alterum civilibus addictum negotiis, humanæ vitæ tranquillitatem procurat; adeo ut ex mutua amborum concordia Christianæ Reipublicæ pax potissimum pendeat. Quæ duo sane Pontificiis æque, ac Cæsareis sanctionibus plurimum celebrata, sibi vicissim opem ferunt. Hinc Unigenitus Dei Filius e Cœlis in terras delapsurus, atque humanam suscepturus carnem, tunc Novæ Legis, Novique Sacerdotii fundamenta jacere, Lex Ipse no-

Gelas. epist. 10. ad Anastasium Imperatorem.

Gregor. VII. lib. 1. ep. 19. In Authen. Coll. 1. Tit. 6. Novell. 6.

nobis summa, summusque itidem Pontifex nasci decrevit, *cum exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis:* Nempe Romanum Imperium longe lateque diffusum; Ecclesiæ suæ, quam proprio sanguine acquisiturus advenerat, obstetricari voluit, quo facilius aliquando alterum alteri adsociaret, eductumque e tenebris ethnicæ superstitionis, in Regnum suum transferret. Post suum vero in Cœlos adscensum, sub ipsis recens a se institutæ Religionis primordiis, cum adhuc fides reptaret in cunnis, non Jerosolymas, aut aliam quampiam Judææ, ubi inter mortales conversatus fuerat, urbem, sed ipsam Imperii Arcem Romam Vicarii sui Sedem, omniumque credentium Matrem, & Magistram adlegit, ut eadem esset Sacri Pontificatus apex, quæ & temporalis Regni culmen.

Lucæ cap. 1.

S. Ambrosius 2. in Lucam.

S. Gregorius hom. 8. in Evangel.

Sapienter idcirco Apostoli, iisque proximiores Viri Apostolici, Divino Spiritu afflante, in Ecclesia retinuerunt civilem Imperii Romani dispositionem, in quo Christi Religio citius, faciliusque suscepta est, ac maximis deinceps aucta incrementis, quam apud Barbaras Nationes, in quas tardius & difficilius invecta non adeo altas radices egit. Quemadmodum enim Imperii corpus in Diœceses & Provincias distributum fuit, atque in iis majores urbes, ac Metropoles, Præfectorum, ac Præsidum Sedes constitutæ; ita Apostoli, quæque eos deinceps imitatæ sunt Oecumenicæ Synodi, Orbem Ecclesiasticum in Diœceses, & Provincias discerpserunt, majoribus urbibus in unaquaque illarum adlectis, in quibus Patriarchæ, Primates, & Metropolitæ Cathedras figerent, atque ab iis earumdem Provinciarum Episcopi, ac minores Sacerdotes jura susciperent. Ea porro tum civilis, tum Ecclesiastica Provinciarum distributio apprime elucescit ex veteri Notitia Imperii Romani, quæ Constantino Magno tribui solet, cui se addixisse Patres Constantinopolitanos in administranda Ecclesia, ex Canone 2. Secundæ Synodi Oecumenicæ, ex Socrate lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. & Theodoreto in Epistola ad

Fla-

Flavianum, exploratum est. Et quidem prioribus Ecclesiæ seculis vix alia occurrit Provinciarum, & Metropoleon Ecclesiasticarum partitio, quam ea, quæ Constantinianæ huic Notitiæ respondet. Id toto fere primo istius Operis Volumine, quod reliquis mole superat, demonstrandum assumpsi, in quo variis prius, quæ huic anteiverant, Notitiis Imperii Romani expositis, in ea tandem sisto, quæ Constantino adjudicatur, atque ad Honorii usque Principatum pervenit; ad cujus præcipue normam veterem Ecclesiarum Notitiam exegi. In tredecim Imperii Diœceses, ex quibus Notitia Constantiniana coalescit, ego itidem universam pæne Ecclesiarum administrationem distraxi, qualem prisca ætas in Provinciarum, Metropoleon, & Episcopatuum institutione servavit; siqua autem deinceps in iis mutatio contigit, aut nova iisdem urbium, aut regionum accessio facta est, eam minime præterivi.

In singulis vero Diœcesibus, earumque Provinciis lustrandis eam methodum teneo, ut primum Geographicam cujusvis illarum descriptionem paucis adornem: tum deinde quo tempore, quibusque Ducibus singulæ Romanorum armis subactæ fuerint: qua ætate ab Apostolis, aut Apostolicis Viris Christi Fidem susceperint: tandem quæ sint uniuscujusque earum Metropoles Ecclesiasticæ, iisque subjectæ Episcoporum Sedes, atque urbes exponam. Quia vero Urbes aliquot ceteris præstantiores ad eam evectæ fuerant dignitatem, ut quemadmodum in Civili Politia Præfectorum, aut Vicariorum Imperii, ita & in Ecclesiastica administratione Patriarcharum, aut Primatum Sedes essent; in iis pariter illustrandis operam meam industriamque conferam. Hac enim ratione fiet, ut facilius innotescant Patriarcharum, Primatum, & Metropolitarum dignitates, jura, variæque illorum origines, & gradus, quibus singuli ad tantum honoris fastigium adscenderunt.

Hic quidem sistere animus mihi erat, quod antiquitatis monumenta, quæ sola de his rebus vestiganda decreveram, in unius pæne Romani Imperii finibus

ſe ſe continerent: Verum ubi animadverti, Chriſtianam Religionem tractu temporis longius latiuſque propagatam ejusdem Imperii limites tranſiliiſſe, atque in omnes Orbis terrarum partes porrectam, novas ſibi, eaſque ampliſſimas Diœceſes, Provincias, & Metropoles comparaſſe, ad exactam omnium prorſus Eccleſiarum intelligentiam aſſequendam, illud mihi peropportunum viſum eſt, nec Viris eruditis ingratum fore exiſtimavi, quatuor Terræ Partium, Europæ nimirum, Aſiæ, Africæ, & Americæ Notitiam articulatim contexere. Quod quidem reliquis, qui ſequuntur, Voluminibus adimplere ſtudui, eodem, qui in antecedenti, ordine ſervato; hoc tantum diſcrimine, quod Imperii Romani loco peculiaria ſubſtituo Regna, & Regiones, quæ propriis uniuſcujuſque partis Orbis obtemperant Principibus. Quarumlibet Regionum Provincias tum civiles, tum Eccleſiaſticas, earum quoque Metropoles, ac Urbes ipſis contributas recenſeo; Epiſcopatuum initia rimari ſatago; ſiquas etiam ſubiere viciſſitudines nequaquam ſileo.

Quamquam autem Metropoles omnium Provinciarum, earumque Suffraganeas, ut vocant, urbes, ſigillatim commemoro, non id tamen conſilii mihi inſedit animo, ut omnium cujusvis Provinciæ, aut civitatis Metropolitarum, atque Epiſcoporum Catalogum deſcriberem; in immenſum quippe Opus iſtud excreſceret, actumque agerem, cum Viri eruditi omnium prope Nationum id jam antea ſint exequuti. Unum dumtaxat præſtandum duxi, in qualibet Provincia, poſt nomen cujuslibet Urbis, ſeu Epiſcopatus, indicare nomen antiquioris ejus Antiſtitis, cujus Conciliorum Acta meminere. Fateor me arduum opus, labore, & copia immenſum aggredi; ſed tamen longe pulcherrimum atque jucundum, cujus lectione haud difficulter quiſque poterit plenam totius Orbis intelligentiam aſſequi: præcipua Romanorum, ceterarumque Nationum geſta ediſcere: varios gentium mores, ritus, & politiam intueri: quodque plurimi æſtimandum eſt, Eccleſiarum omnium originem, progreſſus, in-

incrementa, ac multa sacræ antiquitatis haurire documenta. Quæ omnia titulus Operi præfixus complectitur, ac uno veluti prospectu ob oculos legentium ponit.

Scio a Viris eruditis antehac veterem Imperii Romani Notitiam adnotationibus elucidatam: quod præ ceteris summa cum laude præstiterunt Viri Clarissimi, P. Jacobus Goar Ordinis Prædicatorum, & Carolus a Sancto Paulo Abbas Fulliensis: speciatim vero nostræ Italiæ Notitiam D. Ferdinandus Ughellus Abbas SS. Vincentii, & Anastasii ad Aquas Salvias, Monachus Cisterciensis: Galliarum P. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu, Robertus, & Valesius: Hispaniæ, Germaniæ, Britanniæ, Mendez Silva, Pirrus, Miræus, Ferrarius, Bucellinus, Usserius, Harpsfeldt, Camdenus concinnarunt. Sed ego apud alios hinc inde dispersa nedum collegi, sed etiam in meliorem redegi ordinem, & multa ab aliis prætermissa adjeci. Ad hæc, Regionum, Provinciarumque omnium Geographicam descriptionem delineavi: Gentium mores, ritusque varios, Principes, & Magistratus a quibus reguntur, quæque ad earumdem pertinent religionem, instituta, & vivendi formam, prosequutus sum. Qua ætate Romanorum Duces, ac Principes Europam, Asiam, & Africam armis subegerint; quo item tempore in iisdem Orbis Partibus Evangelii lumen effulserit, Historica narratione aperui. Eadem methodo seorsum Europæ, Asiæ, Africæ, Americæque postremis seculis detectæ, Regna, Regiones, Provincias, Metropoles, Urbes, Sacros, & civiles Magistratus descripsi: Metropoles Ecclesiasticas in iis, sive priscis, sive postremis temporibus erectas, ipsisque obnoxias Episcoporum Sedes, uti & earum initia exhibui. In singulis Terræ Partibus perlustrandis, Provinciarum, ac Metropoleon origines, & divisiones, cum civili, tum Ecclesiastica dispositione conditas, majori qua potui diligentia, rimari fategi. Non tamen idcirco ita mihi blandior, quasi rem omnibus suis numeris absolutam, & undequaque exactam perfecisse arbitrer; cum per-

arduum sit, ac pæne impossibile, plenam completamque habere cognitionem eorum, quæ vetustate sua, injuria temporum, remotarum quoque Nationum aut barbarie, aut ignorantia, aut stolida oblivione consepulta, vix obscuris vestigiis se se produnt; sed qualemcumque industriam meam publicæ impendi utilitati, semper paratus meliora discere, quoties vel etiam de minimis erudiar.

Quod ad primam istius Operis Partem attinet, quam nunc Typis cudendam committo, ex ipsa ordinis hactenus in hac Præfatione delineati ratione constat, eam in sex libros distribui oportere. Horum Primus rimatur Antiquitatem Metropoleon Civilium, & Ecclesiasticarum, variasque exhibet Notitias Imperii Romani, quarum præcipua, ac veluti Primæ hujus Partis Scopus, ea est, quæ Constantino Magno tribui solet. Secundus complectitur quinque Diœceses Præfecto Orientis concreditas. Tertius duas continet Diœceses Illyrici Orientalis, earum Præfecto demandatas: itemque alteram Diœcesim Illyrici Orientalis, quæ etsi Præfecto Italiæ commissa esset, ne tamen a reliquis Illyrici Provinciis sejungatur, huc trasferendam duxi. Quartus duas alias Diœceses comprehendit Italiæ Præfecto subjectas. Quintus describit tres Diœceses Præfecto Galliarum obnoxias. Sextus demum exponit ea, quæ ad Exarchos Ecclesiarum Orientis, & Occidentis, itemque ad quinque Patriarchas Majores, atque illorum Patriarchales Sedes spectant.

Siqua vero in hac Prima Parte compendio perstricta sunt, in reliquis ejusdem Operis Partibus, velut propriis locis, enucleatius erunt expendenda; siqua autem prætermissa, accuratius supplenda.



NOS

NOS FR. AUGUSTINUS PIPIA
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, Admodum R. P. Magiſtro Fr. Franciſco Orlendio, Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ, in Piſana Univerſitate Publico Theologicorum Dogmatum Profeſſori, licentiam concedimus Typis edendi opus a ſe compoſitum, cui Titulus *Orbis Sacer, & Profanus, &c.* dummodô prius recognitum, & approbatum fuerit ab Admodum RR. PP. Magiſtris F. Joſepho Maria Cornelio, & Fr. Dominico Franciſco Perazzi, ejuſdem noſtræ Provinciæ, quos ad hunc effectum ſpecialiter deputamus, & ſerventur aliâs de Jure ſervanda. In quorum, &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 28. Aprilis 1723.

FR. AUGUSTINUS PIPIA.
Magiſter Ordinis.

Loco ✠ Sigilli.

Reg. fol. 14.
FR. THOMAS MARIA LASCARIS
Magiſter, & Socius.

Mandante

MAndante Reverendissimo P. Magistro Generali libenter, ac attente perlegi Opus compositum ab Admod. R. P. Magistro Fr. Francisco Orlendio quinque Partibus exaratum sub titulo *Orbis Sacer, & Profanus, &c.* nec aliquid in eo reperire potui dissonum veritati, aut morum honestati.

Quinimmo in tanta rerum, Locorum, ac temporum varietate uniformem eruditionis, & omnigenæ Literaturæ stilum admiratus, Auctoris studium omni laude dignum, & Opus impressione dignissimum censeo.

Parmæ in Conventu, ac Collegio S. Petri Martyris.

Fr. Joseph Cornelius a Montebasilio, Magister, Prior, & Præfectus Collegii.

JUssu Reverendissimi Patris Fr. Augustini Pipia Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri legi, ac accuratè perpendi Opus inscriptum: *Orbis Sacer, & Profanus illustratus. Pars Prima, in qua Diæceseon, Provinciarum, & Metropoleon, tum Ecclesiasticarum, tum Civilium distributio, ad normam veteris novissimi Imperii Romani explicatur. In reliquis singulæ Mundi partes, Europa, Asia, Africa, America, earumque Provinciæ, Metropoles, & Urbes describuntur: Opus Ecclesiasticæ, & Profanæ Historiæ, necnon Geographiæ Studiosis apprimè utile, Auctore P. Fr. Francisco Orlendio Ordinis Prædicatorum Magistro, & in Universitate Pisana Theologicorum Dogmatum publico Professore*, in quo nihil orthodoxæ fidei, ac optimis moribus contrarium offendi, quinimmo, ut ipsa præsefert Operis Inscriptio, ea omnia, quæ ab Auctore peritissimo, & Sacræ Theologiæ meritissimo Professore elucubrata, ac in unum congesta sunt, Ecclesiasticæ, & Profanæ Historiæ, necnon Geographiæ studiosis fore plurimum utilia existimavi, quapropter opus dignum censui, quod juris publici fiat.

Datum Pisauri die 18. Martii 1724.

Fr. Dominicus Franciscus Peratius Sacr. Theolog. Magister manu propria.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ferie, noftrique auctoritate Officii, licentiam concedimus Admodum Rev. Patri Magiftro Fr. Francifco Orlendio Provinciæ noftræ, utriufque Lombardiæ, necnon in Univerfitate Pifana publico Cathedratico, ut Typis mandare valeat Opus ab ipfo compofitum, jamque a duobus PP. Magiftris Ordinis noftri de commiffione Eminentiffimi Cardinalis Pipia Prædeceſſoris noftri revifum, & approbatum, cui titulus *Orbis Sacer*, *& Profanus*, *&c.* fervatis alias de jure fervandis. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ in Conventu noftro Sanctæ Mariæ fuper Minervam die 9. Februarii 1726.

FR. THOMAS RIPOLL
Magister Ordinis.

Loco ✠ Sigilli.

Reg. fol. 2.
FR. DOMINICUS PONSI
Magifter, Ex-Provincialis, & Socius.

Admo-

ADmodum Rev. Lucas Joseph Cerracchini . T. D., & Academicus Florentinus videat diligenter, an in hoc Opere: *Orbis Sacer*, *&* *Profanus*, *&c.* aliquid sit, quod imprimendum impediat, & referat.
Datum ex Archiepiscopali Palatio die 4. Augusti 1726.

Horatius de Mazzeis Vicarius Generalis.

Illustrissime, ac Reverendissime Præsul.

ERuditissimum Opus, cui Titulus: *Orbis Sacer & Profanus illustratus*, *&c.* eâ, quâ potui, diligentiâ attentè legi, nihilque in eo a puritate fidei, & morum candore alienum inveni; quinimmo disertissimi ejus Auctoris Admodum R. P. Fr. Francisci Orlendi Ordinis Prædicatorum Magistri, & in Alma Pisarum Universitate Theologicorum Dogmatum Professoris emeriti eximiam admiratus eruditionem, omnium utilitati consulens, publici jurisfaciendum censeo; ideoque subscribo.
xv. Kalendas Septembr. 1726.

Lucas Joseph Cerracchini S. T. D., & Acad. Florentinus.

Stante supradicta Relatione, imprimatur.
Horatius de Mazzeis Vicarius Generalis.



AD Admodum Rev. Patrem Leonardum Donnini de Florentia Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium. Sac. Theologiæ Magistrum, Definitorem perpetuum, & publicum in Pisana Universitate Theologum, ut videat pro S. Officio, & referat.
Dat. in Sancta Inquisitione Florent. xii. Kal. Septembris 1726.

Magister Fr. Joseph Maria Pesenti de Bergomo Ord. Min. Conv. Vicarius Generalis S. Officii Florentiæ.

MAndante Reverendissimo Patre Magistro Vincentio de Comitibus Ord. Minor. Conventualium Inquisitore Generali Florentiæ, sedulò evolvi, ac attentè perlegi Volumen, cui Titulus: *Orbis Sacer*, *&* *Profanus*, *&c.* Auctore Admod. R. P. Francisco Orlendio Ord. Præd. Magistro, & in Universitate Pisana Theologicorum Dogmatum publico Professore, Opus sane egregium, doctum, & eruditum, nihilque in eo reperi Catholicæ Fidei, optimisque moribus dissonum; idcirco Prælo committi posse ad publicam literatorum hominum utilitatem censeo.
Dat. Florentiæ in Conventu nostro S. Crucis xii. Kal. Octobr. 1726.

Fr. Leonardus Donnini Ord. Min. Conv. Magister, in Universitate Pisana Sacr. Theol. Professor, & Consultor S. Officii Pisarum.

Attenta supradicta Relatione, Imprimatur.

Magister Fr. Joseph Maria Pesenti a Bergomo Ord. Min. Conv. Vicarius Generalis S. Officii Florentiæ.

Imprimatur.
Phil. Bonarota Senat., & R. S. C. Audit.



ORBIS SACER
E T
PROFANUS
PARS PRIMA,

IN QUA DIŒCESEON, PROVINCIARUM, ET METROPOLEON, TUM ECCLESIASTICARUM, TUM CIVILIUM DISTRIBUTIO, AD NORMAM VETERIS NOTITIÆ IMPERII ROMANI EXPLICATUR.



LIBER PRIMUS

Antiquitas Metropoleon Civilium & Ecclesiasticarum a contrariis quorumdam Sententiis vindicatur. Dein variæ partitiones Diœceseon & Provinciarum Romani Imperii, ejusdemque Notitiæ recensentur.

CAPUT PRIMUM.

Synopsis.

I. *ANte Constantini M. tempus nullam in Asia & Oriente fuisse Metropolin aliqui censent. Sed rejicitur hæc opinio. Aristides de sola totius Imperii Metropoli loquitur. Teste Ulpiano, Ephesus olim totius Asiæ Metropolis fuit.*

II. *Præter Ephesum, Pergamum quoque, Smyrna, & aliæ Asiæ Urbes quondam Metropoles dictæ. Non semper a magnitudine, & antiquitate, urbibus hoc nomen impositum est, sed interdum a sede Principum.*

III. *Christi & Apostolorum ætate Proconsules fixam aliquando in Asia se-*

dem non habebant. Ephesus tamen paulò post ab ipsis adlecta. Plurimum etiam ab ipsis delatum illis civitatibus, quæ Regnorum Metropoles fuerant, varii Nūmi declarant.

IV. Attamen etiam clarioribus civitatibus id interdum concessum fuit, ut Nūmos in honorem Principis cuderent.

V. Antiochiam Trajani tempore Metropolim Syriæ fuisse veteres tradunt. Duplicis generis Metropoles distinguit Norisius.

I. 

Vetustatem Metropoleon Civilium & Ecclesiasticarum initio vestigare aggressus, assentiri non possum quibusdam viris eruditis existimantibus, ante Constantini Magni Imperium nullam in Asia, & Oriente civitatem Metropoleos jure donatam. Hanc sententiam nuper amplexus est D. Abbas Benedictus Bacchinius Ordinis Sancti Benedicti in *Dissert. de Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus, Par. 1. cap. 3.* Quam ad id probandum laudat Aristidis orationem, si rite expendamus, hoc unum indicat, post subactum Romanorum armis Orientem & Asiam, Romæ dumtaxat Primatum supra ceteras urbes convenire: hanc unam esse primam, & Metropolim omnium, totius Orbis dominam; ceteras autem antea de Primatu contendentes, jam huic uni subesse. (1) *Ceterum*, inquit, *quod ad nostras res attinet, & constitutos bonis avibus ritus, quis tam puer, vel tam senex delirus est; qui nesciat unam Urbem primam, & maximam toti imperare terrarum Orbi, unamque Familiam cuncta administrare? Prætores verò quotannis ad nos ex lege commeare, quibus omnia, tum magna, tum parva secundum eorum arbitrium permissum sit gerere?* Hæc propterea Aristides effatus est, ut pacem conciliaret inter clariores Asiæ civitates, ne deinceps de Primatu inter se decertarent; idque Asiaticis ea ratione persuadere conabatur; quod omnium Urbium ac Provinciarum una sit Roma Metropolis, prima & maxima, unde Prætores & Præfecti ad Asiaticas res administrandas destinarentur; sicuti ex tota illa oratione liquet. At verò cujusvis Provinciæ, ac Regni propriam fuisse Metropolim non negat Aristides, nec ullus, quem sciam, præter Bacchinium & paucos recentiores, quibus neque levia, neque ignobilia adversantur antiquitatis monumenta. Primum Ulpianus antiquissimus Juris Consultus, sub Hadriano Imperatore Scriniorum Magister, Ephesum toti Asiæ præpositam docet, *l. 4. ff. de Officio Proconsulis*. Cum enim Asia Proconsularis Attali Regis legato ad Romanos delata esset, Ephesum urbem tamquam Provinciæ Metropolim colebat, ut ibidem testatur Antoninus Imperator, qui Asianorum votis annuens rescripsit, Proconsulem cum ingrederetur Provinciam, ad eam Civitatem, quod Asiæ caput esset, appellere debere. Ante Constantiniana tempora urbs ista latius porrexerat jus Metropoliticum, in decem scilicet Provincias, Pamphiliam, Lydiam, Hellespontum, Pisidiam, Lycaoniam, Phrygiam utramque, Lyciam, Cariam, & Insulas. Amplum hoc Regnum, Attali Pergameni testamento Romanæ Reipublicæ concessum, Patres in Provinciæ formam redegerunt; Asiamque de continentis ejus nomine vocaverunt, ut refert Strabo *lib. 13.* Ejus administrationi Proconsulem præfecerunt; quem statum Diœcesis illa etiam sub Imperio retinuit usque ad Constantini ætatem. Is quip-

(1) Aristides Orat. ad Civitates Asiaticas.

quippe nonnihil statum hunc immutavit, ab Asia Proconsulari rescindens Lydiam, Cariam, Hellespontum, & Cycladas Insulas; quas in peculiarem Provinciam redegit. Sub Arcadio tamen Hellespontus & Insulæ Proconsulatui Asiæ redditæ sunt, ut constat ex Notitia Imperii. Quare priusquam Constantinus Magnus rerum potitus esset, Asia Proconsularis latius limites suos effundebat, eratque totius Diœcesis caput, & Proconsulis sedes Ephesus, sicuti ex Antonini rescripto discimus. Epigraphes insuper Nummorum Gallieni, Saloninæ, & Gordiani, Ephesum Primam Asiæ nominant.

II. Præter Ephesum, Pergamum quoque, Smyrnam, & alias nonnullas nobiliores civitates, superbis appellationibus *Metropoleos Primæ*, decoratas minime inficiamur. Maxima enim vero fuit Asiæ Proconsularis Diœcesis, & in varias Provincias distributa, unde præter Ephesum universæ Diœcesis Principem Urbem, aliæ etiam civitates præcipuæ singulis Provinciis præerant. Nonnumquam a Regali Sede, quam aliquando obtinuerant, hanc Metropolis appellationem conservabant. Sic Sardis urbs Lydiæ magna, & Crœsi Regia, de qua Horatius. (1)

Quid concinna Samos, quid Crœsi Regia Sardis?

Unde olim non solum Asiæ, sed Lydiæ etiam, & Græciæ *prima Metropolis* dicta est. Interdum a vetusta origine, a deductis alibi coloniis, eam dignitatem Urbes aliquot sibi præ aliis vindicabant. Quemadmodum Tyrus & Sidon ob has causas inter se digladiabantur de Phœniciæ Primatu. Nec semper a magnitudine aut antiquitate Urbium tantus splendor effluxit, sed plerumque a Throno Principis. In Italia, Galliis, Hispaniâ, Germaniâ, aliisque Regnis non semper fuerunt eædem urbes, quæ & majores. Sæpe itidem vices mutatæ, ut quæ quondam principes, & maximæ fuerant, postea bellorum cladibus, aut terræ motibus, aut aliis infortuniis oppressæ, inter mediocres deflecterent. Hierosolyma, Sirmium, Ninive, Babylon, Samaria, Alexandria, Antiochia, Aquileja, Carthago, & alias quamplures fidem faciunt. Quocirca non a magnitudine aut vetustate urbium metiri debemus earum Primatum. Mediolanum sane, priusquam Hunni & Gothi Italiam invaderent, ei Italiæ parti, quam veteres Galliam Cisalpinam dixere, aliquando imperavit: at Barbaris illis, uti & postea Longobardis Italiâ potitis, Ticinum Metropolis Regni interdum fuit. Byzantium mediocris erat Thraciæ civitas, a Severo Imperatore privilegiis libertateque exuta & Perinthiis subjecta, testibus Dione, & Xiphilino; sed translato illuc Imperio, non solum Græciæ, sed toti Orienti dominabatur. Lutetia sub prima & secunda Regum Galliarum Dynastia, non eam obtinebat dignitatem & amplitudinem, quam postea consecuta est. Lubricum proinde & fallax est argumentum, quo obtendit quispiam recens Scriptor, ex quarumdam Asiaticarum Urbium magnitudine, antiquitate, aliisque titulis, Epheso Metropoleos Asiæ Proconsularis gloriam suffurari.

III. Nobis negotium non facessit, quod D. Bacchinius asserit, nullam Christi & Apostolorum ætate urbem fixam habuisse Proconsules Asiæ, in qua sedem stabilirent. Præterquam enim nullo argumento id probat, quam quod negativum vocant, quo nullum infirmius; facile insuper reponi potest varios bellorum eventus in causa fuisse, ne illis temporibus Proconsules Asiæ sedem suam Ephesi firmarent, cum nec dum

(1) Horatius 1. Epist.

res Romanorum pacatæ essent, atque ob hoc Urbes ac Provincias lustrare ipsis frequenter opus foret. Nihilominus etiam tunc in majoribus Civitatibus plerumque Proconsules degebant; & Apostolorum ætate septem erant Urbes in Asia reliquis præstantes, quibus D. Joannes Evangelista *Apocalypsis cap.* 1. & 2. litteras suas scripsit, quarum prima Ephesus nominatur. At florescente postmodum Imperii tranquillitate, rebusque ad optimum regimen compositis, Proconsulis sedes Ephesus adlecta est, quod Urbs illa esset totius Asiæ caput, quemadmodum Antonini Imperatoris edictum antea laudatum demonstrat.

Neque inficiari hoc poterit eruditus P. Bacchinius, si animadvertat, Romanorum Præsides in Provincias missos plurimum detulisse Urbibus illis, quæ fuerant Regni sedes ac Metropoles. Nam Procuratores Judææ Hierosolymis commorari solitos ex Sacris Evangelistis colligimus, id de Pilato testantibus. Varro itidem Syriæ Legatus Antiochiæ versabatur, ut tradit Josephus *libr.* 17. *Antiq. cap.* 7. ubi cum institutum a Varrone adversus Antipatrum Herodis Filium judicium narrasset, mox de illius reditu Antiochiam subdit. (1) *Quo facto surgens abiit e Concilio, & sequenti die Antiochiam profectus est, ubi plurimum solebat degere, quod illic esset Syrorum Regia*. Josephus affirmat, Quinctilium Varum nedum Antiochiæ commorari solitum, sed etiam affert causam, *quod illic esset Syrorum Regia*; pæne ac si diceret, Antiochiam Syriæ Metropolim esse. Atque ad hujus confirmationem haud parum conferunt duo Vari Numismata, quæ exhibet Vir Clarissimus Antonius Pagi *in Apparatu Chronologico ad Annales C. Baronii*, *num.* 136. sibique transmissa testatur a Doctissimo Cardinali Norisio, & a Nicolao Thoinardo. Primum extat Florentiæ in Scrinio Illustrissimi Marchionis Riccardi, quod quidem est minimæ magnitudinis, caput Jovis in antica repræsentans, in cujus postica habetur: ΕΠΙΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Latine reddita sonant, *sub Varo Antiochensium*: Adest mulier sedens pede super figuram Orontis fluminis, tenens dexterâ palmam: & in medio EK. ideſt Anno XXV. Porro mulier nummo insculpta repræsentat Civitatem Antiochenam, ad ripam Orontis fluvii sitam. Quod magis explicat Nummus alter a Thoinardo visus, & in Cimelio Regio asservatus, in quo cernitur eadem antica sine ulla inscriptione, & in adversa parte Urbs Antiochensis turrita ac sedens, ad cujus pedes fluvius, Orontes nimirum, cum iisdem verbis, quæ in laudato Riccardi Nummo leguntur. Alios quoque Nummos Vari laudat Pagius, cum in Gaza Medicea, tum apud Joannem Vaillantium conspicuos cum iisdem figuris & inscriptionibus. Annorum autem nota designat annos Imperii Augusti in Syria post debellatum Antonium. Æque illustris est Nummus alter Parisiis extans penes Patres Societatis Jesu, in Cimelio Collegii Ludovici Magni, a P. Harduino Viro Eruditissimo *in Nummis Urbium, & Populorum pag.* 51. *descriptus*: Præside Syriæ eodem Quinctilio Varo. Græca Nummi inscriptio hæc est: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. Verum non sine errore Nummus iste ab Harduino exhibetur; addit siquidem in eodem haberi has litteras ΣΚ. ideſt, ut ipse explicat, S. C. seu *Senatus Consulto*. In quo tamen labitur, cum Thoinardus, qui eumdem Nummum se vidisse testatur, prudenter moneat, in eo invenisse, ZK. hoc est, XXVII. quia tunc vigesimusseptimus decurrebat annus Imperii

(1) Josephus lib. 17. Antiquit. cap. 7.

perii Augusti in Syria, post obtentam de Antonio Victoriam. Laudata vero verba ex Græco ita ipse vertit: *Collegium Pontificum Antiochenses:* quod idem est, ac si in eo haberetur, *Antiochense*, vel *Antiochensium*; iisque verbis significari asserit, Collegium Pontificum Antiochiæ Augustum tamquam suum Superiorem eo in munere agnoscere. Omnia porro hæc Numismata Quinctilii Vari nomen præseferunt, quod ipse tunc temporis Augusti nomine Syriam regeret, eique præsideret: cumque Antiochia totius Syriæ Metropolis esset, ac Regni Sedes, ut dixit Josephus, in ea degebat Præses; idcirco & Urbis illius figuram procusa a Varo in honorem Augusti Numismata repræsentabant.

IV. Si cui tamen hæc conjectura minime arrideat, propterea quod etiam Seleucienses Antiochenis vicini, Tiberio una cum Augusto Imperante Nummum & ipsi conflassent Tiberio dicatum; nomenque Silani tunc Syriæ Præsidis expressissent; quem e Cimelio Illustrissimi D. Theodorici Bignonii descripsit Pagius *in Apparatu*, *num.* 146. animadvertat necesse est, aliis etiam urbibus a primaria, modo insignes essent, qualis profecto Seleucia fuit, id nonnumquam concessum, ut Nummos in honorem Principis cuderent; præsertim ad civium vota Præside hoc jubente. Attamen Metropoli, ubi Sedes Præsidis fixa erat, hanc præ aliis prærogativam tributam videmus. Quare etiam quo tempore Silanus Syriam moderabatur, Antiochiæ potissimum ejusmodi Numismata fuisse edita, nos docent ea, quæ idem Pagius refert in *Critica* Baronii, ad annum Christi 14. *num.* 4.

V. Verum his tantum hærere nolumus. Alia quippe suppetunt illustriora monumenta, quæ rem in aperto ponunt. Cum primis Hadrianus a Trajano Imperatore, Syriæ Præfectus, bello Parthico urgente, Antiochiæ, quæ caput & Sedes prima Prætorii in Oriente erat, consedit. Ita enim narrat Dio in ejus Vita: [1] *Erat Hadrianus, quo die Imperator designatus est, Antiochiæ, quæ est Metropolis Syriæ, cui præerat.* Jam igitur a Trajani temporibus Antiochia Syriæ Metropolis erat ac Prætorii in Oriente Sedes. Nonnihil gloriæ huic celeberrimæ Civitati detraxit idem Hadrianus, quando Phœniciam a Syria disjunxit, ne Antiochia deinceps tot Urbium esset Metropolis. Phœniciæ proinde fines ad Euphratem esse voluit, ac Provinciam Syrophœnices nomine vocatam Legato suo regendam demandavit. Spartianus ejus rei testis est: [2] *Hadrianus Antiochenses inter hæc ita odio habuit, ut Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot Civitatum Metropolis Antiochia diceretur.* Igitur ante Hadrianum, & sub exordio ejus Imperii, Antiochia Orientis Metropolis & Prima habebatur, ac plurium Civitatum a Comagene usque ad Judææ fines caput fuerat, ut docet sapientissimus Cardinalis Norisius *dissert.* 3. *&* 5. *de Epochis Syromacedonum*. Ubi & eleganter duo Metropoleon genera antiquis cognita distinguit. Aliæ nimirum fuerunt, quæ Metropoles dicebantur, non quia Provinciarum Regnorumve essent capita, sed ob vetustatem originis, vel quod alibi Colonias deduxissent. Aliæ vero Metropoles vocabantur, quia erant Provinciarum capita, in quibus Præsides Sedem tenebant. Priori modo Tyrus etiam ante Hadriani ætatem dicebatur Metropolis Syrophœnices; posteriori autem modo Antiochia Metropolis erat Orientis. [3] Quod „ ille illustrat Nummo Græco Tyri ex „ Museo Mediceo, in quo Tyrus dicitur

(1) Dio in Hadriano sub initio.
(2) Spartianus in Hadriano.

(3) Cardinalis Norisius dissert. 4. de Anno & Epochis Syromacedonum cap. 3.

„ citur *Sacra Metropolis*, quem titu- „ lum egregie ibidem explicat: Sui- „ das voce *Paulus* scribit: *Paulus Ty-* „ *rius Orator fuit temporibus Philo-* „ *nis Byblii, qui sub Hadriano Impe-* „ *ratore, cum Legatum egisset, Me-* „ *tropolim fecit*. Hadrianus Imperium „ accepit A. U. 870. ante quem ta- „ men Tyrus in Mediceo Nummo „ Metropolis appellatur. Strabo, qui „ Libros Geographicos initio Princi- „ patus Tiberii descripsit, libr. 16. „ vocat Tyrum ac Sidonem Urbes „ antiquas & illustres, addens: *Con-* „ *troversumque manet, utra earum* „ *Phœnicum Metropolis dici debeat*. „ Quare Tyrus ante Hadriani Impe- „ rium Metropoleos titulum ferebat, „ secus ac Suidas existimavit. Verum „ nomine Metropoleos intelligi po- „ test Urbs, quæ aliarum veluti ma- „ ter extiterit, quæque colonos in „ alia oppida miserit; atque ita *Ty-* „ *rus* nomen Metropoleos usurpavit, „ cum *Carthago* in Africa, aliæque in „ Hispania Maritimæ Urbes Tyrio- „ rum Coloniæ fuerint. At in Phœ- „ nicia *Sidon* se omnium Metropo- „ lim jactabat, quod ipsamet Ty- „ rus Sidoniorum Colonia erat, uti „ testatur Sanctus Hieronymus in ca- „ pit. 23. Isaiæ: *Tradunt*, inquit, „ *Historiæ, quod Tyrus Colonia Sidonis* „ *sit*. Hoc tamen Tyrii inficiabantur, „ seque Sidoniis antiquiores esse con- „ tendebant; unde de jure Metro- „ poleos inter utrosque, ut ait Stra- „ bo, controversia erat. Rursus ea „ Urbs Metropolis dicebatur, ubi „ Provinciæ Præses Sedem tenebat: „ qua ratione Metropoles Provincia- „ rum passim dignoscebantur; atque „ ita ad Ecclesias idem nomen trans- „ latum est, ut illa Metropolitana „ appellaretur, in qua Episcopus to- „ tius Provinciæ Primâs resideret. Mox Spartiani verba de Hadriano a nobis supra laudata cum addu- xisset, subdit: itaque cum Hadria- „ nus Syriam Superiorem a Phœni- „ ce distinxerit, ac novum Legatum „ Proprætorem in Phœnicem miserit „ hic apud Tyrum jussu Principis Se- „ dem posuit; ac proinde Tyrus no- „ va Phœnicum Metropolis esse cœ- „ pit, quem honorem Paulus Orator „ suæ Patriæ ab Hadriano, auctore „ Suida, impetravit. Quamobrem an- te discissam Phœnicem a Syria, una erat utriusque Provinciæ Metropolis Antiochia, Urbs maxima tertium in Romano Imperio locum tenens, de qua Flavius Josephus hæc scripsit. (1) *Vespasianus Antiochiam exercitu ad- ductio, quæ Syriæ Metropolis est, ma- gnitudine simul, aliaque felicitate sine dubio tertium inter omnes, quæ in Ro- mano Orbe sunt locum obtinens.*



(1) Josephus libr. 3. de Bello Judaico.

CAPUT

CAPUT II.

Synopsis.

I. *Res præcipuæ Romani Imperii Metropoles Roma Imperii caput, Alexandria Ægypti, Antiochia Orientis, Alexandria Præfecti Augustalis Sedes.*

II. *Refellitur opinio P. Bacchinii. Nobilitas Præfecturæ a nobilitate Urbium, & Provinciarum sumitur.*

III. *Augustus vetuit Alexandrinos in Senatum Romanum cooptari. Severus hanc legem abrogavit.*

IV. *Præfectus Ægypti non erat merus Procurator Imperatoris.*

V. *Proconsules a Procuratoribus diversi.*

VI. *Præsides Provinciarum non erant meri Procuratores Cæsaris. In Ægypto Procurator suberat Præfecto Augustali.*

I. Jure ac merito Flavius Josephus tertiam Antiochiæ dat Sedem in Orbe Romano, quoniam, ut passim idem Auctor, necnon Dio Chrysostomus *Orat.* 32. & Herodianus observarunt, tres præ aliis Imperii Civitatibus conspicuæ erant, Roma Orbis Domina, Alexandria Ægyptiaci Regni Princeps, & Antiochia Regina Orientis: quarum prima Imperatoris, secunda Præfecti Augustalis, tertia Comitis Orientis Sedes extiterunt. Et vero dubitabit nemo, Alexandriam, nedum cum Ægypto proprii Reges ei dominarentur, sed etiam cum hæc a Julio Cæsare primum, deinde ab Octaviano Augusto subacta esset, & in Provinciam Imperii redacta, totius Ægypti caput ac Metropolim extitisse. Eò Præfectus destinabatur, qui ut ab aliis etiam titulo discerneretur, Augustalis nuncupabatur. Eam Urbem, post Romam Imperii Arcem, omnium nobilissimam veteres dixerunt. A Josepho *libr.* 5. *de Bello Judaico*, *cap.* 14. *Maxima post Romam Civitas* appellatur: ab Ammiano Marcellino *lib.* 22. *Vertex omnium Civitatum Ægypti:* In tanto quidem apud quascumque nationes pretio habita, ut Carthago illa totius Africæ Princeps, & olim Romæ æmula, cum illa de Primatu decertaret, ut fidem facit Herodianus in *Maximino*: [1] *Carthago*, inquit, *Urbs maxima, vel opibus, vel populi frequentiâ, vel magnitudine tantum Romæ concedens, cum Alexandri Urbe Ægyptiaca de secunda palma contendit*. Nulla erat in toto Romano Orbe, post Romam illustrior Civitas, quam merito Aristides [2] *Imperii ornamentum vocat: Illustris, ait, & magna illa Alexandri in Ægypto Urbs Imperii ornamentum, velut mulieris divitis monile, vel inauris*. Quare absque dubio Alexandria ob nobilitatem, ob pomœrii amplitudinem, ob civium frequentiam, ob annonæ abundantiam, ob redituum ex mercibus, & vectigalibus magnitudinem celebrabatur; adeo ut [3] Josephus dixerit, tributorum multo amplius per Menses singulos Alexandriam impendere Romanis, quam Judæi in Palæstina & Hierosolymis degentes impenderent; & præter pecuniam, quatuor Mensium Annonam Romanæ plebi ministrare: ob hæc inquam, & pleraque alia Urbis

(1) Herodianus libr. 7. in Maximino.
(2) Aristides.

(3) Josephus libr. 2. de Bello Judaico.

bis decora, & commoda Romanæ Reipublicæ ex illa provenientia, ceteris Imperii Civitatibus, Româ exceptâ præfulſit: poſt Alexandriam vero Antiochia. Harum idcirco Urbium alterutram Orientis Imperii Sedem deſtinaverat Geta, poſtquam cum Antonino fratre Orbem Romanum dividere tentaverat, teſte Herodiano: (1) *Sedem*, inquit, *Imperii ſui Geta deſtinabat, Antiochiam, vel Alexandriam, Urbes magnitudine haud longe (ut quidem extimabat) infra Romam*. Quanta igitur Præfecti Auguſtalis Ægypti eſſet dignitas, ex ipſa Alexandrinæ Urbis præſtantia quiſque colligere poteſt. Quemadmodum enim hæc Civitas ab Imperii Arce Româ prima erat; ita & Præfectus Auguſtalis uni tantum Imperatori cedebat.

II. Mihi ſane probari nequit opinio eruditi P. Bacchinii, (2) Ægypti Præfecturam infra Aſiæ & Orientis Proconſulis & Prætoris dignitatem dejicientis. Hoc maxime argumento ſententiam ſuam probat, quod ad gubernandam Aſiam, regendumque Orientem Patricii & Senatores mittebantur; ſecus in Ægyptum, in quam ne quidem ingredi, aut in ea commorari ipſis fas erat abſque Imperatoris permiſſu. Quod confirmat *toto* §. 13. Teſtimoniis Dionis *lib.* 51. Taciti *Annal. libr.* 2. & Suetonii. Verum iſtud argumentum elumbe eſt, nec Ægypti regimen infra laudatas Provincias deprimere poteſt. Non enim ſemper a nobilitate eorum, qui regendis Provinciis deſtinantur, Magiſtratûs dignitas petenda eſt; ſed vel ab ipſa Magiſtratûs natura, vel a regionis amplitudine, opibus, populi frequentia, rerum copia, Urbium numero, & magnitudine, aliiſque commodis, & ornamentis. Nihil quippe deperiret ſplendoris Peruano aut Mexicano Imperio, ſi ad hæc Regna gubernanda Rex Hiſpaniarum non Magnates & nobiliores Equites, ſed inferioris ordinis homines delegaret. Sicuti nec Conſulum, nec Cæſarum dignitas & auctoritas quidpiam priſtini decoris amiſit, quando Conſulatus, aut Imperii faſces a Patriciis ad Plebejos viros interdum demigrarunt. Præſertim vero hæc ratio locum habet, ubi ſuppetunt cauſæ, cur Patriciis & Senatoribus Regnorum quorumdam, aut Provinciarum adminiſtratione interdictum ſit; quemadmodum in Ægypto accidit. Ob ingentem etenim frumenti copiam, ob maximos reditus, ac vectigalium proventus, ob loci fertilitatem, munitiſſimas & innumeras prope Urbes, populorum præcipue inconſtantiam, Imperatores metuebant, ne ſi Regio illa Patriciis aut Senatoribus crederetur, facile ii prohiberent, annonam in Italiam advehi, ſicque Romanos cogerent ab Imperatoribus deficere, quique Præfecti in Ægyptum mitterentur ex Patriciorum ordine, Imperium ſibi uſurparent. Has certe cauſas afferunt Scriptores iidem a Bacchinio laudati, quibus permoti Julius Cæſar, Octavianus Auguſtus, & reliqui Imperatores, a Præfectura non ſolum, ſed etiam ab ingreſſu Ægypti Patricios ac Senatores prohibuerunt. Eas ita exponit Dio, de Auguſto verba faciens: (3) *Ægypto autem poſtea tributariæ factæ Cornelium Gallum præfecit. Multitudo ſane hominum, Urbium, & agrorum, ac mores ejus gentis leves, tum copia annonæ, & pecuniæ efficiebant, ut non modo committere Provinciam Senatori nulli auderet, ſed & proficiſcendi in Ægyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui permiſiſſet, omnibus adimebat*. Hæc juxta veterem ex Græco verſionem, a qua nonnihil differt recens tranſlatio, iiſdem tamen cauſis recenſitis.

Cum

(1) Herodianus Hiſt. lib. 4. in Antonino, & Geta.
(2) Bacchinius loc. cit. a §. 13. uſque ad finem capitis.
(3) Dio Hiſt. Romanor. libr. 5.

(1) *Cum enim*, ait Augustus, *ad animum revocasset quantam in Urbibus, ac pagis aleret populi multitudinem, quamque instabiles incolarum animi essent, & quomodo Italiam frumento aleret, opibusque polleret, non modo ex Senatoribus neminem præfecit, sed ne morari quidem in ea passus est, nisi veniâ impetratâ*. Idipsum inferius repetit: *Provinciis Patricios præfecit: Ægypto tantum Equestris dignitatis virum, ob eas quæ supra sunt commemoratæ causas*. Tacitus quoque affirmat, Augusti edicto Equites illustres & Senatorii ordinis viros exclusos non modo a regimine, verum etiam ab ingressu in Ægyptum: (2) *Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus illustribus Romanis, seposuit Ægyptum*. Istud ab Alexandri Macedonis exemplo acceptum credidit Arrianus: (3) *Ille enim in plures Præfectos Ægyptum distribuit, miratus & naturam regionis, & munimenta, neque tutum sibi existimans unius imperio totam Ægyptum credi*. Et paulo post: *Et Romani mihi videntur ab Alexandro docti custodire Ægyptum, nec quemquam Senatorii Ordinis eò mittere, sed aliquem ex Equestri*. Iisdem suspicionibus permotus Julius Cæsar apud Suetonium, (4) *Regnum Ægypti victor Cleopatræ, fratrique ejus minori permisit, veritus Provinciam facere, ne quandoque violentiorem Præsidem nacta novarum rerum materia esset*.

III. Non solum Augustus Auctor fuit istius legis, quæ Patricios, ac Senatores Romanos a Præfectura Ægyptiaca arceret; sed insuper Alexandrinorum neminem in Senatorum cœtum Romæ cooptari voluit; cumque ceteris Civitatibus patrios Magistratus habere permiserit, solis Alexandrinis absque Senatoribus administrare Rempublicam jussit, easdem ob causas, quæ ipsum impulerunt, ut Patriciis Romanis interdiceret ingressu & gubernatione Ægypti. Obtinuit lex hæc usque ad Severum, sub cujus Imperio concessum est Alexandrinis Senatores institui: imo ab Antonino Pio Severi filio in Senatum etiam Romanum adscribi cœperunt: quod a Dione memoriæ proditum est: (5) *Adeo enim suspectos Ægyptios studii novarum rerum habebat, ut nemini eorum Senatorem esse Romæ permiserit; sed ceteris quidem urbibus suo unicuique modo, Alexandrinis sine Senatoribus Rempublicam administrare jusserit. Quæ eo tempore constituta, reliqua quidem omnia hodieque constant: Senatores autem Alexandriæ sunt, & esse cœperunt sub Severo Imperatore: Alexandrinique in Senatum etiam Romanum adscripti sunt a filio hujus Antonino*. At prioris legis ab Augusto latæ de non admittendis ad præfecturam Ægypti Patriciis aut Senatoribus, tenacissimi semper fuerunt Romani, nec umquam ei derogari passi sunt. Unde cum Gallienus Imperator Theodorum Patricii ordinis Virum Proconsulem Ægypti renunciare vellet, obstitere Sacerdotes, atque ab incœpto deterruere Gallienum his vocibus: *Fasces Consulares ingredi Alexandriam non licet*. Præstat audire Trebellium Pollionem (6) *in Æmiliano* de hac re differentem: *Tacendum esse non credo, quod quum de Ægypto loquor, vetus suggessit historia, simul etiam Gallieni factum: qui cum Theodoro vellet Imperium Proconsulare decernere, a Sacerdotibus est probibitus, qui dixerunt, fasces Consulares ingredi Alexandriam non licere; cujus rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis novimus. Denique non extat memoria rei frequentatæ. Quare*

(1) Dio Hist. Romanar. lib. 53.
(2) Tacitus Annal. libr. 2.
(3) Arrianus libr. 3.
(4) Suetonius in Cæsare.
(5) Dio libr. 51.
(6) Trabell. Pollion lib. de triginta Tyrannis in Æmiliano.

re scire oportet, *Herennium Celsum vestrum parentem*, *dum Consulatum cupit*, *hoc quod desiderat*, *non licere*. *Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis esse litteris scriptum*, *tunc demum Ægyptum liberam fore*, *quum in eam venissent Romani fasces & praetexta Romanorum*. Tanta Romanorum animis insedit cura conservandæ Ægypti, ut Patriciorum aut Senatorum nemini regimen illius commissum vellent, non quod illud inferius esset regimine Orientis & Asiæ, sed ut tuta res esset; ne prædives, ampla, populis ac munitissimis arcibus plena regio, civitatibusque novarum rerum cupidissimis frequentata, ab Imperio aliquando deficeret.

IV. Hinc celeberrimus, & magni nominis Scriptor merito Dionis & Taciti testimoniis probat, Præfectum Augustalem (hoc enim decorabatur titulo, qui præerat Ægypto) reliquis Provinciarum Præsidibus anteisse. Cui perperam contradicit Bacchinius §. 14. eo quod Ægypti Præses, inferioris ordinis homo, inter Procuratores potius Cæsaris recenseretur, quorum aliqui Proconsulum & Proprætorum loco in Provincias minores missi sunt. Certum autem est, inquit, apud Procuratores, qui in Provincias Augusti vice mittebantur, cum e Senatu non legerentur, rationem legis non fuisse: actio enim Legis apud Magistratum tantum, & pro Magistratu erat; quare acta apud eum, qui non esset Senator, licet Præsidis locum teneret, avocari poterant, ut recognoscerentur, ad Principem aut ad Senatum. Sed non bene Vir eruditus inter Cæsaris Procuratores reponit Præfectum Augustalem, & hactenus inauditum fuit. Procuratores Proconsulum & Proprætorum loco missi, in minores tantum Provincias dirigebantur, nec fixa semper erat eorum dignitas, sed vel defuncto Præside, vel ob aliam causam ad tempus Provinciam administrabant. Secus de illis censendum, qui ex proprio munere Proconsules erant, quique non delegatione extraordinaria, sed ex officio moderabantur Provinciam sibi creditam. Quod ut accuratè intelligatur observandum est cum doctissimo Petro de Marca, (1) *de Concord. Sacerd. & Imperii lib.* 5. *cap.* 1. ex institutione & partitione „ Augusti duodecim Provincias pacatiores assignatas fuisse Populo Romano, quarum duæ Proconsulares „ erant Asia & Africa; decem vero „ Prætoriæ, quas enumerat Strabo „ *lib.* 17. Reliquas omnes sibi Cæsar „ retinuit, & regendas suscepit. Initio autem populus auctore Senatu, „ deinde vero Senatus solus Consulares viros, aut Prætorios Provinciis suis præficiebat, qui Consulatu vel Prætura functi, illis Imperio Proconsulari præessent; quamvis ab ea Lege paulisper discessum „ fuerit, & iis administratio commissa, qui numquam eos Magistratus gessissent. Inde Proconsules „ dicti omnes, quibus populi Provinciæ creditæ erant, nulla ratione „ habita an functi essent Consulatu; „ quemadmodum ex Tacito *libr.* 16. „ *Annal.* colligere licet, qui Petronii „ meminit Proconsulis Bithyniæ, ad „ Consulatum deinde provecti, & ex „ Constantii lege *C. Theod. de Prætor.* „ quæ separatim nominat eos, qui „ Consules ordinarii fuerunt, & qui „ Proconsulari honore erant sublimes. „ Quò respexit etiam Justinianus *in* „ *Novella* 30. dum observat, Provincias olim decretas fuisse, vel iis qui „ Consulatu functi essent, vel aliis „ qui Proconsules dicerentur. Hæc „ verba sunt interpretis: (2) *Romanis* „ *in more fuit*, *ut vel designatis Consulibus*, *vel his qui illorum loco proficiscerentur*, *quos Proconsules vocabant*, *Provincias sortirentur*. Plenis-

(1) Petrus de Marca Concord. libr. 5. cap. 1.

(2) Justinianus Novella 30. cap. 5.

„ nissimam autem jurisdictionem in „ Provincia Proconsul habebat, adeo „ ut omnium partes, qui Romæ vel „ quasi Magistratus, vel extra ordinem „ jus dicerent, ad ipsum pertinerent, „ majusque imperium in Provincia „ haberet post Principem. Unde sex „ fascibus utebatur, quæ erant Pro- „ consulatus insignia, ut notavit Ul- „ pianus *lib.* 4. *ff. de Offic. Proconf.*.... „ Ex eodem autem Augusti institu- „ to Provinciarum Præfectis, si Con- „ sulares essent, tres Legati adjun- „ gebantur, unus autem Legatus si „ essent Prætorii, quemadmodum „ observat Dio *libr.* 53. Eos ve- „ ro Legatos non pro arbitrio suo „ sibi Proconsul quisque legebat, sed „ ei dabantur a Senatu..... Quem- „ admodum Provinciæ assignatæ po- „ pulo per Proconsules administra- „ bantur, ita Provinciæ quas Augu- „ stus Principum curæ retinuerat, per „ Legatos Cæsaris, quæ alia erat spe- „ cies Legatorum distincta a Legatis „ Proconsulum; quamvis etiam Le- „ gati Cæsaris suos quoque secunda- „ rios Legatos haberent ex instituto „ Augusti, teste Dione. In eas autem „ Provincias, quæ Consulares erant „ vel Prætoriæ, mittebantur ex par- „ te Cæsaris Legati, qui *Consulares* „ dicti vel *Legati pro Prætore*.... „ Minutis Provinciis rectores præfi- „ ciebantur ex equestri ordine, Præ- „ sidum nomine vel Procuratorum. „ Unde fluxit illa distinctio Provin- „ ciarum in Proconsulares, Legato- „ rias, & Præsidiales, quæ aliquo- „ ties occurrit in Scriptoribus Histo- „ riæ Augustæ. Ceterum, ut ait „ Macer, (1) *Præsidis nomen generale* „ *est, eoque & Proconsules, & Le-* „ *gati Cæsaris, & omnes Provincias* „ *regentes, licet Senatores sint, Præ-* „ *sides appellantur*. Demum cum eo- dem Petro de Marca animadvertamus oportet, Vicarios interdum in Provincias directos, qui ad tempus Provinciam administrarent, mandato Principis speciali, puta Præside vita functo, aut aliam ob causam. Ii autem a Legatis Proconsulum differunt, & a Vicariis Præfectorum Prætorio, nec nisi extraordinariâ delegatione Provinciam administrandam obtinent. Unde fit ut nonnumquam Procurator Cæsaris Præsidis vice fungatur, ut contigit Pilato in Syria.

V. Ex his liquet, Proconsules proprie dictos numquam intelligendos esse Procuratores Cæsaris, qui vel in minutis Provinciis Proprætores essent instituti, vel ex speciali Principis mandato vices Præsidis aut Proconsulis, etiam in majoribus Provinciis ad tempus gererent. Imo si proprie loqui velimus, apud Romanos Procuratores Provinciarum ii erant, qui tributa & vectigalia percipiebant, eaque in rationem referebant, nec illis administrandæ Provinciæ cura demandata erat. In singulas ii mittebantur Provincias, qui in expensum & acceptum Provinciarum vectigalia ferebant. Horum passim meminere Tacitus, Spartianus, Herodianus, Marcellinus, Vopiscus, Aurelius Victor, aliique Historici in Vitis Imperatorum. Proconsules vero Provinciarum ii dicebantur, quibus Provinciarum regimen committebatur; cujus quidem Magistratus hæc fuerunt primordia. Enimvero constat ex Appiano Alexandrino *lib.* 2. *Civilium Bellorum*, & ex Tacito variis in locis, Consules ante constitutum Imperium defunctos annuo munere, ob officii dignitatem, ne subito honore omni caderent, missos persæpe in celebriores Populi Romani Provincias fuisse, Exconsules jam; & ne nominis etiam subito prærogativa periret, simili pæne nomine Proconsules appellatos, quod scilicet in Provincia vicem Consulum in Urbe supplerent; & iidem extra Ur-

B 2 bem

(1) L. 1. ff. de Officio Præsidis.

bem in suis quique Provinciis essent, eodemque loco, quo paulo ante habiti Romæ fuerant. Duplex erat illorum missio, quæ sorte, & quæ electione fiebat; idque ordine, aut extra ordinem. Constituto deinde Imperio, missi pariter sunt in Provincias, vel a Cæsare vel a Senatu Proconsules, e quibus alii Ordinarii, hoc est, qui ordine majorum observato Provinciis præponebantur, nimirum quicumque Consulatu erant perfuncti, vel sorte plebis, vel electione Senatus eam missionem impetraverant. Alii extraordinarii erant Proconsules, ii videlicet, qui sine prævio Consulatu ab Augustis ejusmodi præfecturæ dignitatem adepti fuerant, aut in defunctorum locum substituti, aut illorum Proconsulum, qui ægri essent, vel ad Comitatum, aliòve ab Imperatoribus asciti, vices gerebant. Hinc contigit, ut constituto jam Imperio extraordinarii Proconsules plures Provinciis præsiderent, quam Ordinarii. Quæcumque etenim Provinciæ Augustales erant, præsertim in Oriente Syria, Bithynia, Cilicia: in Africa Provincia Carthaginensis, & Mauritania Cæsariensis: in Illyrico Achaja, Macedonia, Pannonia inferior, & Rhætiarum altera: ad Rhenum utraque Germania, & Belgica, omnes videlicet Proconsules, & quidem perpetuo accipiebant, non eos dumtaxat, qui consulatu perfuncti essent, verum & quoscumque Augusti eô destinassent, nomenclatione illâ Proconsulatus a Provinciæ potius nobilitate, quam a muneris dignitate derivata. Quæ vero adhuc Provinciæ Senatui Romano in Italia, & proximis Insulis, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, & Cypro manserant, hæ omnes magna ex parte ordinarios Proconsules a Senatu Romano accipiebant. Verumtamen postea Cæsares ipsi has quoque Provincias ad se revocarunt, eisque suos Proconsules de Equitum genere, vel externos, etiam Græcos, barbarosque præfecerunt. Quæ hactenus de Consulibus, & Proconsulibus ordinariis, & extraordinariis docuimus, exploratissima sunt apud veteres Historicos, Livium *lib. 7. Decad.* 1. Suetonium *in Othone, & Vitellio:* Tacitum lib. 2. Lampridium *in Alexandro;* & Sidonium *lib.* 1. *in Epistola ad Montium*.

VI. Itaque Proconsules ii dicebantur, qui Provincias Consulares ex officio gubernabant, sive illæ Senatui adscriptæ essent, sive Imperatorum arbitrio reservatæ: nec majoris minorisve auctoritatis argumentum est, quod alii Proconsules essent Provinciarum Populi Romani, alii Præsides Provinciarum Cæsaris; nec posteriores hi meri Procuratores censendi, quod Provincias nomine Cæsaris moderarentur, cum æque vices Senatus, Populique Romani Proconsules ordinarii agerent, ac vices Cæsaris Proconsules Extraordinarii, & Præsides Provinciarum curæ Principis peculiariter addictarum. Imo si hinc nobis liceat metiri dignitatem Præfecturarum, longe potior ex hoc capite æstimanda esset dignitas & auctoritas Præfecti Augustalis, quæ a solo Principe, quam Proconsulis Asiæ, aut Comitis Orientis, quæ a Senatu pendebat, quanto major erat auctoritas Imperatoris Senatu ipso. Alioquin si illud Bacchinii argumentum quidpiam evinceret, fieret inde, etiam Præfectos Prætorio Urbis, Italiæ, Galliarum, Illyrici, & Orientis, meros fuisse Cæsarum Procuratores. Cum enim Cæsares omnibus simul Imperii Dioecesibus adesse nequirent, Prætoria in iis erexerunt, quibus & Præfectos præposuerunt, qui Cæsarum vice, atque sub eorum auspiciis eas gubernarent. Quis autem ausit asserere, Præfectos Prætorio meros fuisse Augustorum Procuratores? Sane uniuscujusque Provinciæ proprius erat Procurator, a Præfecto vel Prætore distinctus, cui & su-

& subjiciebatur. De Ægypto, seu Alexandria id testatur Trebellius Pollio in Tyrannorum Historia, & Marcellinus hæc referens: (1) *Longe autem postea Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti Procurator exhausit civitatem, plurimis interceptis*. Erat proinde in Ægypto Procurator Cæsaris a Præfecto Augustali, cui parebat, diversus.

CAPUT III.

Synopsis.

I. *Amplissima Ægypti Præfectura, & Præfecti Augustalis auctoritas. Leges condere poterat: Regis loco habebatur. Hinc Patricii, & Senatores Romani exclusi ab hac Præfectura.*

II. *Diœceseos Ponti Metropolis Cæsarea Cappadociæ. Thraciæ Heraclea, præsertim a Severi Imp. ætate.*

III. *Palæstinæ Metropolis Hierosolymæ. Iis excisis successit Cæsarea Palæstinæ. Bithyniæ Nicomedia, Corinthus Achajæ, Metropoles.*

IV. *Occidentis itidem suæ fuerunt Metropoles, sed raræ. In Africa insignis Carthago; in Galliis Trevirorum Civitas.*

V. *In Italia ante Augustum nulla Metropolis, præter Romam. Ab Augusti ætate, ac deinceps celebres fuerunt Aquileja, & Mediolanum.*

I. Minus etiam conferenda fuerat Præfectura Augustalis, cum procuratione illorum, qui Proprætoris, aut Præsidis titulo minoribus præerant Provinciis. Nemo siquidem ignorat, Ægyptum inter præcipuas & maximas Romani Orbis Provincias, ac Diœceses semper habitam. Amplissima quoque fuit ejus Præfectura, & non in Ægyptum dumtaxat, sed etiam in Thebaidem & Libyam diffusa, ut patet ex Plinio *lib. 5. cap. 5.* Aucta insuper Ammiani Marcellini temporibus novis Provinciis, quas ipse recenset. (2) *Tres Provincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adjecit posteritas, ab Ægypto Augustanicam, & Pentapolim a Libya sicca disparatam.* Iis tandem post Marcellini ætatem accessit etiam Arcadia. Quocirca maxima erat auctoritas Præfecti Augustalis Ægypti, atque in amplissimas Provincias se porrigebat, nec qui eam consequebatur instar Procuratoris vices alterius Magistratus obibat; sed eximiâ ornatus dignitate, perinde ac Proconsules aut Senatores in Provinciam directi, leges sancire poterat. Augustus siquidem Præfecto Ægypti concessit, ut apud eumdem lege agi posset, referente Tacito, eandem illi circa legis actionem tributam potestatem, qua pollebant Romani Magistratus: (3) *Augustus*, inquit, *apud Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si Magistratus Romani constituissent.* Non nudo Privilegio id obtinuit Præfectus Augustalis, sed lege ab Augusto sancitâ, quæ licet recens tunc lata, tamen sicut ceteræ vim suam sortita est, statim ac Princeps ille subegit Ægyptum; ac deinceps semper dignior Proconsule ac Proprætore alia-

(1) Marcellinus libr. 17.
(2) Ammianus lib. 23.
(3) Tacitus Annal. lib. 12.

aliarum Provinciarum creditus est, utpote qui non pro Senatu, sed pro Augusto Ægyptum regeret. Illud præterea speciale fuit, unique datum Ægypto, ut quamvis in Provinciæ formam redacta esset, in pluribus tamen eodem modo administraretur, quo olim sub propriis Regibus. Quod indicat Strabo his verbis: (1) *Cæsar Augustus furentem Ægyptum composuit, & nunc Provincia est, & tributa maxima pendit, ab hominibus continentibus administrata, qui in eam mittuntur. Qui mittitur, Regis ordinem gerit: sub eo est justitiæ administrator, qui maximam in judiciis potestatem habet. Item alius quidam, qui propriarum rationum assertor appellatur.* Regiæ dignitati quid simile erat Ægypti Præfectura, Regisque loco habebatur, qui ea potiretur: id etiam testatur Cornelius Tacitus: (2) *Ægyptum copiasque quibus coërceretur, jam inde a Divo Augusto Equites Romani obtinent loco Regum; ita visum expedire, Provinciam aditu difficilem, annonâ fecundam, superstitione ac lasciviâ discordem & mobilem, insciam legum, ignaram Magistratuum, domi retinere.* Ex causæ impulerunt Cæsarem Augustum, ut aditu ac regimine Ægypti interdiceret Senatoribus; & viris Consularibus nam eodem Tacito auctore: (3) *Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum.* Hoc sensu intelliguntur versus Lucani, quibus denotat, Romanos fasces Ægyptum non ingredi, hoc est a viris Consularibus, Senatoribus, & Prætoribus, non fuisse gubernatam (4):

Inde Parætoniam fertur securus in urbem
Pignore tam sævi sceleris, tua signa secutus;
Sed fremitu vulgi, fasces & jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora, & ancipites animos.

Quare non diminutæ dignitatis indicium erat, Ægypti administrationem committi viris infra Consulum ac Senatorum ordines positis, sed ne opulentissimum Regnum, aditu difficile, annonâ ac rebus omnibus affluens, aliquando Patricios adversus Imperium Romanum armaret. Certe quanti esset honoris auctoritatisque Ægypti Præfectura ex eo dignosci potest, quod teste Suetonio, Nero cum de sibi imminente casu sollicitus cogitabat, (5) *Parthos ne, an Galbam supplex peteret, an atratus* (6) *prodiret in publicum, proque rostris quantâ maximâ posset miseratione veniam præteritorum precaretur; ac ni flexisset animos, vel Ægypti Præfecturam concedi sibi oraret.* Non aliud quidpiam infra Imperium nobilius existimabat Nero Ægypti Præfecturâ. Postmodum tamen aliquid diminutum de illius dignitate visum est; nam in recentiore laterculo, & Comiti Orientis subjiciebatur, & titulis ipsi inferior erat, ut ex Codice Theodosiano aperte constat. Verum recentiora sunt hæc exempla, & nonnisi post immutatam a Costantino Imperii formam, & translatum in Orientem Imperium. Nos autem tempora anteacta metimur, quando scilicet vetus Imperii vigebat dispositio, & Roma, & Alexandria pristinam gloriam servabant: tunc illa totius Imperii erat caput; hæc Ægypti Metropolis, & post Romam nulli secunda.

II. Quod de Diœcesibus Ægypti, Orientis, Asiæque diximus, hoc ipsum de ceteris, quas Notitia Imperii sub Præfecto Prætorio Orientis collocat, omni-

(1) Strabo libr. 17. Geographiæ.
(2) Tacitus libr. 17. Annal.
(3) Idem libr. 2.
(4) Lucanus Pharsal. 10.
(5) Suetonius in Nerone.
(6) al. *attractus*.

omnino asserendum est. Pontica Dioecesis, quæ totum tractum a Bithynia, usque ad Armeniam, adjectis Galatiâ & Cappadociâ, complectebatur, è Provinciis decem conflata erat. Ejus Metropolis eadem fuit, quæ prius Regum, postea (1) Vicarii Sedes, nempe Cæsarea in Cappadocia, quam ejus Provinciæ *maximam Civitatem*, Sextus Rufus *in Breviar.* & Eutropius *lib.* 7. nominant. Hac in urbe Reges Cappadocum lares fixisse, memorant iidem Scriptores, itemque Strabo *lib.* 12. Eam antea ab incolis Mazacam dictam, Tiberius a suo nomine nuncupari voluit, Suida auctore: *Tiberius*, ait, *in Provinciam redegit Cappadociam, & maximam ejus loci urbium, quæ prius ab incolis Mazaca dicebatur, a se cognominari jussit; & quæ nostra ætate Cæsarea dicitur*. (2) Dioeceseos Thraciæ Metropolis Heraclea, alias Perinthus appellata, præsertim post deletum a Severo Byzantium; nam ante illius Imperium Byzantium Perintho præstabat, omnium, quæ in Thracia erant, urbs felicissima, & Imperatorum privilegiis aucta, qualem eam descripsit Herodianus lib. 3. (3) At Severus Byzantii *Urbem omnemque regionem, quæ erat sub ejus potestate Perinthiis concessit. Hi Byzantio usi sunt ut vico, & a nullo genere injuriæ temperaverunt;* Dio apud Xiphilinum, & statim subdit de Severo: *Civitati abstulit libertatem, eamque privavit suis privilegiis*. Eadem narrant Herodianus *in Severo*; & Procopius *lib.* 4. *de Ædific. Just.* Post eversum itaque a Severo Byzantium, ejusque Juribus ac privilegiis Perinthum, seu Heracleam translatis, hæc Civitas deinceps usque ad Constantini ætatem totius Thraciæ Metropolis extitit, & Vicarii seu Præsidis Sedes.

III. Fuerunt & aliæ quamplures in Oriente Metropoles quondam celebratissimæ. Hierosolyma quemadmodum Judææ caput, ita aliquando Romani Præsidis Sedes extitit. Sed paulo post a Tito captâ, & solo æquatâ, jus Metropoleos in Cæsaream Palæstinæ traductum est; quam Urbem Agrippa Judæorum Rex, occasione Decennalium Neronis, prolatis pomœriis, mutato nomine, in Neronis honorem appellavit Herodiada, ut scribit Josephus *libr.* 20. *Antiquit. cap.* 8. tametsi post Neronis obitum pristinum Cæsareæ Philippi nomen recuperaverit. Hanc Civitatem Judææ caput nominat Tacitus *lib.* 2. *Histor.* ad quam illâ dignitatem evecta fuit jam inde a temporibus Vespasiani, qui post excisa Hierosolyma Proconsulatum Judææ transtulerat Cæsaream, quemadmodum in *Constitutione Novella* 103. Justiniani Imperatoris adnotatum est. Si enim translatio illa facta non fuit statim post exilium Archelai, in cujus contumeliam Regnum illud publicatum, fisco Imperii addictum est, quî fieri potuit, ut Proconsul spretis Hierosolymis, Cæsareæ maritimâ civitate moraretur? quod tamen ex Apostolorum Actis constat.

Bithyniæ Metropolim fuisse Nicomediam veteres affirmant, ne dum ii, qui primariam Regni istius Urbem, Regumque Sedem fatentur; sed etiam Plinius, qui (4) *Nicomediam Bithyniæ præclaram Urbem appellat:* Ammianus vero (5) *Urbem inclytam, ita magnis retro Principum amplificatam impensis, ut ædium multitudine privatarum, & publicarum recte noscentibus regio quædam Urbis æstimaretur æternæ;* dignam proinde habitam, ut interdum Imperatores, cum in Oriente degerent, Throno suo decorarent.

Corinthum Achajæ Metropolim nuncupavit L. Florus *lib.* 2. *cap.* 16. Qui-

(1) S. Basilius Epistolâ quadam, τοῦ Ἰκαρίου. Lat. interpres, *Icarii*. Codex Mediceus: τοῦ Οὐικαρίου. *Vicarii* (idest Rectoris Cæsareæ Palæstinæ.
(2) Suida de Cæsaribus in Tiberio.
(3) Dio apud Xiphilinum in Severo.
(4) Plinius libr. 5. cap. 32.
(5) Ammianus libr. 22.

Quinimo totius Græciæ lumen appellavit Cicero *pro Lege Manilia*. Eo enim potentiæ propter situs opportunitatem excrevit, ut vix Romæ concederet; & licet ob Legatos Romanæ Reipublicæ injuriis & contumeliis affectos Decreto Patrum L. Mummius cum exercitu in Græciam missus eam obsederit, captamque incenderit, adeout, referentibus Strabone & Floro, vix ullum Corinthi vestigium fuerit relictum; illam tamen sicuti, & Carthaginem in Africa Julius Cæsar restauravit, ac pristino reddidit splendori, eo deductis Romanorum Coloniis, quemadmodum Dio commemorat: (1) *Carthaginem*, inquit, *Corinthumque Urbes antiquas, splendidas, illustres, quæ jam perierant, instauravit, & Colonias Romanorum deduxit: quod ex usu fore censebat, easque pristinis suis nominibus decoravit, restituitque eas memoriæ eorum, qui olim eas habitaverant. Ita Carthago & Corinthus, quæ Urbes prius uno tempore deletæ fuerant, tunc simul quasi reviviscere cœperunt, ut olim claræ rursus futuræ.* Haud secus de ceteris Provinciarum Orientis Civitatibus, quæ civili Metropoleos jure gaudebant, censendum est; quas inter illustres erant, Amasea Ponti, Ancyra Galatiæ, Thessalonica Macedoniæ, & Philippi Thessaliæ. Unde Livius *lib. 5. Decad. 5.* Macedoniam in quatuor regiones dividens, unicuique illarum suam Metropolin assignat, quam caput regionis vocat: *Capita regionum, ubi Concilia fierent, primæ regionis Amphipolin, secundæ Thessalonicen, tertiæ Bellam, quartæ Pelagoniam fecit.* Quas nunc Metropoles dicimus, tunc capita regionum appellabant, ubi totius Provinciæ conventus habebantur. Extant veterum lapidum antiquissima monumenta, in *Anaclectis Daciæ Antiquitatum* Stephani Zamosi, in quibus *Ulpia Trajana Sarmiz Metropolis* vocatur, quod in ea Proconsules & Præsides Daciæ residerent a Trajano, Antonino, aliisque Imperatoribus eo directi.

IV. In Occidentem progredimur, ubi etsi ante Constantiniana tempora raræ admodum, tamen non minus conspicuæ apparent civiles Metropoles. Eo honore semper potita est Carthago totius Africæ caput & Princeps; præsertim posteaquam a Julio Cæsare instaurata, in Provinciarum distributione ab Augusto constitutâ, Proconsulis Africæ Sedes effecta est. In Galliis penes Treveros hæc dignitas fuit, Urbem sane celeberrimam, ab Athanasio Metropolin Galliarum; ab Ammiano *libr. 15. Domicilium Principum clarum* dictam. Hispaniarum Civitatum quænam civiles esset Metropoles non plane constat. Tarracon, & nova Carthago Romanis devotæ, plerumque Præsidum Sedes fuerunt. Britanniæ itidem antiquas Metropoles pervestigare haud facile est. Londinum, & Eboracum clariores semper fuerunt, quarum posterior Constantii Chlori Sepulchro, ejusque filii Constantini Magni inauguratione illustris semper habita est.

V. Italiæ, quod Romæ propinquior esset, unde regiminis vis in omnes ejus Civitates facile diffundi posset, nullam aliam præter Romam ipsam Romani orbis caput, civilem Metropolin extitisse, sunt qui arbitrantur. Quæ opinio veritatem quidem habere potest, si ea inspiciantur tempora, quæ Augusti Imperium antevertunt. Tunc quippe magna illa Italiæ pars, quæ trans Padum est, adjectis Venetis, & Istriâ, imo & quæ cis Padum extat, & Alpibus definitur, citerior seu Cisalpina Gallia appellabatur. Ceterum Octavianus Augustus Romanum Imperium in Provincias distribuens, unam esse voluit totius Italiæ Diœcesin, communi etiam nomine

(1) Dio libr. 43. Hist. Rom.

ne cum reliquis ejus partibus in posterum ab aliis, quæ ultra Alpes & maria positæ sunt, regionibus, discernendam. Quare hæc nobilissima Europæ pars ab Augusti Ævo, inquit Strabo, (1) *ita obtinuit, ut usque ad Alpium radices proferretur. Occupavit etiam Liguriam usque ad Varum flumen: item Istriam usque ad Polam; postremo enim cum Romani Italos in Societatem Civitatis recepissent, placuit eodem honore Gallos quoque dignari Cisalpinos, & ita Venetos, omnibusque pariter Italorum, ac Romanorum nomen tribuere.* Nedum Galliam Cisalpinam, sed Istriam quoque adtributam Italiæ affirmat Strabo: quod & aliis placuit Imperatoribus Augustum secutis: *Italiam*, ait, *usque ad Polam Istriæ oppidum, qui nunc sunt Principes perduxere.* Cum antea Formio amnis, cujus Ptolemæus meminit, Italiam finiret, postea Plinii temporibus Italiæ finis Fluvius Arsia. (2) Hinc protractis ejus terminis, missi quoque fuerant in Provincias nuper aggregatas Vicarii & Præsides illas moderaturi: adlectæ idcirco Urbes, in quibus Sedem curiamque collocarent. Eas porro seligere opportunum Romanis visum fuit Civitates, quæ tunc in illis regionibus celebriores essent, Mediolanum scilicet Insubriæ caput, & Aquilejam, quo Romani Coloniam deduxerant. Has quippe Urbes ab Augusti ætate, ac deinceps usque ad Taciti Imperium, Metropoles fuisse, seu Sedes Præsidum aut Vicariorum, non secus ac eo tempore erant, Carthago in Africa, Treveri in Galliis, Alexandria in Ægypto, Antiochia in Oriente, nos docet insignis locus Vopisci *in Floriani Cæsaris vita*. Agens siquidem Flavius Vopiscus de ingenti Urbis ac Senatus lætitia, ob Principatum Senatusconsulto delatum Tacito post Aureliani necem, refert epistolas cum publicas tum privatas, quæ creato Principe Tacito gaudia Senatus ostenderent. Epistolæ publicæ inscriptæ erant: (3) *Senatus amplissimus Curiæ Carthaginensi S. D.* Alia itidem epistola: *Senatus amplissimus Curiæ Trevirorum*. Mox subdit Vopiscus, *eodem modo scriptum fuisse Antiochensibus, Aquilejensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis, Atheniensibus*. Eccur enim a Senatu amplissimo directæ fuerunt litteræ ad Mediolanenses & Aquilejenses, perinde ac ad Antiochenos, Alexandrinos, Carthaginenses, Trevirenses, Corinthios, Thessalonicenses, & Athenienses, nisi quia Urbes istæ Metropoles essent Diœceseon & Provinciarum; in quibus residerent Romani Magistratus, quos Senatus in suis epistolis *Curiæ* vocabulo indigitavit? Porro Urbes illas non tunc recens ad hanc dignitatem evectas inde liquet, quod laudatæ Senatus Romani litteræ non tamquam de re quapiam nuper instituta loquuntur; sed quæ jam prius sub Aureliano aliisque Augustis obtinuisset; ac proinde longe ante id tempus Mediolanum, Aquileja, Treveri, Carthago, sicuti Alexandria, Antiochia, Corinthus, Thessalonica, Athenæ Metropoles erant & Curiæ ac Magistratuum Sedes. Præ ceteris tamen Italiæ Civitatibus, post Romam totius Imperii caput, Mediolanum eminebat velut altera Metropolis Italiæ, quod scilicet Sedes esset Vicarii Præfecti Prætorio Italiæ, cui septem Provinciæ subjciebantur; non secus ac Alexandria in Ægypto, Antiochia in Oriente, Ephesus in Asia. Quamobrem inficiari, ut reor, nemo poterit ante Constantini Magni Tempora, & ipsis etiam Apostolorum temporibus, suas Orientem habuisse civiles Metropoles, quemadmodum tam dilucida, quæ nunc protulimus, antiquitatis monumenta abunde testantur.

(1) Strabo lib. 5.
(2) Plinius lib. 3. cap. 5. & 19.
(3) Vopiscus in Tacito & Floriano.

CAPUT IV.

Synopsis.

I. Metropoleon Ecclesiasticarum institutio ab Apostolis cœpit. II. Contraria Eliæ Du Pin Sententia exploditur. Civilis Provinciarum distributio præcessit quidem Ecclesiasticam, sed hæc etiam instar illius fuit composita.

III. Hæc Provinciarum distributio primis Ecclesiæ Sæculis semper perseveravit, tributâ cuique illarum suâ Metropoli: quod ostenditur ex D. Pauli Epistolis.

IV. Eliæ Du-Pin responsio refellitur: Apostoli eminentiore quodam modo omnes Episcopatus gradus in seipsis continebant. Titus a Paulo consecratus Metropolita Cretæ alios ibi Episcopos consecravit.

V. In Asia Minori Apostoli constituerunt corpus Episcoporum in modum Provinciæ, cujus Metropolis erat Ephesus.

VI. Frustra Ellies Du-Pin huic rationi adversatur. Incongruum est unum institui Provinciæ corpus sine sua Metropoli.

VII. Achaja ad exemplum Imperii in Provinciam Ecclesiasticam erecta. Ejus Metropolis Corinthus. Idipsum de Provincia Macedoniæ asserimus, ejusque Metropoli Thessalonica.

VIII. Hæc Provinciarum & Metropoleon institutio in Ecclesia non aliunde quam ab Apostolis videtur exorta. Ejus antiquitati favet Nicæna Synodus.

I. Quo tempore constituta fuerit illa Diœceseon, Provinciarum, & Metropoleon distributio in Ecclesia, quamque in earum partitione formam imitati sint Apostoli, Judæorumne tunc per varias regiones dispersorum Reipublicæ, an potius Romani Imperii, non inutile erit hoc loco investigare. Nec dubium, quod in Oriente quemadmodum Christi Ecclesia, ita & Diœceseon ac Metropoleon institutio exordium nacta sit, ac subinde Apostolis & Apostolicis viris sua debeat incunabula. Et licet a nobis quo ad hanc partem quædam prænotata sint, lubet tamen in hoc ipso argumento pertractando diutius detineri. Nemo operosius in eo elaboravit, ac D. Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. lib.* 1. *cap.* 3. *& libr.* 6. *cap.* 1. ubi docet, (1) *Apostolos cum Ecclesias distribuerent in Provincias, in animo habuisse, ut in iis corpus Episcoporum statueretur sub præsidentia Episcopi Metropoleos*. Id probat primum auctoritate Sancti Petri *Epist*: 1. *cap*. 1. quam inscripsit ad novos Christianos dispersionis Provinciarum Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, & Asiæ; ac proinde Apostolorum Princeps Christianos per Provincias compellavit, quod jam in singulis illis regionibus Ecclesiæ institui cepissent. Eamdem quoque distributionem Ecclesiarum in Provincias insinuat D. Paulus in suis Epistolis, veluti cum meminit Ecclesiarum Macedoniæ, Asiæ, & Achajæ.

II. Ellies Du-pin, cui contraria magis arridet opinio negans Metropoles ab Apostolis institutas, rationem nuper expositam flocci facit, quia, inquit, (2) *hæc ratio non probat, Ecclesiarum in Provincias distributionem ab Apo-*

(1) Petrus de Marca l. 1. Concor. Sacer. & Imper. c. 3. & l. 6. c. 1.

(2) Ellies Du-pin de Antiq. Eccles. Discip. dissert. 6. §. 1.

Apostolis institutam fuisse; sed tantum distinctas fuisse Ecclesias propter distinctionem Urbium & Provinciarum. Ecclesiæ quippe nihil aliud sunt, quam fideles; cum ergo fideles in variis Provinciis degerent, non poterat melius designare Petrus illos ad quos scribebat, quam Provinciarum istarum nominibus. Verum ista responsio nullius momenti est; non enim Urbes aut Provinciæ Ecclesias faciunt, sed cœtus fidelium, quo nomine non solum populum, sed cum eo Episcopum & Clerum intelligi oportet. Quoniam ut ait Sanctus Cyprianus, *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata*. Necesse quidem est, extare Urbes & loca, in quibus una conveniant homines, at non propterea ex his tantum Ecclesiæ coalescunt; bene tamen ex pluribus hominibus eandem Christi religionem profitentibus, atque sub uno Pastore congregatis. Has itaque Ecclesias nominat Petrus per Provincias illas, in quibus corpus Episcoporum institueretur sub præsidentia Metropolitani, ad exemplum dispositionis civilis, quæ per illas tempestates vigebat in Imperio. Quocirca Epistolam suam direxit ad Christianos, Provincias Romani Imperii incolentes; ut quemadmodum hæ quo ad civile regimen præter cujusque Urbis Magistratum, etiam Præsidem cuivis Provinciæ præfectum habebant; ita & Ecclesiæ in illis fundatæ non solum peculiares haberent in singulis Civitatibus Episcopos, sed etiam Metropolitam uniuscujusque Provinciæ. Itaque civilis Provinciarum distributio præcessit quidem Ecclesiasticam earumdem dispositionem; attamen instar illius etiam posterior hæc fuit composita. Quemadmodum cum Sanctus Leo asserit, divino factum fuisse consilio, ut Petrus ad Arcem Romani destinaretur Imperii, ut Urbs eadem, quæ civilis etiam Ecclesiastici Imperii caput esset, utique prius Romam ad temporale Orbis regimen, deinde ad spirituale & sacrum evectam ostendit.

III. Ejus rei haud leve est argumentum, quod primis Ecclesiæ seculis distributio illa Ecclesiarum per Provincias semper perseveraverit, tributâ cuilibet illarum in primariis Civitatibus Metropoliticâ dignitate. Nempe Pontus inter Ecclesiasticas Provincias semper locum habuit, cujus Metropolis Amasea, sic Galatiæ Ancyra, Cappadociæ Cæsarea, Bithyniæ Nicomedia, Asiæ Ephesus Metropoles extiterunt. Quamobrem Apostolus Paulus *ad Galatas cap.* 1. *&* 1. *ad Corinthios cap.* 16. meminit Collectarum quæ fiunt in Ecclesiis Galatiæ, quarum præcipua ac aliarum caput fuit Ancyra, quæ idcirco a veteribus vocatur Apostolica; sicuti legimus in Epistola Julii Papæ ad Orientales. Et passim in Epistolis ejusdem Pauli, veluti 2. *Corinth. cap.* 8. 1. *Corinth. cap.* 16. *ad Romanos cap.* 15. mentio habetur Ecclesiarum per Provincias distributarum, ut Macedoniæ, Asiæ, & Achajæ: & vero primæ Thessalonica, secundæ Ephesus, tertiæ Corinthus; datæ idcirco sunt litteræ ad Thessalonicenses, ad Ephesios, ad Corinthios, quia scilicet Urbes illæ Metropoles erant istarum Provinciarum. Quod & magis confirmat Apostolus ad Romanos, cum ait: (1) *Probaverunt Macedonia & Achaja, collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Jerusalem:* ubi Provinciarum Macedoniæ & Achajæ nomine, non civiles ipsas Provincias, ut patet, sed Ecclesias in illis constitutas complectitur.

Hoc ipsum magis dilucidat D. Petrus de Marca ex Epistola ejusdem Pauli ad Titum; ubi scribit se illum reliquisse in Creta, ut constitueret Presbyteros per Civitates: (2) *Reliqui te Cretæ*, inquit, *ut constituas per Civitates*

(1) Ad Romanos cap. 15.

(2) Ad Titum cap. 1.

tates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ecce Metropolitani institutionem, ad quem spectat ordinare Presbyteros, idest, Episcopos, ut ipsemet Paulus in versiculo sequente interpretatur; ita tamen ut eos ordinet in unaquaque Urbe *per impositionem manuum Presbyterii*. Quo loco integrum consilium politiæ Ecclesiasticæ proponit Apostolus: nempe ut Episcopi in Provinciæ civitatibus ab uno Episcopo ordinentur, cum consortio tamen suorum Collegarum. Universi quidem Episcopi manus imponunt Episcopo ordinando; sed uni præcipue competit jus tribuendi vim ordinationi, veluti Tito apud Cretam, atque ad ejus exemplum unicuique Metropolitano in sua Provincia. Erat autem Creta una ex Imperii Romani Provinciis in Oriente, ejusque Metropolis Gortyna, quæ prærogativam illam semper in Ecclesia servavit.

IV. Non secus ac præcedentem, hanc quoque rationem admodum levem vocat Elias Du-pin: (1) si „ quid enim valeat, inquit, probabit Apostolos Metropolitanos fuisse „ illarum omnium Provinciarum, in „ quibus Episcopos ordinabant. Deinde libenter agnosco, Titum toti Insulæ præfuisse; sed inde inferri nequit, Metropolicam dignitatem ab „ Apostolis institutam fuisse, hoc „ enim privilegium erat Tito peculiare, nec ulli Sedi aut Urbi alligatum. Denique Presbyteros illos a Tito institutos Episcopos fuisse non omnino certum est: forte „ unus erat in Creta Titus Episcopus, ceteri omnes Presbyteri tantum. Nec refert quod statim Presbyteros istos Episcopos dicat Paulus; nomen enim Episcopi tam potest convenire Presbytero curam „ animarum habenti, quam nomen „ Presbyteri Episcopo.

Leviuscula hæc sunt, nec multum laboris exigunt, ut refellantur. Apostolorum dignitas utpote eminentiore quadam ratione omnes Hierarchicos Ordines, & in ipso Hierarchici Ordinis apice Episcopatu, omnes comprehendebat gradus. Ut ergo Metropolitas & Episcopos ordinarent, nihil necesse fuerat, ut ipsi Metropolitæ essent illarum Provinciarum, in quibus Episcopos ordinabant. Quemadmodum Romanus Pontifex Episcopos & Metropolitas creat, quamvis ipse illarum Ecclesiarum, quibus Episcopos & Metropolitas præficit, nec Episcopus sit, nec Metropolita. Minus congrue negat institutam ab Apostolis Metropoliticam dignitatem, dum admittit Titum a D. Paulo ordinatum Metropolitam Cretæ. Nec peculiare istud fuit privilegium Tito concessum, quasi cum ipso interiturum; sed perinde ac cetera sacrorum ordinum munia sic illi tributum, ut in Ecclesiæ cederet utilitatem, ac proinde semper in Ecclesia perduraret. Quare honor ille non tam Tito accessit, quam ejus Sedi æternum in illa mansurus. Quod Presbyterorum nomine eo loci Apostolus Episcopos designaverit, docent Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, aliique antiqui Patres, quorum Auctoritati satius cedimus, quam privatis quorumdam opinionibus, quæ novitatem potius sapiunt, quam veritatem; a qua procul abest credere vastissimam Insulam, centum prope Urbium ingenti numero olim claram, unius Episcopi curæ commissam. Non itaque meri Presbyteri erant, quos Titus in Creta ordinavit, sed veri Episcopi, quibus Titus Metropolita præerat. Nec de nomine, quod Apostolorum ætate Episcopis æque ac Presbyteris aliquando commune fuit, multum solliciti sumus, cum de re ipsa satis constet. Eccur etenim de secundi ordinis Sacerdotibus Episcopi nomen

(1) Ellies Du-pin loco cit.

men in laudata Pauli Epistola intelligendum erit, quando antiqui Patres de primi Ordinis Sacerdotibus illud interpretantur, & ipsæ instituendorum Antistitum causæ id suadent? Nempe tot Urbes, amplissima regio, ingens hominum multitudo ab uno tantum Episcopo regi minime poterant.

V. His accedit tertia ratio non minoris ponderis, quam hunc in modum expendit Illustrissimus Archie„ piscopus: (1) Asia inquit Proconsula„ ris, quæ vigesima tantum pars erat „ ejus, quam Strabo & Geographi „ nuncupant Asiam minorem, Pro„ vincia item Imperii erat, ejusque „ Metropolis Ephesus, ut habetur „ apud Ulpianum *l.* 4. *ff. de Offic.* „ *Proconf.* illic Apostoli constituerant „ corpus Episcoporum in modum Pro„ vinciæ; quemadmodum colligitur „ ex *cap.* 1. *Apocalypsis*, (2) ubi lit„ teræ scriptæ sunt septem Angelis, „ vel septem Episcopis Asiæ, quorum „ primus erat Ephesinus: *Mitte*, in„ quit, *septem Ecclesiis quæ sunt in* „ *Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Per*„ *gamo, & Thyatiræ, & Sardis, &* „ *Philadelphiæ, & Laodiciæ.* Haud „ absimili instituto Paulus instruens „ Asianos Epistolam suam scribit ad „ Ephesios, quæ Asiæ Metropolis est, „ ut adnotat S. Joannes Chrysosto„ mus in suis ad Epistolam illam „ Commentariis. Sed & in Actis le„ gimus, (3) Apostolum Ephesi com„ moratum esse per Biennium, atque „ illic erudiisse in fide Judæos & „ Gentiles Asiæ; adeo ut Demetrius „ aurifex instituta adversus illum „ accusatione asseveraverit, eum in„ numeram hominum multitudinem „ in errorem traxisse, non solum ex „ civibus Ephesi, sed ex Asia univer„ sa. Recte itaque Paulus apud Mi„ letum consistens, dixit: *Vos scitis* *quia a prima die, qua ingressus sum in Asiam.*

VI. Adversus hæc duo testimonia nihil aliud se habere profitetur Elias Du-pin, (4) quam ignorare se, quæ ex „ illis inferuntur consectaria: Ad quid, „ inquit, istud ad propositum faciat, „ vix perspicio. Inter omnes Episco„ pos Asiæ septem compellat Joannes „ in Apocalypsi, ergo instituta tum „ erat Metropolitica dignitas. Quo„ modo unum ex altero sequatur ego „ prorsus ignoro. Ejusdem generis „ est sequens argumentum: Paulus „ instruens Asianos *scripsit ad Ephesi*„ *næ Urbis incolas, quæ Asiæ Metropo*„ *lis est: Apostolum Ephesi commoratum* „ *esse per Biennium in Actis legimus;* „ ergo instituta est ab ipso Metropoli„ tica dignitas Ecclesiæ Ephesinæ. „ Hæc ergo consectaria, tarditatem „ meam fateor, capere minime pos„ sum.

Demiror virum ita perspicacem hæc duo consectaria perspicere nequaquam potuisse. Cum enim ex præfato Apocalypseos loco perspicuum sit, vivente adhuc & Ephesi commorante Joanne Evangelista, in Provincia Asiatica jam institutum fuisse corpus Episcoporum, profecto haud difficulter hinc discere potuisset Elias Du-pin, huic corpori, ne acephalum esset, suum caput fuisse assignandum, nempe Metropolitam, eamque dignitatem nulli aptius convenire ac Ephesino, quoniam Urbs illa princeps erat & Metropolis totius Provinciæ: in illa diu degerat D. Paulus, ingentem ibi hominum multitudinem ad fidem converterat: eam pariter Urbem præ aliis delegerat Evangelista Joannes, in qua tandem & ultimum diem clausit. Cum itaque in Asia septem Ecclesiarum & Episcoporum corpus jam institutum esset, ne illud sine capite languesceret, ne exoritura inter Episco-

(1) D. Petrus de Marca.
(2) Apocalypsis cap. 1.
(3) Act. cap. 9. & 20.
(4) Ellias Du-pin.

ſcopos pari auctoritate præditos diſſidia myſticum illud corpus aliquando dilaniarent, neceſſe fuit caput aliquod præficere, a quo illa componi poſſent, & Eccleſiarum unitas, populorum tranquillitas, & Epiſcoporum mutua concordia foveri. Cum vero Epheſiorum Civitas tot titulis decorata eſſet, & utriuſque Apoſtoli præſentia, monitis, præceptis, doctrinâ, converſatione diu decorata, nulli congruentius quam ipſi Metropoleos dignitatem competere oportebat. Propterea Apoſtolus Paulus hinc diſceſſurus, Timotheum diſcipulum ſuum Epheſi Epiſcopum creavit, eique præcepit, ut quemadmodum Titus in Creta, ſic ipſe in Aſia Epiſcopos ordinaret; quod utique illuſtre eſt Metropolitici juris argumentum.

VII. Æque nobile eſt alterum, quod doctiſſimus Petrus de Marca colligit ex Epiſtola Sancti Pauli ad Corinthios. (1) Urbs illa Metropolis erat Achajæ, ut Florus *lib. 2. cap. 16.* adnotavit. Ideo igitur Paulus Epiſtolam ſuam ad Corinthios ſcribit, non ſolum pro illis, ſed etiam pro fratribus, qui ſunt in Achaja. (2) *Eccleſiæ Dei*, inquit, *quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis qui ſunt in univerſa Achaja*. Inde optime colligit Vir Clariſſimus, Typum hic exhiberi Provinciæ Eccleſiaſticæ ſub ſua Metropoli conſtitutæ ad exemplum Imperii; iſque ordo in Achaja viguit, Corinthuſque ſemper habita eſt Metropolis Eccleſiaſtica Achajæ, quamdiu Chriſti nomen illic in honore fuit. Huic affine eſt aliud Metropolitici juris a Paulo obſervati argumentum in Epiſtola ad Theſſalonicenſes; (3) ſcripta enim eſt pro Fidelibus Theſſalonicæ, & pro Fratribus qui ſunt in Macedonia, quod nimirum Urbs illa eſſet Metropolis civilis Macedoniæ. *Affirmare igitur licet, ſic Chriſtianorum curam geſſiſſe Apoſtolum tamquam jam in corpus Provinciæ diſtributorum ſub Metropoli Theſſalonicenſi, quæ dignitatem ſuam retinuit in laterculo Eccleſiæ*, ut concludit Petrus de Marca. Neque hic audiendus eſt Elias Du-pin ex adverſo contendens, (4) Epiſtolas illas ad Corinthios & Theſſalonicenſes ſcriptas eſſe, non quod Corinthus Achajæ, & Theſſalonica Macedoniæ Metropoles eſſent Eccleſiaſticæ, ſed quod Urbes notiores forent & primæ, & facile poſſent Paulinæ litteræ Corinthiorum & Theſſalonicenſium operâ ad Achæorum, & Macedonum notitiam pervenire. Non, inquam, audiendus eſt, cum ſatis ex hucuſque aſſertis pateat, Apoſtolis propoſitum fuiſſe Politiam Eccleſiaſticam in variis Provinciis ac regionibus diſponere, quo facilius corpus Eccleſiarum in unum coaleſceret, & præpoſito cuique regioni aut Provinciæ Metropolita tanquam capite, unitas & pax inter Fideles firma conſiſteret. Nam quemadmodum in ſingulis civitatibus, præter cœtum Fidelium & Clericorum, neceſſe fuit unitatis ſervandæ gratia Epiſcopos deſtinare; ita ob eandem rationem oportuit in ſingulis Provinciis Metropolitas creare, a quibus ſopiri ac extingui poſſent, ſiquæ inter plebem, Clerumve, & Epiſcopos oborirentur diſcordiæ. Ad hunc finem idcirco Apoſtoli Spiritus Sancti afflatu delegerunt præ ceteris Urbes illas, quæ magis conſpicuæ eſſent, & Provinciarum civiles Metropoles, quales erant in Ægypto Alexandria, in Oriente Antiochia, in Aſia Epheſus, in Achaja Corinthus, apud Macedones Theſſalonica.

VIII. Et undenam proficiſci poterat, ut primis Eccleſiæ ſæculis, ac deinceps Urbes illæ Metropoles Eccleſiarum ſemper ſint habitæ, niſi quia ab Apoſtolis hunc honorem fuerant aſſe-

(1) Petrus de Marca.
(2) Corinth. cap. 1.
(3) Ad Theſſalonic. cap. 4.
(4) Ellies Du-pin.

assequutæ? Sane Tertullianus secundo sæculo celebris, has Ecclesias Apostolicas nominat, ac præ aliis summa veneratione dignas, quoniam ab Apostolis fundatæ essent; ad quas idcirco provocat hæreticos, tamquam ad custodes Apostolicæ Traditionis: (1) *Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est*. Eam Provinciarum ac Metropoleon formam postea ab Apostolis hauserunt antiqui Patres Apostolicis temporibus proximiores. In Occidente siquidem Episcopum Carthaginensem fuisse caput Provinciarum Africæ, & Numidiæ: & Galliarum, Hispaniarumque Episcopos in Provincias fuisse distributos legimus apud Cyprianum multis in locis. In universum vero magna Synodus Nicena (2) eam Provinciarum & Metropoleon partitionem commendat, jubetque *canone* 4. *ut firmitas eorum quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo*. Et *canone* 6. antiquam consuetudinem in conservandis Metropolitarum juribus exacte custodiendam decernit: (3) *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & Urbis Romæ parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, ceterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis*. Agnoscit Nicena Synodus Patriarcharum & Metropolitanorum jura, eaque ubique gentium servari mandat *ex antiqua consuetudine*, utique ab Apostolis orta. Non enim aliunde consuetudo illa, quam ab Apostolis oriri potuit; quoniam juxta vulgatam, & ab omnibus receptam Sancti Augustini regulam, affirmare oportet, id ex Traditione Apostolica esse, quod ab initio Ecclesiæ observatum, a nullo tamen Concilio præscriptum fuit. Hæc porro, quæ de Metropolitarum privilegiis custodiendis jubet Nicena Synodus, non recens ea se instituere asserit, sed ex antiqua consuetudine prius derivata, etiam in posterum servanda præcepit.



CAPUT

(1) Tertullianus de Præscript. hæretic. cap. 36.
(2) Nicæna Synodus can. 4.
(3) Ibid. can. 6.

CAPUT V.

Synopsis.

I. *F*Orma *dividendarum Provinciarum & Metropoleon postea incrementa suscepit: Tardius tamen in Occidente. Africæ Metropolis Carthago. De Metropolibus Hispaniæ.*

II. *In Galliis Lugdunum Metropolis erat sub finem secundi Sæculi. Ad eamdem dignitatem paulo post Trevirorum Civitas evecta. Tardius in Italia Metropoles, Roma, & Mediolano exceptis.*

III. *Divisâ a Constantino Italiâ in duas Diœceses magis patuerunt illæ duæ Metropoles Roma & Mediolanum. Idipsum in Galliis contigit. Opinio Antonii Pagii reiicitur.*

I. VErum etsi forma dividendarum Provinciarum & Metropoleon ab Apostolis manaverit, hæc tamen divisio ab Episcopis, qui erant in majoribus Urbibus constituti, per incrementa variorum temporum aucta, tandem ultimam dispositionem consecuta est, uti observat D. Petrus de Marca *Concord. lib.* 1. *cap.* 3. §. 5. Unde profectum, ut celebriorum Civitatum Episcopi jus quoddam eximium in ceteras Ecclesias adepti fuerint. Serius id contigisse videtur in Occidente, quod tardius in variis illius Regionibus Ecclesiæ fundatæ sint. Missi quidem fuerunt a Divo Petro, & aliis Romanis Pontificibus in diversas Occidentis Provincias Episcopi, sed non statim in unaquaque illarum Episcoporum Corpus coaluit. (1) At dilatata postmodum religione Christiana in multis Provinciis ac Civitatibus, etiam in Occidente Metropoles esse cęperunt; præsertim Urbes illæ, in quibus aut Principes ipsi, aut eorum Præfecti Sedem fixissent suam. Sic Carthago in Africa quemadmodum civilis, ita etiam Ecclesiastica Metropolis erat jam a Tertulliani ætate; unde Cyprianus (1) ejus Urbis Episcopus totam Africam Provinciam suam appellat, quia jure Primatis & Metropolitæ ei præerat: *Quoniam*, inquit, *latius fusa est nostra Provincia, habet Numidiam, & duas Mauritanias sibi cohærentes*. Consulebatur idcirco Carthaginensis Episcopus ex universis Africæ Provinciis, respondebatque tamquam magna prææditus auctoritate: Synodos cogebat ne dum ex Provincia Proconsulari, sed etiam ex tota Africa, uti testantur Acta Conciliorum, quæ sub ipso habita sunt, necnon ejus *Epistolæ* 45. 59. 61. 70. 71. 73. *& præcipue* 65. Quinimo diu ante Cyprianum ipsum Agrippinus hoc jure fruebatur, cum, Cypriano teste, reliquorum Africæ Antistitum in Synodo Præsidem egisset: *Quod quidem*, ait, *& Agrippinus bonæ memoriæ vir cum ceteris Coëpiscopis, qui illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit*. In Hispaniis primis fere quatuor sæculis nullos adhuc institutos fuisse Metropolitas, sed Episcoporum Sedes suis quasque finibus terminatas, & Episcopos harum Sedium unum quidem sibi prælatum agnovisse, non qui majori præesset Civi-

(1) Innocentius 1. Epist. 45.

(1) Cyprianus Epist. 45.

Civitati, sed qui ceteris antiquior esset ordinatione, docet Doctissimus Ferdinandus de Mendoza *libr.* 3. *Concilii Illiberitani cap.* 42. At vero Eminentiss. Cardinalis de Aguirre *Tom.* 1. *Concil. Hispan. in commentar. ejusdem cap.* fuisse ante id tempus in Hispaniis Metropolitas contendit, tametsi a nomine isto, uti etiam a titulis Archiepiscopi, & Primatis abstinerent, nec primos se Synodis subscribere curarent; sedis tunc in subscriptione anteiret ceteris, qui esset ordinatione antiquior. Inaudita sane opinio, & veteribus omnino ignota, imo veterum Patrum regulis repugnans, ut Metropolitæ interessent Synodis, & tamen primi non subscriberent ante Episcopos etiam antiquiores. Me non latet, Joannem Episcopum Gerundensem in *Paralipom. Hispan.* & Vasæum in *Chronic. Hispan.* existimasse, a Constantino divisam Hispaniam in quinque Provincias Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, & Gallæciam; & tunc singulis Provinciis assignatos fuisse Metropolitanos. Verum nutat hujus Sententiæ fundamentum, quo nituntur suprascripti Auctores, nempe id contigisse in Concilio Illiberitano, quod celebratum volunt ann. 338. in ea Illiberi, quæ est ad radices Montis Pirenæi, eique interfuisse Constantinum Magnum cum Helena matre; quod invicte refellit idem Mendoza *lib.* 1. *cap.* 1. *de Concil. Illiberitano*, ubi ostendit, Illiberim Narbonensem ad radices Pirenæi sitam, nec Sedem Episcopalem fuisse, nec in ea Concilium illud habitum, sed in Urbe ejusdem nominis vetustissima, nunc diruta, e cujus cineribus ortam esse Granatam majorum traditio testatur.

II. In Galliis labente sæculo secundo Metropolitæ munus agebat Lugdunensis Episcopus. Eusebius enim (1) varia enumerans Concilia occasione celebris controversiæ sub Victore ab Asianis de Festo Paschatis celebrando excitatæ, inter alia unum commemorat, *Illarum Galliæ Ecclesiarum, quas regebat Irenæus:* nimirum ut Galliarum Metropolita, cujus tantum intererat Synodos cogere, & Provinciam gubernare. Similiter Cyprianus *Epist.* 67. de Lugdunensi & Arelatensi Ecclesiis ita loquitur, perinde ac si tunc præcipuæ haberentur inter Gallicanas. Si vero sequentem consulamus ætatem, reperiemus ab Athanasio *in Epist. ad solitar.* Paulinum Episcopum Trevirorum Metropolitam appellatum: *Paulinus Episcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis est:* ubi etiam de Euphrate Episcopo Coloniæ Agrippinæ verba faciens, ait: *Est vero ista Metropolis Superioris Galliæ*. Tardius Italiæ Metropoles consignant nonnulli Auctores, nec nisi circa Nicæni Concilii tempora. Siquidem censent, ante sæculum quartum unum duntaxat toti Italiæ Metropolitam præfuisse Romanum Pontificem, & siquæ tunc temporis celebratæ dicuntur Italicæ Synodi, eas semper de Romanis esse intelligendas. Verum obstat huic Sententiæ auctoritas Eusebii narrantis, (2) Aurelianum in causa Pauli Samosateni decrevisse, ut *Domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent*. Quibus verbis indicat Aurelianus præjudicio suo Synodum ex Romana, & Italica permixtam ante Nicæni Concilii ætatem. Nam Italiæ Episcopi seorsim a Romanis conveniebant ad Synodum; ut factum est, cum Novatianus anathemate consossus fuit a Synodis Romana, Italica, & Africana, quamvis deinde relatio missa fuerit ad Cornelium Papam, qui hac de re suis litteris monuit Fabium An-

(1) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 22.

(2) Idem Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. cap. 24.

Antiochenum Episcopum, ut a D. Hieronymo proditum legimus, de Novatiani damnatione sic loquente. (1) *Cornelius Romanæ Urbis Episcopus scripsit Epistolam ad Fabium Antiochenum de Synodo Romana, Italica, & Africana.* Distinguit igitur Synodum Italicam a Romana, sicut & Africanam: quod etiam ante Hieronymum Eusebio observatum fuit, (2) cum de Novati schismate historiam texuit: *Ob quam rem*, inquit, *cum Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri vero ac Diaconi multo plures convenerunt: Cumque in Provinciis Antistites quid agendum esset seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est. Novatum quidem & eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerant, & quicumque inhumanissimæ, & a fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse.* Quinam vero essent Antistites, qui seorsum de hoc eodem negotio consultassent in Provinciis, paulo post declarat, nempe fuisse Italicæ Provinciæ, & Africæ Episcopos in Synodis congregatos: *Extant*, ait, *Epistolæ Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem missæ: in quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum Provincias sententiæ declarantur. Aliæ præterea latino sermone conscriptæ extant Epistolæ Cypriani, & aliorum Antistitum, qui cum ipso in Africa congregati sunt.* Porro mos ille primis Christianæ Religionis sæculis obtinuit, ut Provinciarum Antistites graviora Ecclesiæ negotia non nisi in Synodis pertractarent, ac simul omnes de his Sententiam dicerent. Quocirca cum Eusebius affirmet, non solum Romanæ Provinciæ, sed etiam Italiæ, & Africæ Antistites inter se consultasse, & contra Novatum tulisse sententiam, consequens est eos in Synodis cujusque regionis hæc peregisse. Hinc optime infert D. Petrus de Marca *lib. 1. Concord. cap. 6. §. 4.* Cornelii tempore in Ecclesiasticæ Disciplinæ ordine duas veluti Diœceses apud Italiam constitutas fuisse, e quibus Italica & Romana Synodi constarent. Italicæ quidem nomine non alia intelligi potest, quam quæ ex septem Provinciis in Notitia Imperii descriptis, quæ sequenti sæculo quarto parebant Vicario Præfecti Italiæ; Romanæ autem nomenclatione illa, quæ ex reliquis Italiæ Provinciis, Vicario Præfecti Urbi subjectis, conflata fuit.

III. Ex porro duæ in Italia Diœceses liquidius patuerunt Constantini ævo, cum is peculiari lege Italiam duas in partes sectam duobus Vicariis Præfecti Prætorio regendam commisit; quorum alteri Sedes esset Mediolani, alteri vero Romæ. Idipsum & in Galliis contigit, ubi Urbes illæ, quæ celebriores essent, vel quia Imperatorum Sedes fuerant, vel quia in iis Romani Magistratus residebant, Metropoleon titulo deinceps insignitæ sunt; sicuti eo nomine Sanctus Athanasius Treveros, & Coloniam Agrippinam decoravit; itemque Mediolanum in Italia, & Calarim in Sardinia: (3) *Ex quorum numero*, inquit, *clarissimæ sunt confessionis viri religiosi, & Episcopi boni: Paulinus Episcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis est: Lucifer Metropolitanus Sardiniæ: Eusebius Vercellis Civitate Italiæ: Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis.* Athanasii hæc verba citat Theodoretus (4) atque eodem modo intelligit: *Liberius Episcopus Urbis Romæ, Paulinus Metropolis Galliarum, Dionysius Metropolis Italiæ*

(1) S. Hieronymus de Scriptor. Eccles. in Cornelio.
(2) Eusebius Hist. Eccles. lib. 6. cap. 43. juxta Valesii versionem.
(3) Athanasius in Epist. ad Solitar. vit. agent.
(4) Theodoretus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 15. juxta versione. Valerii.

liæ, *Lucifer Metropolis Sardiniæ Insulæ*, *& Eusebius ab Italia*, *probi omnes Episcopi*, *& veritatis præcones rapiuntur*, *& in exilium deportantur*. Hoc eodem sensu hæc testimonia intellexit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius *ad an.* 355. *num.* 24. licet ab ipso discedat eruditissimus P. Antonius Pagi (1) contendens, Athanasium & Theodoretum de civilibus tantum Metropolibus esse locutos; idque probat auctoritate Eusebii *lib.* 5. *cap.* 1. ubi de Martyribus Marco Aurelio imperante in Gallia passis sermonem instituens, hæc scripsit: *In qua* (scilicet Gallia) *præter ceteras duæ sunt Metropolitanæ Urbes*, *Lugdunum*, *& Vienna*. Quemadmodum autem hæc Eusebii verba de Metropolibus Civilibus & politicis, non vero de Ecclesiasticis intelligenda sunt; ita & Athanasii verba de dignitate dumtaxat Urbis Trevirensis in statu civili explicari debent. Idipsum de Mediolano asserit, quod Metropolis civilis erat totius Italiæ, prout a Provinciis Urbicariis & Suburbicariis distinguebatur. In hujus rei confirmationem laudat Christophorsoni interpretationem ad laudata Theodoreti verba: ubi enim Valesius vertit *Metropolim*, Christophorsonus reddit *primariam Urbem*: *Episcopus* inquit, *Romæ Liberius*, *& Paulinus primariæ Urbis Galliarum*, *& Dionysius primariæ Urbis Italiæ*, *& Lucifer primariæ Urbis Insulæ Sardiniæ Episcopus*. Mihi tamen minime probari potest hæc doctissimi viri interpretatio. Non abnuo quidem, Treveros Metropolim civilem fuisse Galliarum, sicuti & Mediolanum Italiæ, præsertim ea qua Athanasius vivebat ætate, imo & ante id tempus Tacito imperante. Urbes illas hoc honore potitas esse, demonstrant epistolæ Senatus Romani a nobis superius laudatæ ad *Curiam Trevirensem*, *& Mediolanensem* inscriptæ. Marci Aurelii ævo etiam Lugdunum, & Vienna Metropoles civiles erant, illud Lugdunensium, hæc Viennensium Provinciarum. At secutis temporibus summa rerum & Galliarum administratio Treveros translata est, ibi constituta Sede Præfecti Prætorio Galliarum: quam postea Honorius Imperator transtulit Arelate, qui hanc Urbem *Matrem omnium Galliarum* vocavit, ut videre est in Supplice Libello Episcoporum Galliæ ad Sanctum Leonem Papam: atque exinde Arelatensis Civitas Metropolis civilis Galliarum facta est, ut advertit Petrus de Marca *lib.* 6. *Concord. cap.* 17. §. 6. At enim præter civilis Metropoleos dignitatem, etiam Ecclesiasticæ honorem adeptas esse Trevirensem, & Mediolanensem Urbes, præsertim Athanasio superstite, ex hujus verbis non inepte colligit Baronius: quandoquidem Luciferum non vocat Episcopum Metropolis Sardiniæ, sed *Metropolitanum Sardiniæ*: neque enim Lucifer civilis, sed Ecclesiasticus Metropolita fuit. Cur non igitur de Metropoli Ecclesiastica intelligenda erunt reliqua Athanasii verba de Episcopis Trevirensi & Mediolanensi dicta? Non enim absque causa exprimit, Paulinum, Dionysium, & Luciferum fuisse Episcopos Urbium Metropoleon; nempe ut ostenderet, eos præcipuarum Ecclesiarum, quæ primæ essent in illis Provinciis, Episcopos extitisse. Propterea de Eusebio Vercellensi id subticuit, quod Urbs hæc nedum civilis, sed nec Ecclesiastica Metropolis esset. Eadem & Theodoreto mens fuit, qui ipsiusmet Athanasii verba refert: a quo ne vel minimum deflectit Christophorsonus, tametsi paulo aliter ac Valesius hunc Theodoreti locum vertat. Nam primaria Urbs eadem est ac Metropolis, cum hoc nomen idem sonet, ac *matrem*, seu *primam* Urbem. (2) Sed in hanc sententiam concedat

(1) Pagi in Critica Baronii ad ann. 332. num. 5. & 6.

(2) Catullus: Brixia Veronæ mater amata meæ.

dat necesse est ipse Pagius, [1] nisi secum pugnare velit; fatetur enim tunc temporis in Galliis, & in Dioecesi Italica varias fuisse Metropoles, tam civiles, quam Ecclesiasticas: *sicut*, inquit, *Mediolanum civilis Metropolis erat totius Italiæ, prout a Provinciis Urbicariis, & Suburbicariis distinguebatur, ita & Urbs Trevirensis Metropolis erat omnium Galliarum, licet tam in Galliis, quam in Diœcesi Italica variæ essent Metropoles, tam civiles, quam Ecclesiasticæ*. Ut quid ergo id inficiatur de Mediolanensi & Trevirensi primariis tunc, ac celeberrimis Civitatibus, quod de minoribus, nec ita conspicuis fatetur? Neque enim hoc loco contendimus, solum tunc Mediolanensem in Italia, & Trevirensem in Galliis Metropolitas, aut illum Primatem Italiæ, hunc Galliarum Exarchum extitisse; sed nobis satis est demonstrasse, utrumque Athanasii ævo Metropolitica dignitate donatum. Forsitan per illas tempestates in Italia hunc honorem adepti fuerant etiam Ravennas, & Aquilejensis Antistites: nihil tamen in re obscura ausim affirmare, quæ infra erit discutienda.

Suspicari nihilominus quis poterit, penes Episcopum Trevirorum in Galliis, & Mediolani in Italia fuisse auctoritatem primi Metropolitani, quo nomine ad eum pertinet potestas congregandi ad Synodum Episcopos. Si enim, ut antea adnotavimus ex Hieronymo & Eusebio, in causa Novatianorum Schismatis Synodus Italica indicta fuit, hæc profecto ab uno Episcopo, qui ceteris potestate præstaret, cogi debuit; nec alius quam Mediolanensis occurrere potest, ob illius Urbis in Præfectura civili dignitatem. Quod præsertim affirmare licet post delatum Constantino Imperium, quo ex tempore cum Mediolanum in Italia, & Treveri in Galliis Sedes essent Præfecturæ civilis, nec sine assensu Imperatoris, aut Vicarii Præfecti Prætorio conventus Episcoporum Provinciæ haberentur, nulli aptius auctoritas convocandi Antistites ad Synodos convenire poterat, quam ei qui primariæ Urbis Episcopatum gerebat. Certe D. Ambrosium præsedisse Aquilejensi Synodo plerique docent; & ipsemet *Epist.* 82. & alibi passim affirmat, se Mediolanensis Provinciæ Episcopis manus imposuisse, quæ duo præcipua sunt Metropolitani munia. Nec dubium quin etiam sequenti ætate plurimum splendoris, & auctoritatis accesserit Episcopis illarum Urbium, in quibus Præfecti Prætorio, aut illorum Vicarii Sedes collocaverant. Quare post excisam a Vandalis Trevirorum Urbem, cum Honorius Augustus Arelate transtulisset Sedem Præfecturæ Galliarum, Episcopus Arelatensis contendebat, sui muneris esse congregare in Galliis generales Synodos.



CAPUT

[1] Pagius num. 5.

CAPUT VI.

Synopsis.

I. *IN Apostoli in partitione Diœceseon Provinciarum, & Metropoleon secuti sint formam Reipublicæ Judæorum. Bacchinii de hac re opinio refertur.*

II. *Apostolorum tempore diffusa erat Judæorum natio in varias Orientis Provincias.*

III. *Babylonis nomine non Urbem, sed regionem inter Tigrim, & Euphratem Josephus, & alii intelligunt.*

IV. *Hierosolymis exceptis nusquam Apostolorum ætate frequentius Hebræi habitaverunt, quam in Ægypto.*

V. *In conversione Hebræorum Apostoli multum laboraverunt; sed hæc non fuit præcipua ipsorum cura. Christus in Judæa nasci, & conversari voluit, sed tamen etiam Gentiles benigne excepit.*

VI. *Apostoli ex Christi præcepto diu in Judæa commorati sunt, ut Judæis prædicarent.*

VII. *Primum oportuit Judæis enunciari Evangelium, ut ejus fama undique spargeretur.*

VIII. *Inde colligimus, Apostolos non Judæorum tantum, sed etiam Gentilium curam habuisse. Quare & tandem Gentiles Judæis præposuerunt.*

IX. *Hierosolymitana Ecclesia licet semper in summo honore fuerit, tamen infra Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesias.*

I. SUfficerent ea, quæ hactenus expendimus ad alteram initio propositæ controversiæ partem dirimendam; cum ex antea assertis id sponte sua consurgat, Apostolos & Viros Apostolicos in partitione Diœceseon, Provinciarum, ac Metropoleon imitatos esse formam civilis Imperii. Quia tamen quibusdam, atque in iis Benedicto Bacchinio visum est, Apostolos hac in re potius Judæorum Reipublicæ, quam Imperii Romanorum distributis Provinciis animum suum applicuisse, idcirco peropportunum existimavimus in examinandis istius Sententiæ fundamentis paululum otii impendere. Unicum, ac præcipuum illud est, quod *Part.* 1. *cap.* 3. principii loco statuit, Petrum aliosque Apostolos in fundandis præcipuis Ecclesiis Judæorum politiæ sese accommodasse, habita ratione eorumdem frequentiæ, ac prærogativarum, pro diversitate temporum, locorum, & Gentilium, etiam cum ad Baptismi gratiam admissi sunt. Mox propositionem hanc probat ex eo, quod Christi Ecclesia primum Jerosolymis fuerit instituta, utique ex solis Judæis; atque inde factum censet, ut Jerosolymitana Ecclesia, usque ad postremum Urbis illius excidium ab Alexandrina, Antiochena, ac ceteris aliis charactere discerneretur, quia ex solis Judæis credentibus composita esset. Qua de re legendus est Eusebius *libr.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 5. & *cap.* 23. *lib.* 6. *cap.* 8. Postquam vero Apostolorum Princeps Jerosolymis abscedens, alias Orientis regiones peragrare cœpit, eas potissimum adlegit Civitates, in quibus ingens erat Hebræorum multitudo. Antiochiam idcirco profectus Ecclesiam ibi fundavit amplissimam, & quidem, ut Bacchinius putat, nonnisi 12. ab Ascen-

sione

fione Christi anno: quod probat §. 4. *ejusdem cap.* 3. rationibus a nobis alibi relatis, cum de Antiochenæ Sedis exordio egimus. Tum deinde huic Sedi Alexandrinam prælatam asserit, quoniam priusquam Petrus ad convertendos Gentiles Romam convolasset, Alexandriam direxit Marcum discipulum suum, ubi illustrius quam alibi Judæi Sedes suas habebant. Quæ omnia ex eo amplius confirmat, quod non solum Petrus, sed etiam Paulus ubicumque Judæi degebant, prius ipsis, quam Gentilibus Evangelium annuntiarent.

II. Quam late Apostolorum ætate diffusa esset Judæorum natio, & in varias Orientis provincias propagata, idem Auctor declarat Philonis, Agrippæ, & Josephi testimoniis. Et quidem Philo *in libello contra Flaccum* conscripto (1) tradit, sub Caii Imperantis initiis, *non minus quam decies centena millia Judæorum habitasse Alexandriam, totamque regionem, quanta patet a Catabathmo Libyæ, usque ad terminos Æthyopiæ*. Ultra hos fines protraxisse hanc gentem habitationem suam, ac per varias Orbis partes divagatam esse paulo post subdit: *Judæos enim una regio non capit propter hominum multitudinem: quamobrem plurimas, & fortunatissimas Urbes in Europæ, Asiæque provinciis, ac Insulis incolunt*. De hoc ipso Judæorum incolatu per orbem agit etiam idem Philo *in libro de Legatione ad Cajum*. Sed clarius loca Judæis habitata recenset Rex Agrippa *in Epistola ad Cajum* (2) in hunc modum. *Pro sancta vero Civitate Patria mea hæc afferre liceat, eam esse Metropolim non unius Judeæ regionis, sed & multarum, propter Colonias inde deductas, vel propius in finitimam Ægyptum, Phœnicen, Syriam tum ceteram, tum eam quæ Cœle cognominatur, vel longius in Pamphyliam, Ciliciam, ceterasque Asiæ partes, usque Bithyniam, & Ponti sinus intimos. Pari modo in Europa Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthumque, Peloponesi partes præcipuas. Nec tantum Continentis provinciæ plenæ sunt Coloniis Judaicis, sed & Insularum celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus; excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes Urbes, quæ bonum agrum habent, a Judæis incoluntur*. Attamen in Mesopotamia quoque, & Babylone, ac tota regione Parthorum dominationi suo tempore subdita Josephus *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 5. scribit, magnam Judæorum multitudinem habitasse. Quamquam Claudii imperantis exordio Babylone, & in circumscripta Parthorum regione, res Judæorum excisæ fuerint, ut videre est apud eumdem Josephum *lib.* 18. *cap. ult.*

III. Hic recte advertit Bacchinius, Babylonis nomine Josepho, Philoni, Agrippæ, aliisque eorum temporum, ac ejus sortis Scriptoribus intelligi, non veterem illam celeberrimam Urbem, quæ ea tempestate pœne deserta jacebat, neque Seleuciam florente Macedonum Regno ædificatam, & prioris nomen celebritatemque affecutam; sed regionis circumscriptæ tractum inter Tigrim & Euphratem. Eo sensu Artabanus Parthorum Rex Asinæo, quem Provinciæ totius Satrapam constituerat, Josepho tradente, *lib.* 19. *Antiquit. cap.* 4. ait: *Commendo autem tibi terram Babylonem* Eidem etiam Neerda *Urbs Babylonis* dicitur. Et Philo de Legatione ad Cajum, sicuti etiam Rex Agrippa verbis supra laudatis, Babylonis nomine non Urbem, sed Provinciam intelligunt: *Excepta parva parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes Urbes*

(1) Philo cont. Flaccum.

(2) Agrippa in Epistola ad Cajum.

bes, quæ bonum agrum habent a Judæis, incoluntur. Per ea siquidem tempora Judæorum Babylone degentium res omnino prostratæ erant & afflictæ, quæ proinde cum Reipublicæ Judaicæ apud Alexandriam degentis felicicitate haud conferri possent. Legendus & Josephus *lib.* 11. *cap.* 5. *&* *lib.* 18. *cap. ult.* Hæc Bacchinius: qui & obiter, sapientissime tamen admonet, a veterum sensu procul abire viros alias doctissimos, qui Babylonis voce apud D. Petrum in sua Epistola Canonica non Romam, sed veterem Babylonem significatam putant: *Videant*, inquit, *annon nimium suis cogitatis indulserint viri doctissimi, qui a veterum Patrum sensu discedentes, voluere Babylonis nomine non Romam, sed Parthicam Urbem intelligi, ubi Petrus, Epistolam suam scripserit, & ubi principem Sedem per ea tempora Judæos habuisse comminiscuntur*.

IV. Jerosolymis exceptis, antequam a Tito æquarentur solo, adhuc Apostolorum ævo nusquam intra Romanorum fines frequentius Judæos habitasse, quam in Ægypto, Alexandriæ præsertim, tum allatus Philonis locus, tum Strabo *lib.* 17. Josephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 12. & alii profanæ Historiæ Scriptores commemorant. Post Alexandriam, ingentem Judæorum multitudinem Antiochiæ degisse narrat Josephus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 3. *lib.* 16. *cap.* 5. *&* *de Bello Judaico lib.* 7. *cap.* 21. *&* 24. Ephesi non minus Judæorum plures commoratos esse colligunt nonnulli ex *Actibus Apostolorum cap.* 19. *&* 20. *&* 1. *Corinth. cap. ult.* De aliis Asiæ locis plura habet Josephus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 3. At in Occidente Apostolorum temporibus Judæos Romæ tantum degisse arbitratur Bacchinius, ejusque rei testes laudat Philonem de Legatione ad Cajum, & Josephum *lib.* 17. *Antiquit. cap.* 12. Sed tamen Philo & Josephus id unum produnt, multa Hebræorum millia Tiberio imperante Romam incoluisse, eisque in Urbe trans Tyberim domos concessas; quod autem in alias Occidentis regiones necdum propagari cepissent, neque negant, neque asserunt. Attamen Agrippa in Epistola ad Cajum, cum omnes Orbis partes, in quas dispersi fuerant Judæi, enumeret, nec Occidentis regiones excludere visus est. *Itaque*, inquit, *si exorat mea patria tuam clementiam, præter ipsam alias Civitates demereberis plurimas sitas in diversis Orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas*. Constat præterea ex his, quæ alio loco docuimus, a Tiberio quatuor Judæorum millia in Sardiniam Insulam missa. Id unum certum esse videtur, & a plerisque receptum post Jerosolymorum excidium, gentem illam in varias Occidentis partes fuisse dispersam. Ex his nuper assertis colligit idem Bacchinius, Divum Petrum & Apostolos reliquos in fundandis primariis Ecclesiis nequaquam respexisse ad formam Romani Imperii, sed potius Judæorum politiæ sese accommodasse, habita ratione eorumdem frequentiæ, ac prærogativarum, pro diversitate temporum, locorum, & Gentilium, etiam cum ad Baptismi gratiam admissi sunt. Hanc proinde fuisse causam existimat, cur tardius in Occidente, quam in Oriente Metropopoles fuerint institutæ, quia videlicet præter Romam Imperii caput, nullam aliam Occidentis Urbem ea ætate Judæi frequentassent.

V. In conversionem Hebræorum Apostolos plurimum incubuisse libenter fatemur; at hanc fuisse præcipuam ipsorum curam omnino negamus. Christus utique Jerosolymis Ecclesiæ suæ prima jecit fundamenta, quoniam in Judæa nasci, inter Judæos conversari, & in principe illorum Civitate mori voluit. Quandoquidem secundum car-

nem

nem e Judæorum ſtirpe natus erat, eorum Patriarchis promiſſus fuerat, & a Prophetis prænuntiatus. Oportebat enim ea impleri quæ de ipſo prolata fuerant vaticinia, ut figura cederet veritati, umbræ ſolis exortu ceſſarent, Synagoga Evangelio obſtetricaretur, & lex Moyſis legi gratiæ teſtimonium daret. Propterea Chriſtus Dominus cum adhuc inter mortales degeret, de ſe ipſo ajebat: (1) *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël:* & Apoſtolis ſuis præceperat: (2) *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne introjeritis.* Quia ſcilicet ipſe *præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſraël:* ut obſervat D. Auguſtinus *Tract.* 47. *in Joannem:* quia nimirum lucem Evangelii primum Judæis ſplendeſcere voluit; ita tamen ut Gentiles & Samaritanos ad ſe venientes benigne exciperet, iisdemque prædicaret: unde *ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis*, & Mulieris Cananææ, quam *Marcus cap. 7. gentilem Syrophœniſſam* vocat, precibus tandem flexus ejus filiam a Dæmone liberavit: Iduмæos, Tyrios, & Sidonios, qui ipſum prædicantem audire cupiebant, minime repulit, apud *Marcum cap.* 3. & *Lucam cap.* 6. Samaritanis quoque, licet ad breve tempus, præſentiam ſuam non ſubtraxit. Sed & Apoſtolis ſuis, quibus antea mandaverat, ne ipſo adhuc vivente in viam Gentium abirent, poſtmodum in cœlum aſcenſurus juſſit *Matth. cap.* 28. *Euntes docete omnes gentes:* & apud *Marcum cap.* 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quod autem Jeroſolymis primum Chriſti Eccleſia ab Apoſtolis fundata ſit, ubi duodecim poſt ejus aſcenſionem annis commorati ſunt, argumento eſſe non poteſt, Apoſtolos in diſtribuendis Provinciis, ac primariis Eccleſiis inſtituendis Judæorum Reipublicæ ſe conformaſſe; ſed aliæ ſuberant cauſæ ab hac omnino diverſæ, quas hic exponam.

VI. Neceſſe cum primis erat impleri illud Iſaiæ Prophetæ vaticinium: (3) *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Quod Chriſtus teſtimonio ſuo confirmavit, monens Apoſtolos ſuos, ſcriptum eſſe, quod poſt paſſionem ſuam oporteat (4) *prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jeroſolyma.* Unde Chriſtus e terris in Cœlum aſcendens (5) *præcepit Apoſtolis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Juxta iſtud Salvatoris noſtri præceptum Apoſtoli Jeroſolymam reverſi, ac diu ibi commorantes prædicatione & miraculis multa Judæorum millia converterunt, maxime Petrus fere quotidie in Porticu Salomonis, in Templo, in vicis Evangelium enuntians. (6) Nec Jeroſolymis ſolum, ſed etiam in Judæa, Samaria, Syria, & conterminis Judææ regionibus Dei verbum diſſeminatum eſt a Diſcipulis, qui omnes poſt Sancti Stephani Protomartyris necem diſperſi ſunt, præter Apoſtolos adhuc Jeroſolymis clam degentes. Tunc quippe Philippus Diaconus (7) *deſcendens in Civitatem Samariæ prædicavit:* inde Azotum, Gazam, Cæſaream adiens, & cunctas Judææ Civitates perluſtrans, ubique Chriſti fidem enuntiabat. Idipſum Petrus & Joannes Samaria redeuntes *Jeroſolymam, multis regionibus Samaritanorum evangelizabant:* præſertim Petrus Eccleſias per totam Galilæam, Samariam, & Judæam viſitaſſe, easdemque peragraſſe dicitur *Act. cap.* 9. Saronitanam quoque regionem juxta Lyddam, & Joppen

(1) Matth. cap. 15.
(2) Ibidem cap. 10.
(3) Iſaiæ cap. 2.
(4) Lucæ cap. 24.

(5) Act. cap. 1.
(6) Ibid. cap. 5.
(7) Ibid. cap. 8.

pen sitam, uti & Lyddam ipsam, & Joppen, & Cæsaream Christi doctrina imbuisse. Non minorem in Judæorum conversione impendit operam Sanctus Paulus, (1) prædicans in Synagogis Damasci, Cæsareæ, Tarsi, Syriæ, Ciliciæ, Cypri, Antiochiæ, Pamphyliæ, Pisidiæ, Lycaoniæ, Asiæ, aliarumque regionum Palæstinæ circumadiacentium. Jacobus item Jerosolymorum primus Episcopus inauguratus est, ut collectæ ibidem ex Judæis Ecclesiæ curam gereret. Tandem de Discipulis ob excitatam contra ipsos persecutionem, hæc habent Apostolorum Acta: (2) *Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Judæis.* Æquum enim erat, ut quibus primum facta fuerat de Christo repromissio, & de quorum genere secundum carnem ille nasciturus erat, prima quoque fieret novæ legis promulgatio, ne deterior esset gentis suæ ac aliarum conditio.

VII. Id porro præcipuum fuisse videtur divinæ Providentiæ consilium in hac Judæorum conversione initio procuranda, ut facilius in omnes orbis partes Evangelium propagaretur. Erat enim Jerosolyma, non unius Judææ, sed Coloniarum quoque Judaicarum, quæ toto Orbe sparsæ erant, mater & caput, uti præclare observat Rex Agrippa apud Philonem dicens: (3) *Non enim unius Judææ Metropolis, sed & multarum propter Colonias inde olim deductas.* Et ipse Philo: (4) *Judæi plurimas*, ait, *ac fortunatissimas Urbes in Europæ Asiæque Provinciis incolunt, pro Metropoli habentes sanctam Civitatem, in qua Templum altissimo Deo sacratum est.* Ob istius Templi sanctitatem, in quo duntaxat victimæ & sacrificia offerri poterant, ex aliis mundi regionibus infinita prope Judæorum multitudo Jerosolymam convenire quotannis consueverat, ad Paschatis Festum celebrandum; uti passim Josephus tradit. Quod præcipue contigit eo ipso tempore, quo Christus Dominus Cruci affixus, redemtionis nostræ mysteria consummavit; eoque ad superos convolante, Apostoli post Spiritus Sancti delapsum ejus fidem in Urbe illa palam enuntiarunt omnium pæne nationum populis, qui eo advenerant Pascha celebraturi. Nam ut Sanctus Lucas in Actis Apostolicis refert, (5) tunc Jerosolymis reperti sunt Judæi ex omni natione, quæ sub Cœlo est: *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque & Proselyti, Cretes, & Arabes:* totque variarum regionum populi intelligebant Apostolos loquentes ea lingua, in qua nati fuerant. Quare Salvator noster Jerosolymis decurrente Paschatis tempore Cruci affigi voluit, ut salutem nostram operaretur in conspectu omnium Gentium: præcepitque Apostolis suis, ut ea in Urbe aliquandiu consisterent, in ea prædicarent, quo facilius Judæorum opera per mundum universum divulgaretur Apostolicæ prædicationis fama. Judæis quippe ad propria redeuntibus, & famam miraculorum, quibus Apostoli fidem confirmabant, in varias ac dissitas mundi Provincias circumferentibus, iidem Apostoli postmodum inter se Orbem partiti, aditum apud Judæos invenerunt, quibus juxta Christi mandatum eos prædicare oportebat, antequam Gentilium conversioni incum-

(1) Ibid. cap. 9. ad Galat. c. 1. 2. Corinth. c. 11. 13. 14.
(2) Act. cap. 11.
(3) Agrippa apud Philonem de Legat. ad Cajum.
(4) Philo cont. Flaccum.
(5) Act. cap. 2.

berent. Propterea D. Petrus initio solis Judæis fidem annuntiavit, nonnisi post lintei e Cœlo descendentis visionem, excitatus ad Cornelium cohortis Italicæ Centurionem fide imbuendum, obstupentibus tum primum Judæis,[1] *quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa esset.* Scripsit etiam primam suam Epistolam *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ;* nimirum Judæis illis recens ad fidem adductis, qui in prima persecutione per illas dispersi fuerant Provincias. Haud aliter Apostolus Paulus[2] cum orbem terrarum peragraret, ubicumque Judæi essent, prædicabat eis Evangelium, disputabat in Synagogis eorum, cumque Romam vinctus pervenisset, convocavit *primos Judæorum.* Multa siquidem Judæorum milliatunc Romæ commorabantur, ut Philo testatur *de legatione ad Cajum*, ad quos jam dudum Apostolicæ prædicationis fama pervenerat, affirmantibus iisdem Judæis Romanis; *Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Verum cum illi ipsi veritati obsisterent, & verbum Evangelii respuerent, comminatus est eis Paulus dicens: *Notum sit ergo vobis, quod etiam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient.*

VIII. Itaque non ideo primum Judæis Christi fidem annuntiarunt Apostoli, quasi præcipua hæc esset ipsorum cura, aut ex Judæis potissimum Ecclesiam coalescere oporteret, sed ut eorum operâ facilius per mundum universum promulgaretur Evangelium. Audierant etenim Apostoli sibi a Domino præceptum fuisse, ut docerent omnes gentes: unde D. Petrus in Synodo Jerosolymitana dixit[3]: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere:* Præfante ibidem Paulo coram Patribus, & *narrante quanta Deus fecisset signa, & prodigia in Gentibus.* Iis quippe Paulus jam prædicare cœperat, postquam Judæi Evangelium respuerant, atque in eum Antiochiæ persecutionem concitaverant: quibus proinde dixit: *Vobis oportebat primum loqui sermonem, sed quoniam repellitis illum, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Atque hinc potius colligere licet, Christi Ecclesiam ex Gentilibus quammaxime componendam esse, abjectâ statim Synagogâ Judæorum, qui Christum necaverant, legem ejus respuerant, & electos ab ipso Evangelii præcones ad necem quæsiverant. Tantum abest, ut Judæos Gentibus præposuerit, quin potius Gentes Judæis antepofuit, impletis, quæ per os Prophetarum dixerat, vaticiniis: *Vocabo non gentem meam, gentem meam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Quis ergo credat Christum, qui evertendam esse funditus Jerosolymam prænoverat, Ecclesiæ suæ principem Sedem ibi figere voluisse; si vel maxime mentem advertamus ad æterna Dei tremendaque consilia, quibus Statutum illi & certum erat, Judæos abjicere, a quibus toties abjectus fuerat, & Ecclesiæ suæ imperium in Gentes propagare? Fuerit sane Jerusalem Metropolis Judæorum, quid inde hoc confert ad Ecclesiam Christi? Imo si quid istud argumentum probaret, consequens foret, non Romam, sed Jerosolymam esse caput & Principem universæ Christi Ecclesiæ; quod tamen citra hæresin nemo Catholicorum dixerit.

IX. Fateor Ecclesiæ Jerosolymitanæ, quam diu illa stetit, summum honorem

(1) Act. cap. 10.
(2) Act. cap. 28.
(3) Act. cap. 15.

norem a Fidelibus delatum esse, semper tamen infra Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam illa fuit. Imo etiam postquam in Synodis Constantinopolitanâ, & Chalcedonensi Patriarchica dignitate donata est, ejus Metropolis fuit Cæsarea Palæstinæ, quemadmodum docet S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium, & in altera ad Theophilum contra errores Joannis Jerosolymitani. Quare quod Bacchinius asserit, ante Jerosolymorum excidium Ecclesiam illam ab Alexandrina, Antiochena, & cunctis aliis Ecclesiis charactere discretam fuisse, si de jure Primatus sermo sit, procul a vero abit, cum numquam eo jure potita sit, etiam priusquam Apostolorum Princeps Antiochenæ Sedis aut Alexandrinæ fundamenta poneret. Ubi autem eæ fuerunt institutæ, statim ac deinceps primum a Romana locum Alexandrina, secundum Antiochena obtinuit; nec nisi quadringentis fere post annis quintum dumtaxat Thronum Jerosolymitanæ concesserunt Patres Chalcedonenses. Si vero non de jure Primatus, sed de nuda quadam honoris prærogativa loqui velimus, maximo semper honore præ omnibus aliis digna fuit, cum ob reverentiam Salvatoris nostri, qui illam conversatione, miraculis, passione, ac morte illustravit, consecravitque; tum ob jacta ibidem ab Apostolis prima Ecclesiæ fundamenta. Quo sensu Synodus C. P. Secunda Œcumenica *in Epistola ad Damasum*, apud Theodoretum *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9.* vocat Ecclesiam Jerosolymitanam *omnium aliarum matrem*. Et Justinus Imperator in litteris ad Hormisdam summum Pontificem scripsit: (1) *Jerosolymitanæ Ecclesiæ omnes favent, cum sit mater Christiani nominis*. Ceterum licet ante & post eversas Jerosolymas tribus, aut quatuor primis sæculis apud Fideles, & Scriptores Ecclesiasticos summo in honore fuerit dignitas, & sanctitas Ecclesiæ Jerosolymitanæ; semper tamen verum fuit, quod docuit Sanctus Petrus Damiani: (2) *Constat Dominum Salvatorem non uni cuilibet Cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem specialiter præsidere. Liquet ergo Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta Privilegium Petri, non secundum incomparabilem excellentiam Majestatis*.



E 2 CA-

(1) Justinus Imp. Epist. ad Hormisdam, quæ est post 74. Hormisdæ.

(2) Sanctus Petrus Damiani Opusc. 35. cap. 4.

CAPUT VII.

Synopsis.

I. Apostoli Spiritus Sancti afflatu eas Urbes in Metropoles Ecclesiasticas erexerunt, quæ in Politia Imperii Romani civiles erant Metropoles.

II. Varii de hac re Sacri Canones. Tres Gentilium Sacerdotum ordines, Primiflamines, Archiflamines, & Flamines.

III. Juxta eos Canones, in Urbibus, ubi erant Primiflamines, instituti sunt Patriarchæ & Primates; ubi Archiflamines, Metropolitæ, ibi Flamines, Episcopi.

IV. Antiochena Synodus, & vetera monumenta docent, Provincias & Metropoles Ecclesiasticas ad exemplum civilis Imperii olim constitutas.

V. Tres præ omnibus Civitates elegit S. Petrus cunctarum celeberrimas, Romam, Alexandriam, Antiochiam.

VI. Post Apostolos nova Metropoleon institutio Ecclesiæ, & Romano Pontifici commissa est. Insignis Provinciarum distributio can. 6. Conc. C. P. sancita.

VII. Exemplum Civilis Imperii fuit tantum ratio ab Apostolis electa, ut facilius propagaretur Evangelium. Ipsa Metropoleon institutio non a nobilitate Urbium, sed ab Apostolica & Ecclesiastica ordinatione emanat.

I. A Liunde igitur quam ex Judæorum politia Provinciarum ac Metrapoleon distributio ab Apostolis constituta est repetenda; nec ulla potior causa assignari potest, præter illam, quam D. Petrus de Marca, Christianus Lupus, Cardinalis Norisius, Emanuel a Schelstrate, Antonius Pagi, aliique viri eruditi investigarunt, nempe Apostolos Sancti Spiritus afflatu admonitos, eas præ aliis Urbes in rebus Ecclesiasticis Metropoliticæ dignitate exornasse, quæ juxta Imperii formam civiles erant Provinciarum Metropoles. Id enim quammaxime conducebat ad fidem facilius ac citius propagandam, cum a primariis Urbibus, ad quas undique e Provinciis populi confluere solent, in alias quantocius diffundi posset. Hanc causam eleganter expendit D. Petrus de Marca, (1) his verbis: „ Cum in Imperio Provinciæ „ contributæ essent cuidam Civitati „ primariæ, quæ Metropolis diceba- „ tur, apud quam Magistratus subje- „ ctorum causas judicabant, & quo „ propterea populi frequentius conve- „ niebant, quod singulari quodam jure „ ceteræ Civitates a Matrice pende- „ rent, Apostoli itidem Episcopos in „ Civitatibus constituerunt, eo vi- „ delicet ordine, ut penderent ab Epi- „ scopo in Metropoli, sive Urbe pri- „ maria conlocato. Non primus fuit hujus Sententiæ Auctor Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, sed totidem fere verbis ea expressa est variis in locis apud Gratianum in Decreto. Refert ille cumprimis fragmentum Epistolæ 2. ad Episcopos Italiæ sub nomine Anacleti Papæ, in cap. *Provinciæ, dist.* 99. *Provinciæ*, (1) inquit, *multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis, & Beato Clemente Præ-*

(1) Petrus de Marca lib. 6. Concord. cap. 1. §. 3.

(1) Cap. Provinciæ dist. 99.

Prædecessore nostro ipsa divisio est renovata. Et in capite Provinciarum, ubi dudum primates legis sæculi erant, ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas Civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad Aulam Imperatoris, vel Regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel injustitiis suis, ipsosque appellabant quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in Civitatibus vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ & Ecclesiasticæ poni & esse jusserunt, ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent: & ipsi Primatum nomine fruerentur, & non alii. Reliquæ vero Metropolitanæ Civitates, quæ minores Judices habebant (licet majores Comitibus essent) haberent Metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent Primatibus, sicut & in legibus sæculi olim ordinatum erat: qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Antiquissimus hujus Epistolæ Auctor non solum Provinciarum distributionem ab Imperatoribus ante Christi adventum dispositam, ac Primariis Urbibus majores Magistratus, Metropolibus vero uniuscujusque Provinciæ minores Judices præpositos fuisse commemorat, ut qui adire Principem nequiret, ad hos Magistratus confugeret; sed insuper affirmat, Apostolos civilis Imperii formam imitatos, in Principibus Civitatibus, quæ essent Diœceseon capita, ordinavisse Patriarchas & Primates; aliis autem Urbibus, quæ essent Provinciarum Metropoles, præfecisse Archiepiscopos, seu Metropolitas, ut siqua postulasset necessitas, ad hos Episcopi suffraganei, ad illos Archiepiscopi seu Metropolitæ convolarent.

II. Hanc eamdem Romani Imperii formam spectavit Lucius Papa, sive quisquis Auctor sit Epistolæ Decretalis ejus nomine inscriptæ, quæ etiam Stephano Papæ tribuitur, ex qua hæc in Decreto Gratiani excerpta sunt: (1) *Urbes, & loca, quibus Primates præsidere debent, non a modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statutæ temporibus, quarum Primates etiam Gentiles pro majoribus etiam negociis appellabant. In ipsis vero Urbibus post Christi adventum Apostoli, & Successores eorum Patriarchas, vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negocia (salva in omnibus Apostolica auctoritate) & majores causæ post Apostolicam Sedem sunt referendæ.* Quo in loco Glossa initio *distinctionis* 80. ait: *Primates ibi constituuntur, ubi olim ponebantur Protoflamines Gentilium: Archiepiscopi, ubi Archiflamines: Episcopi, ubi eorum Flamines. Et hoc ex maxima parte factum est institutione Beati Petri.* Idipsum observant Antonius Augustinus *in Epitome Juris, lib.* 2. *tit.* 1. Germonius *lib.* 2. *de Sacror. Immunit. cap.* 5. Azorius *par.* 1. *Institut. lib.* 3. *cap.* 36. *quæst.* 8. Wolfangus Lazius *lib.* 2. *Reipub. Roman. Morinus lib.* 1. *Exercit.* fere per totum. Jacobus Usserius *de Britannic. Eccles. Antiq. c.* 5. Andreas Dominic. *Flocc. seu L. Fenestell. de Potest. Rom. lib.* 1. *cap.* 5. *Polydorus Virgilius de Inventor. Rer. lib.* 4. *cap.* 12. & Cardinalis Aguirre *Tom.* 1. *Concilior. Hispan. lib.* 3. *Concilii Illiberitani, cap.* 42. *in Commentar.* Nititur hujusmodi explicatio auctoritate Epistolæ Sancti Clementis nomine vulgatæ ad Jacobum Fratrem Domini, quam Gratianus ita excripsit: (2) *In illis vero Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Primiflamines alias Archiflamines eorum, atque primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas*

(1) Apud Stephanum 1. Epist. 2. cap. 5. & refertur cap. *Urbes, dist.* 80.

(2) *Urbes illis* ead. distinct.

archas Beatus Petrus præcepit, qui reliquorum Episcoporum causas, & majora, quoties necesse foret, negocia in fide agitarent. In illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos, Primates, Archiepiscopos institui præcepit. In singulis vero reliquis Civitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit; quia non primatum, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres Civitatum non tenent, sed Episcoporum tantum vocabulo potirentur; quoniam nec inter Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Quem Textum eleganter illustrat Glossa: *Gentiles habent tres ordines Sacerdotum, scilicet Primiflamines, Archiflamines, & Flamines: Loco Primiflaminum Petrus jussit poni Patriarchas, qui de majoribus aliorum Episcoporum causis cognoscunt: Loco Archiflaminum, Archiepiscopos: Loco Flaminum, Episcopos, qui in singulis Civitatibus singuli esse debent.* De iis plura D. Petrus de Marca *Dissert. de Primat. num.* 58. *& seq.*

A Romanis adhuc Gentilibus Flamines vocabantur ii, qui sacris administrandis præficiebantur; nam apud ipsos Flaminium, pro Sacerdotio accipitur. Quo sensu Cicero 13. *Philipp.* dixit: *Homo ingratissimus flaminia cur reliquisti?* Videndus est Gellius *lib.* 10. *cap.* 15. Flamines proinde iidem erant ac Romanorum Sacerdotes, quorum frequens mentio est apud Livium, Tacitum, Plinium, ceterosque Latinos Scriptores. Ejus vocis originem Varro *de Lingua Latina*, inde ductam tradit, quod in Latio capite semper velato incederent Sacerdotes, & caput cinctum filo haberent. Seu ut Servius docet, Flamines in capite habebant pileum; quod quum per æstus ferre non possent, filo tantum capita religare ceperunt; nam nudis pæne capitibus incedere nefas erat: unde a filo quo utebantur, Flamines dicti sunt, quasi Filamines. Non unum erat Flaminum genus, nec nomen, sed cognomina sortiebantur ab eo Deo, cui sacra faciebant: alius quippe flamen Dialis a Jove: alius Martialis a Marte: quidam Quirinalis a Quirino dicebatur; sicque singuli a singulis Diis cognominari solebant; ut indicavit etiam Cicero *lib.* 2. *de Legibus: Divisque aliis alii Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunt.* Maximæ dignationis habebatur Flamen Dialis inter quindecim Flamines; ceteri autem discrimina majestatis suæ habebant a numine, cui sacra impendebant, ut a Festo discimus. Qui præterea advertit, alios majores, alios minores Flamines dictos: Majores erant Patricii generis: Minores Plebeii. Unde & Primiflamines, qui vel Diales essent, aut aliis præfecti: & flamines qui essent inferioris ordinis. Omnibus tamen præerat sive Flaminibus, sive Pontificibus unus Pontifex Maximus, penes quem erat summa sacrorum administratio.

III. Diversos hosce Sacerdotum gradus, quos in superstitioso falsorum numinum cultu excogitaverat vana Gentilium Religio, in sacros ritus uni ac vero Deo exhibendos transtulerunt Apostoli, virique Apostolici, quemadmodum laudati canones testantur. Non quod ipsi Apostoli Ordines Sacerdotis & Episcopatus condidissent; ii enim a Christo fuerant jam instituti; sed quia in iis Ordinibus, quo ad externam Ecclesiarum administrationem, & regimen varios gradus partiti essent. Nam ubi Primiflamines, Patriarchæ & Primates: ubi Archiflamines, Metropolitæ: ubi Flamines, Episcopi sunt instituti; sed his omnibus non Apostolorum Statuto, sed divino jure unus præsidet Pontifex Maximus, nempe Romanus Episcopus omnium caput, & Princeps.

Alia

Alia ad hujus rei confirmationem afferri solent antiquitatis monumenta; sed nobis satis erit unum hic adjicere, quod ex Martini cujusdam Chronographi verbis prodit Wolfangus Lazius *lib.* 3. *Reipub. Roman. cap.* 13. ubi vetus ille scriptor res gestas ab anno Domini 184. describens, hæc narrat: *Eleutherius natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos* 15. *menses sex, dies* 6. *Hic accepit Epistolam a Lucio Rege Britannorum, ut Christianus per ejus mandatum fieret. Cui Papa misit duos religiosos viros, Fuganum, & Damianum, qui Regem prædictum baptizarunt cum universo populo. Erant autem tunc in Britannia viginti octo Pontifices Idolorum, quos Flamines vocabant: inter quos tres Archiflamines erant, sed prædicti Sancti de mandato Apostolici, ubi erant Flamines, instituerunt Episcopos: & ubi Archiflamines, Archiepiscopos*. De ejusdem Lucii Britannorum Regis conversione scripserunt, Beda *de Gestis Anglor. lib.* 1. *cap.* 4. *& de sex ætat.* Ado in *Chronico:* Gilda sapiens *de Excid. Britan.* Hector Boethius *lib.* 5. *Histor.* Hermannus Contractus, Marianus Scotus, aliique plures ab Usserio laudati, *lib. de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap.* 4. nec non Baronius *Tom.* 2. *Annal. ad ann.* 183. Me quidem non latet, hæc Lucii Acta apud aliquos dubiæ esse auctoritatis: itemque decretales Epistolas Anacleti, Lucii, Stephani, & Clementis, quas Gratianus Decreto suo adtexuit, a plerisque apocryphas haberi; attamen inficiari nullus poterit, eas jam circa quartum sæculum vulgari cœpisse, in corpus canonum redactas esse, & summam mereri venerationem ab omnibus, cum non nisi ex veterum Sententiis fuerint concinnatæ. Quocirca non recens est Petri de Marca, totque eruditissimorum virorum Sententia, sed a veteribus accepta, videlicet Provincias, & Metropoles ab Apostolis juxta Romani Imperii formam distributas esse.

IV. Sed lubet etiam certis documentis eam firmare. Antiochena Synodus instituendarum Metropoleon eamdem rationem egregie explicuit, quam Gratianus in *cap. Urbes dist.* 80. institutos quippe asserit Metropolitanos in Civitate, quæ Provinciæ caput erat; quoniam in illam omnes confluunt pro negociorum suorum utilitatibus: (1) *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Episcopos agere, secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam &c.* Eamdem in rebus Ecclesiasticis, ac in civilibus causam perspectam habuerunt antiqui Patres, opportunitatem scilicet, & commoditatem populorum, quæ impulit Apostolos, ut Urbem illam pro Sacra Metropoli in Ecclesia stabilirent, quæ parem in civili Imperio obtinebat dignitatem. Atque hujus rei gratia factum arbitror, ut veteres non alibi Metropolitas creari sinerent, nisi ubi essent Metropoles Provinciarum. Nam licet summus semper honor habitus sit Ecclesiæ Jerosolymitanæ, cum tamen in Nicæna Synodo Statutum fuit *can.* 7. ut ejus Episcopo honoris prærogativa concederetur, id hac limitatione permissum, *Metropoli* (Cæsareæ) *propria dignitate servata*. Quæ autem alia ratio Nicænos Patres cogere potuit, ut Cæsareæ Metropoliticum jus potius quam Jerosolymis tribuerent, vel ut verius dicam, tributum confirmarent, nisi quod Urbs Cesareænsis esset jam ab Apostolorum ætate Metropolis Palæstinæ; secus Jerosolymitana? Eamdem re-

(1) Concilium Antiochenum can. 9.

regulam secuta est Synodus Taurinensis celebrata anno 397. cum exortam inter Episcopos Arelatensem, & Viennensem de Primatu contentionem hoc temperamento sedavit: (1) *Illud inter Episcopos urbium Arelatensis, & Viennensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a Sancta Synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam Civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipse juxta canonum præcepta ordinationum habeat potestatem*. Non alia ratione litem hanc dirimere Taurinensis Synodus censuit, quam si explorata prius esset potior hujus, aut illius Urbis Majestas; cum haud melius Metropolitanæ Ecclesiæ dignitas innotescere queat, quam ex ipsius urbis dignitate. Eam idcirco insitam veterum animis Sententiam cum aliquando consideraſſent nonnulli Episcopi Metropolitica jura ambientes, adibant Imperatores, atque ab ipsis obtenta prius in gratiam urbis suæ Metropoleos dignitate, Ecclesiastica quoque Metropoleon jura, & Provinciæ ordinationes invadebant. Extant ejus rei exempla in Concilio Chalcedonensi *Act.* 4. ubi a Photio Tyri Metropolita lis intentata fuit adversus Eustathium Beryti Episcopum, qui ab Imperatore Theodosio rescriptum per subreptionem extorserat, quo civitas ejus Berytus in Metropolim erigeretur; eoque impetrato in quadam Synodo Constantinopolitana Provincias Ecclesiasticas dividi curavit, ac subinde abstractis a Metropolita Tyrio multis Ecclesiis, illarum ordinationes sibi arrogavit. Theodosio vita functo, Photius Marciano Imperatori, & Chalcedonensis Synodi Patribus libellum supplicem obtulit, rogavitque in irritum mitti, quæ Eustathius tentaverat, suaque Tyrio Episcopo jura restitui. Quare Chalcedonenses Patres, lecto Concilii Nicæni canone, quo decerni videtur, unum cujuslibet Provinciæ Metropolitam esse oportere, in favorem Photii Tyriorum Episcopi pronunciarunt. Simile judicium latum fuit *Act.* 13. in gratiam Nicomediensis Episcopi, e cujus jurisdictione Nicænus se subtraxerat, fretus lege Valentiniani, & Valentis Imperatorum, qua Nicenæ civitati Metropoliticum jus impertierant. Cum enim Chalcedonensis Synodus perpendisset, Nicomediam fuisse olim Metropolim Bithyniæ, honorem tantum & nomen Metropolitæ Nicæno concesserunt, non autem ejus jura & privilegia, quæ integra Nicomediensi reservarunt. Plures videre est ejusmodi Metropoleon institutiones vel potentia Principum factas, vel ambitu Episcoporum a Principibus impetratas. Sic Valens Imperator in odium Sancti Basilii ex una Cappadociæ Provincia duas fecit, unde secuta quoque est Ecclesiasticarum Provinciarum divisio, ut testis est Gregorius Nazianzenus *Orat.* 20. In Galliis, in Hispaniis, aliisque Christiani Orbis idipsum tractu temporum accidit; sed singula ejus rei exempla referre longum foret. Hic contigisse puto, ut cum non modo Urbs aliqua in Metropolim evaderet, sed etiam Provinciæ dividerentur, non raro Ecclesiarum status mutari soleret, quod decerni videtur can. 17. ejusdem Concilii Chalcedonensis: (1) *Sin autem*, inquit, *etiam aliqua Civitas ab Imperatoria auctoritate innovata fuerit, Civiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo consequatur*. Hæc & ejusmodi alia, quæ proferri possent antiquitatis monumenta id suadent, quod viri Clarissimi docent, Provincias, & Metropoles Ecclesiasticas ad exemplum civilis Imperii olim ab Apostolis, virisque Apostolicis fuisse dispositas. In quam Sententiam iverunt, Joannes VIII. *Epist.* 95. Leo IX. *Epist.* 4. Gre-

(1) Concilium Taurinense can. 2.

(1) Concilium Chalcedon. can. 17.

Gregorius VII. *lib. 6. Epist.* 35. Isidorus in sua collectione Canonum, & Gratianus *dist.* 80. *&* 99.

V. Obvia hujusmodi Disciplinæ occurrunt Apostolorum exempla, quorum nonnulla jam insinuavimus. Paulus siquidem Ephesi, Salaminę, Iconii, Athenis, Corinthi, Philippis, Thessalonicæ, aliisque in primariis Orientis Civitatibus Ecclesias fundavit, eisque Episcopos præfecit. Petrus Apostolorum Princeps, cui totius Ecclesiæ supremum regimen commissum fuerat, longe plures erexit Episcopales & Metropoliticas Sedes, non solum Jerosolymis in Palæstina, & Syria, sed in plerisque Orientis regionibus, illis præsertim, quas sua Epistola canonica enumerat. In occidente similiter aut per se ipsum, aut missis in varias ejus partes viris Apostolicis fidem ubique sparsit, Ecclesiasque instituit, uti docet Innocentius I. *Epist.* 18. Quamvis autem varias cum in Oriente, tum in Occidente fundaverit Ecclesias, tres tamen præ omnibus Urbes elegit omnium toto Orbe celeberrimas, in quibus præcipuas Sedes conlocavit, Romam mundi Dominam, quæ toti dominabatur Imperio: Alexandriam secundam Orbis Civitatem, Ægypti & Africæ Meridionalis Reginam: & Antiochiam tertiam mundi Urbem, Orientis Metropolim, & olim Regum Seleucidarum Sedem. Nec alia, infra Dei voluntatem ita disponentem, afferri aptior potest causa, quam terreni Imperii exemplum, quod sibi in disponendis Ecclesiis proposuit Apostolorum Princeps, quo facilius ac citius Evangelii notitia in cunctas Orbis regiones spargeretur. Ut quid enim credimus singulari Spiritus Sancti afflatu, eum maxime ceteris aliis Romam prætulisse, nisi ut caput esset Ecclesiæ, quæ erat Imperii Princeps? Hoc sane consilio Divina Providentia disposuit, ut fides per Orbem brevi temporis spatio propagaretur, quod nimirum Roma tot gentibus imperaret, atque ab Ortu ad Occasum late ditionis suæ fines protenderet. Præclara sunt Divi Ambrosii, & Leonis Magni testimonia, ex quibus elucescit hoc fuisse præcipuum æternæ sapientiæ consilium in distributione Regnorum ac Gentium, quæ Romano subdebantur Imperio, quo tempore Apostoli mundum prædicatione Evangelica imbuendum susceperant. Ambrosius quidem hæc verba exponens *Psalmi* 45. *Auferens bella usque ad fines terræ*, ait: (1) *Factum est ut tædio bellorum civilium Augusto Romanum deferretur Imperium, ut recte per totum Orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Jesu: Euntes docete omnes Gentes. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus Regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Persia; sed tamen quo plura obirent spatia terrarum, in exortu Ecclesiæ potestatem Romani Imperii toto orbe diffudit, & dissidentium mentes, terrarumque divortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines, sub uno terrarum Imperio viventes, unius Omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri.* Alter similiter non minus eleganter hoc ipsum argumentum confirmat: (2) *Ut autem,* inquit, *inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum divina Providentia præparavit, cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina, & contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa Regna uno confœderarentur imperio, & cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen Civitatis.* Quia ergo tot tamque varia mundi Regna, vel Romanæ parebant Urbi, vel ejus Imperii limitibus contigua erant, hanc præ omnibus Cathedra sua decoravit Petrus, ut cun-

(1) Ambrosius Commentar. in Psal. 45.

(2) S. Leo Serm. 80. in Natali Apost. Petri, & Pauli.

cunctis mundi nationibus citius, atque facilius Christi fides annuntiari posset.

VI. Duo sunt de quibus hic monitum velim optimum Lectorem: primum quod licet viri eruditi existiment formam distribuendarum Provinciarum, & instituendorum Metropolitarum ab Apostolis traditam esse, fatentur tamen executionem hujus Apostolicæ traditionis, imo & singularem institutionem multarum Metropoleon commissam fuisse Ecclesiæ, præsertim ejus capiti Romano Pontifici. Neque enim id usquam in sacris Scripturis expressum est, ut a solis Apostolis fieret, neque ii ubique Gentium Metropoles & Provincias distribuerunt; sed processu temporis propagata in varias regiones Christi fide, missi sunt a summis Pontificibus, & ab Episcopis, qui primarias Ecclesias ab Apostolis fundatas regebant, novi Antistites, novæ Provinciæ dispositæ, & aliæ Metropoles institutæ, prout temporum & locorum ratio, major etiam populorum ad fidem conversorum numerus, exigebant. Nam ea Provinciarum & Metropoleon divisio, quæ deprehenditur in subscriptionibus Concilii Nicæni, Ephesini, & Chalcedonensis omnino similis esse videtur ei, quam paulo ante Nicænam epocham Constantinus Magnus in Imperio partitus fuerat, quando creavit quatuor Præfectos Prætorio, eorumque Vicarios. Major itidem mutatio occurrit post celebratam Chalcedonensem Synodum, erectis non modo in Metropoles, sed etiam in Patriarchicas Sedes, Constantinopoli, & Jerosolymis: multis insuper Illyrico, Italiâ, Galliis, Hispaniâ, & Britanniâ Provinciis, ac Metropolibus denuo constitutis. Quamobrem post Apostolorum ætatem innovatio quædam circa Provincias contigit; quæ tamen veterem illam Metropoleon institutionem non abolevit, sed auxit, reddiditque magis illustrem & opportunam. Prima, eaque satis conspicua mutatio facta videtur occasione partitionis Diœceseon a Constantino introductæ: ei siquidem formulæ se addixisse Patres secundæ Synodi Œcumenicæ patet ex ejus *canone* 2. (1) cujus hæc sunt verba: *Episcopi, qui extra Diœcesin sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant, & permisceant Ecclesias; sed secundum regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantum gubernet; Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus Primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur.* (2) *Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo Diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantum Diœcesis habeant curam: Thraciæ vero, ipsius tantummodo Thraciæ. Non invitati Episcopi ultra Diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis Ecclesiasticis caussis, servata regula, quæ supra scripta est de unaquaque Diœcesi. Manifestum namque est, quod per singulas quasque Provincias Synodus Provincialis administrare, & gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicæna definita.* (3) *Ecclesias autem Dei, quæ sunt in barbaricis gentibus constitutæ, regere atque administrare oportet secundum consuetudinem, quæ a Patribus obtinuisse dignoscitur.* Barbaricas Gentes hoc loco intelligi arbitror, nationes extra ditionem Romani Imperii positas. Harum vero Ecclesias non per Diœceses, quæ ipsis in usu non erant, quemadmodum in Imperio, sed juxta illarum consuetudinem a Patribus introductam, regendas esse Sancta Synodus decernit.

Socra-

(1) Concil. CP. 1. can. 2. ex Rom. Editione Pauli V. pag. 87.

(2) Can. 6.

(3) Eod. 5.

Socrates hanc ipsam Provinciarum Ecclesiasticarum unionem a Concilii Constantinopolitani Patribus statutam commemorat, atque ab Imperatore Theodosio approbatam: (1) *Patriarchas constituerunt, Provinciarum divisione facta, ita ut nullus Episcopus ultra propriam Diœcesim alienas Ecclesias invaderet. Id enim antea propter persecutiones promiscue factum fuerat. Ac Nectarius quidem Regiam Urbem & Thraciæ Provincias sortitus est, Helladius vero qui Cæsareæ Cappadociæ post Basilium erat Episcopus, Ponticæ Diœcesis Patriarchatum obtinuit, & una cum illo Basilii frater Gregorius Episcopus Nyssæ, quæ & ipsa Urbs est Cappadociæ, & Otrejus Episcopus Melitinæ in Armenia. Asianæ autem Diœcesis Patriarchatum sortitur Amphilochius Iconii, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ Episcopus. Ægypti Ecclesiarum administratio Timotheo Alexandriæ Episcopo attributa est: Orientis autem Ecclesiarum regimen & curam Episcopis illius regionis commiserunt: Pelagio scilicet Laodiceæ, & Diodoro Tarsi Episcopo, servatâ tamen honoris prærogativâ Antiochensi Ecclesiæ, quam quidem prærogativam Meletio tunc præsenti tribuerunt. Porro decreverunt, ut si necessitas posceret, Provinciæ cujusque negotia Provincialis Synodus dijudicaret. Quæ quidem Imperator etiam consensu comprobavit.* Extat ea de re Principis rescriptum in Codice Theodosiano, *l. 3. Cod. de Fide Cathol.* Theodoretus quoque eam Diœceseon partitionem Concilio Constantinopolitano adscripsit in Epistola ad Flavianum. Quare Apostoli primam quidem veluti normam distribuendi Provincias, ac Metropoles Ecclesiarum condiderunt, ita tamen ut propagata postmodum fide, & ubique in immensum crescente Fidelium multitudine, cum intra, tum extra Romanum Imperium, Ecclesiæ potestatem relinquerent instituendi novas Provincias & Metropoles, aut veteres dividendi, ac multiplicandi. Enim constat vero, Provincias ampliores in duas vel tres in laterculo Ecclesiæ sectas fuisse post Apostolorum tempora, cum id etiam in Imperio a Principibus fuerit dispositum pro Reipublicæ utilitate. In Oriente quidem Galatia, quæ vivente Paulo una tantum Provincia fuit, in primam dein, & secundam distracta est in Imperio, & Ecclesia: quod similiter accidit Palæstinæ, Cappadociæ, Ponto, & quibusdam aliis Provinciis. Ægypto pariter novæ additæ Provinciæ, Arcadia præcipue ab Arcadio Imperatore. Occidentis regiones eamdem sortem subjerunt. Italia Augusti ætate nullam divisionem sustinuit, quæ deinceps a Constantino, & aliis Principibus in varias dissecta est Provincias. Gallia ab Augusto in quatuor partes, in plures ab Hadriano, in septemdecim tandem Provincias divisa est. In totidem Illyricum. Africa, quæ initio ab uno tantum Metropolitano regebatur, nempe Carthaginensi Episcopo, postmodum in sex Provincias Ecclesiasticas distributa est. Cum itaque hæc Provinciarum ac Metropoleon divisio ab Apostolis primum instituta, deinceps tractu temporis aucta sit, ac veluti ad perfectionem redacta, inde arbitror contigisse, ut veteres eam non Apostolis, sed Patribus, & antiquæ consuetudini adscriberent.

VII. Alterum observatu dignum ex antea assertis emanat, nimirum Apostolos in distribuendis Provinciis, ac Metropolibus exemplum civilis Imperii non sibi proposuisse tamquam finem primarium, sed velut medium, quo facilius Evangelii prædicatio a præcipuis Civitatibus in alias diffunderetur, & Ecclesiastica Disciplina firmius consisteret. Non enim a nobilitate Urbium jus Patriarchicæ, aut Me-

(1) Socrates lib. 5. cap. 8. ex Valesii versione.

Metropoliticæ dignitatis naſcitur, ſed ab inſtitutione Apoſtolica, & Eccleſiaſtica ordinatione, quæ huic potius Urbi, quam aliis Metropolitas præeſſe voluit. Compeſcuit idcirco ſemper Eccleſia illorum Antiſtitum ambitus, qui prætextu magnitudinis Urbium, quas moderabantur, turbas paſſim excitantes, & formam Provinciarum, ac Metropoleon jam ſtabilitam evertere molientes, Metropoliticum jus ſibi uſurpare conabantur. Extat de hac re inſignis locus Innocentii I. in Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, ubi decernit, a diviſione Provinciarum juſſu Principis facta, nequaquam pendere Metropoles Eccleſiaſticas: *Quod ſciſcitaris*, inquit, *utrum diviſis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari: non vere viſum eſt ad nobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Ergo ſecundum priſtinum Provinciarum morem Metropolitanos Epiſcopos convenit nominari*. Quod ſi interdum eorum aliqui Imperatorum potentiâ freti Urbes ſuas creari Metropoles curaverunt, adverſos ſuis auſibus ſemper experti ſunt ceteros Epiſcopos, nec niſi ægre tandem Eccleſia Principum precibus flexa, dignitatem quam ambiverant, conceſſit, ea tamen cautione adhibita, ut nomen honoremque dumtaxat Metropolitanorum eis impertiant, non autem ipſorum jura, & privilegia. Quod quidem generatim ſancitum eſt *can.* 12. Secundæ Synodi Œcumenicæ de omnibus iis Urbibus, quæ in poſterum Metropolis nomine honoratæ fuerint ab Imperatoribus. Quæ cauſa fuit, ut tot in Oriente Archiepiſcopi irrepſerint, quibus tamen nulli ſubſunt Epiſcopi. Ea ambitio pervaſerat Epiſcopos Conſtantinopolitanos, qui idcirco ad Patriarchalem Sedem Eccleſiam ſuam provehi ſategerunt, hanc prætexentes cauſam, quod Conſtantinopolis, poſt translatum eo Imperii ſolium a Conſtantino, ſecunda Roma effecta eſſet, ac deinceps Romani orbis caput: ei propterea eadem cum vetere Roma privilegia convenirent. Quod a Græcis tentatum fuit in Concilio Chalcedonenſi, clam de hac re edito *canone* 28. cui contradixerunt Legati Sancti Leonis Papæ, quia ſcilicet eo invaderent Conſtantinopolitani aliarum Eccleſiarum Jura, ſtabilitam in Eccleſia ab Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis, & Nicæna Synodo Patriarchalium Sedium, & Metropoleon formam ſubverterent, Alexandrini, & Antiocheni, necnon trium Autocephalorum Antiſtitum eximiam dignitatem peſſum darent. Canonem illum, & Anatolii Conſtantinopolitani, Græcorumque ambitum, Apoſtolica fortitudine improbavit Sanctus Leo Magnus, improbarunt & alii Pontifices, maxime Gelaſius, qui in litteris ad Epiſcopos Dardaniæ datis hanc in Acacio Epiſcopo CP. ejusque fautoribus audaciam reprehendit. Quæ etenim cauſa initio Chriſtiani nominis impulit Apoſtolos & Apoſtolicos viros, ut in condendis Patriarchalibus Sedibus Urbes tunc omnium nobiliſſimas eligerent, ea ceſſaverat, & dilatata jam fide ubique Gentium, ac ſtabilitâ Eccleſiarum formâ, non amplius in arbitrio Epiſcoporum poſitum erat illam invertere, & Urbibus recens ad apicem Imperii evectis Patriarchatus jura impertiri; ſed is honor ſolis debebatur antiquis Sedibus, Apoſtolorum privilegio, & totius Eccleſiæ ſuffragio conſecratis.

At enim his non immoror: id unum mihi conſilium fuit in præſentia oſtendere, Provinciarum, & Metropoleon partitionem in Eccleſia ab Apoſtolis fluxiſſe, ut abunde oſtendit Tertullianus *lib. de Præſcript. Heret.* 36. Ea tamen poſtea a Romanis Pontificibus & Œcumenicis Conciliis per incrementa temporum aucta, tandem ultimam diſpoſitionem conſecuta eſt.

CAPUT

CAPUT VIII.

Synopsis.

I. *ANte Augusti Imperium prima quædam Provinciarum forma sed rudis constituta. Exactior ab Augusto invecta est, quibusdam Provinciis Populo Romano, aliis sibi reservatis.*

II. Quo tempore ea Provinciarum distributio ab Augusto facta sit, Onuphrius describit.

III. Notitia Imperii sub Augusto. Duodecim Diœceses Senatui, & Populo Romano concessit Augustus: quatuordecim sibi reservavit.

IV. Post Augusti obitum aliarum Provinciarum accessio Imperio facta ab aliis Imperatoribus, præcipue ab Hadriano.

V. Appianus Alexandrinus descriptionem Imperii sub Hadriano accurate adornavit.

VI. Notitia Imperii facta ab Hadriano a Schelstrate descripta recensetur.

VII. Tres Præfectos Prætorio sub Commodo enumerat Lampridius. At rectius Herodianus asserit duos tantum Præfectos a Commodo institutos. Mamæa Alexandri Mater tertium addidit; sed paulo post duo tantum retenti. Auctus deinde a Constantino Magno Præfectorum numerus, & Imperii forma paululum immutata, & in varias Diœceses distributa.

VIII. Diœcesis nomen apud profanos Auctores non unam Parœciam significat, sed magnum terræ tractum Provinciis quibusdam constantem. Opinio P. Antonii Pagi existimantis Diœcesis nomen Constantini tempore primum auditum rejicitur testimonio Ciceronis. Quot Diœcesibus constaret Imperium tum ante, tum post Constantini tempora exponitur.

IX. Notitia Imperii Romani a Constantino usque ad Arcadium & Honorium describitur. Tredecim Diœceses complectitur, nimirum sub Præfecto Prætorio Orientis quinque: sub Præfecto Illyrici duæ: sub Præfecto Italiæ tres: & totidem sub Præfecto Galliarum.

I. DIœceseon, Provinciarum, & Metropoleon divisionem, quam exordio nascentis Ecclesiæ ad exemplum Romani Imperii factam ab Apostolis antea docuimus, nemo plenius dignoscere poterit, nisi cui perspecta sit Civilis Imperii per illas tempestates Provinciarum ac Diœceseon distributio. Etsi enim florente adhuc Romanorum Republica quæpiam Provinciarum forma vigere jam cœpisset; attamen protractis postea sub Julio Cæsare, & Octavio Augusto Imperii limitibus, & longe lateque diffuso Principatu, nova eaque amplior earumdem Provinciarum forma invecta fuit, quæ vulgo omnium prima censetur. Nam ante, & post ademtam Reipublicæ libertatem, *Romanos, cum in jus suum vincendo redigerent procul positas Regiones, appellavisse Provincias*, testis est Hegesippus. Sicilia a Marcello Consule subacta, prima Provinciarum facta est, ait, Sextus Rufus *in Epitome:* quod & de Africa, Hispaniis, Gallia, aliisque Regionibus bello, aut hereditate acquisitis, Florus, Livius, Pomponius Mela, Tacitus, & alii Scriptores tradunt. Nulla tamen ante Octa-

Octaviani Augusti Principatum forma Provinciarum fuerat constituta, sed ipse primus ejus auctor extitit, ea quidem occasione, qua Provincias alias Senatui tribuit, alias sibi gubernandas reservavit. Causam ejus rei insinuasse videtur Suetonius de Augusto, hæc narrans: (1) *Provincias validiores, & quas annuis Magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: ceteras Proconsulibus sortito permisit; & tamen nonnullas commutavit interdum, atque ex utroque genere plerasque sæpius adiit.* Quas autem Senatui concesserit, quasque sibi retinuerit Provincias, Dio Cassius Vir Consularis enumerat: (2) *Senatui, Populoque Africa, Numidia, Asia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Cyrenaica, Bithynia, cum Ponto finitimo, Sardinia, atque Hispania, Bætica scriptæ sunt. Cæsari autem Hispaniæ, quod reliquum esset, ut Tarraconensis, Lusitaniaque, tum omnis Gallia, & Narbonensis, & Lugdunensis, Aquitaniaque, & Celtica, cum iis populis, qui eorum coloris erant ..... Germania superior, quæ Rheni fontibus propior est, inferior, quæ ab hac usque ad Oceanum Britannicum se extendit. Item Cœlesyria, Phœnicia, Cilicia, Cyprus, Ægyptus, ex quibus tamen postea temporis Cæsar Cyprum, ac Galliam Narbonensem populo tradidit, pro eisque Dalmatiam recepit, quæ permutatio etiam in aliis quibusdam Provinciis facta est. Recensui autem Provincias hoc modo, quoniam nunc earum quævis suum habet peculiarem Præfectum, quum antiquitus binis, vel ternis singuli præfuerint.*

II. Onuphrius censet (3) hanc di„stributionem contigisse anno Urbis „conditæ 727. Augusto VII. & M. „Agrippa III. Coss. quum Cæsar Au„gustus ex S. P. Q. R. voluntate Im„perium singulare, quod minus an„te legitimum videbatur, sibi uni „stabilisset; ut enim popularis vide„retur, tyrannidisque suspicionem a „se amoveret, nequaquam totius Im„perii curam sibi uni depoposcit, „sed Provinciarum omnium populi „Romani, quas Sextus Rufus in Bre„viario, seu Epitome utcumque enu„merat, administrationem cum po„pulo Romano communicavit. Quæ „namque pacatæ erant, & imbel„les, atque a terminis Romani Im„perii longe aberant, militumque „præsidiis non indigebant, populo „tradidit; eas vero Provincias, quæ „militaribus copiis instructæ essent, „ut exercitus omnes in potestate sua „haberet, sibi retinuit administran„das, tamquam eas quoque pacatu„rus, pacatosque populo redditurus. Mox Onuphrius describit Provincias a Dione recensitas, quas Augustus Senatui, ac Populo Romano tradidit administrandas, easque ait nova divisione in duodecim Diœceses ab eo distinctas fuisse, reliquas vero, quas sibi reservaverat, in quatuordecim Diœceses fuisse distributas.



NO-

(1) Suetonius in Augusto cap. 47.
(2) Dio lib. 53. Hist. Rom.

(3) Panvinius.

NOTITIA AUGUSTI.

Provinciæ Senatui, & Populo Romano subditæ.

Africa, Numidia, & Libya Proconsularis.
Asia cis Halyn, & Montem Taurum, in qua Lydia, Jonia, Caria, Mysia, Phrygia, & Hellespontus, Proconsularis.
Hispania Bætica, Prætoria.
Gallia Narbonensis, Prætoria.
Sicilia, Prætoria.
Sardinia, & Corsica, Prætoria.
Illyricum, & Epiri pars, Prætoria.
Macedonia, & Græciæ pars, Prætoria.
Achaja, Thessalia, Bœotia, Acharnania, Epirique pars, Prætoria.
Creta, Cyrenaica, & Libyæ pars, Prætoria.
Cyprus, Prætoria.
Bithynia, Paphlagonia, Propontidis, & Ponti pars, Prætoria.

Provinciæ Augusto subditæ, & in quatuordecim Diœceses distributæ.

Hispania, Lusitania.
Hispania Tarraconensis.
Gallia, Aquitania.
Gallia Lugdunensis, alias Celtica.
Gallia Belgica, & Germania.
Pannonia, Noricum, Vindelicia, & Rhætia.
Mæsia, in qua Dardani, Thraces, & Daci.
Dalmatia, & Illyrici pars.
Alpes Maritimæ.
Cilicia, Isauria, & Lycaonia.
Galatia, Pamphylia, & Pisidia.
Syria, Armenia minor, Mesopotamia, & Oriens omnis usque ad Euphratem.
Ægyptus, & Arabiæ pars.
Italia omnis a freto Siculo ad Alpes.

His Provinciis constabat totum Imperium Romanum Augusti tempore, in viginti sex Diœceses distributis, e quibus duodecim Senatui regendas reliquit, ceteras quatuordecim per Rectores (petitâ a Senatu licentiâ) Augustus ipse perpetuo administravit.

IV. Post Augusti obitum aliarum Provinciarum accessione auctum est Imperium: sub Tiberio siquidem additæ sunt provinciæ duæ, Cappadocia scilicet, & Comagenæ pars: sub Cajo Caligula Mauritaniæ duæ, Tingitana, & Cæsaræensis: Claudius Britanniam adjecit. *Sub Nerone duo tantum Regna* accesserunt, teste Eutropio, (1) *Provinciæ*, inquit, *factæ sunt, Pontus Polemoniacus concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ Rege defuncto.* Vespasianus Regno potitus, Judæâ devictâ, eam, uti etiam Achajam, Lyciam, Rhodum, & ceteras Insulas, itemque Tracheam, Ciliciam, & Comagenem, in Provinciæ formam redegit. Trajanus trans Danubium Daciam, trans Euphratem Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, & Arabiam Provincias fecit: uti testatur Sextus Rufus *in Breviario*, qui & *limitem* Imperii *in Oriente supra ripam* Ti-

(1) Eutropius lib. 7. cap. 6.

Tigridis fluminis institutum affirmat. Ceterum Hadrianus Trajano suffectus, tribus nobilissimis Provinciis Armenia, Mesopotamia, & Assyria Regno Persarum restitutis, ad veterem Euphratis limitem contraxit Orientem Romano adscriptum Imperio; sed post ejus obitum iterum ab aliis Imperatoribus recuperatæ pristinos Imperii fines constituerunt. Novam porro Hadrianus ipse Provinciarum partitionem magis distinctam aggressus est, quæ præter Provincias ab Augusto in laterculo Imperii conlocatas, alias quoque complectebatur post Augusti obitum acquisitas. Eam late descripsit Onuphrius Panvinus, at non omnino exactam, utpote quæ nonnullas a Constantino, & posterioribus Principibus adjectas Provincias comprehendat, ac proinde egeat correctione. Nam ultra septemdecim Italiæ Provincias, sex in Hispaniis partitur, Tarraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Gallæciam, Bæticam, & Transfretanam; cum tamen sub Hadriano, ut Julius Solinus *in Polyhistore cap.* 26. affirmat: *Hispania dividua esset Provinciis tribus*. Quod etiam Joannes Gerundensis Episcopus testimonio suo comprobavit. Galliarum, & Britanniarum Provincias octodecim recenset Panvinus a Sexto Rufo enumeratas, nempe tres ad Britannias, quindecim vero reliquas ad Galliam pertinentes, nimirum Alpes Maritimas, Massiliensem, Viennensem, Narbonensem, Novempopulanam, Aquitanias duas, Alpes Cottias, Maximam Sequanorum, Germanias duas, Belgicas duas, & Lugdunenses duas. Tres Britannicas ipse vocat, Maximam Cæsareensem, & Britannias duas. Sed ei contradicunt antiqui Scriptores, qui quatuor tantum Provincias Galliarum ab Augusto constitutas usque ad Hadriani tempora permansisse produnt, Ptolemæus sub Hadriano clarus, Paulus Orosius *lib.* 1. *Histor.* & Ammianus Marcellinus *lib.* 15. Orosius quidem Galliam in quatuor partes sectam commemorat, & singularum describit terminos: Marcellinus pariter ait, quod Gallia fuerit *potestate in partes divisa quatuor*, quarum primam Narbonensem, alteram Lugdunensem, tertiam Aquitanicam, quartam Belgicam fuisse insinuat. Britanniæ divisio in tres Provincias perperam tribuitur Hadriano: quandoquidem usque ad Trajani Principatum unam dumtaxat fuisse Provinciam Britanniæ, Cornelius Tacitus haud raro commemorat. Si quæ igitur ea in Insula divisio facta sit ab Hadriano, non alia esse potuit, quam quæ illam dispescuit in superiorem, & inferiorem Britanniam. Quæ enim in tres Provincias regionis illius partitio secuta est, Constantinum Magnum habuit Auctorem, a quo Britannia prima, Britannia secunda, & Maxima Cæsareensis ordinatæ sunt, ut infra proprio loco videbimus. Africæ similiter sex Provincias metitur, Proconsularem, Numidiam, Byzacenam, Tripolitanam, Mauritaniam Sitifensem, & Mauritaniam Cæsareensem; cum ex adverso D. Cyprianus, qui integro sæculo post Hadrianum vixit, *Epist.* 45. & 71. tres tantum agnoverit, Africam scilicet Proconsularem, Numidiam, & Mauritaniam. Quare hac in parte corrigendus est Onuphrius; & licet nihil certo definiri possit de numero Provinciarum, quas Hadrianus Diœcesibus Imperii adjunxit, plures tamen illarum deprehendere possumus ex iis, quæ ejus ætatis Scriptores memoriæ prodiderunt.

V. Unum præ omnibus seligere placet Appianum Alexandrinum, utpote qui Hadriano regnante floruerit, & accuratam Imperii Romani descriptionem adornaverit, in Præfatione librorum, quos de Historia Romana composuit, cujus hic exhibemus

„ mus verba. (1) Scripturus Populi „ Romani res gestas, necessarium duxi, primum fines Imperii describere, „ qui sic habent: In Oceano Britannicarum Gentium majorem partem „ continent: inde Herculeum fretum „ petentibus, atque porro universi Mediterranei maris oram easdem usque „ columnas circum relegentibus, quid- „ quid insularum regionumve maritimarum in conspectum venit, Romani juris censetur. Harum gentium primi ad dexteram fretum „ penetrantibus sunt Mauri, quà Mare accolunt: deinde Afri alii Carthaginem usque. Supra hos remotiores a Mari sunt Nomades, quos „ Latini vocant Numidas, ipsamque „ regionem Numidiam. Sequuntur „ in ora Libyes secundum utramque „ Syrtin ad Cyrenen pertinentes: „ tum Cyrene ipsa, Marmaridæ, Hammoniique, & quidquid populorum „ circa Mareotem lacum habitat: ad „ hæc magna illa Urbs in Ægypti confinio, Alexandri conditoris nomen „ referens: ipsaque Ægyptus, patens „ adverso Nilo navigantibus usque „ versos ad Orientem Æthiopas, per „ mare vero usque Pelusium. Hinc „ cursu flexo in ora occurrit Palæstina regio Syriæ, supra quam est „ pars quædam Arabum: ad mare „ Palæstinos contingunt Phœnices: „ superiora occupat cava (ut vocant) „ Syria, & quæ Euphratem usque „ amnem porrigitur: tum remotiores „ etiam Palmyreni cincti arenis squalentibus, & ipsi ad Euphratem pertinentes. Post Syrios sunt Cilices, „ hisque confines Cappadoces, & „ Armeniæ pars, quam minorem nominant; deinde ceteræ gentes, „ quotquot secundum Euxinum Pontum parent Romano Imperio. Harum Syri, & Cilices nostrum ma- „ re spectant: Armenii vero, atque „ Cappadoces hinc Ponticis nationibus sunt finitimi, inde Mediterraneis, quas major Armenia complectitur: nulla quidem Romanis tributa pendens, sed ex eorum auctoritate reges accipiens. Medio „ autem Cappadocas inter & Cilicas „ spatio, quà in Joniam iter est, ingens in mare procurrit peninsula, „ cujus dextrum latus Euxino, Propontideque, & Hellesponto, atque „ Ægæo clauditur, lævum Pamphylio, Ægyptioque mari alluitur; fertur enim utrumque peninsulam facere: cujus incolæ ad Ægyptium „ pelagus versi Pamphylii sunt, & „ Lycii, ac deinceps Cares usque „ Joniam: ceteri Euxinum, Propontidem, Hellespontumque spectant, „ Galatæ, Bithyni, Mysi, Phryges: „ Mediterranea ejus tenent Lydi, & „ Pisidæ. Tot gentes habitant hanc „ peninsulam, omnes Romanorum subjectæ Imperio. Trans fretum vero in Europa & alias Provincias habent Ponto contiguas, Mæsiam ac „ Thraciam, quà Euxinum accolit. Ab „ Jonia vero Ægæus sinus incipit, „ inde alter Jonius, post quem est fretum Siculum, & inde Tyrrhenum „ Mare usque columnas Herculeas. „ Atque hæc est longitudo ad Oceanum ab Jonia. In quibus oris hæ „ sunt Romanæ Provinciæ, Græcia „ universa, Thessalia, Macedonia, „ tum finitimæ Thraciæ reliqua, & „ Illyricum, ac Pannoniæ. Sequitur „ ipsa Italia longissimo protensa spatio, ab Jonio mari præter Tyrrhenicum tendens usque Galliam: cujus provinciæ Gentes partim nostrum mare spectant, partim Septentrionalem Oceanum, partim secundum flumen Rhenum habitant. His „ accedit universa Hispania, & Cel- tibe-

Pars Prima. G

(1) Appianus Alexandrinus in Præfatione libror. Histor. Romanæ.

„ tiberi pertingentes ad Septentrionalem, Occidentalemque Oceanum, „ ac columnas Herculis. De singulis harum regionum dicetur diligentissime, quum ordo narrationis ad eas nos deduxerit. Nunc quam „ amplius finibus maritimis Imperium „ includatur dictum est. Terrestri „ vero itinere lustranti eos occurrit „ pars Mauritaniæ vergens ad Occidentalem Æthiopiam, tum aliæ propter nimium æstum, aut noxias bestias, incultiores regiones Africæ, „ usque Orientales Æthiopas. Et hi „ quidem in Africa sunt Romanorum „ termini: in Asia vero flumen Euphrates, mons Caucasus, Armeniæ „ majoris Regnum, Colchis, quæ ad „ Euxinum mare colitur, & reliquum „ oræ illius. In Europa duo maxime fluvii Romanorum Imperium „ finiunt, Rhenus, & Danubius: horum Rhenus in Septentrionalem „ Oceanum, Danubius in Euxinum „ Pontum evolvitur. Alicubi tamen „ trans hos quoque amnes Germanis „ transrhenanis nonnullis imperant, & „ Getis ultra Danubium, quos ipsi „ Dacos nominant. Hi sunt versus „ continentem termini, quantum exactissime eos digerere potuimus. Insulæ quoque quotquot sunt in mari „ Mediterraneo, Cyclades, Sporades, Echinades, Tyrrhenicæ, Baleares, seu quocumque alio nomine, vel circa Africam, vel in Jonio, Ægyptio, Myrtoo, Siculo, ceteroque nostro mari quibuscumque „ distincto vocabulis: tum illæ, quas „ ob excellentiam Græci magnas nominant, Cyprus, Creta, Rhodus, „ Lesbus, Eubœa, Sicilia, Sardinia, „ Corsica, & siqua est alia major minorve, omnes Romanis parent. In „ Septentrionali etiam Oceano transportatis copiis in Britanniam Insulam, quæ præ magnitudine videri „ possit alia terra continens, occuparunt plusquam dimidiam, de reliquo ejus parum soliciti, ut minus „ commodo, quando ne id quidem, „ quod possident ex ea, fructus affert „ uberes.

VI. Ex hac Geographica Appiani Alexandrini descriptione, aliisque veterum monimentis, Vir eruditissimus D. Emanuel a Schelstrate, *Tom.* 2. *Antiquitatis Ecclesiæ*, *dissert.* 4. *cap.* 1. Imperii Romani divisionem in Provincias factam ab Imperatore Hadriano, ad sequentem ordinem redegit.



I M-

IMPERII ROMANI DIVISIO
IN PROVINCIAS
FACTA AB IMPERATORE HADRIANO

IN ITALIA PARTES DUÆ.

PRima continens Regiones suburbicarias a Piceno, quod in antiquis Notitiis suburbicarium nominatur, usque ad Siciliam, de qua scribit Sextus Rufus in Breviario: *Cum jam Sicilia Suburbana esset Populi Romani Provincia.*

Secunda continebat Regiones ultra & cis Padum sitas, cum adjacentibus Provinciis, quæ ab Alpibus, usque ad Apenninos montes sese extendunt; suntque Liguria, Æmilia, Alpes Cottiæ, Rhætiæ duæ, Venetiæ, & Istria.

In Africa Provinciæ tres.

Africa Proconsularis, Numidia, Mauritania.

In Hispania Provinciæ tres.

Provincia Tarraconensis, Bætica, Lusitania.

In Galliis Provinciæ quatuor.

Provincia Belgica, Lugdunensis, Aquitanica, Narbonensis.

In Britanniis Provinciæ duæ.

Provincia Britannia superior, Britannia inferior.

In Illyrico Provinciæ decem & septem.

Provinciæ Norici duæ, Pannoniarum duæ, Valeria, Savia, Dalmatia, Mœsia prima seu superior, Daciarum duæ, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epirus prima, Epirus secunda, Prævalitana, Creta Insula.

In Ægypto Provinciæ quatuor.

Ægyptus in qua Alexandria, Thebais, Libya, Pentapolis.

In Oriente Provinciæ duodecim.

Palæstina, Phœnicia, Phœnicia Libani, Cœlesyria, Syria, Ciliciæ duæ, Isauria, Cyprus, Mesopotamia, Arabia, Syria Comagena, seu Euphratensis.

In Thracia Provinciæ sex.

Thracia, Hæmimontium, Mœsia inferior seu secunda, Scythia, Rhodope, Europa, in qua Byzantium, & expugnato per Severum Byzantio, Perinthus, seu Heraclea Metropolis facta est.

In Ponto Provinciæ octo.

Galatia, Bithynia, Hellenopontus, Pontus Polemoniacus, Cappadociæ duæ, Paphlagonia, Armenia.

In Asia Provinciæ undecim.

Asia Proconsularis, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygiæ duæ, Lycia, Caria, Insulæ, quarum Metropolis Rhodus.

VII. Quisnam tot Provinciarum esset supremus Moderator primas ab Imperatore obtinens, non unus est omnium Scriptorum sensus. Lampridius quippe in *Commodo* tradit, tres olim Præfectos Prætorio ab eo Principe creatos, quibus omnium Provinciarum curam demandavit. Lampridio tamen opponimus Herodianum, cui major est adhibenda fides, quippe qui Commodo coævus sui temporis Historias tamquam oculatus testis diligentius exarasse censendus sit. Is namque duos tantum Præfectos Prætorio a Commodo institutos asserit, cum antea unus esset. En ejus verba: [1] Occiso Perenni Præfecto Prætorio, *Commodus duos constituit Præfectos: tutius fore ratus, tantam illam potestatem, non uni dumtaxat credere, sed dissectam in partes imbecilliorem eo pacto contra Principem reddere*. Unus tantum Alexander Mamææ filius, seu potius Mamæa mater tertium addidit Præfectum Ulpianum Flaviano, & Chresto, quasi arbitrum, & consortem officii. Sed statim Ulpiano interfecto a militibus, res ad pristinum statum rediit, ut refert Zosimus *lib.* 1. *Histor.* Nec Commodus primus fuit, qui duos crearet Præfectos, sed id antea egerat Domitianus, sub quo simul hoc munere fungebantur Norbanus, & Petronius secundus teste Xiphilino *in Domitiano*. Post Commodi necem Severus quoque, & Caracalla duos tantum Præfectos instituerunt, ut tradit idem Herodianus *lib.* 3. *&* 4. Herodiano consensit Zosimus *lib.* 2. *Histor.* ubi narrat a Constantino quatuor Præfectos Prætorio electos, cum antea duo tantum crearentur. Præstat ejus verba referre, quibus non solum rem hanc confirmat, verum etiam tributas cuique Præfecto Provincias enumerat; licet homo Gentilis optimum Imperatorem ad fidem recens conversum probris oneraverit: [2] *Conturbavit*, inquit, *& Magistratuum officia jam olim instituta. Nam quum duo essent Præfecti Prætorio, qui hoc officium communiter gerebant, non Palatini tantum ordines eorum cura potestateque gubernabantur, sed etiam ii, quibus urbis erat commissa custodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum Prætorii Magistratus, qui post Imperatorem secundus æstimabatur, & annonas erogabat, & contra militarem disciplinam admissa convenientibus pœnis corrigebat. Constantinus autem recte constituta loco movens, unum hunc Magistratum in quatuor Imperia discerpsit. Nam uni Præfecto totam Ægyptum cum Libyæ Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenos, oramque Maritimam totam a Pamphylia Trapezuntem usque, & usque ad castella prope Phasidem sita tradidit. Eidem & Thracia commissa, & Mysia, Æmi, ac Rhodopes, ac Doberi Oppidi finibus circumscripta. Præterea Cyprum adjecit, & Cycladas Insulas, Lemno, & Imbro, & Samothracia exceptis. Alteri Macedones attribuit, & Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumjacentes Insulas, & Epirum utramque, & præter has Illyrios, & Dacas, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam usque, & Mysiam præterea superiorem. Tertio totam Italiam, & Siciliam, & circumjacentes Insulas, itemque Sardiniam, & Corsicam, & Africam a Syrtibus Cyrenem usque. Quarto Transalpinos Celtas, & Hispanos cum Insula Britannica*. Ex disertissimo hoc Zosimi loco discimus, a Constantino mutatam tantisper eam Imperii formam, quam Hadrianus condiderat: licet Constantiniana in plerisque cum pristina Hadriani conveniret; adeo ut Aurelius Victor re-ćte

(1) Herodianus lib. 1. Histor.

(2) Zosimus lib. 2. Histor. cap. 33.

ctæ scripserit: [1] *Officia sane publica, & Palatina, necnon militiæ, in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverat*. Fateri tamen oportet, aliquam in Imperii forma a Constantino mutationem invectam.

Primum ille quatuor Præfectos Prætorio instituit, cum antea duo tantum essent. Et cum ab Hadriani temporibus usque ad exordium Constantini Principatus, *duo Præfecti Prætorio hoc officium communiter gererent*, seu ambo in solidum totius Imperii administrationem procurarent, Constantinus *unum hunc Magistratum in quatuor Imperia discerpsit*, adeo ut Præfectorum quilibet proprias haberet Provincias, quas regeret, nec alter alterius Præfecturæ terminos posset invadere. Tandem universum Orbem Romanum in undecim Diœceses partitus est, quarum quinque Præfecto Prætorio Orientis commisit, nempe Orientem proprie dictum, Ægyptum, Asiam, Pontum, & Thraciam: Præfecto Illyrici omnes Provincias Illyrico tributas: Præfecto Prætorio Italiæ Diœceses duas, Italiam scilicet, & Africam: Præfecto Prætorio Galliarum tres Diœceses, Gallias nimirum, Hispanias, & Britanniam.

VIII. Diœceseos nomen hoc loco non eo sensu accipitur, quo posterior hæc nostra ætas illud accipere solet, quatenus unam singularem urbem, & certum terræ tractum ei circumadjacentem significat, qui vicos, & oppida illi subjecta complectitur. Nam Diœcesis vox hoc modo intellecta, olim Parœcia vocabatur; quæ autem priscis temporibus apud Græcos, a quibus derivata est, hoc nomine appellabatur, ingentem terræ tractum, & plures provincias in unum veluti corpus compaginabat. Sic illam descripsit Theodorus Balsamon ad *Can. 9. Concilii Chalcedon.* atque hoc pacto distinguitur Diœcesis a Provincia *in l. 9. Cod. Theodos. de legat. & Decret. & leg. 14. Cod. de fund. Patrimon. lib. 11.* eaque significatio valde usitata est in Conciliorum Actis, & apud Ecclesiasticos Scriptores. Qua de re erudite pertractant, Jacobus Sirmondus *ad Sidonium Apollin. lib. 9. epist. 16. Christophorus Justellus ad Codic. Canon. Eccles. Universæ can. 165. Jacobus Gothofredus ad leg. 9. Cod. de Leg. & Decret. & Petrus de Marca Concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. cap. 16. num. 2.* Posteriore hac significatione sumptum Diœceseos vocabulum Constantini Magni temporibus primum auditum putat Antonius Pagi *In Critica Annalium Baronii, ad ann. 37. num. 4.* Meminit quippe Magnus ille Imperator Diœceseon civilium in epistola ad Episcopos scripta post Concilium Nicænum, apud Eusebium *de Vita Constantini lib. 3. cap. 18.* & Theodoretum *lib. 1. Histor. Eccles. cap. 20.* Verum præteriit viri clarissimi diligentiam auctoritas Ciceronis, cui ante Constantini ævum non semel Diœcesis nomen, qua parte non peculiarem urbem, sed latissimam regionem urbes plurimas comprehendentem, designat, perspectum fuit. In epistola siquidem ad Appium Pulchrum scripsit: [2] *Quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurumve transirent, cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum Diœcesium, quæ cis Taurum sunt, omniumque earum Civitatum Magistratus, Legationesque convenirent?* Et in altera Thermo inscripta, qua ipsi L. Genucilium Curvum commendat, hæc habet: [3] *Præcipue autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in Hel-*

(1) Aurelius Victor in Epitome.
(2) Cicero Epistolar. Familiar. lib. 3. epist. 8.

(3) Idem lib. 13. Epist. 53.

Hellespanto: primum ut obtineat id juris in agris, quod ei Pariana civitas decrevit, & dedit, & quod semper obtinuit sine ulla controversia: deinde siquid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut in illam Diœcesin rejiciat. Hellespontî nomine hoc loco non intelligit Cicero fretum angustum inter Ægæum mare, & Propontidem, septem stadiorum spatio Asiam ab Europa dividens; sed regionem Mysiæ Asiaticæ, inter Bithyniam, & Phrygiam mari prædicto adjacentem: in qua Cyzicus, Parium, Lampsacus, & Abydus urbes sunt, ejusque populi Hellespontii a Plinio & Stephano dicti. Nam Parianam civitatem hic commemorat Cicero, unam ex istius regionis urbibus. In una similiter ex epistolis, quas ad Servilium direxit, *Asiaticas* (1) *Diœceses* nominat, easque *Provinciæ Ciliciensi attributas fuisse* affirmat. Quamvis autem Diœceses ejusmodi, quarum meminit Cicero, minores essent, nec in illam amplitudinem expansæ, quam postea Constantini temporibus adeptæ sunt; quandoquidem ex Asiaticis tres tantum Ciliciæ tunc attributæ erant; hinc tamen liquido constat, Ciceroni nedum innotuisse Diœcesis nomen quale apud Græcos tunc in usu erat; verum etiam illud non unius Urbis, & oppidorum illi adjacentium terræ spatium, sed provincias aliquas, aut unam saltem comprehendisse. Onuphrius itidem, ut antea admonuimus, totum Romanum Imperium ab Augusto distributum tradit in vigintisex Diœceses, quarum aliquot pluribus constabant provinciis. At minime diffiteor undecim Diœceses a Constantino ordinatas plurimis provinciis compactas esse, sicuti & singulas provincias multis civitatibus. Constantino ad superos translato, duæ additæ sunt Diœceses, secto in duas partes Illyrico, Orientalem videlicet, atque Occidentalem. Orientalis Illyrici pars duas Diœceses habuit, Macedoniam, & Daciam, quarum cura Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis demandata est. Occidentalis pars unica Diœcesi tota claudebatur, quæ vetus Illyrici nomen servavit, cujus administratio tributa fuit Præfecto Prætorio Italiæ. Atque ita deinceps tredecim omnino Diœceses per totum Imperium Romanum fuerunt, nempe Orientis septem, Oriens proprie dictus, Ægyptus, Asia, Pontus, Thracia, Macedonia, & Dacia: sex vero Occidentis, Italia, Illyricum Occidentale, Africa, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ. Omnes simul continebant Provincias CXX. sub quatuor Præfectis Prætorio. Vicarii, & in quibusdam Diœcesibus, aut Provinciis Proconsules, iterumque sub hisce Præsides, aut Correctores Provincias administrabant. Quoniam vero harum Diœceseon, & Provinciarum partitionem apprime callere debent Ecclesiasticæ Historiæ studiosi, eas hic apponendas duximus, ex ipsa Notitia Imperii excerptas, quæ ultra Arcadii, & Honorii tempora excurrit, ut in Operis inscriptione dicitur. Desiderantur tamen in veteri Notitia quatuor Provinciæ, quarum aliæ ab Hadriano, aliæ post Constantinum additæ sunt, nonnullis ex veteribus bifariam divisis. Quare non veteris Notitiæ ordinem sequimur, sed alterius a Schelstrate diligentiori (1) studio adornatæ, quam hic exhibemus.

NO-

(1) Cicero lib. 13. Epist. 67.

(1) Apud Schelstratem Tom. 1. Antiq. Eccles. Dissertat. 4. cap. 1.

NOTITIA IMPERII A CONSTANTINO MAGNO USQUE AD ARCADIUM ET HONORIUM.

Præfectus Prætorio Orientis, & sub ipso Diœceses quinque.

Orientis.	*Ægypti.*	*Asiæ.*	*Ponti.*	*Thraciæ.*
Sub Diœcesi Orientis.	*Sub Diœcesi Ægypti.*	*Sub Diœcesi Asiæ.*	*Sub Diœcesi Ponti.*	*Sub Diœc. Thraciæ.*
Sub Constantino Provinciæ XIII. postea XV.	*Sub Constantino Provinciæ IV. postea VIII.*	*Provinciæ XI.*	*Sub Constantino Provinciæ X. postea XI.*	*Provinciæ VI.*
Syria cujus caput Antiochia. Syria salutaris. Phœnice. Phœnice Libani. Euphratensis. Osrhoëna. Mesopotamia. Arabia. Cyprus. Cilicia. Cilicia secunda. Isauria. Palæstina, a qua post Constantinum avulsæ, Palæstina secunda, & Palæstina salutaris.	Libya superior. Thebais. Ægyptus, quæ in duas Provincias ejusdem nominis divisa est ante Arcadii tempora. Sicut & ab Ægypto per Gratianum avulsa, Augustamnica quæ postea est divisa in duas ejusdem nominis. Arcadia sub Arcadio Imperatore a Thebaide avulsa.	Asia Proconsularis. Pamphylia. Hellespontus. Lydia. Pisidia. Lycaonia. Phrygia Pacatiana. Phrygia Salutaris. Lycia. Caria. Insulæ.	Galatia. Bithynia. Cappadocia prima. Cappadocia secunda. Paphlagonia. Pontus Polemoniacus. Hellenopontus. Armenia prima. Armenia secunda. Galatia salutaris. Honorias, quæ accessit tempore Honorii Imperatoris.	Europa. Thracia. Hæmimontis. Rhodope. Mœsia secunda. Scythia.

Præfectus Prætorio Illyrici, & sub ipso Diœceses duæ.

Macedoniæ.	*Daciæ.*
Sub Diœcesi Macedoniæ Provinciæ VI.	*Sub Diœcesi Daciæ, Provinciæ V.*
Achaja. Macedonia. Creta. Thessalia. Epirus vetus. Epirus nova, & pars, Macedoniæ salutaris.	Dacia Mediterranea. Dacia Ripensis. Mœsia prima. Dardania. Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris.

Præfectus Prætorio Italiæ, & sub ipso Diœceses tres.

Italiæ.	*Illyrici.*	*Africæ.*
Sub Diœcesi Italiæ Provinciæ XVII.	*Sub Diœcesi Illyrici Provinciæ VI.*	*Sub Diœcesi Africæ Provinciæ VI.*
Venetiæ. Æmilia. Liguria. Flaminia, & Picenum Annonarium. Alpes Cottiæ. Rhætia prima. Rhætia secunda Picenum suburbicarium. Tuscia, & Umbria. Campania. Sicilia. Apulia, & Calabria. Lucania, & Brutii. Samnium. Valeria. Sardinia. Corsica.	Pannonia secunda. Savia. Dalmatia. Pannonia prima. NoricumMediterraneum. Noricum Ripense.	Africa, a qua Byzacium avulsum fuit. Numidia. Mauritania Sitifensis. Mauritania Cæsareensis. Tripolis.

Impe-

Præfectus Prætorio Galliarum, & sub ipso Diœceses tres.

Hispaniæ.	*Galliarum.*	*Britanniarum.*
Sub Diœcesi Hispaniæ Provinciæ VII.	*Sub Diœcesi Galliarum tempore Constantini Provinciæ XV. Postea Prov. XVII.*	*Sub Diœcesi Britanniarum tempore Constantini Provinciæ III. Postea Provinciæ V.*
Bætica.	Viennensis.	Maxima Cæsareensis.
Lusitania.	Lugdunensis prima.	Britannia prima.
Gallæcia.	Germania prima.	Britannia secunda.
Tarraconensis.	Germania secunda.	His accesserunt post Constantinum,
Carthaginensis.	Belgica prima.	Valentia sub Valente, &
Tingitana.	Belgica secunda.	Flavia Cæsareensis sub Flavio Theodosio Imperatore.
Baleares.	Alpes Maritimæ.	
	Alpes Penninæ, & Grajæ.	
	Maxima Sequanorum.	
	Aquitania prima.	
	Aquitania secunda.	
	Novempopuli.	
	Lugdunensis secunda.	
	Narbonensis prima.	
	Narbonensis secunda: a qua post Constantinum avulsa est,	
	Lugdunensis tertia, &	
	Lugdunensis Senonia, seu quarta.	

Imperii Romani Diœceſes Provinciaſque majore, qua fieri potuit, diligentia ex veterum monumentis hauſimus, poſt eximios viros, qui hanc Spartam egregie exornarunt. Ab Auguſti ævo ad uſque Honorii & Arcadii tempora formam Imperii metiti ſumus, nihil infra hæc tentare auſi, poſt quæ mutata Romanarum rerum fortuna, a Barbaris Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, Britanniam, quin & Orientis partes invadentibus, ſuſdeque omnia confuſa ſunt ac perturbata; florentiſſimum Imperium in plura Regna diſcerptum, bonæ artes una cum pacis otio illarum cuſtode ſublatæ, æque Provinciis jura, ac nobis illarum memoriam ademerunt. Sed neceſſe fuit ad priſcam Monarchiæ Romanorum amplitudinem majeſtatemque oculos tantiſper convertere, ut ex civilium Provinciarum, ac Diœceſeon forma, Eccleſiaſticarum quoque ordinem ac vetuſtatem deprehenderemus.



LIBER



LIBER SECUNDUS

Quinque Diœceses amplissimas Præfecto Prætorio Orientis tribuit Notitia Constantini Magni, scilicet, Orientem, sic proprie dictum, Ægyptum, Asiam Minorem, Pontum, & Thraciam. Hæ autem omnes hoc Libro secundo exponuntur.

CAPUT I.

Synopsis.

I. *Diœcesis Orientis quindecim Provincias comprehendebat, quarum prior est Syria a Pompejo subacta. In varias postea Provincias dissecta est.*

II. *Comagena, seu Euphratesia quandonam in Provinciæ formam redacta fuerit.*

III. *Antiochia totius Syriæ caput. Præsidis Syriæ olim maxima dignitas. Urbes Syriæ primæ enumerantur.*

IV. *Syria secunda seu salutaris. Metropolis Apamea. Ejus urbes recensitæ.*

V. *Phœnicia in duas partes secta, scilicet in Phœniciam primam, & Phœniciam Libani. Ab Hadriano hæc divisio facta est.*

VI. *Phœnicia prima etiam Paralia, idest, maritima dicta est. Emendatur P. Christianus Lupus.*

VII. *Tyrus Phœniciæ primæ Metropolis. Quot urbes illi subjectæ.*

VIII. *Berytus Tyro subtracta in Metropolim creatur Theodosii ope, & decreto Concilii Chalcedonensis.*

IX. *Phœnicia secunda, seu ad Libanum ab Hadriano in Provinciam redacta. Olim ejus Metropolis Damascus, postea Edessa. Ejus urbes describuntur juxta varias Auctorum Notitias.*

X. *Euphratesiæ, seu Euphratensis quæ & Syria Comagena dicitur, Metropolis est Hierapolis. Quæ urbes illi addictæ.*

XI. *Osroëna quo tempore a Mesopotamia discreta sit. Ejus Metropolis Edessa. Ejus urbes recensentur.*

XII. *Mesopotamiam Lucullus, deinde Pompejus Imperio addidere. Hujus Metropolis Amida, urbesque illi adscriptæ numerantur.*

XIII. Leo Sapiens Mesopotamiam vocat quartam Armeniam, & multa sub hac constituit loca, quæ Armeniæ sunt propria.

XIV. Arabia in Notitia Imperii indivisa est. In tres tamen Provincias distribuitur, nempe Felicem, Petræam, Desertam. Arabiam Felicem Augustus, Petræam Trajanus subjugarunt.

XV. Bostra quondam Metropolis totius Arabiæ: Petra autem Petrææ. Instante Justiniano Vigilius Arabiam ab Antiochena divulsam adgregavit Patriarchatui Jerosolymitano. Illius urbes descriptæ.

I. Uemadmodum in Notitia Imperii primum locum tenent Diœceses Orientis; ita & institutus a nobis ordo postulat, ut ab illis ordiamur, non quod dignitate ceteris præstent, cum certum sit, Romanam in Occidente sitam omnium Ecclesiarum Principem esse; sed quod Christi Ecclesia primum in Oriente fundata sit, & Orientales Ecclesiæ origine Occidentales antevertant. Oriens bifariam accipitur: primo latissime quatenus ab Occidente distinguitur, & quinque comprehendit Diœceses, quæ Præfecto Prætorio Orientis erant subjectæ: secundo contracte magis pro unica illa Diœcesi, quæ singulari titulo Orientis dicebatur. De hac posteriore in præsentia agimus. Amplissima ea fuit, Constantini tempore tredecim, postea quindecim Provinciis exuberans: quarum prior est Syria Cava, quæ idcirco nunc Syria Cœle, nunc Cœlesyria dicitur. Eam Seleucidis a Tigrane Armenorum Rege ereptam, Pompejus in Asiam a Populo Romano missus Tigrani ademit, atque in formam Provinciæ redactam, possessionem fecit Romanæ Reipublicæ. Ex Strabone *lib. 16. pagin. 755.* Eutropio *lib. 6.* Xiphilino *in Pompejo:* Vellejo Paterculo *lib. 2. Histor. Rom.* & Orosio *lib. 6. cap. 9.* Nescio cur Sextus Rufus scripserit, Syriam (1) sub Trajano Provinciam factam: *Per Trajanum*, inquit, *Armenia, Mesopotamia, Syria, & Arabia Provinciæ factæ sunt.* Eutropius idipsum de Trajano prodidit: (2) *Tres Provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam. Arabiam postea in Provinciæ formam redegit.* Sed forsan de Syria Salutari loquuntur, vel de Comagena, quæ pars Syriæ fuit. Etenim docent Philippus Ferrarius, & Michaël Antonius Baudrand *in Lexico Geographico, ver. Syria*, citatis in margine, Cœsare, Cicerone, & Plinio testibus, Syriam Provinciam maximam Asiæ, olim in plures regiones divisam fuisse, Comagenen scilicet ad Septentrionem, Phœniciam ad Occidentem, Cœlesyriam ad Meridiem, Palmyrenen ad Ortum, & Seleucidem circa medium; quinimo & Palæstinam, quam licet Ptolemæus a Syria secernat, alii tamen in Syria collocant tanquam illius partem; præsertim Pomponius Mela varias illius partes, quas inter, Palæstinam, hunc in modum describit: (3) *Syria late littora tenet, terrasque etiam latius introrsus, aliis aliisque nuncupata nominibus: nam & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Judæa, & Sophene. Hinc Palæstina est, qua tangit Arabas, cum Phœnice, & ubi se Ciliciæ committit, Antiochia olim ac diu potens.* Ex quibus Pomponii verbis patet, ante Trajanum, sub Claudii Imperio, quo vivebat Auctor ille, præcipuas Orientis

(1) Rufus in Breviario.
(2) Eutropius lib. 8.

(3) Pomponius Mela lib. 1. cap. 6.

tis Provincias sub Syria comprehensas. Has inter Strabo & Plinius Comagenen ponunt, quæ Procopio Euphratesia hoc est Euphratensis dicitur, quia scilicet erat Syriæ regio juxta Euphratem, inter Ciliciam ad Occidentem, & Mesopotamiam ad Ortum, Armeniæ minori ad Boream finitima, ubi Augusta Euphratesia urbs cernitur illius caput, cum antea esset Samosata. Eam Provinciam Pompejus Antiocho concesserat, & frustra Antonius illi eripere tentavit, teste Dione *lib.* 49. De qua hæc Strabo: (1) *Comagena parva regio est, & urbem habet natura munitam Samosata Regni caput, nunc Provincia facta est*. Quia nimirum a Pompejo accepta Syriæ administrationi juncta fuerat; sed statim ab eodem, Antiocho tradita, e cujus Regno a Cajo avulsam, denuo Claudius reddidit: *Antiocho*, inquit Dio Cassius, *Comagenam*, (2) *quam idem ei dederat, ademeratque Cajus, restituit*.

II. Itaque Sextus Rufus & Eutropius, cum a Trajano Syriam in Provinciam redactam asserunt, non de amplissima Syriæ regione, quatenus plures Provincias complectebatur, intelligendi sunt, sed vel de Syria Salutari, vel de Comagena, quæ etiam Syria ab antiquis dicta est: de qua Dio Cassius, (3) *Comagene*, inquit, *hoc nomen est Syriæ ad Euphratem fluvium, & Taurum montem sitæ*. Quod scilicet pars Syriæ esset, uti etiam Strabo eamdem enumerat: (4) *Syriæ partes ponimus Comagenam, & eam, quæ Seleucis Syriæ appellatur: postea Cælesyriam, sive Cavam Syriam in Mediterraneis: ultimam Judæam inora Phænicen*. Quia enim Comagena Antiocho ejusque Filiis a Romanis concessa fuerat, Regibus illis extinctis, ad Imperium una cum aliis Provinciis rediit. Nam Eutropius *lib.* 7. *cap.* 15. Comagenam a Trajano Provinciam factam recenset inter regiones illas, *quæ sub Amicis Regibus erant*. Et Sextus Rufus de Antiocho a Scipione in Asia apud Magnesiam victo verba faciens, ait: (5) *Ejus filii Regnum Syriæ sub clientela Populi Romani retinuerunt: quibus defunctis Syriarum Provinciis potiti sumus*: iis videlicet Syriæ partibus, quæ sub Seleucidarum fuerant potestate. Nam Cœlesyriam, aliasque ad illam pertinentes Provincias etiam ante Trajani tempora a Romanis administratas, nos docet cum primis Evangelica Historia, referens jussu Cæsaris Augusti descriptum universum Orbem, eamque in Judæa descriptionem factam a Præside Syriæ Cirino. Docent & profani Scriptores, veluti Dio Cassius *lib.* 49. cum ait: *Cassius autem Sossius Syriæ, & Ciliciæ ab Antonio præfectus*: Appianus *lib.* 4. *de Bello civili*, pag. 611. *L. Calphurnius Bibulus*, inquit, *ab Antonio Syriæ Præses designatus, eamdem Provinciam administrans, mortuus est*. Plures alios Syriæ Præsides a Pompeii tempore, usque ad Christi Natalem commemorant, Baronius *Tom.* 1. *Annal.* ubi Catalogum Præsidum Syriæ concinnavit: Cardinalis Norisius *in Cænotaphiis Pisanis, dissert.* 2. *cap.* 16. Casaubonus *Exercit.* 1. *ad Apparat. Baronii*: & Montacutius *in Apparatu IV. ad Origines Ecclesiasticas*. Erat igitur Syria Cœle ante Trajani Principatum in Provinciam redacta a Pompejo, & plures alias regiones continebat, quæ deinceps in varias abiere Provincias. Augustus discrevit Syriam, Mesopotamiam, & partem Orientis usque ad Euphratem: Hadrianus utramque Phœniciam, Cœlesyriam, Syriam, Mesopotamiam, Syriam Comagenam, seu Euphratensem, & Palæstinam, quæ etiam a Xiphi-

(1) Strabo lib. 16.
(2) Dio lib. 49.
(3) Idem lib. 35.

(4) Strabo loco cit.
(5) Rufus in Breviario.

philino Syria Palæstina vocatur. Nec aliam Constantinus Magnus Provinciarum formam in Syria instituit, sed ab Hadriano statutam servavit.

III. Ante Seleucidarum Regnum Damascus totius Syriæ caput fuit, sed postquam Antiochus urbem a se cognominatam Antiochiam amplificavit, hæc Regni Metropolis extitit, eamque Syriæ Metropolin nominat Xiphilinus *in Hadriano*. Urbs sane omnium Orientis nobilissima atque ditissima, Syriæ decus, de qua Ammianus Marcellinus: (1) *Syria per spatiosam inter patet diffusa planiciem. Hanc nobilitat Antiochia, mundo cognita Civitas, cui non certaverit alia advectitiis ita adfluere copiis, & internis*. In eam hæc civitas magnitudinem excrevit, ut quatuor urbes una complexa sit, qualem eam descripsit Strabo: *Antiochia* (2) *etiam quadriurbis est, ex quatuor partibus constituta, quæ & singulæ suo, & omnes communi muro sunt circumdatæ. Primam partem Nicanor condidit habitatoribus ex Antigonia traductis, quam paulo ante Antigonus Philippi filius in propinquo construxerat. Secunda pars est multitudinis habitatorum. Tertia Seleuci Callinici. Quarta Antiochi Epiphanis opus est. Urbi hæc caput Syriæ est, & qui regioni imperant, hic regiam habent*. Quamvis autem ad eam pervenerit amplitudinem, novis tamen adhuc ornata fuit ædificiis a Tiberio, si vera sunt, quæ ex antiquis Scriptoribus narrat Nicephorus; (3) quod nimirum Christi Domini tempore Tiberius ab expeditione Persarum reversus Antiochiam divertit, *quam splendidius, magnificentiusque exornare constituens, muro firmo & inexpugnabili cinxit, porticus extruxit, columnis æreis, statuis, aliisque ædificiis variis exornavit*. Antiochia quemadmodum Regum Syriæ, ita postea Romanorum Præsidum Sedes fuit, uti testantur varia Numismata, quæ Imperatorum Augusti, Tiberii, Claudii, Neronis, & Galbæ effigies & nomina, sicuti etiam Præsidum Syriæ Vari, Silani, Flacci, Petronii, Cassii, Quadrati, Cestii, & Muciani Antiochensium annis, & stemmate obsignata præseferunt. Ea videre est apud eruditos viros Cardinalem Norisium *Dissert. 3. de Epochis Syromacedonum cap. 7.* & Schelstratem *Tom. 1. Antiquit. Eccles. in Appendice de Nummis Præsidum Syriæ*.

Tanta erat Præsidis Syriæ dignitas, præsertim Commodi Imperatoris ævo, ut nulla hac major haberetur, eamque viri Consulares plerumque ambiebant. Unde cum Niger, qui sub eodem Principe Consul fuerat, Præfecturam Syriæ obtinuisset, de eo hæc memoriæ prodidit Herodianus. *Niger* (4) *dudum Consulatum gesserat, ac tum Syriæ præerat universæ: qui honos ea tempestate multo maximus erat: quippe etiam Phœnice, omnisque ad Euphratem regio Nigri suberat imperio*. Sub Constantini Principatu nova huic Præfecturæ dignitatis accessit prærogativa; cum enim ille Præfectum Prætorio Orientis creasset, hujus Vicarius Antiochiæ Sedem fixit, ubi majora totius Orientis negotia confluebant. Quod hæc civitas in civilibus Imperii Romani causis, multo præstantius in Ecclesiasticis rebus obtinuit; nam sub ipso Christiani nominis exordio Sanctus Petrus Apostolorum Princeps ibi Cathedram Episcopalem erexit, quam licet septem dumtaxat annorum spatio moderatus sit, constituta deinceps Romæ præcipua Sede omnium Principe, quam numquam deseruit, summo tamen honore semper digna fuit, & tertium inter Patriarchales possedit locum. Eum

(1) Marcellinus lib. 14.
(2) Strabo lib. 16.
(3) Herodianus lib. 2. Hist. Rom.
(4) Nicephorus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 17.

Eum itaque honorem adepta est Ecclesia Antiochena recens fundata, ut primam ejus Cathedram Episcopalem erigeret D. Petrus, eamque septem annorum tractu moderaretur: quo ex tempore inter Patriarchales Sedes collocari cœpit. Hic tamen de illa non agimus ea ratione, qua Patriarchatum Orientis constituit, sed solum qua primæ Syriæ caput est, ac Metropolis. In Concilio Nicæno in subscriptionibus Episcoporum Eustathius Antiochiæ Metropolita ante XXII. Episcopos Cœlesiriæ subscripsit. Hujus Provinciæ urbes ita descripsit *Ordo Præsidentiæ Patriarcharum*, quem edidit Leo Sapiens Imperator.

Provincia Syriæ primæ.

Antiochia apud Daphnen.
Thronus Patriarchalis.

Paltus.	Seleucia.
* *Borroea.*	Chalcis.

* Borrhoea.

Uberiorem civitatum hujus Provinciæ catalogum exhibet Hierocles Grammaticus in *Notitia Provinciarum Imperii Orientalis.*

Provincia Syriæ primæ sub Consulari Urbes VII.

Antiochia juxta Daphnen.

Seleucia.	Laodicia.
Gabala.	Paltus.
Beroea.	Chalcis.

In epistola Episcoporum Syriæ I. ad Leonem Imperat. relata in Concilio Chalcedon. *par.* 3. *pag.* 468. Edit. Roman. GræcoLatinæ, adduntur Episcopi Cyrus *Onosarthæ*: & Petrus *Gabbi*. Act. 1. ejusdem Concilii sub hac Provincia recensentur, Stephanus *Hierapolis:* Honus *Edessæ:* Phosphorus *Orthosiadis*, & Jordanus *Abilæ*. Tam Leo Sapiens, quam Hierocles Grammaticus, ut hanc nobilissimam urbem ab aliis eodem nomine insignitis discriminarent, *Antiochiam apud Daphnen*, *seu juxta Daphnen* vocavere, a celebri nimirum oppido, & Luco haud procul ab hac civitate quadraginta stadiis dissito, ab ingenti laurorum copia, quibus Lucus ille constabat, nomine illi imposito. Media in Sylva Gentiles Fanum Apollini, ac Dianæ sacrum construxerant, olim toto orbe terrarum famâ notum. Elegantem hujus loci descriptionem reliquit Strabo: (1) *Daphne mediocris vicus, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cujus medio erat fanum Apollinis, & Dianæ, & asylum, ad quod Antiochenses, aliique finitimi ad festa celebranda de more conveniebant*. Montem cui vicus ille Templumque insidebant, illustriorem postea reddidit Sanctus Simeon cognomento Stylita, Christiani nominis portentum; in ejus quippe jugo columnam erexerat, in qua multorum annorum spatio, ad mortem usque permansit, sibi trophæum, posteris perpetuam admirationem pariturus. De quo Joannes Phocas in sua locorum ab urbe Antiochia usque ad Jerosolymam descri-

(1) Strabo lib. 16.

ſcriptione: *Hic*, inquit, *fama per orbem vulgatum Daphnes ſuburbium, præteris omne genus arboribus exornatum: & mons eſt maxime nobilis, quem admirandus Simeon in habitationem adaptavit*.

IV. Syria Salutaris, quæ & ſecunda dicitur, & apud Strabonem Seleucis Syriæ eſt, ſecundum locum in Notitia tenet. Ejus Metropolis cum civilis, tum Eccleſiaſtica Apamea eſt, urbs olim clara ad Orontem Fluvium inter Antiochiam, & Emeſam a Seleuco Rege condita, ac de ſororis nomine dicta, ut Strabo, Plinius, & Ptolemæus referunt. Sed ab Adormaane Choſroæ Perſarum Regis Duce tertia obſidionis die capta, flammis tradita fuit an. 573. teſtibus Theophylacto *lib.* 3. *cap.* 10. & Evagrio *lib.* 5. *cap.* 8. 9. & 10. De hac Urbe legendus eſt Cardinalis Noriſius *in diſſert.* 2. *de Epochis Syromacedonum*, *cap.* 2. §. 1. Illius Epiſcopus Alexander in Concilio Schiſmaticorum apud Epheſum nominatur poſt Joannem Antiochenum *Apameæ Metropolitanus*. *Ordo Præſidentiæ Sanctiſſimorum Patriarcharum* quem Leo Imperator cognomento Sapiens edidit, & *ex Bibliotheca Vaticanæ Codice* 1184. publici juris fecit Emanuel a Schelſtrate, *Tom.* 2. *Antiq. Eccleſ. Appendice* 17. *ad Opus Chronologicum*, ſeptem tantum enumerat civitates ſecundæ Syriæ, ſeu Salutaris, omiſſa Balanea, quam tamen exhibet Hierocles Grammaticus *in Notitia Provinciarum Imperii Orientalis*. Eamdem includit *Brevis deſcriptio Finium Sanctiſſimorum Patriarcharum, & Apoſtolicarum Sedium enumeratio, ex MSS. Codicibus Vaticanis ſub num.* 1167. & 1183. e Græco in Latinum verſa a Schelſtrate, *loc. cit. Append. VI.* ubi Apameæ Metropoli tribuuntur Epiſcopatus VII. Idemque habet Nilus Doxapatrius *in Notitia Patriarchatuum*: qui in laterculo Metropoleon Patriarchatus Antiocheni, num. 4. ſtatuit Metropolin *Apameæ, quæ ſub ſe habet Epiſcopatus VII.* Sunt autem Syriæ ſecundæ Urbes hæ a Hierocle Grammatico ita diſpoſitæ.

Provincia Syriæ ſecundæ ſub Præſide Urbes VIII.

Apamea.	Epiphania.
Arethuſa.	Lariſſa.
Mariame.	Balanea.
Rephanea.	Seleucobolus.

Leo Sapiens *Balaneam* omiſit: ac litteris paululum permutatis, *Seleucobelum*, & *Ramphaneæ*, ſcripſit. In Concilio Calcedonenſi Act. 1. in catalogo Epiſcoporum mentio eſt hujus Provinciæ, & Metropoleos cum omnibus ejus civitatibus.

V. Phœnicia in duas partes ſecta, nimirum in Phœniciam primam, & in Phœniciam Libani, tertiam, & quartam Orientis Provinciam conſtituit, quæ & Phœnice dicitur a Phœnice quondam Neptuni & Libyes filio, ut Stephano viſum eſt: cui etiam opinioni accedit Silius, cum ait: (1)

Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.

Regio eſt Syriæ maritima, inter reliquam Syriam ad Boream, Eleuthero fluvio determinante, & Palæſtinam ad Meridiem, Chorſeo fluvio ab ea diviſa: unde & Syrophœnix a Juvenali, & aliis vocata eſt. Deſcripſere illius ſitum urbeſque Plinius, Strabo,

(1) Silius lib. 1.

bo, Pomponius Mela, & Ptolemæus. Phœnices populi e mari Rubro profecti eam incoluerunt, qui & artis navigandi, & litterarum inventores primi esse putantur, teste Plinio. De quibus & Lucanus: (1)

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi.
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Ii porro nedum in propria, quam condiderunt, Provincia, Tyrum Sidonemque, sed navigandi arte periti alio convolantes, Carthaginem, Thebas, Uticam, Hipponem, Leptim, Massiliam, Emporias, & alias celeberrimas urbes in diversis Provinciis construxere. Unde Sextus Rufus ex Dionysio: (2)

Phœnicum regio est: hi rubro gurgite quondam
Mutavere domum, primique per æquora vecti
Lustravere salum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia: Sydera primi
Servavere poli . . . .

Pompejus uti Cœlesyriam, ita & Phœnicen Tigrani Armeniæ Regi ademit, ut refert Eutropius *lib. 6. Rom. Hist. cap.* 11. cui post Dionem, Rufum, aliosque, concinit Ammianus Marcellinus, qui & Regionis hujus ubertatem venustatemque hunc in modum delineavit: (3) *Post hanc* (scilicet Syriam) *acclivis Libano Monti Phœnice, regio plena gratiarum & venustatis, urbibus decorata magnis & pulchris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon, & Berytus: iisdemque pares, Emissa, & Damascus, sæculis conditæ priscis. Has autem Provincias, quas Orontes ambiens amnis, imosque pedes Cassii montis illius celsi prætermeans, funditur in Parthenium mare, Cn. Pompejus superato Tigrane, Regnis Armeniorum abstractas ditioni Romanæ conjunxit.* Nullam tamen Pompejus utriusque Phœnices divisionem aggressus est; imo totam Phœnicen Syriæ aggregavit, Dione auctore apud Xiphilinum: (4) *Cœlesyriam, & Phœnicen nuper Regibus liberatas, atque ab Arabibus, & Tigrane vastatas, conjunxit. Eas enim Antiochus quamquam est ausus repetere, tamen non obtinuit; sed in idem imperium conjunctæ leges acceperunt, ita ut more populi Romani administrarentur.* Augustus similiter Phœnicen integram esse voluit. Ab Hadriano primum dissecta fuit in Phœnicen proprie dictam, & Phœnicen Libani, seu Damascenam: quamquam sub Commodi Imperio Præsidi Syriæ utraque pareret, uti testatur Herodianus *lib. 2. Hist.*

VI. Ad exactam hujus Provinciæ cognitionem illud duximus adnotandum, Phœnicen primam interdum ab Ecclesiasticis Scriptoribus dictam esse Phœniciam *Paraliam*, hoc est Maritimam. Sic eam vocat Joannes Antiochenus Patriarcha *in epistola ad Proclum CP. relata in Synodico adversus Tragœdiam Irenæi cap.* 197. Enumerans quippe Joannes omnes sui Patriarchatus Provincias, inter alias nominat *Paraliam* his verbis: *Hi qui ex Paralia sunt Deo amicissimi Episcopi, his consona componentes, & subscribentes direxerunt.* Cujus loci intelligentiam haud plene assequutus, vir alioqui diligentissimus, P. Christianus Lupus, *Paraliæ* vocabulo Cyprum significatam putat: *Etenim*, inquit, *Paralia idem est quod Maritima.* Sed Lupi errorem emendavit Eminentissimus Cardinalis Norisius *dissert. IV.*

(1) Lucanus lib. 3.
(2) Dionysius apud Rufum.
(3) Marcellinus lib. 14. pag. 313.
(4) Xiphilinus in Epitome Dionis in Pompejo pag. 141.

de Epochis Syro-Macedonum cap. 3. ubi ostendit, vocem *Paraliam* eo loci, non Cyprum, sed Phœniciam primam designare: hæc siquidem ut secerneretur a Phœnicia *Mediterranea*, seu ad Libanum, *Paralia*, idest *Maritima* dicebatur. In veteri *Notitia Ecclesiarum pag.* 60. *legitur: Provinciæ Phœnices Maritimæ;* ubi primo loco nominatur Tyrus Metropolis, deinde Berytus. Valesius quoque *in Notis ad lib.* 3. *Evagrii cap.* 33. animadvertit, duplicem fuisse Phœnicen: alteram Maritimam a Græcis *Paraliam* dictam: alteram *Libanensem* nuncupatam. Itaque Joannes Antiochenus ea in epistola primo loco nominat Episcopos *Paraliæ*, idest Phœniciæ Maritimæ, quibus adnectit Episcopos Phœniciæ secundæ, ceterosque aliarum Provinciarum. Accedit insuper, quod eo tempore, quo Joannes epistolam suam ad Proclum CP. direxit, Cypri Provincia amplius non pertinebat ad Patriarchatum Antiochenum; scripta enim est Synodo Chalcedonensi jam absoluta. At Cypri Episcopi per id tempus ob impetratum a Synodo Ephesina privilegium autocephaliæ in favorem Episcopi Constantiæ, jam sese subduxerant juri Patriarchæ Antiocheni; & Episcopus Constantiensis totius Insulæ erat Exarchus. Quod etiam adnotaverat ipse Christianus Lupus *Tom.* I. *Concil. in Notis ad Synodum Ephesinam*, *p.* 367.

Urbes Phœniciæ primæ, seu Maritimæ non eodem modo, nec eodem numero in Notitiis Provinciarum recensentur. *In Brevi Descriptione Finium Sanctissimorum Patriarcharum*, quam Græco-Latinam *ex MSS. Codicibus Vaticanis sub n.* 1167. *&* 1183. Edidit Schelstrates *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Append. VI.* Metropoli Tyri tres tantum Episcopatus adscripti sunt. Sed error est manifestus, cum longe major in hac Provincia fuerit Urbium, & Episcopatuum numerus. Leo Imperator cognomento Sapiens, in Ordine Provinciarum Orientis, quem ille concinnavit, hujus Provinciæ Urbes ita exhibet.

Provincia Phœnices Paraliæ sive littoralis.

Ex Cod. Regio & P. Goar.	Tyrus Metropolis.	Sidon.	
	Ptolemais.	Berytus.	
* Botrys.	*Bostrys.*	Tripolis.	
	Arcæ.	Orthosias.	
	Biblus.	Vicus Gegarta.	
* Arados.	*Aradus.*	*Antaradus.*	* Antarados.
* Pogonas ex Hierocle.	Paneas.	*Gonastii saltus.*	* Gonasitii saltus.
* Vicus Politianus.	*Villa Politiana.*	*Villa Trieris.*	* Vicus Trieris.
	* Konstantina ex Hierocle.		

In Synodo Nicæna mentio fit hujus Metropolis & Provinciæ, ex qua decem Episcopi interfuerunt Concilio, & in CP. I. In Synodo etiam Chalcedonensi Act. I. & 3. In epistola ejusdem Provinciæ relata Par. 3. Concil. Chalced. ad Leon. Imp. additur Olympius *Aratopolis*. Arcæ, vocatur *Arcesi*: & *Aradus*, *Aradia Constantia*.

Hierocles Grammaticus in Notitia Provinciarum Orientis, quam ex MS. antiquissimo Bibliothecæ Farnesianæ emendavit Lucas Holstenius, quatuordecim Phœniciæ primæ Urbes numerat, prætermissis *Villa Politiana*, *& Villa Trieri*. Omisit quoque *Vicum Gegarta*, *& Gonastii saltum*, additis horum loco, *Konstantina*, *& Po-*

go-

gonate. Nilus Doxapatrius sub Tyri Metropoli tredecim Episcopatus & ipse collocat, licet eos minime nominet.

VII. Tyrus Phœniciæ Metropolis est, urbs quondam clarissima, ab Agenore Phœnicum Rege condita, quæ primum navigare cœpit, teste Tibullo: (1)

Prima ratem ventis credere docta
Gr. Τύρος *Tyrus*.

Olim insula fuit & munitissima in saxo undique prærupto; sed ab Alexandro Magno expugnata, mirisque affecta malis, continenti aggeribus juncta est; ut Quintus Curtius *de Gestis Alexandri Magni lib.* 4. prodit: itemque Plinius in hæc verba: (2) *Tyrus quondam Insula præalto Mari Septingentis passibus divisa: nunc vero Alexandri eam oppugnantis operibus Continens. Olim portu clara, urbibus genitis Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmula, terrarum Orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus extra Orbem conditis. Hinc omnis ejus nobilitas conchylio, & purpurâ constat.*

Longe clarior postea evasit prædicatione Sancti Pauli, a quo prima ejus Ecclesiæ fundamenta jacta fuisse videntur. Tyrum quippe D. Paulum adnavigasse constat *ex Actis Apostolicis cap.* 20. quo & ascitum ab incolis refert Auctor *Descriptionis de situ locorum*, quam ex MS. Codice Bibliothecæ Reginæ Sveciæ, typis edi curavit Emanuel a Schelstrate, *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Append.* 2. ubi hæc legimus: (3) *Phœnicia in qua Sor idest Tyrus Phœnicum nobilissima Metropolis, quæ Christum perambulantem Maritimam, ut Syri asserunt, recipere noluit; sed Jesu resuscitato a mortuis Paulum recepit ei prædicantem legem, & Evangelium, qui & postea positis genibus in sabulo oravit, ut in fide eam corroboraret Christi Clementia, quæ, & Beda venerabili testante, tot Martyres Domino reddidit, quorum ejus solius scientia numerum colligit.* Hinc magnus semper honor habitus est Tyriensi Metropolitæ. Antiquissima illius Sedes ab ipsis Apostolorum temporibus condita, primum ab Antiochena in Patriarchatu Orientis locum tenens. Falluntur idcirco qui existimant, hanc institutionem esse recentium Græcorum. Nam Guillelmus Tyrius hæc de illa memoriæ prodidit: (4) *Certum est autem, quod inter tredecim Archiepiscopos, qui a diebus Apostolorum Sedi Antiochenæ subditi fuerunt, Tyriensis quidem primum locum obtinuit, ita ut in Oriente Protothronus appelletur.* Nec ex privata Sententia loquitur Guillelmus Tyrius, quasi encomium texens Patriæ suæ; sed ex propria illius Metropolis natura, cujus Episcopus per Antonomasiam Protothronus a Græcis vocabatur. Id liquet *ex Epanagnostico Basilii Imperatoris in Concilio Constantinopolitano IV. Act.* 1. *pag.* 979. ubi legitur: *ab Oriente vero Protothronum Antiochiæ, idest Sanctissimum Metropolitam Tyri.* Et inferius: *Definitio tomi Metropolitæ Tyri primi Sessoris, & Primatis sedis Theopoleos Antiochiæ.* Primus enim in Conciliis Antiocheni Patriarchatus, post Patriarcham ipsum sedebat Episcopus Tyri; & ubi Antiochenus ultimo fato cessisset, Tyrius ejus loco præsidebat, & Sede illa vacante in ipsis quoque Synodis Œcumenicis locum Antiocheni occupabat. Ejus rei fidem facit Elias Theodosii Patriarchæ Jerosolymitani Vicarius & Legatus, Patres laudatæ Synodi IV. C P. ita allocutus: *Sanctissimus Thomas Metropolita Tyri,*

(1) Tibullus lib. 1. Eleg. 7.
(2) Plinius lib. 5. cap. 19.
(3) Descriptio de Situ Locorum apud Schelstratem Tom. 2. Antiq. Eccles. Append. 2.
(4) Guillelmus Tyrius lib. 14. cap. 12.

Tyri, ficut & vobis notum eft, primæ Sedis exiftens Sedis Antiochiæ, quæ Patriarchâ privata, & ipfe locum tenet Sedis illius, ufque dum fiat Patriarcha in eadem Sede; ob hoc non oportuit eum deferre litteras miffas ab alio aliquo: cum ipfe auctoritatem, & poteftatem haberet in eadem Sede.

VIII. Beryti Epifcopus ad Metropoliticam dignitatem poftea evectus, juri Tyrienfis Metropolitæ fe fubtraxit, primum ope Theodofii Imperatoris, dein Decreto Synodi Chalcedonenfis. Euftathius quippe Beryti Epifcopus dignitatem Ecclefiæ fuæ & urbi conciliaturus, divifionem Phœniciæ primæ à Theodofio Principe impetravit; (1) atque hoc pacto quorumdam Epifcoporum ordinationem, & adminiftrationem Ecclefiarum è Tyri Sede in fuam tranftulit. Verum cum Imperatoris refcriptum divifionem Ecclefiafticam Phœniciæ primæ efficere nequaquam poffet, eam Euftathius ftabilire curavit in quadam Synodo Conftantinopoli habita fub Anatolio, cui interfuit Maximus Antiochenus, ad quem Phœnicia jure Patriarchico fpectabat. Ægre Synodi hujus decreto in favorem Euftathii lato fubfcripfit Photius Tyri Metropolita, nec nifi invitus, & excommunicationis metu in confenfum adactus. At Theodofio juniore è vivis erepto, cum ei Marcianus Auguftus fucceffiffet, Photius libello fupplici Imperatorem rogavit, ut Pragmaticâ formâ ad Præfectos Prætorio, & Patres Synodi Œcumenicæ, quæ tunc Chalcedone celebrabatur, antiqua jura Tyri Ecclefiæ reftitui juberet. Abftinuit tamen optimus Princeps ab hoc judicio, obteftatúfque eft per Magiftratus, qui Synodo aderant, fibi non effe in animo, ut Epifcoporum negotia fecundum leges fuas, fed juxta canones regantur. Quocirca Concilii Patres, cum fibi a judicibus propofitum effet, an Photii caufam ex refcripto Principis, an vero è canonibus difcuti vellent, in liberas illas voces conftanter eruperunt: *Contra Regulas Pragmaticum nihil valebit; Regulæ Patrum teneant.* Lecto mox Nicæno Canone, quo decretum erat, unum dumtaxat Metropolitam fingulis Provinciis præeffe oportere, Patres Chalcedonenfes Priftina jura Tyrio Metropolitæ in omnem Phœniciæ primæ Provinciam, ejufque Epifcopos reftituenda fanxerunt; & Euftathium Berytenfem nihil novi juris in hac Provincia è Pragmatica Principis forma fibi deinceps vindicare poffe. Ceterum id unum Epifcopo Berytenfi concefferunt, ut folum nomen dignitatemque Metropolitæ obtineret, fed omnis auctoritatis vacuam. Hæc conftant *ex Act. 4. Concilii Chalcedonenfis.* Sane Berytus urbs celebris fuit, cujus egregia contexuit encomia pervetus Auctor *Expofitionis totius Mundi, & Gentium*; editæ a Jacobo Gothofredo Græce, & Latine an. 1628. in qua hæc habet: *Jam Berytus urbs valde delitiofa, ubi etiam Juris auditoria funt; per quæ omnia Romanorum Tribunalia ftant; ibi quippe viri docti per omnem Orbem terrarum judicum affeffores fiunt, & legum periti provincias tuentur, quibus conftitutiones mitti perinde folent.*

IX. Nihil de Phœnicia fecunda, quæ & Libani, & Mediterranea vocatur; dicendum fupereft, quod ex nuper affertis exploratum non fit. Hanc a Prima & Maritima difpefcuit Hadrianus; utriufque meminerunt, *Strabo lib. 16.* Dio Caffius, aliique Scriptores. Ad Libanum dicta eft, quod circa Libani montem fita fit, quamquam & latius excurrat, & potius a celebritate illius montis cognomen

(1) In Cod. Theodof. l. unic. C. de Metrop. Beryti.

men adepta, ut ab altera Phœnice distingueretur. Magna tamen ex parte hæc regio adjacet Libano monti; quæ itidem Damascena nuncupatur, a præcipua ejus Urbe Damasco. Nobilissima fuit hæc civitas, & olim totius Syriæ caput, antequam ab Antiocho Sedes Regni Antiochiam translata esset. A Servo Abrahami conditam, & suo donatam nomine ferunt. De hac Lucanus: (1)

Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
Et felix, sic fama, Ninos; ventosa Damascus.

Non convenit inter Auctores, an Damascus, vel potius Emesa fuerit Metropolis Ecclesiastica Phœniciæ Salutaris. Henricus Valesius Emesæ favet. Apud veteres nonnullos hoc ipsum apparet. Præiverat Valesio Hierocles Grammaticus & ipse Emesam, seu Emissam Metropolim Phœniciæ Libani constituens. Quinimo sunt qui Edessam caput hujus Provinciæ ponant, ut Leo Sapiens. Verum Damascum fuisse Metropolin Phœniciæ Salutaris, seu Libani, nos docent disertissima veterum testimonia: cum primis *Synodicum* supra laudatum *capit.* 97. *& cap.* 13. ubi inter alios Episcopos, qui subscripserunt, extat *Joannes Episcopus Damasci Metropolitanus:* tum deinde post plures Metropolitas, *Paulus Episcopus Emesæ*, post quem subscribunt varii alii Episcopi. Joannes etiam Antiochenus in Epistola ad Proclum CP. enumerans eos, qui paci subscripserunt, ait: *Illi qui ex secunda Phœnicia venientes propter ordinationem religiosissimi Episcopi Theodori, qui tua dignus est sanctitate, quemque te arbitror nosse, illum dico, qui est a secunda Cathedra, idest Confessu, ipsi quoque subscripserunt:* ex quo enim secunda Phœnicia a prima est divulsa, Tyri Episcopus Metropolita quidem mansit, sed solius Phœniciæ primæ. At quoniam ab antiquis temporibus post Patriarcham Antiochenum primam Sedem in Oriente tenebat, primumque sessionis locum in Synodis, idcirco & *Protothronus & primæ Sedis*, seu *primæ Cathedræ Episcopus* dicebatur, uti paulo ante vidimus ex *Epanagnostico* Basilii Imperatoris, ex Elia Jerosolymitano, & ex Guillelmo Tyrio. Porro divulsa Phœnicia Salutari a Prima, Episcopus Damascenus Metropolita factus est novæ hujus Provinciæ, eique secunda Cathedra in Diœcesi Orientis concessa, nempe secundus sessionis locus in Synodis Patriarchatus Antiocheni, ita ut Tyrius esset primus Metropolita, & Damascenus secundus ab Antiocheno. Ob id Theodorus Damasci Episcopus, qui cum Joanne Patriarcha primum apud Ephesum, deinde apud Chalcedonem Synodo interfuit, dicitur *a secunda Cathedra, idest Confessu*, eo quod esset Metropolita Phœniciæ Salutaris. Quam dignitatem nactus est Damascenus statim ac Phœnicia Libani a Maritima secta fuit: recte siquidem observat Cardinalis Norisius *Dissert. IV. de Epochis Syro-Macedonum cap.* 1. Phœniciam Maritimam, & Phœniciam Libani, binas Provincias Ecclesiasticas evasisse, quo tempore Augusti civilem Provinciam in duas partiti sunt. Quare necesse est, Damascum longe ante Constantini tempora fuisse Metropolin Phœniciæ secundæ. Et quidem inter Metropoles Antiocheni Patriarchatus eam collocat Auctor Græcus *Brevis descriptionis Finium Patriarchalium, & Apostolicarum Sedium* apud Schelstratem *Append. VI. Metropolis*, inquit, *Damasci habentis Episcopatus XI.* Iisdem verbis eam descripsit Nilus Doxapatrius *in Notitia Patriarchatuum*, itemque Auctor *Notitiæ Antiocheni*, & *Jerosolymitani Patriarchatuum*, quam ex quin-

(1) Lucanus lib. 3.

quingentorum & amplius annorum Codice pergameno MS. publici juris fecit Emanuel a Schelstrate *Appen. XX.* Tandem hoc ipsum confirmat *Notitia Ecclesiarum Urbis, & Orbis*, ab Episcopo Catharensi ante annos 370. scripta, quæ extat apud Shelstratem *Append. XXIV.*

Hierocles Grammaticus non Ecclesiasticam, sed civilem dispositionem & præfecturam spectavit, sicuti indicat titulus huic Provinciæ præfixus, qui ejusmodi est: *Provincia Phœniciæ Libani sub Præside Urbes*, & primam omnium *Emissam*, seu *Emesam* nominat, non quod tunc esset Metropolis Ecclesiastica, sed Sedes Præsidis. Imo non omnino exactus est Catalogus Urbium Phœniciæ Libani a Hierocle descriptus, cum sex tantum recenseat, quæ tamen plures erant. Arbitror nihilominus a recentioribus Patriarchis Antiochiæ ante seculum undecimum divisam fuisse Phœniciam Libani, & tunc Emesam Metropolin novæ Provinciæ constitutam. Hujus opinionis vadem reperio Nilum Doxapatrium, qui Emesam tertiam decimam Metropolin enumerat inter Antiochenas: 13. *Emesæ, quæ sub se habet Episcopatus IV.* Cum itaque idem Auctor Damascum nono loco ponat inter Metropoles Patriarchatus Antiocheni, cui undecim Episcopatus attribuit, oportet vel Phœniciam Libani fuisse disectam, vel quod verisimilius est, alias finitimarum regionum urbes quatuor Amasæ subjectas. Id vero nonnisi ante seculum undecimum contingere potuit; Nilus quippe circa medium seculi undecimi Notitiam suam adornavit. *In Brevi descriptione Finium Patriarcharum* Emesæ Episcopus inter Metropolitas Autocephalos collocatur. Perperam Leo Sapiens Edessam vocat Metropolin Phœnices Libani, cum ad hanc Provinciam Urbs hæc minime pertineat, sed alii in Mesopotamia, alii in Osrhoena locant, nemo in Phœnicia Salutari. Alias itidem urbes recenset, quas nemo Phœniciæ secundæ adscripsit. Nisi forsan Leo Imperator civilem administrationem respiciat, quod scilicet ejus tempore Edessa Sedes Præsidis esset, cui & Phœniciæ Libani urbes parerent.

Difficile est catalogum texere urbium Phœniciæ Salutaris, adeo perturbata est ac varia apud Auctores illarum series. Leo Sapiens, qui Edessam caput Provinciæ statuit, has urbes enumerat.

Provincia Phœniciæ Libanisiæ, seu Libanensis.	*In Codice Regio, & apud Goar.* *Provincia Phœniciæ Libanisiæ.*
Edesa Metropolis. Laodicea.	Emissa Metropolis. Laodicea.
Heliopolis. Anbilla.	Heliopolis. Abilla.
Damascus. Clima Imbrudorum.	Damascus. Clima Jabrudorum.
Evarius, sive Justinianopolis.	Evarius, sive Justinianopolis.
Palmyra. Clima Magludorum.	Talmyra. Clima Maglydorum.
Saltus Gonaiticus. Salamias.	Saltum Gonæticum. Salamias.
Clima Anatolicum, sive Orientale.	Clima Orientale.

Hierocles Grammaticus sex tantum recenset, Emesæ primam Sedem deferens.

Pro-

Provincia Phœniciæ Libani sub Præside. Urbes VI.

Emissa.	Laodicea.
Damascus.	Hieropolis.
Abilla.	Palmyra.

In Synodo Chalcedonensi Act. I. Emesa est Metropolis hujus Provinciæ. In epistola tamen ad Leonem Imperatorem data, Joannes Episcopus prior ceteris inscribitur, etiam ante Uranium Emesæ; sed cujus Urbis Episcopus sit Joannes, subticetur. Palmyræ Episcopus vocatur *Almirensis*. Supersunt præterea *Dadas Comoarenus*: *Eusebius Abydenus*: *Theodorus Castridanateni*: & *Abraamius Coradensis*. Desunt vero plures alii ex recensitis in Notitia Leonis Sapientis.

Notitia Ecclesiarum tempore Cælestini III. anno 1225. *conscripta a viro religioso, & Milone ejus Abbate*, quæ extat apud Schelstratem *Append. XXIII.* urbes decem sub Damasco collocat, quas recentioribus & barbaris nominibus appellat.

In Syria. Sedes nona Damascus. Sub hac Sede sunt Episcopatus X.

	Abli.	Bampion.	
	Laoditia.	*Euria*.	* Curia.
* Ronothara.	*Konotora*.	Yabruda.	
	Danati.	Karothea.	
	Harclani.	Surraquini.	

Notitia Ecclesiarum Urbis, & Orbis undecim sub Damasco urbes ponit, paululum a præcedenti nominibus immutatis, quæ ejusmodi sunt.

In Syria. Sedes nona Damascus. Sub hac Sede sunt Episcopatus XI.

Abli.	Panuporum.
Laodicia.	Euria.
Koni.	Bora.
Jabinga.	Danabi.
Carothea.	Haram.
Surrapuera.	

Consentiunt & alii Geographi sacri, sub Metropoli Damasci undecim urbes reperiri; præsertim Auctor *Brevis descriptionis Finium Patriarcharum*, & Nilus Doxapatrius; tametsi Urbes illas non exprimant. In Synodo Chalcedonensi *Act.* 1. Damascus Metropolis appellatur.

X. Euphratensis proxima Phœniciæ, quinta est Diœceseos Orientalis Provinciа. Syriam quoque Comagenam eam vocat forma Imperii Hadriano tributa; uti etiam Procopius, & alii, a quibus pariter Euphratesia nuncupatur. Regio est Syriæ juxta Euphratem fluvium, inter Ciliciam, & Me-

& Mesopotamiam, a Pompejo cum reliquis Syriæ partibus subacta. Augustus cum Syria illam comprehendit, & cum residua Orientis regione usque ad Euphratem. Hadrianus vero distinctam Provinciam esse voluit. Comagenam olim dictam tradit Ammianus Marcellinus: (1) *Comagena*, inquit, *nunc Euphratensis clementer adsurgit, Hierapoli, vetere Nino, & Samosata Civitatibus amplis illustris*. Tres præ aliis Euphratesiæ civitates celeberrimas hic nominat Marcellinus; sed Hierapolis totius Provinciæ Metropolis fuit, urbs sane maxima, quam nunc Aleppum esse putat Bellonius; sed Cedrenus, & Zonaras Berrhœam esse contendunt. Mihi tamen verior videtur opinio Bellonii, quem sequuntur etiam Sanson, & Brietius, aliique plurimi. Dissident Scriptores Ecclesiastici in recensendis hujus Provinciæ civitatibus. In Synodo CP. 1. inscriptus legitur Theodotus Hierapolis Euphratesiæ; & Synodus Chalcedonensis in Catalogo Episcoporum meminit hujus Provinciæ; nam inter reliquos Episcopos numeratur *Patricius Episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ Provinciæ*. Ad eamdem quoque spectat Joannes *Germaniciæ*, quæ urbs est ejusdem Provinciæ. *Brevis descriptio Finium Patriarcharum* decem tantum exhibet, nec expressis earum nominibus: totidem & Nilus Doxapatrius. Novem vero *Notitia Antiocheni*, & *Jerosolymitani Patriarchatuum*, quarum hic damus catalogum: sub Patriarchatu Antiocheno

Sedes quinta Hierapolis. Sub hac Sede sunt Episcopatus VIII.

	Zeuma.	Surron.
* Varnalis.	*Varualis.*	Neocæsarea.
	Perri.	Orymon.
	Dolychi.	Europi.

Eadem extant nomina, verbis tamen immutatis, in Notitia Ecclesiarum tempore Cœlestini III. scripta: nimirum pro *Zeuma*, *Hemua:* pro *Surron*, *Sauron:* pro *Neocæsarea*, *Neothesarea:* pro *Orymon*, *Occimon*, reliquis nominibus retentis.

Hierocles Grammaticus duodecim descripsit:

Provincia Euphratensis sub Præside. Urbes XII.

Hierapolis.	Cyrus.
Samosata.	Doliche.
Zeugma.	Germanica.
Perrhe.	Nicopolis.
Scenarchæa.	Salgenoratixenum.
Syrima.	Europus.

Leo Sapiens multo locupletiorem numerum ponit: quippe quatuordecim recenset Civitates.

Pro-

(1) Marcellinus lib. 14.

Provincia Euphratesia, & Hagiopolis.

	Hierapolis.	Cyrus sive Hagiopolis.	
ex Goar.	Samosata.	Doliche.	
* Perrhe.	Germanicia.	Zeugma.	
	Perre.	Europus.	
ex Breveregio.	Nicopolis.	Scenarchia.	
* *Cæsaria ubi in exilio erat S. Sergius.*	*Cæsarea.*	Sergiopolis.	* *Sergiopolis sive Anastasiopolis, ubi S. Sergius Martyrium passus est.*
	Cerimorum.	Santorum.	

XI. Osroëne, quæ & Osrhonene Dioni, & Osdroëne Ammiano dicta, sextam Orientis Provinciam componit, & ipsa regio Syriæ in Mesopotamiæ confinio; in qua Edessa, & Nicephorium urbes, juxta Euphratem fluvium. Eminentissimus Cardinalis Norisius *dissert. 2. de Epochis Syro-Macedonum cap. 3. §. 1.* recte adnotavit Osrhoënam Provinciam post Constantium Augustum distingui cepisse a Mesopotamia, cujus antea pars censebatur; quod probat ex *lege 79. Cod. Theodos. de Decurionibus*, a Valente Imper. ann. 375. data: & ex Synodo I. Constantinopolitana, quæ celebrata est ann. 381. In hac divisione, cum Mesopotamia inter Euphratem, & Tigrim posita sit, pars quæ ad Occidentem Euphrati prætendebatur, Osrhoëna dicta est, altera, quam Tigris terminabat, vetus Mesopotamiæ nomen servavit. Regionis caput ac Metropolis est Edessa, olim Antiochia Osrhoënorum, & Callirrhoe a fonte dicta, teste Procopio, & postea Justinopolis appellata, ad lævam Euphratis ripam ædificata, & idcirco a quibusdam Mesopotamiæ tribuitur. A Nembroth constructam refert *S. Isidorus lib. 15. Etymolog.* Claram Osroënæ urbem eam vocat Auctor Græcus *Expositionis totius Mundi, & Gentium* a Jacobo Gothofredo Latine redditæ. Novem dumtaxat urbes in hac Provincia collocat Hierocles Grammaticus: duodecim vero Nilus Doxapatrius, & Auctor *Brevis descriptionis Finium Patriarcharum*; quas tamen minime exprimunt. At Notitia Antiocheni, & Jerosolymitani Patriarchatuum undecim tantum exhibet cum ipsa Edessa Metropoli.

Sedes tertia Edessa. Sub hac Sede sunt Episcopatus X.

	Verchi.	Constantia.	
* Garron.	*Carron.*	Marcopolis.	
* Vatnon.	*Vatnon.*	*Gedmaron.*	* Gedaron.
	Himeria.	Querquensia.	
	Tapsaron.	Callinicos.	

Eumdem numerum fervat Notitia Ecclefiarum fub Cœleftino III. edita; fed non omnino eadem nomina: quin & Edeffam in Armenia: quod nimirum poftremis temporibus Ofrohëne depofito nomine, vicinioris Provinciæ alterum affumpferit.

In Armenia. Sedes tertia Edeſſa in Reges. Sub hac Sede ſunt Epiſcopatus X.

Unchi.	Conftantia.
Carron.	Marcopolis.
Vatnon.	Cedmaron.
Himeria.	Querquenfia.
Tapfaron.	Callinice.

Amplior ceteris eft catalogus a Leone Sapiente concinnatus, quem hic damus.

Provincia Oſroëne.

Edeffa Metropolis.	Carhæ.
Conftantia.	Theodofiopolis.
Batnæ.	Callinicus, five Leontopolis.
Nova Valentia.	Birthon.
Monithilla.	Terimachon.
Moniauga.	Macarta.
Marcopolis.	Anaftafia.
Hemerius.	Circifia.

Eulogius Edeſſenus Oſroënes fubfcripfit Synodo CP. I. Et *Nonnus Epiſcopus Edeſſenæ & Metropolis Oſroenæ*, primus extat in epiftola ad Leonem Imperatorem directa, & relata par. 3. Concilii Chalcedonenfis. In Concilio Niceno *Aetolus Edeſſæ* Metropolita, cum tribus aliis Epifcopis, *Meſopotamiæ* adfcribitur, quod una tunc effet Provincia Ecclefiaftica, quæ Ofroënem etiam complectebatur.

XII. Ofrhoënam excipit Mefopotamia, feptimam Diœcefeos Orientis Provinciam conftituens. Regio eft Afiæ majoris, & Affyriæ pars, Euphrate ad Occafum, & Meridiem, ac Tigri ad Ortum comprehenfa; cui ad Boream Armenia major, Niphate monte intercedente, Babylonia, & Chaldæa ad meridiem incumbunt, Affyria cum Sufiana ad ortum, Syria vero cum Armenia minore ad Occafum hærentibus. Sic dicta eft Mefopotamia, quod pofita fit inter Euphratem, & Tigrim fluvios; unde etiamnum ab Arabibus vocatur *al Gezira*, ideft, Infula, quod media fit inter duo hæc flumina: qualem eam defcripfit Cornelius Tacitus. (1) *Mox repetita amicitia Regis, præfectus campis, qui Euphrate, & Tigri inclytis amnibus circumflui, Meſopotamiæ nomen acceperunt.* Perinde ac Ægyptus Nili, fic Mefopotamia Euphratis exuberantibus aquis irrigata fecundior evadit, tefte Solino: (2) *Meſopotamiam*, inquit,

(1) Tacitus lib. 5.

(2) Solinus.

quit, *impugnat Euphrates, annuæ inundationis excessibus terris superfusus*. Hinc cunctis Orientis regionibus amœnior, ac fecundior creditur Mesopotamia, in qua & terrestrem Paradisum olim a Deo conditum plurimi existimant.

Primus omnium Lucius Lucullus Romanorum arma in Mesopotamiam intulit: *Per confinia Armeniorum*, ait, Rufus, (1) *primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt. Phylarchi Saracenorum in Osroëna superati cessere. In Mesopotamia ab eodem Lucullo Nisibis capta est*. Mox subdit, per Pompejum has regiones Populo Romano subjectas: *postea per Pompejum eadem loca armis obtenta sunt*. Sane quæ Pompeii triumphis dicatæ sunt inscriptiones Mesopotamiam præseferunt; & licet eam inter Provincias Augusti non enumeret Dio Cassius, hoc ideo contigit, quia Amicis Regibus concessa fuerat. Ob hanc causam Sextus Rufus afferit, Mesopotamiam primum sub Trajano in Provinciæ formam redactam esse. Quod & *Eutropius lib.* 8. *Hist. Rom.* & Cassiodorus in Chronico testantur: *Trajanus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam Provincias fecit*. Has tamen Hadrianus Trajano invidens Persis reddidit, quem nævum in Hadriano culpat Sextus Rufus. *Sed Hadrianus*, ait, *qui successit Trajano, invidens gloriæ Trajani, sponte Armeniam, & Mesopotamiam, & Syriam, reddidit, ac medium inter Persas, & Romanos Euphratem esse voluit. Et postea sub Antoninis duobus Marco, & Severo nota pertinacia, ceterisque Principibus Romanis, qui adversus Parthos eventu vario dimicaverunt, quater amissa, quater accepta Mesopotamia est. Et Diocletiani temporibus victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato Rege Narseo, & uxore ejus, ac filiabus captis, & eis summa pudicitiæ custodia reservatis, pace facta Mesopotamia est restituta, & supra ripam Tigridis limes est refirmatus, ita ut quinque Gentium trans Tigrim constitutarum ditionem assequeremur: quæ conditio fœderis in tempus D. Constantini conservata duravit*.

Mesopotamiæ Metropolis fuit Amida, quæ Ammæa dicitur Ptolemæo: Urbs in excelso monte apud Tigrim fluvium sita. Ubi Romanos a Sapore Persarum Rege cæsos, urbemque excisam memorat Ammianus Marcellinus *lib.* 19. Addit vero Constantium Augustum, cum inclytam civitatem solo æquatam, ac cinere, favillisque squalidam conspiceret, vehementer deflevisse; ac denuo instauratam proprio nomine Constantiam appellasse. Præter Amidam, Nisibin, & Edessam inter clariores Mesopotamiæ civitates locat *Expositio totius mundi & Gentium*, haud semel a nobis laudata, de quarum civibus ita disserit: *Nisibis, & Edessa viros habent, ut ceteroqui præclaros, ita in commerciis valde industrios, navigationibus claros & locupletes, omnibus denique bonis instructos. Accepta quippe a Persis ipsi in omnem Orbem Romanum transdant, & vice versa alia cum Persis commutant, excepto ære, & ferro, quia hostibus æs aut ferrum dare non licet. Hæ porro civitates semper in statione deorum, & Imperatoris providentia, mœniisque bello inclytis instructæ, impetum vimque Persarum dissolvunt; commercio ferventes, & cum omni provincia bene commercantes. Mareas Amidæ Mesopotamiæ* subscripsit Synodo CP. 1. In Concilio itidem Chalcedonensi *Act.* 1. recensetur *Simeon Amidenæ Metropolis*.

K 2 No-

(1) Rufus in Breviario.

(2) Expositio totius Mundi, & Gentium a Jacobo Gothofredo latine reddita ann. 1618.

Novem huic Provinciæ civitates, nominibus earum prætermissis, assignant *Brevis descriptio Finium Patriarcharum*, & Nilus Doxapatrius. Hieroclis notitia omnium diminutissima *Provinciæ Mesopotamiæ sub Præside Urbem unam Amidam* locat. Octo *Notitia Antiocheni, & Jerosolymitani Patriarchatuum*: ut ex ejus laterculo apparet.

Sedes decima Amida. Sub hac Sede sunt Episcopatus VII.

	Hyniloi.	Valentini.
	Arsamosata.	Sophim.
* Kicaris.	*Kitaris*.	Ripha.
* Zemus.	*Zeugma*.	

XIII. Leo Sapiens Mesopotamiam vocat quartam Armeniam, multaque sub hac constituit loca, quæ Armeniæ sunt propria, iis quæ ad Mesopotamiam spectant vel omissis, vel permutatis eorum nominibus.

Provincia Mesopotamiæ superioris, sive quartæ Armeniæ.

Amida Metropolis.

Martyropolis.

Tigris fluvius. Ad XV. millia ab hac civitate oritur.

Daras. *Sex millibus ab Urbe hæc sunt consinia, & termini Persidis, atque Assyriæ.*

Castrum Risciphas.	Castrum Turitidis.
Castrum Mardes.	Castrum Lornes.
Castrum Riphton.	Castrum Isphrios.
Castrum Isauriæ.	Castrum Audazorum.
Castrum Amarmes.	Castrum Izinobiæ.
Castrum Intzietorum.	Castrum Banabelorum.
Castrum Cuddorum.	Castrum Ærdadoëdus.
Castrum Masphronæ.	Castrum Regium.
Castrum Spelon.	Castrum Byubaithæ.
Castrum Massaratorum.	Castrum Birthechabraës.
Castrum Siteonsekiphas.	Castrum Calonis.
Castrum Bibarsirorum.	Castrum Tzauræ.
Castrum Bithræ.	Castrum Attachę climatis Arsanices.
Castrum Aphoborum.	Castrum Arimachorum.
Castrum Florianarum.	Castrum Daphnudin.
Castrum Balves.	Castrum Samochartorum.

Hic

Hic finitur Mesopotamia, estque Taurus, & clausura Balakesorum, atque initium partis Septentrionalis, major Armenia. Incolunt autem Taurum montem maxime Regionis illius duo Populi, dicti alter Ibthomaitæ, alter Nasunitæ. Estque præcelsus Barathten nomine, in quem Arca Noë aquis delata appulit in vertice ipsius, estque id notum cunctis ejus incolis ad hunc usque diem.

Apud Beveregium, & Schelstratem in Concilio Antiocheno pag. 443. *aliter referuntur.*

Provincia Mesopotamiæ superioris, sive Armeniæ quartæ.

1. Amida Metropolis.
2. Martyropolis.
3. Daras.
4. Castrum Ricephas.
5. Castrum Turandios.
6. Castrum Mardes.
7. Castrum Lornes.
8. Castrum Riphton.
9. Castrum Isphrios.
10. Castrum Tzauras.
11. Castrum Audasson.
12. Castrum Amarmes.
13. Castrum Tzinobias.
14. Castrum Intzietorum.
15. Castrum Banàbelorum.
16. Castrum Chaddorum.
17. Castrum Æsuduos.
18. Castrum Masphronas.
19. Castrum Basilicum.
20. Castrum Spelon, & Odelorum.
21. Castrum Byubaithas.
22. Castrum Manassarorum.
23. Castrum Phirthachabreas.
24. Castrum Siteon Chiphas.
25. Castrum Calonos.
26. Castrum Bibasarorum.
27. Castrum Tzauras.
28. Castrum Birthas.
29. Castrum Attachas.
   Climatis Arzanines.
30. Castrum Aphuborum.
31. Castrum Florianarum.
32. Castrum Arimachorum.
33. Castrum Balvos.
34. Castrum Daphnudin.
35. Castrum Samochartorum.

In Provinciis a Synodo Nicena recensitis, post Mesopotamiam sequitur Provincia Persidis: de qua tamen nil peculiare occurrit, cum nec umquam fuerit Imperio Romano subjecta, nec singularem Provinciam Ecclesiasticam constituerit. Concilio tamen Niceno subscripsit *Joannes Episcopus Persidis:* & in Concilio Chalcedonensi *Act.* 3. legitur: *Persas subscripsi Persice.* Siqui vero in Perside Episcopatus fuerunt, ad Provinciam Armeniæ pertinebant: unde & hodieque *Catholicus* Persidis est ipse Patriarcha Armenorum. Sed de hac re infra Parte 3. fusius differendum erit.

XIV. Arabia octava est Diœcesis Orientalis Provincia, nec ea in varias secatur in Notitia Imperii, cum tamen amplissima sit, & præcipua Asiæ regio, eaque ab omnibus post Plinium *lib.* 2. in tres partes dispescitur, Felicem, Petræam, Desertam. Felix Meridiem versus inter duos sinus Arabicum, & Persicum, veluti peninsula excurrit, mari Rubro Indiam versus definita. Fluminibus scatet, & bis quotannis, ut India, seritur ob fecunditatem: de qua Plinius lib. 6. cap. 28. ubi & ait, eam *Gentium nulli postferendam, & amplitudine longissimam.* Felicem dictam, quod aroma-

ta

ta ferat, quorum merces in nostris regionibus raræ sunt, & in pretio; ut docet Strabo *lib.* 1. Plinius itidem *lib.* 5. *cap.* 11. (1) eam celebrat *odoriferam, ac divitem, & beatæ cognomine inclytam:* tametsi alio in loco hoc nomen in illa damnet. (2) *Felix appellatur Arabia, falsa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cum plus ex eo Inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas micas dantur. Nec minus propitii erant mola salsa supplicantibus, imo vero (ut palam est) placatiores.* Mitius hanc regionem compellat Ammianus Marcellinus, in ejus laudes totus effusus: (3) *Parthis ab Orientali, Australique plaga Arabes Beati conterminant; ideo sic appellati, quod frugibus juxta, & fœtibus, & palmite, odorumque suavitate multiplici sunt locupletes; magnæque eorum partes Rubrum mare a latere dextro contingunt: læva Persico Mari collimitant: elementi utriusque potiri bonis omnibus adsueti. Ubi & stationes, & portus tranquilli sunt complures, & emporia densa, & diversoria Regum ambitiosa nimium, & decora, aquarumque suapte natura calentium saluberrimi fontes, & rivorum fluminumque multitudo perspicua, sospitalisque cœli temperies: ut recte spectantibus nihil eis videatur ad felicitatem deesse supremam.* Petræa pars illa Arabiæ est, quæ Ægypto, & Palæstinæ confinis, Jordane fluvio, & Asphaltite lacu dividitur. Straboni & Plinio Nabathæa dicitur. Clariores ejus urbes sunt, Petra, a qua nomen accepit, Medaba, & Bostra. Deserta Ptolemæo vocata, Straboni autem Scenitis, quod gens vaga, & sine ædificiis in tentoriis habitet. Hæc a Meridie Montibus Arabiæ Felicis cincta est, a Septentrione Mesopotamiam habet, Euphrate fluvio eam dissecante; & ab Occidente Petræam. Ab Hebræis vocatur Cedar. Illius pars maxima arenosa est, ac sterilis, raros habet incolas, urbesque paucas, tum ob vastas solitudines, & montes asperrimos, tum etiam propter aquæ penuriam.

Ælius Gallus primus Romanorum in Arabiam Felicem exercitum minus prospera fortuna adduxit; ut refert Carolus Sigonius Dionem laudans. At Dio, qui hanc Historiam scripsit, non Ælium Gallum, sed Largum id molitum testatur. Quin etiam ante id tempus a Pompejo Arabiam subactam esse affirmat Plutarchus, agens de Pompeii triumpho, quem Romæ superatis Provinciis Orientis celebravit. Partem nihilominus Arabiæ ab Augusto, qui antea Largum cum exercitu eo direxerat, fuisse devictam, narrat idem Dio, eaque confirmant, quæ nos supra docuimus. Trajano in his regionibus res prospere accidit: de quo hæc Marcellinus: (4) *Huic,* scilicet Palæstinæ, *Arabia est conserta, ex alio latere Nabathæis contigua, opima varietate commerciorum, castrisque oppleta validis, & castellis; quæ ad repellendos gentium vicinarum excursus, sollicitudo pervigil veterum per opportunos saltus erexit, & cautos. Hæc quoque civitates habet inter oppida quædam ingentes, Bostram, & Gerasam, atque Philadelphiam, murorum firmitate cautissimas. Hanc, Provinciæ imposito nomine, rectoreque attributo, obtemperare legibus nostris Trajanus compulit,*

(1) Plinius lib. 5. cap. 11.
(2) Idem lib. 12. cap. 18.
(3) Marcellinus lib. 23. pag. 421.
(4) Idem lib. 14. pag. 313.

lit. De Arabia Petræa locum hunc esse intelligendum declarant Urbium nomina ibi descripta, quæ ad hanc Provinciam spectant. Sed rem magis in aperto ponit disertissimum Dionis testimonium, de Palma Præfecto Syriæ sub Trajano ita loquentis: (1) *Palma Præfectus Syriæ cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in ditionem Populi Romani*. Hanc quippe nequaquam subegerat Cæsar Augustus, sed tantum Arabiam Felicem: unde inter Provincias, quas sibi reservaverat, pars Arabiæ dumtaxat exprimitur. At vero Auctores cum de Trajano verba faciunt, veluti Appianus Alexandrinus, Dio Cassius, Sextus Rufus, Eutropius, Marcellinus, aliique passim fatentur, Arabiam sub Trajano in Provinciæ formam fuisse redactam.

XV. Bostra Metropolis est totius Arabiæ, quam Auctor *Expositionis totius Mundi, & Gentium* hoc celebrat encomio: *Exinde jam a dextera, & supra Syriam occurrit Arabia, cujus Civitas maxima est Bostra, quæ commercia maxima agitare dicitur; propinqua ea Persis, & Sarracenis. In ea quoque publicum opus tetrapylum admirabile visu*. Patria ea fuit Philippi Imperatoris; quæ proinde ex eo Philippopolis dicta est, ut Zonaras testatur. Diserta hujus Provinciæ, ac Metropolis mentio habetur in Concilio Niceno, cui *Nicomachus Bostræ* subscripsit cum quinque Episcopis *Arabiæ*. In Synodo CP. I. Episcopi *Arabiæ*, *& Bostron*, seorsim recensentur. Concilium quoque Chalcedonense *Act*. I. præter Bostram, ponit etiam Philadelphiam alteram Metropolim Arabiæ.

Apud Profanos Scriptores Petra, Arabiæ Petrææ præcipua Urbs ponitur, quod scilicet caput totius Regionis quondam fuerit, ac civilis Metropolis, a qua proinde regio ipsa cognominata est & *Arach* Volaterrano, & Zardo dicitur, ultra Asphaltitem lacum sita: quamvis nec totius Arabiæ Petrææ, sed ejus tantum partis, quæ Nabathæa vocatur, Metropolis fuit, ut colligitur ex Strabone *lib*. 16. Urbs sane opulenta intra Montes, inter Gazam & Sinum Persicum, auctore Plinio. Verum ab antiquis Christiani nominis temporibus Bostra Metropolis fuit Ecclesiastica universæ Arabiæ Petrææ; sed postea quam Patriarchatus Jerosolymitani confinia dilatata sunt, etiam Petra Metropolis Ecclesiastica evasit, dissectâ Petræa in duas Provincias. Qua de re paulo post redibit sermo. Sunt qui putent, eamdem esse Petram, ac *Rabath*, seu *Rabba* Moabitidis civitatem, quæ olim Regia fuit Moabitarum. *Rabbatamana* Stephano dicta est, trans Jordanem fluvium, quæ Urbs Archiepiscopalis est sub Patriarcha Jerosolymitano, ad Arabiam tamen Petræam spectans; nam & Moabitis in hac regione reperitur. Ab aliis eadem creditur, ac Philadelphia Arabiæ, quæ & *Callisto*.

Ab eo tempore, quo in Arabiam Christi nomen invectum est, usque ad Justiniani Imperium, omnis hæc Regio sub jure Patriarchatus Antiocheni fuit; sed postmodum Justiniano apud Vigilium Papam intercedente divulsa ab Antiochena, attributa fuit Jerosolymitano. Id quidem olim tentaverat Juvenalis Episcopus Jerosolymitanus, primum in Concilio Ephesino, ubi tamen repulsam passus est: mox in Chalcedonensi, at obsistentibus Legatis Apostolicæ Sedis, ac Leone Magno repugnante, id minime obtinere potuit. Tandem in Quinta Synodo Œcumenica, annuente Vigilio summo Pontifice, Patriarchatui Jerosolymitano etiam Arabia adjecta fuit, ut refert Guil-

(1) Dio lib. 67.

Guillelmus Tyrius *lib.* 14. *de Bello Sacro cap.* 12. Ob hanc mutationem non ita facile eſt veſtigare numerum, & Statum Urbium, ac Epiſcopatuum hujus Provinciæ, præſertim quia ſecutis temporibus diviſa novas Metropoles habuit. Quod & in reliquis Provinciis nedum Orientis, ſed etiam Illyrici contigit, ob varias earum partitiones, nec non translationes ab uno in alterum Patriarchatum; ob permutata inſuper Urbium nomina, poſteaquam eæ Barbarorum jugo ſubſunt. Quinimo Civitatum aliquot Arabiæ Petrææ in tertiam Palæſtinam tranſiiſſe certum eſt, maxime Urbem Petram, quam ejus Metropolin vocat Leo Sapiens. Varius Urbium hujuſce Regionis Catalogus rem magis indicabit.

Nilus Doxapatrius ſextam ſub Antiocheno Patriarchatu Provinciam Arabiæ collocat, cujus Metropolin Boſtrum nominat, ſub qua conſtituit Epiſcopatus XX. non expreſſis eorum nominibus: quæ tamen exhibet *Notitia Antiocheni*, *&* *Jeroſolymitani Patriarchatuum*, uno tantum Epiſcopatu prætermiſſo.

Sedes ſexta Boſtra. Sub hac Sede ſunt Epiſcopatus XIX.

	Geraſon.	Philadelphia.	
	Adraon.	Mydanon.	
* Auſtanidon.	*Auſtandon.*	Delmundon.	
	Zoroyma.	Herri.	
	Hiceni.	*Eurinii.*	* Eutuni.
	Conſtantia.	Paramboli.	
	Dionyſia.	*Conaathon.*	* Conaachon.
	Maximopolis.	Philippopolis.	
* Chriſtopolis.	*Chryſopolis.*	Heylon.	
	Lorea.		

Totidem recenſet Notitia Eccleſiarum ſub Cœleſtino III. a Milone Abbate edita, quibusdam dumtaxat earum nominibus mutatis; veluti Mydaon, Belvendon, Zorouna, Herti, Hieni, Eutinii, Canaathon, Marimpolis.

Hierocles Grammaticus ſeptemdecim tantum urbes hujus Provinciæ agnoſcit.

Provincia Arabiæ ſub Conſulari Urbes XVII.

Boſtra.	Nicalome.
Adra.	Dia.
ExacomiaVicus.	Medava.
Geraſa.	Majudus.
Philadelphia.	Nova civitas Neapolis.
Hierapolis.	Philippopolis.
Phæna.	Conſtantia.
Dionyſias.	Canotha.
Adraſſus.	

Leo

Leo Sapiens Imperator, qui anno 881. Ordinem Ecclesiarum concinnavit, uberiorem catalogum texuit, quem hic exhibemus.

Provincia Arabiæ.

	Bostra Metropolis.	Adrasus.	*Apud Beveregium nonnihil differunt nomina.* * Medaba.
	Dia.	*Medava.*	
	Geraſſa.	*Neve.*	* Neva.
	Philadelphia.	Esbus.	
	Neapolis.	Philippopolis.	
	Phenutus.	Conſtantine.	
	Dionyſias.	Pentacomia.	
	Tricomia.	Canothas.	
* Saltum.	*Saltorum.*	*Batanis.*	* Bataneos.
	Exacomia.	Enneacomia.	
	Come, ſeu Vicus	*Gonies.*	* Vicus Gonias.
	Come Cherus.	Come Stanes.	
* Vicus Caberæ.	*Come Machaberos.*	*Come Coreathes.*	* Vicus Coreate.
	Come Bilbanus.	Come Caprorum.	
	Come Pirgoaretarum.	*Come Setnes.*	* Vicus Setnes.
	ComeAriachorum.	Neotes.	
	Clima Orientalium, & Occidentalium.		
	Comæ Ariathæ ſaxoſæ.	Comæ Bebdamus.	

CAPUT II.

Synopſis.

I. Cyprus Ptolemæo Regi erepta in Provinciam Imperii a Catone redacta. Ejus Metropolis Salamis, quæ & Conſtantia. Urbes ipſi additæ. Pulſis Sarracenis altera Græcorum Metropolis Conſtantia, altera Latinorum Nicoſia.*

II. Cypri Provincia poſt Epheſinam Synodum ſui juris facta, ab Antiocheno Patriarcha exemta fuit.

III. Ciliciam primum P. Servilius, dein Pompejus domuerunt. Olim una Provincia cum Iſauria, poſt in duas diſtracta. Tarſus primæ Ciliciæ Metropolis, cui & ſuæ urbes tributæ.

IV. Anazarbus ſecundæ Ciliciæ Metropolis, eique urbes additæ recenſentur.

V. Iſauria a P. Servilio & Pompejo domita ægre Romanorum frænum tulit. Illius Metropolis Seleucia cum urbibus ipſi ſubjectis deſcribitur.

VI. Palæſtinæ nomen in Sacris Scripturis obvium. Amplior Judæa fuit, licet illam complecteretur. Singulæ ejus partes exponuntur, uſque ad Num. X.

X. Pompejus Palæſtinam ſubegit, a qua Judæam diviſit. Hanc in Provinciam non redegit, ſed tantum tributariam fecit. M. Antonius Iudææ Regnum Herodi conceſſit. Poſt hujus obitum in tres partes diſſectum eſt.

XI. Singulæ Tetrarchiæ a S. Luca propriis nominibus deſignatæ. Earum ſitus inveſtigatur.

XII. Rursus omnes tres Tetrarchiæ in unum coaluere Regnum Agrippæ concessum. Variæ paulo post ejusdem mutationes factæ.

XIII. Jerosolymis dirutis tota Palæstina Romanis paruit. Tunc ejus civilis Metropolis fuit Cæsarea.

XIV. Ante Constantinum M. nulla Palæstinæ divisio facta. Post hujus tempora in tres Provincias secta fuit. Primæ Cæsarea, secundæ Scythopolis, tertiæ Petra, Metropoles fuerunt. Singularum urbes enumerantur, usque ad Num. XVII.

XVII. Ante Palæstinæ divisionem una ejus Metropolis Cæsarea. Postea Jerosolymis Primatus totius Palæstinæ tributus.

I. Eteræ nunc supersunt Diœcesis Orientis Provinciæ perlustrandæ, Cyprus nimirum Insula, Cilicia, Isauria, & Palæstina. Nonam Orientalis Diœceseos Provinciam Cyprus efficit, Insula omnibus nota in Pamphylio mari, in sinu maximo, qui & Issicus vocatur, inter Ciliciam & Syriam, dives, ac miræ fertilitatis: unde & Macaria, hoc est beata olim dicta; maxime etiam luxui dedita, idcirco ab Ethnicis Veneri dicata; quæ ab Horatio *lib.* I. *Carmin.* nuncupatur *Diva potens Cypri.* Ejus meminit Virgil. *lib.* I. *Æneidos:*

—— *tum Belus opimam*
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.

Eleganter eam descripsit Ammianus Marcellinus: (1) *Cyprum itidem Insulam procul a continenti discretam, & portuosam inter municipia crebra urbes duæ faciunt claram Salamis, & Paphus: altera Jovis delubris, altera Veneris templo insignis. Tanta autem, tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, a fundamento ipso carinæ ad Supremos usque carbasos, ædificet onerariam navem, omnibusque armamentis instructam mari committat. Nec piget dicere, avide magis hanc Insulam Populum Romanum invasisse, quam juste. Ptolemæo enim Rege federato nobis, & Socio, ob ærarii nostri angustias jusso sine ulla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est, & veluti hostiles ejus exuviæ classi impositæ, in Urbem advectæ sunt per Catonem.*

Divitiarum fama, quibus illa abundabat, Romanorum animos sollicitavit, ut præter jus omne federato & amico Regi Ptolemæo illam eriperent. ExpeditionemCatoni commissam, & expeditionis causam ita exponit L. Florus: (2) *Aderat fatum Insularum. Igitur & Cypros recepta sine bello. Insulam veteribus divitiis abundantem, & ob hoc Veneri Sacram, Ptolemæus regebat: & divitiarum tanta erat fama, (nec falso) ut victor gentium Populus, & donare Regna consuetus,* P. *Clodio Tribuno Plebis duce, Socii vivique Regis confiscationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit: ceterum Porcius Cato Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium invexit: quæ res latius ærarium Populi Romani, quam ullus triumphus implevit.* Eadem tradit Sextus Rufus *in Breviario:* hos ante, & Dio Cassius *lib.* 38. qui addit, Catonem a Clodio missum fuisse invitum, idque in odium Ciceronis. Itaque ante Christi adventum Cyprus Insula lege a Senatu lata fisco addicta est, & Provinciæ nomen sortita: (3) *Ptolemæo (ait Strabo) patruo Cleopatræ dejecto*

(1) Marcellinus lib. 14. pag. 315.
(2) Florus lib. 3. cap. 9.

(3) Strabo lib. 14. circa finem.

jecto, *Romani Insulam Cyprum occuparunt*, *ac in Prætoriam Provinciam redegerunt*. Augustus, cum suo tempore Cyprus pacata esset, eam populo gubernandam concessit.

Sub ipsis Apostolorum temporibus hæc Insula felicior facta est prædicatione Evangelii, quam nativa divitiarum copia, & loci amœnitate. Primi in eam regionem Christi fidem invexerunt Discipuli, qui in prima persecutione a Judæis excitata sub Stephano dispersi fuerant, quorum meminere Apostolorum Acta: (1) *Et illi quidem*, *qui dispersi fuerant a tribulatione*, *quæ facta fuerat sub Stephano*, *perambulaverunt usque Phœnicen*, *&* *Cyprum*, *& Antiochiam*, *nemini loquentes verbum nisi solis Judæis*. Ubi etiam proditum est, è Cypro Antiochiam delatum Christi nomen & Evangelium. *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii*, *& Cyrenei*, *qui cum introissent Antiochiam loquebantur & ad Græcos*, *annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum*. Sed & Paulus ipse prædicatione sua Insulam illam illustravit, Barnaba socio sibi adjuncto; cum enim ambo Antiochia digressi abjissent Seleuciam ad ostia Orontis fluvii, (2) *inde navigaverunt Cyprum*. *Et cum venissent Salaminam*, *prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum*. Tum deinde perambulaverunt *universam Insulam usque Paphum*. Ibi ad Christi fidem convertit Paulum Romanum Proconsulem, è cujus nomine deinceps vocari cœpit, cum antea Saulus vocaretur.

Ex hoc Actuum Apostolorum loco, necnon ex Marcellino superius laudato colligi potest, Salaminam Metropolin fuisse totius Cypri: quæ eidem Marcellino, Plinio, Polyæno, aliisque Salamis dicitur. Nomen huic dedit Salamis, vulgo Colurus nominata, Insula sinus Saronici, inter Peloponnesum & Atticam, Æginæ proxima, ubi classis Persarum sub Xerxe Rege a Græcis dissipata est, teste Pomponio Mela; cujus præcipua urbs Salamis appellabatur, in qua Telamon Ajacis & Teucri Pater regnasse fertur. Sed Teucera Patre Regno pulsus, quod Ajacis fratris mortem minime vindicasset, in Cyprum adnavigans, Urbem condidit post Trojæ excidium, quando & Ephesus constructa, atque a Patria Salaminem nuncupavit: quæ postea, auctore Stephano, Constantia dicta est: In Ora Orientali sita fuit; nunc vero excisa apud Hammacostum, sive (ut nunc vocant) Famagustam, ab ea parum in Boream recedens. *Cyrillus Paphi* Insulæ Cypri subscriptus legitur Concilio Niceno: *Julius* itidem *Paphi Cypri*, Synodo C. P. I. Synodus Chalcedonensis *Act.* I. in Catalogo Episcoporum, exhibet *Olympium Constantiæ Cypri*, tamquam Metropolitam; nam & antea in Concilio Ephesino Rheginius Metropolitam egit, ut postea constabit.

In hac Provincia quindecim Urbes ponit Hierocles Grammaticus, harum laterculum ita exhibens:



(1) Act. cap. 11.

(2) Act. cap. 13.

Pro-

Provincia Cypri Insulæ: sub Consulari Urbes XV.

Constantia Metropolis.

	Tamassus.	Citium.	
* Amathûs.	*Amathusia.*	Coren.	
	Paphus.	Arsenoe.	
	Soli.	Lapithus.	
	Cirboea.	Cythri.	
	Carpasin.	Cyrenia.	
* Trimithunton.	*Trimythunton.*	*Leucusia.*	* Leucosia.

At Leo Sapiens Imperator tredecim dumtaxat Urbes in Insula Cypri enumerat.

Provincia Insulæ Cypri.

Constantia Metropolis.

	Citium.	Amathûs.
	Curium.	Paphus.
	Arsenæ.	Soli.
Apud Beveregium legimus: Lapithus, qua natus est Georgius, qui librum scripsit, ex quo hæc sumpta sunt.	*Lapithus.*	Cyrenia.
	Tamasus.	Cythri.
	Trimithûs.	Carpasin.

Ejusmodi erat Urbium dispositio in Insula Cypri, cum hæc Græcorum imperio parêret, nec nisi una tantum totius Provinciæ Metropolis Ecclesiastica Salamine, seu Constantia. Sed postquam a Saracenis occupata fuit, iisdemque expulsis a Nicephoro Phoca Græcorum Imperatore an. 964. ac postea a Latinis sub Richardo Angliæ Rege militantibus, Græcis erepta, Isaaco Comneno, qui eam invaserat, in captivitatem ducto Anno 1191. rursumque ab eodem Richardo Guidoni Lusignano concessa, deinceps duas Metropoles habere cœpit, veterem scilicet Salaminam, seu Constantiam, quæ Græcorum fuit, & novam a Latinis erectam in Urbe Leucosia, quæ etiam Nicosia dicitur. Tametsi & hæc sub Græcis inter civitates Episcopales Constantiæ subjectas retenta sit. Postquam enim Latini aliquas Græcorum Provincias bello Saracenis ereptas incoluerunt, quibusdam in Urbibus duo interdum Episcopi ordinabantur, Græcorum unus, Latinorum alter. Utriusque ritûs Civitates in Insula Cypri descripsit Philippus Ferrarius *in Lexico Geographico*.

Græcorum Metropolis in Cypro Salamis, seu Constantia: Sub ipsa Urbes XIV.

Leucosia.	Citium.
Tremithûs, sive Trimithûs.	Tamassus.
Paphos.	Amathûs.
Carpasium.	Cirynia, seu Cyrenea.
Soli, quæ & Solea, seu Soloe.	Arsinoe.
Neapolis Nemesi.	Curias, sive Curæum.
Cythera.	Lapithus.

La-

Latinorum Metropolis in Cypro Leucosia, seu Nicosia: sub ipsa Urbes III. Hammacostos, seu Famagusta, Paphos, Neapolis.

CEterum *Notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis* ab Episcopo Catharensi ante annos 370. scripta, quatuor Episcopos sub Metropolita Nicosiensi recenset. *Insula Cypri tenetur a Christianis. Archiepiscopus Nicosiensis habet hos suffraganeos, Papensem, Infamaugustensem, Anceradensem, Limothoniensem, vel Nimociensem.* Nunc tota Insula Cypri a Selymo Turcarum Rege capta, subest ipsorum Imperio, a quibus in undecim divisa est partes. Caput regni nunc est Leucosia, seu Nicosia, in medio Insulæ condita: secunda ab hac Hamacostos, seu Hammocostus, vulgo Famagusta, urbs munitissima: tertia Ceraunia: quarta Paphos. Reliquæ sunt parvi momenti.

II. Imperii Notitia Cyprum inter Provincias Orientis collocat: unde ordinationem Metropolitæ hujus Provinciæ sibi vendicabat Antiochenus Patriarcha, quo ad usque in Synodo Ephesina Œcumenica Rheginus Constantiæ Archiepiscopus, aliique Cypri Antistites, Libellum obtulerunt Patribus, quo adversus Antiochenum Patriarcham expostulabant, Ordinationes Metropolitæ & Episcoporum illius Insulæ sibi usurpasse, quæ secundum Canones ad Synodum Provinciæ spectabant. Quapropter causa diligenter discussa *Act.* 7. Ephesini Patres pronuntiarunt, jus Ordinationum Cypriis Episcopis canonibus & consuetudine veteri quæsitum servari oportere. Tametsi decretum Synodi non omnino absolutum fuerit, sed conditione adjecta limitatum, ut advertit Morinus *Exercit.* 4. & ipsa decreti verba declarant: [1] *Quoniam communes morbi majore egent remedio, eo quod majus damnum afferant, & maxime si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis, & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad sanctam Synodum accesserunt: habebunt jus suum intactum & inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt, secundum canones sanctorum Patrum, & veterem consuetudinem, per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.* Contendebat quippe Patriarcha Antiochenus ordinationes Episcoporum Cypri ad se pertinere, uti re ipsa exemplis majorum suorum demonstrabat; nec nisi cum hyemis tempore decessisset Metropolita, concedit *Nicenus canon ex Arabicis* 37. ob crebras tempestates, quæ eo anni tempore citra mortis discrimen mare illud trajicere non sinunt, ut solo Antiocheni assensu Cyprii Antistites ordinare Archiepiscopum suum possint. Nihilominus Provinciæ illius Episcopi decreto Ephesinæ Synodi muniti, jus illud, quovis tandem modo acquisitum, constantissime tutati sunt. Nam cum Petrus Fullo Antiochenus Episcopus in Cyprum extendere jurisdictionem suam tentasset, obstitere Cyprii Antistites, causam hanc prætexentes, quam Alexander Monachus opposuit Antiocheno in laudatione Barnabæ Apostolo dicata: [2] Cypri, ait, Sedem sanctissimam, & a principio inde usque ab Apostolorum tempore liberam ipse (Petrus Fullo) arripere, & sibi subjicere aggressus est, idque ad Imperatorem retulit, falsum referens, ac dicens: quoniam verbum Dei ab Urbe Antiochia ad Cyprum Insulam manavit, ob id Cypri Ecclesiam sub Antiochenæ Sedis Patriarcha esse oportet, quandoquidem Apostolica & Patriarchica Sedes est. Hæc ille rectæ

(1) Synodus Ephesina Act. 7.

(2) Alexander Monachus de Laudibus S. Barnabæ.

„ rectæ fidei, & sententiæ desertor contendebat; cum tamen non ignoraret ea, quæ in urbe Ephesо sancta illa Synodus Cyrillo præsidente definierat, a se violari, atque corrumpi. Addit vero B. Anthemium Salaminæ Metropolitam Constantinopolim accitum, ut ibi in Synodo causam diceret, cum adversarii attulissent sua jura, ut sibi videbantur, quod Antiochena Sedes Apostolica, & Patriarchica esset: ob idque contendebant & alias Provincias sibi subjectas esse debere: B. Anthemius contra objecit: & mea Sedes Apostolica fuit, inde usque a principio, & libertate honorata, qui & Apostolum habeo in Patria mea integro corpore constantem, beatissimum, inquam, illum Barnabam sanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cum Anthemius opposuisset, nihil loci adversariis relictum est, cum Episcopi, qui præsentes erant silentio Anthemii, orationem confirmassent. Itaque Cypri Provincia post Ephesinam Synodum sui juris mansit ab Antiochena Sede exempta. Quod etiam testatur Leo Sapiens: *Similiter*, inquit, *Provincia Cypri mansit autocephala, per se ipsam habens potestatem, propterea quod in ea inventus sit S. Apostolus Barnabas*. Eadem tradunt Nilus Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum, aliique plures.

III. Decima ex Provinciis Orientis Cilicia, regio est Asiæ minoris a Cilice Rheæ filio nomen habens, inter Pamphyliam ad Occasum, Syriam ad Ortum, ac inter Taurum montem ad Boream a Cappadocia eam separantem, & pelagus Cilicium ad Meridiem contenta; quæ nunc Caramania propriè vocatur. Dividitur in Asperam, quæ ad Occasum, & in Campestrem, quæ in Ortum tendit. *Spatiis porrigitur late distentis, dives bonis omnibus terra;* ait Ammianus *lib.* 14. A P. Servilio Proconsule Ciliciam, eique conterminam Isauriam primum domitas, ac Romanorum Imperio adjectas memorat L. Florus: *Interim* (1) *dum Populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria, sublatisque commerciis, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam iis dabat inquieta Mitridatis præliis Asia, dum sub alieni belli tumultu exterique Regis invidia, impune grassantur, ac primum duce Isidoro contenti, proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Piræum, & Achajam, sinumque Maleum, quem a spoliis aureum ipsi vocavere, latrocinabantur. Missus in eos P. Servilius, quamvis leves & fugaces Myoparones gravi, & martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbes eorum, & diutina præda abundantes, Phaselim, & Olympum evertit, Isauriamque ipsam arcem Ciliciæ; unde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamavit*. Hanc eamdem gloriam P. Servilio dant ceteri Scriptores: Marcellinus *lib.* 14. sic loquitur: *Cilicia, & Isauria Provinciæ, bello quondam Piratico catervis mixtæ prædonum, a Servilio Proconsule missæ sub jugum, factæ sunt vectigales*. Justinus, Jornandes, Sextus Rufus, Cicero *in Verrem*, Strabo aliique consentiunt. Non tamen totam Ciliciam Servilius perdomuit, sed hæc palma Pompejo reservata est: nam post Mitridatico bello confecto tota fere a Pompejo in potestatem redacta fuit, teste Appiano. Illud tamen minime prætermittendum est; quo tempore P. Servilius bellum Piraticum aggressus est, Isauros Provinciam a Cilicibus diversam nequaquam habuisse, sed unam dumtaxat Ciliciæ Arcem, *Isauron* dictam inhabitasse, adeoque tunc Ciliciæ partem fuisse; quod Florus ver-

(1) L. Florus lib. 3. cap. 6.

bis relatis indicat. Hinc est quod Onuphrius Isauriæ nomen in Notitia Augusti exhibet, cum tamen apud Dionem inter Provincias Augusti omissõ Isauriæ nomine sola Cilicia appareat, sicuti etiam sola hæc memoratur a Pomponio Mela *lib.* 1. *cap.* 13. Idque hinc factum arbitror, quod tunc Isauria distinctam a Cilicia Provinciam minime constitueret; vel quod utraque uno comprehenderetur nomine. Hoc unum certum est, Ciliciam statim ac a Servilio subacta fuit, in Provinciam fuisse redactam. Nam ad Ciliciam Cicero profectus est Proconsulis officium ibi obiturus: & de illa affirmat Aurelius Victor *in Sylla:* quod *Prætor Ciliciam Provinciam habuit*.

Hanc regionem perlustrasse D. Paulum, ejus populos ad fidem convertisse, ibique Ecclesias fundasse, testantur Apostolorum Acta *cap.* 9. & 11. & ejus epistola ad Galatas scripta: *Veni*, inquit, *in partes Syriæ, & Ciliciæ, eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo:* & alibi Apostolorum Acta de Paulo narrant, [1] quod *perambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias*. Jam ab Hadriani temporibus Cilicia in duas Provincias secta fuerat, primam, & secundam, ut ex ejus Imperii forma superius exposita perspicuum est, quæ deinceps perduravit usque ad Arcadii, & Honorii Principatum.

Tarsus universæ Ciliciæ caput fuit, postea primæ Ciliciæ Metropolis, in campis sita, & Cydno amne irrigata, qualem eam descripsit Strabo *lib.* 15. A Perseo Danaës filio conditam ferunt Trogus, & Ammianus Marcellinus, qui ait: [2] *Ciliciam vero, quæ Cydno amne exultat, Tarsus nobilitat, urbs perspicabilis: hanc condidisse Perseus memoratur, Jovis filius, & Danaës*. Et his antiquior Lucanus *lib.* 3. cecinit.

Deseritur Taurique nemus Perseaque Tarsos.

Alios tamen credidisse hanc urbem a Sardanapalo conditam idem Marcellinus insinuat, dum subdit: *Vel certe ex Æthyopia profectus Sandan quidam nomine vir opulentus, & nobilis*. Quamquam nec nomen perfecte expresserit, nec propriam illius patriam designaverit; non enim ex Æthyopia, sed ex Assyria ille fuit. Nihilominus Sardanapalum Tarsi conditorem plures faciunt, quos inter Sanctus Isidorus: & testatur ejus monumentum, in quo incisum erat, quod ipse Tarsum, & Anchialon die uno condidisset. Ab audacia Tarsi nomen huic urbi impositum, scilicet ab audacia Bellerophontis, Dionysius Afer observat:

Flexilis & Cydnus, dirimit qui flumine Tarson;
Cui nomen posuit audacia Bellerophontis.

Illustrium virorum patria fuit Tarsus, in ea quippe orti sunt è Philosophis Stoicis, Antipater, Archedemus, Nestor, duo Athenodori, quorum qui Cordylion dictus est, cum M. Catone vixit, & apud eum mortuus est: alter Cananita a vico quodam, Cæsaris præceptor: & Apollodorus Tragœdus, qui & ipse Tarsi claruit, sicut Athenis Apollodorus Comœdus, Menandri synchronus. Sed cunctis illustrior fuit Apostolus Paulus, quem Tarsi natum, & Tarsensem fuisse civem, Apostolorum Acta commemorant. Quare ante Festi tribunal constitutus, cum ab eo interrogaretur de qua Provincia esset, [3] *& cognoscens quia de Cilicia: Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint*.

Ciliciæ Metropolin extitisse Tarsum etiam a priscis temporibus, docet

(1) Act. cap. 15. verf. 41.
(2) Marcellinus lib. 14. pag. 311.

(3) Act. cap. 23.

cet Strabo: (1) *Populosa*, *atque praepotens urbs est Tarsus*, *& Metropoleos rationem obtinet*. Quam claritudinem secutis quoque temporibus servavit, ut indicat Auctor Notitiæ Græcæ sub Constantio: *Cilicia*, inquit, *habet civitatem magnam & beatam*, *quæ vocatur Tarsis*. Nec dubium quin Christianæ religionis exordio, priusquam in duas Provincias distracta esset Cilicia, Tarsus sola ejus Metropolis fuerit Ecclesiastica, quæ post dissectam in duas regionem illam, solius primæ Ciliciæ Metropolis mansit. *Theodorus Tarsi* cum decem Episcopis Ciliciæ subscripsit Concilio Niceno: *Diodorus Tarsi Ciliciæ*. CP. 1. Ceterum in Synodo Chalcedonensi *Act.* 1. Cilicia in duas Provincias secta erat, Primam, & Secundam: & Primæ Metropolis assignatur Tarsus: sicuti etiam in epistola Episcoporum Ciliciæ I. ad Leonem Imperatorem scripta, quæ extat P. 3. ejusdem Concilii. Metropolis vero Ciliciæ II. est *Anazarbus* quamobrem in Catalogo Episcoporum Concilii Chalcedonensis *Act.* 1. numeratur *Cyrus Episcopus Anazarbi Metropolis*. Sub ea quatuor tantum Episcopatus constituit *Brevis descriptio Finium Patriarcharum*: *Tarsi*, inquit, *habentis Episcopatus IV.* At Nilus Doxapatrius *in Notitia Patriarchatuum* sex enumerat: *Tarsi quæ sub se habet Episcopatus VI.* Neuter tamen eorum nomina Episcopatuum exhibet. Exactior est descriptio Urbium hujus Provinciæ, quam Leo Imperator cognomento Sapiens adornavit.

Provincia Ciliciæ primæ.

	Tarsus Metropolis.	Pompejopolis.	
	Sebaste.	Corycus.	
	Adana.	Augustopolis.	
Apud Beveregium: * Mallos.	*Malus.*	*Zephyrium.*	* Zephurium.

Nihil a numero Urbium discrepat Hierocles Grammaticus, nisi quod aliqua earum nomina corrupte profert: veluti *Adena*, pro *Adana*: *Augusta*, pro *Augustopolis*: *Malchus*, pro *Malus*. Aliæ Notitiæ utpote recentiores, nec numero, nec vocibus omnino conveniunt. Notitia Antiocheni, & Jerosolymitani Patriarchatuum, ante quingentos & viginti annos scripta, hunc catalogum texuit.

Sedes secunda Tarsus: Sub hac Sede sunt Episcopatus V.

	Sebasti.	*Corichos.*	* Coridos.
* Thina.	Mallos.	*Poderados.*	* Padembdes.
	Thiva.		

Eumdem numerum, eademque nomina servat Notitia Ecclesiarum sub Cœlestino III. edita a Milone Abbate: ultimum dumtaxat urbis nomen mutat, pro *Poderados* quippe scribit, *Floderados*:

IV. Ana-

(1) Strabo lib. 14.

IV. Anazarbus Metropolis est Ciliciæ secundæ, seu Mediterraneæ, ad Pyramum fluvium sita: urbs quondam clara, a Marcellino inter præcipuas Ciliciæ civitates memorata: patria Dioscoridis, ubi Schola fuit, Stephano referente: postmodum Diocæsarea, & Cæsaraugusta dicta est. Undecima hæc est Metropolis & Provincia Diœceseos Orientis, cui octo Episcopatus adjudicat *Brevis descriptio Finium Patriarcharum*: novem vero Nilus Doxapatrius. Posterior hæc enumeratio procul dubio accuratior censetur, & Leonis Sapientis Notitiæ conformis, quæ ejusmodi est.

Provincia Ciliciæ secundæ.

	Anazarbus Metropolis.	Flavias.	
	Mopsuestia.	Alexandria.	
ex Beveregio * Ægia.	*Ægea*.	Cabissus.	
	Epiphania.	*Cartabala*.	* Castabala.
* Eirenopolis.	*Irenopolis*.	Rhossus.	

Cabissum omisit Hierocles, in aliis legit, *Ægeæ*, pro *Ægia*: *Flavia*, pro *Flavias*: *Castaballa*, pro *Cartabala*: & *Rhosus*, pro *Rhossus*. *Notitia Antiocheni & Jerosolymitani Patriarchatuum*, non pauca earumdem urbium nomina aliter vertit.

Sedes septima Anavarza: Sub hac Sede sunt Episcopatus IX.

Epiphania.	Rossos.	
Alexandros.	*Castavali*.	* Castravali,
Irinopolis.	Eguas.	
Cambysopolis.	Sysysa.	
Flavias.		

V. Isauria Ciliciæ finitima, immo olim eodem nomine comprehensa, duodecima est Orientis Provincia, quam Lexicon Geographicum Philippi Ferrarii partem Galatiæ Australis facit; sed veteres potius Ciliciæ partem esse voluerunt, unde & Isauros *Cilices Montanos* appellarunt, teste Zosimo *lib.* 4. Et vero Ammianus Marcellinus Isauriam Ciliciæ adnexam narrat, ejusque situm ac loci ubertatem ita describit: (1) *Superatis Tauri montis verticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur; Cilicia spatiis porrigitur late distentis, dives bonis omnibus terra: ejusque lateri dextro adnexa Isauria, pari sorte uberi palmite viret, & frugibus multis; quam mediam navigabile flumen Calycadnus interscindit*. Gentes alit rapinis & latrociniis deditas, a quibus una cum Cilicibus Piraticum bellum, Auctore Floro, originem duxit. Ille ipse P. Servilius qui Ciliciam, etiam Isauriam domuit, uti Scriptores supra laudati narrant, atque in iis Sextus Rufus: *Cilices* (1) *& Isauros, qui se Piratis & prædonibus junxerant, Servilius Proconsul ad prædonum bellum missus subegit, & viam per Taurum montem primus instituit: & de Cilicibus, & Isauris triumphavit: atque Isauricus cogno-*

(1) Marcellinus lib. 14. pag. 312.

(1) Sextus Rufus in Breviar.

gnominatus est. Ad Servilii triumphum de Isauris reportatum allusit Claudianus *lib.* 1. *in Eutropium:*

Indomitos curru Servilius egit Isauros.

Pompejus quoque Isauris bellum intulit, subegitque omnes. Sæpe a Romanis rebellantes, sæpius domiti; ac tandem sub Gallieni Imperio post Trebelliani necem, qui Isauria potitus, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus, ipse se Imperatorem appellavit, cum Gallienus ne humanitate quidem reducere eos potuisset, pro barbaris habiti sunt. Hæc refert Trebellius Pollio: (1) *Neque tamen postea Isauri, timore ne in eos Gallienus sæviret, ad æqualitatem perduci quavis Principum humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro barbaris habentur; & quum in medio Romani nominis solo regio eorum sit, novo genere custodiarum, quasi limes includitur, locis defensa, non hominibus. Nam non sunt statura decori, non virtute graves, non instructi armis, non consiliis prudentes; sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: quos quidem Divus Claudius pæne ad hoc perduxerat, ut a suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus uni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, nequid ex ea postea rebellionis oriretur*. Retentam tamen Isauriam sub Romanorum potestate, tametsi crebro rebellasset, satis declarat Notitia Imperii infra Honorii, & Arcadii Principatum scripta, in qua Isauria inter reliquas Diœceseon Orientis Provincias locum tenet. Sub Augusto disterminatam fuisse a Cilicia Onuphrius putat; sed ipsi minime assentimur ob rationes superius allegatas. Hadriani tamen tempore dissectam fuisse a Cilicia nos docet Notitia Provinciarum Imperii, quam supra exscripsimus.

Num autem Apostoli in Isauriam Evangelium adportaverint, Apostolorum Acta expressam mentionem non faciunt. Arbitror tamen id a Divo Paulo factum, cum in partibus Ciliciæ Christi fidem enuntiavit. Nam de se ipso ait: *Veni in partes Syriæ, & Ciliciæ*. Et ibi eum visitasse Ecclesias, quas fundaverat, affirmant Apostolorum Acta: (2) *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias*. Porro Apostolorum ætate Isauria necdum a Cilicia divisa fuerat; & quamvis etiam ab illa tunc discreta fuisset, cum ea Ciliciæ adnexa esset, eam minime præteriisse Paulus credendus est, cum in partes Ciliciæ venit.

Istius Provinciæ Metropolis Seleucia fuit, quam a Seleuco Rege conditam affirmat Ammianus Marcellinus: (3) *Et hanc quidem*, scilicet *Isauriam, præter oppida multa, duæ civitates exornant, Seleucia opus Seleuci Regis, & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæsar*. Subdit mox Isauriam urbem antea florentem, postmodum suo tempore ob crebras rebelliones pæne vastatam: *Isauria enim antehac mœnium potens, olim subversa ut rebellatrix interneciva, ægre vestigia claritudinis pristinæ monstrat admodum pauca*. Occurit mentio hujus Provinciæ in Concilio Nicæno, tametsi Episcopus Seleuciæ, quæ est ejus Metropolis, primo loco non subscribat. Sed tamen, ut alibi monuimus, in antiquis Synodis subscriptionis ordo non semper attenditur. Attamen in Synodo CP. 1. *Sympofius Seleuciæ Isauriæ subscriptus* legitur. In Chalcedonensi pariter *Act.* 1. & in epistola Episcoporum Isauriæ ad Leonem Imperatorem relata par. 3. ejusdem Concilii, *Seleucia Metropolis Isauriæ* nominatur.

Epi-

(1) Trebellius Pollio de triginta Tyrannis cap. 25. in Trebelliano.

(2) Act. cap. 15. ver. 41.
(3) Marcellinus loco cit.

Episcopatus viginti quatuor sub hac Metropoli collocant *Brevis descriptio Finium Patriarcharum*, & Nilus Doxapatrius. At vero Hierocles Grammaticus viginti tres Urbes hujus Provinciæ recenset.

Provincia Isauriæ sub Præside. Urbes XXIII.

	Seleucia Metropolis.	Diocæsarea.
* Celesdere.	*Calesdere.*	Olbe.
	Anemurium.	Claudiopolis.
	Titiopolis.	Hierapolis.
	Lamus.	Dalisandus.
	Antiochia.	Germanicopolis.
	Juliosebaste.	Irenopolis.
	Cestri.	Philadelphia.
	Selinûs.	Moloë.
* Jotape.	*Jotatc.*	Darasus.
		Zeeda.
		Neapolis.
		Lauzadæ.

Plurimum in ejusmodi nominibus differt a Nilo *Notitia* Antiocheni & Jerosolymitani Patriarchatuum, unam insuper his civitatibus addit, & viginti quinque Urbes Isauriæ exhibet.

Sedes Octava Seleucia: Sub hac Sede sunt Episcopatus XXIV.

	Claudiopolis.	Selenunta.	
	Diocæsarea.	*Hiocopi.*	* Yocopi.
	Oropi.	Philadelphia parva.	
	Dalisandon.	Irinopolis.	
	Sevila.	Germanicopolis,	
	Kelenderis.	*Mosbda.*	* Mobsea.
	Anemori.	Domeciopolis.	
	Titopolis.	*Sbidi.*	* Abidi.
	Lamos.	*Zinonopolis.*	* Sinonopolis.
	Antiochia parva.	*Andrasson.*	* Adrasson.
* Hephelia.	*Nefelia.*	*Miloy.*	* Myrai.
	Ristria.	Neapolis.	

Sed pleniorem ceteris catalogum Civitatum Isauriæ descripsit Leo Sapiens Imperator, totamque Provinciam in novem supra viginti urbes distribuit.

Provincia Iſauriæ.

Seleucia Metropolis.
Cilindres.
Anemorium.
Titiopolis.
Lamus.
Beveregius: Antiochia.
* Heliu Sebaſte: *Elioſebaſte.*
Carolus a S. Paul. * Julio Sebaſte: *Seſtra.*
Selenuntes.
* Ceſtra. Joſtape.
Diocæſarea.
Olya.
Hierapolis.
Neapolis.
Daliſandus.

Claudiopolis.
Irenopolis. * Eirenopolis.
Germanicopolis.
Zenopolis. * Zenonopolis.
Sbidæ.
Philadelphia.
Adraſſus.
Meloe.
Dometiopolis. * Domitiopolis.
Nauſadeæ.
Et Climata Caſſorum.
Banaborum. * Benæorum.
Bolboſi. * Golgoſi.
Coſtradis.

Poſt Leonem Sapientem, qui ſeculo nono tempore Photii regnabat, ſicuti etiam poſt Hieroclem Grammaticum, hæc Provincia in Notitiis interdum vetus nomen Iſauriæ retinuit, nonnumquam vero *Antiochia prima* vocatur maxime in *Notitia Eccleſiarum Urbis & Orbis* edita ab Epiſcopo Catharenſi ante annos 370. ubi Epiſcopatus vigintiquatuor ſub Metropoli Seleuciæ conſtituti leguntur, licet Auctor tantum vigintiduos exprimat, quorum nomina pleraque conveniunt cum *Notitia Antiocheni & Jeroſolymitani Patriarchatuum*; aliqua tamen differunt. Sunt autem ejuſmodi. *In Antiochia prima. Sedes octava Seleucia, Sub hac Sede ſunt Epiſcopatus XXIV.* Claudiopolis: Diocæſarea, Oropi, Dalixandis, Semela, Belanderis, Anepion, Tutopilis, Namos, Neſelia, Luſtra, Jocax, Philadelphia, Janopolis, Termonicopolis, Obidi, Zinopolis, Adrasdii, Milori, Domoapolis, Neapolis, Mobda.

VI. Tres Palæſtinæ reliquas Diœceſeos Orientis Provincias componunt. Haud ſemel Palæſtinæ nomen & mentio in ſacris litteris occurrit; veluti *Geneſeos cap. 26., & Ezechielis cap. 25.* Amplior erat hæc regio, quam ſola Judæa fuit; & hæc magnam quidem Palæſtinæ partem efficiebat, ſed non totam regionem: tametſi interdum promiſcue una pro altera accipiatur, ut videre eſt apud Dionem hæc ſcribentem: (1) *Palæſtina antiquitus univerſa ea gens vocabatur, quæ ſe a Phœnicia ad Ægyptum uſque, juxta mare Mediterraneum extendit. Habet autem aliud præterea adſcititium nomen; regio enim ipſa Judæa, gens Judæi appellantur.* (2) Plinius tamen diligentius videtur hanc Provinciam veſtigaſſe: cum enim primum dixiſſet, Palæſtinam Syriæ partem eſſe, paulo poſt ſingulas, quas illa ambit, regiones ſeparatim percurrit, Idumæam, Samariam, & Judæam ipſam, quam ab his diſcernit, ac in varias partes diſpeſcit; quamquam Samaria, antequam ſchiſmate facto a Judæis ſcinderetur, proprie ad Judæam pertineret; ſecus Idumæa, quæ licet ab hac ſemper divulſa, intra Palæſtinæ tamen terminos clauditur, nec umquam in forma Imperii ab Auguſto, Hadriano, & Conſtantino deſcripta, diverſam a Palæſtina

(1) Dio lib. 37. Hiſtor. Rom.

(2) Plinius lib. 4. cap. 12.

stina Provinciam constituit. Plinii verba hæc sunt: (1) *Supra Idumæam & Samariam, Judæa longe lateque funditur. Pars ejus Syriæ juncta, Galilæa vocatur: Arabiæ vero, & Ægypto proxima, Peræa, asperis dispersa montibus, & a ceteris Judæis Jordane amne discreta. Reliqua Judæa dividitur in Toparchias decem quo dicemus ordine: Hiericuntem palmetis consitam, fontibus irriguam Emmaum, Lyddam, Joppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenen, Orinen, in qua fuere Jerosolyma, longe clarissima urbium Orientis, non Judææ modo: Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis*. Pari modo Sextus Aurelius Victor Palæstinam Judæamque velut distinctas regiones commemorat: (2) *Syria*, inquit, *seu Palæstina, necnon Cilicia Trachea, & Commagene Provinciis accessere. Judæi quoque additi sunt*. Jure quidem ac merito, cum Palæstina latius pateret, ac præter Judæam, alias quoque regiones comprehenderet.

VII. Id perspicuum fiet, si metiamur terminos terræ Chanaan, quos illi Sacra Scriptura adscribit: quæ enim Abrahami ævo Chananitis regio dicebatur, postmodum Palæstina vocari cepit. Porro Cananitidis terminos dimensus est Moyses: (3) *Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim usque Lesa*. Sidon, cujus prima hoc loco habetur mentio, Urbs est Phœniciæ Maritimæ, ad mare sita; a qua per littus Maritimum, usque Gazam, Chananitidum regio fines suos occiduos proferebat: ab hac, quam secundo loco ponit, urbe, per Geraram ad Sodomam, & alias Pentapolis civitates, quas inter est Lesa, quam solam ad Lothi preces Deus intactam ab Incendio esse voluit, reliquos terminos. Nam Lesa, seu Lais, quæ & Dan civitas vocatur, fonti Jordanis proxima, usque Sodomam, Orientalem Chananitidis limitem format. Ab hac eadem autem urbe Lesa usque Sidonem limes Borealis mensuratur. Quatuor hos terræ Chanaan terminos alibi Sacra Scriptura, prætermissis Civitatum nominibus, aliter metitur; nempe *Numer. cap.* 34. Occidentalis illius terminus mare Mediterraneum statuitur, quod ibi magnum nominatur: Septemtrionalis mons Libani, *altissimus* ibidem appellatus: Orientalis fluvius Jordanis ab ejus fonte usque ad mare mortuum, quod eodem loco *Scriptura salsissimum* vocat: Meridionalis tandem a mari mortuo usque ad Torrentem, seu fluvium Ægypti. Tametsi *Deuteronomii cap.* 11. confinium istud *Deserti* dicatur, illius nimirum unde Arabia incipit. Porro intra Meridionalem limitem terræ Chanan, quem *Numerorum liber, cap.* 34. ponit Torrentem Ægypti, Gerara, & Gaza, sitæ erant Chananitidis regionis urbes. Ex iis Gerara Civitas Palæstinorum appellatur *Geneseos cap.* 26. quæ proinde ad Philistæos pertinebat, sicuti Gaza, & aliæ urbes iisdem finibus clausæ, & in libro Josue per Regulos eis imperantes recensitæ: *Terra Chanaan*, (4) *quæ in quinque Regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas*. Quos Josue Regulos, eosdem liber *Judicum cap.* 3. *quinque Satrapas Philisthinorum* nominat. Horum urbes erant quinque Provinciarum capita; nam totidem regiones Satrapis commissæ, quinque Provinciæ Philistæorum dictæ sunt *lib.* 1. *Reg. cap.* 6. Philistæi igitur partem terræ Chanaan incolebant, quos Deus medios inter Judæos esse voluit, (5) *ut erudiret in eis Israelem, & omnes, qui non noverant bella Chananæo-*

(1) Plinius lib. 4. cap. 14.
(2) Aurelius Victor in Epitoma.
(3) Genes. cap. 10.

(4) Josue cap. 13.
(5) Lib. Judicum cap. 3.

nanæorum. Hinc perpetua cum Judæis bella gesserunt, in libris Judicum, & Regum exarata. Iidem, & Palæstini vocantur apud *Ezechielem cap.* 25. A Davide quidem subacti tributum impendere compulsi sunt, non tamen deleti, neque a propriis urbibus exacti. Immo usque ad Machabæorum tempora (1) illas inhabitarunt; & licet a Juda Machabæo, & Jonatha ejus fratre Azotus, quæque illi adjacebant urbes vastatæ fuerint & combustæ, Ascalonem tamen retinuerunt; quin etiam quo tempore Romani bellum Judæis inferre cœperunt, Azotus antiquis habitatoribus restituta fuit. Alia proinde erat Philistinorum regio a Judæa, & tamen Terræ Chanaan pars extitit; immo huic Palæstinæ vocabulum indidit. Hoc quippe nomen a Philistæis derivatum indicat Sanctus Hieronymus *in Quæst. super Genesim*, ad verbum *Chasluim;* quod *cap.* 10. *ver.* 14. legitur: (2) *Chasluim, qui deinceps Philistiim appellati sunt, quos nos corrupte Palæstinos dicimus*.

VIII. Altera Palæstinæ pars fuit Idumæa, quam ab Idume oppido dictam plures volunt, cujus meminit Lucanus *lib.* 3.

Gazaque, & arbusto palmarum dives Idume.

At Josephus (3) ab Esau, cui ob Lenticulæ rubentis esum ludibrii causa Adomi nomen impositum fuit a Sociis, Adomam dictam refert, quam vocem Græci in melius deflectentes, Idumæam vocarunt. Regio est inter Judæam & Arabiam sita, ad Occasum Casio monti proxima. Ejus incolas a Nabathæis ortos testatur Strabo lib. *6.* qui excitata domi seditione, relictis sedibus suis, extrema Judææ occuparunt. Verius tamen Josephus prodit, Esau filios nepotesque Provinciam hanc habitasse. Recensitis quippe eorum nominibus, subdit: *Hi habitaverunt Idumææ regionem, quæ Gobolitis dicitur, & eam quæ de Amaleci nomine Amalecitis est appellata. Quondam enim late patentem terram Idumææ nomen complectebatur, cujus partes a primis colonorum inductoribus denominatæ appellationes eas postea retinuerunt*. Hujus regionis partem dumtaxat a Josue Simeonis tribui distributam, tradit idem Josephus: (4) *Simeonis Tribus sortita est Idumææ partem Ægypto & Arabiæ conterminam*. Itaque Idumæa una ex Palæstinæ Provinciis fuit a Judæa situ, incolis, & religione discreta: Idumæi siquidem non Judæorum leges, sed Gentilium ritus sequebantur, & falsa ipsorum numina colebant: hostes & ipsi una cum Gentilibus Judaici nominis. Ob hanc causam Prophetæ Idumæis æque ac Ethnicis infensi vehementer eos increpaverunt, *Jeremias* præsertim *cap.* 49. *& Abdias cap.* 1. 5. *&* 8. multis objurgationibus castigavere. Hinc antiqui Patres Herodem Antipatri filium, quem Idumæum genere Josephus commemorat *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 11. *&* 28. alienigenam, & allophylum respectu Hebræorum summo consensu pronuntiant, Julius Africanus apud Eusebium *lib.* 1. *Histor. Eccles. cap. 6.* Origenes *hom.* 17. *in Genesim*, Epiphanius *hæresi* 20. quæ est Herodianorum, Ambrosius *lib.* 3. *in Lucam*, Hieronymus, *Comment. in cap.* 3. *Oseæ*, Augustinus *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 45. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 7. *Glaphyrorum in Genes.* & Theodoretus *Dialog.* 1. Quamquam vero ii Patres a Josepho dissentiant, quod Herodem Ascalonitam dicant, ille autem Idumæum, in eo tamen conveniunt, quod alienigenam asserant, hoc est non ex Judaica stirpe, sed peregrina creatum; ac nominatim Julius Africanus, & Epiphanius Herodis quidem genus ab Ascalone repetunt,

Rufinus, Edom.

(1) Lib. 1. Machab. cap. 5. & 10.
(2) S. Hieronymus quæst. in Genes. c. 10. vers. 14.
(3) Josephus lib. 2. Antiq. c. 1.
(4) Idem lib. 5. cap. 1.

tunt, nihilominus Idumæum fuisse observant, quod eum Antipater in Idumæa genuisset; propterea & alienigenam appellant, quo nomine in Scriptura Sacra Idumæi a Deo nuncupantur: (1) *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt*. Verum quidem est integro fere seculo ante Herodis Regnum, Idumæos ab Hyrcano Judæorum Summo Pontifice ac Principe devictos, Coze proprio Gentis Idumææ Idolo renuntiasse, ac Ritibus prioris Idololatriæ antiquatis, Circumcisionem ac universum veri Dei cultum amplexos esse, uti narrat Josephus *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 17. *& lib.* 15. *cap.* 11. Attamen peculiarem populum a Judæis genere distinctum constituebant. Non enim a Religione tantum, sed stirpe Hebræi vocabantur: penes quos aliud erat esse *ex genere Israël, Hebræum ex Hebræis*, (2) ut loquitur Apostolus: aliud accepta circumcisione ad populum Israëlis aggregari. Quamobrem sicuti gens alia Idumææ, alia Judæorum fuit, ita & discretæ invicem utriusque gentis regiones; quemadmodum illas sejungunt, Strabo, Plinius, aliique veteres Geographi.

IX. At inficiari nullus poterit, veterem Judææ tractum, præsertim Salomonis ævo, latius limites suos porrexisse, & Idumæam, atque Philistæorum Provincias complexum esse; tametsi Idumæi, Philistæique propriis viverent legibus, nec eamdem cum Hebræis religionem verique Dei cultum profiterentur. Limites illos Deus Abrahamo indicavit: (3) *Semini tuo*, inquit, *dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem*. Quo loco terram inter Euphratem, & fluvium Ægypti positam, Abrahami posteris possidendam pollicetur: in duas idcirco partes secabatur, quarum una ab Ægypti flumine, usque ad Jordanem protendebatur, totam Chananitidem regionem complectens: altera a Jordane usque ad Euphratem pertingebat. Totum hunc terræ tractum in duas partes divisum, Josue Dei jussu in duodecim Tribus Israëlis distribuit. Quæ trans Jordanem erat versus Euphratem, Tribubus Ruben, & Gad, ac dimidiæ tribui Manassis cessit; reliquis vero Tribubus pars altera terræ amplior cis Jordanem in Cananitidem regionem usque ad Ægypti fines. Eam Tribuum partitionem Scriptura Sacra exhibet *Josue cap.* 13. *& sequentibus*; limites vero cuique illarum præfixos hunc in modum Josephus (4) descripsit: „ Cumque ad sortem ventum esset, „ Tribui Judæ obvenit tota superior „ Judæa pertinens usque Jerosolyma: „ latitudo vero ejus Sodomiticum lacum attingebat: in hac sorte urbes „ erant Ascalon, & Gaza. Secundo „ loco Symeonis sortita est Idumææ „ partem Ægypto, & Arabiæ conterminam. Beniamitæ deinde regionem sortiti sunt, quæ a Jordane amne usque mare protenditur: „ latitudo vero ejus patet Jerosolyma „ inter & Bethelas; angustissima autem hæc sors fuit, propter agri „ bonitatem; Jerosolyma enim, & „ Hiericuntem acceperunt. Ephræmi „ autem tribus terram a Jordane usque „ Gadara in longum protensam sortita est, in latum patentem a Bethelis usque ad magnum campum. Manassetidis item dimidia pars agrum „ a Jordane usque Dora urbem; latitudo usque Bethsana, quæ nunc „ Scythopolis vocatur. Post hos Issacharis in longum patentem a flumine usque Carmelum Montem, latitudinis vero mons Itabyrius fuit „ terminus. Zabulonitæ usque Ge-

„ nesa-

(1) Psalm. 107.
(2) Ad Philipp. cap. 3.

(3) Genes. cap. 15.
(4) Josephus lib. 5. Antiq. cap. 1.

„ nesaritem lacum terram Carmelo, „ & mari contiguam sunt sortiti. Quæ „ autem regio post Carmelum sita est, „ convallis ex re nomen habens to- „ ta Aseritis cessit, qua ad Sidonem „ est obversa. In hac portione fuit „ urbs Arcæ, alio nomine Actipus. „ Quæ vero ad Orientem spectant „ usque Damascum urbem, & supe- „ rior Galilæa Nephtalitis obtigit, „ usque Libani montem, & Jordanis „ fontes, qui ex hoc monte oriun- „ tur, qua fines sunt Arces urbis ver- „ sus Septemtriones sitæ. Porro Da- „ nitæ adepti sunt quidquid vallis ad „ Occidentem solem vergit, Azoto & „ Doris terminati. Horum est Jamnia, „ & Gitta, & totus ager, qui ab Ac- „ carone pertingit usque montem, a „ quo Judæ Tribus initium fecit. Ad „ hunc modum sex gentium a filiis „ Chananæi denominatarum regionem „ Jesus divisit, & novem cum dimi- „ dia Tribubus habitandam dedit. „ Amorrhæam enim & ipsam ab uno „ ex filiis ejus dictam Moyses jam „ ante duabus cum dimidia Tribu- „ bus diviserat, ut supra diximus.

Dilatavit postmodum hos Judææ terminos Rex Salomon, (1) quando Amorrhæos, Hethæos, Pherezæos, Hevæos, & Jebusæos, *quos non potuerant filii Israël exterminare, fecit tributarios;* ut in *lib.* 3. *Reg. c.* 9. *ver.* 20. Scriptura testatur. Urbes vicosque in omnibus ditionis suæ Provinciis munivit; atque inter ceteras civitates ædificavit *Palmyram in terra solitudinis*, ut ibidem *ver.* 18. proditum est: quæ civitas Euphrati proxima erat, Josepho auctore: (2) Salomon, inquit, „ ingressus in desertum, quod est su- „ per Syriam, ejusque regionis po- „ titus, urbem ibi maximam condi- „ dit duorum dierum itinere a Su- „ periore Syria distantem, ab Eu- „ phrate vero unius: ad magnam „ autem Babylonem inde sex dierum „ via protendebatur. Quare a reli- „ quis cultæ Syriæ partibus hæc urbs „ tam procul habitetur, causa est „ hæc, quod mediterranea per deser- „ tum petentibus, ibi demum fon- „ tes ac putei reperiuntur. Hac igi- „ tur urbe extructa, & mœnibus va- „ lidissimis cincta, Tadamoram eam „ appellavit, quo nomine etiam nunc „ a Syris vocitatur; Græci Palmy- „ ram nominant. Hactenus Josephus: ex cujus verbis facile colligi potest, Salomone imperante, Judæorum Regnum usque ad Euphratem sese extendisse, quod Scriptura insinuat, dum ait, (3) quod *Salomon obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Tapsha usque ad Gazam*. Tapsha enim ad ripam Euphratis sita erat. Post Salomonis obitum, scisso in duas partes Judæorum Regno, ac deinceps ab Assyriis decem Tribubus in captivitatem abductis, Judæa in varias Provincias divisa est, abstractis ab ipsa Samaria, & Galilæa; Idumæis itidem, & Palæstinis propria nomina aut recens indita, aut olim imposita denuo redierunt; decem Tribuum ad Regnum Israëlis pertinentium Sedes, ac limites translati, confusique; ut proinde mirum non sit, Judææ descriptionem qualem Strabo, Marcellinus, aliique Scriptores delinearunt, veteri non plane conformem esse. Unum Palæstinæ nomen nunc complectitur Judæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, & Philistæorum regiones, a quibus vocabulum illud derivatum est.

X. Victor Pompejus cum Asiam subjugasset, Palæstinam quoque invasit, debellavitque universam, atque in Provinciæ formam redegit. Hanc Pompejo gloriam defert Tacitus *lib.* 5. *Hi-*

(1) Lib. 3. Reg. cap. 9. v. 20.
(2) Josephus lib. 8. Antiquit. cap. 2.

(3) Lib. 3. Reg. cap. 4. v. 24.

Histor. [1] *Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit: templumque jure Victoriæ ingressus est*. Ammianus Marcellinus eleganter regionis amœnitatem urbesque, & Pompei victoriam delineavit: [2] *Ultima*, inquit, *Syriarum est Palæstina, per intervalla magna protenta, cultis abundans terris, & nitidis, & civitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorem Octaviani Principis exædificavit Herodes: & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Ascalonem, Gazam, & Juliam, ævo superiore extructas. Verum has quoque regiones pari sorte Pompejus Judæis domitis, & Jerosolymis captis in Provinciarum speciem rectori delata jurisdictione formavit*. At vero Carolus Sigonius ex Dione, Plutarcho, Appiano, & Josepho tradit, Judæam a Pompejo non in Provinciam constitutam, sed Hyrcano, quem Regem creavit, concessam: [3] *Pompejus* ait, *Aretam Arabum Regem, qui Syriam populatus erat, prælio victum in deditionem accepit; post in Palæstinam profectus, Hyrcanum, & Aristobolum Judæos fratres interse de Regno contendentes adortus, illum primo congressu, hunc acie majore mole superavit: urbem eorum Jerosolymam cepit; atque Hyrcano Rege constituto in Pontum reversus, urbibus in fidem acceptis, in Asiam trajecit*. Ceterum Josephus non Regnum Judææ Hyrcano tributum refert, sed Pontificatum ipsi restitutum, Jerosolymas tributarias Populi Romani factas, plures civitates Judæis ademtas, easdemque aut antiquis habitatoribus suis redditas, aut Syriæ Romanorum Provinciæ aggregatas. En Josephi verba: [4] *Pontificatum Hyrcano reddidit . . . . Et Jerosolymas quidem Populo Romano fecit stipendiarias; Urbes vero, quas eorum cives sibi subjugaverant, in Cœlesyria ademtas illis jussit proprio parere Præsidi, & totam gentem prius elatam rebus prosperis contraxit intra veteres terminos. Gadara deinde paulo ante dirupta instauravit in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii: reliquas vero Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion, Samariam, Marissam, Azotum, Jamniam, Arethusam suis restituit habitatoribus, easque in Mediterraneis, præter variis bellis dirutas. Maritimas vero Gazam, Joppem, Dora, Stratonis Turrim, quæ ab Herode magnifice condita, & portubus atque templis exornata, Cæsarea mutato nomine appellata est; has omnes Pompejus liberas esse jussas Provinciæ contribuit*. Ex hoc Josephi testimonio cumprimis discimus, urbes ab Judæis in Cœlesyria occupatas Præsidi istius Provinciæ iterum a Pompejo subjectas: tum deinde Gadara instaurata, Hipponem vero, Scythopolin, Pellam Dionem, Samariam, Marissam, Azotum, Jamniam, Arethusam, suis habitatoribus restitutas: Maritimas autem civitates, Gazam, Joppen, Dora, Turrimque Stratonis libertate donatas Provinciæ, nimirum Syriæ, adscriptas. Quare Pompejus nedum Judæam a Palæstina divisit, ut illius Triumpho affixæ inscriptiones testantur, tametsi constet, Judæam in Palæstina sitam esse; sed etiam Judæam ipsam veluti in partes discerpsit, multis ejus urbibus vel in libertatem ascitis, vel Syriæ Præsidi commissis. Attamen totam Judæam in Provinciam minime redegit Pompejus; sed Judæos tributarios dumtaxat effectos, patriis legibus vivere permisit. Quod illi usque ad Jerosolymorum excidium obtinuerunt.

Pompejo e vivis sublato, Marcus Antonius Regnum Judææ Herodi con-

[1] Tacitus lib. 5. Histor.
[2] Marcellinus lib. 14.

[3] Carolus Sigon. Comment. in Fast. & Triumph. Rom.
[4] Josephus lib. 14. Antiq. cap. 8.

cessit, quod postea eidem confirmavit, auxitque Cæsar Augustus: Tacito referente: (1) *Postquam in ditionem Marci Antonii Provinciæ cesserant: Rex Parthorum Pacorus Judæa potitus, interfectusque a P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti: Judæos C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit.* Quid Herodis Regno addiderit Cæsar non expressit Tacitus; memorat tamen Josephus: (2) *Regno partem finium addidit, quam Cleopatra demserat. Et præterea Gadara, Hippon, Samariam: maritimarumque insuper civitatum Gazam, & Anthedonem, & Joppen, & Pyrgum Stratonis: & ad hæc satellites quadringentos Gallos ei donavit, quos antea Cleopatra stipatores habebat. Nulla autem res magis liberalitatem Cæsaris incitabat, quam magnus animus accipientis. Post pugnam vero Actiada, etiam regionem quæ Trachonitis vocatur, ejus ditioni subdidit, eique continentem Batanæam, itemque Auranitin.* Addit, post Zenodori mortem, Herodi *terram omnem, quæ inter Trachonem, & Galilæam erat*, attributam. Post Herodis obitum (inquit Tacitus) Judæam *liberi ejus tripartito rexere:* tres nimirum Herodis filii, Archelaus, Herodes Antipa, & Philippus; quos pater morti proximus heredes instituit; nam teste Josepho, (3) *mutata voluntate mutavit etiam testamentum; Antipam enim, quem prioribus tabulis Regni successorem destinaverat, Galilææ simul, ac Peræa Tetrarcham constituit. Regnum vero Archelao largitus: Trachoniticam, Gauloniticam, Batanæam, & Paneada regiones Tetrarchiæ nomine assignavit Philippo filio, germano fratri Archelai: Jamniam autem, Azotum, & Phaselida Salomæ sorori suæ attribuit, & argenti signati quingenta millia.* Verumtamen Cæsar auditis Antipa & Archelao, (4) *Archelaum non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei concessa, Ethnarcham eum constituit: Regnum quoque pollicitus, quamprimum ille se tali honore dignum redderet. Huic transamnana regio cessit cum Galilæa, & ducenta talenta annua. Batanæa vero, cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quadam Zenodori (ut vocant) domus obtigit Philippo, & centum talenta annui reditus, Archelao vero Judæa, & Idumæa, præterque has Samaria, cui ex auctoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, eo quod ceteris tumultuantibus soli quieti manserant in officio. In ejus ditione comprehendebantur urbes, Stratonis Turris, Sebaste, Joppe, Jerosolyma. Nam Gazam, Gadara, & Hippon Græcanici instituti urbes, Cæsar ob id separatas a Regni terminis Syriæ contribuit. DC. autem talenta quotannis redibant e sua ditione ad Archelaum. Atque hoc fuit Herodis filiorum patrimonium.*

XI. In tres partes Herodis Regnum distributum tribus Tetrarchiis initium dedit, quarum mentio nedum apud profanos, sed etiam apud sacros Scriptores occurrit. Prima, quæ Philippo obtigit Tetrarchia trans Jordanem posita erat, ejusque termini, ab Aquilone quidem montes Libani, & Hermonii, a meridie Peræa, atque ad ultimas usque Maris Tiberiadis oras pertingebat. Eam ita descripsit Josephus: *Gamalitica, & Gaulanitis, & Batanæa, & Trachonitis: quæ etiam Regni Agrippæ partes sunt. Eadem vero terra incipiens a monte Libano, & fontibus Jordanis, usque ad Tiberiadi proximum lacum latitudine panditur; a vico autem, qui appellatur Arphas, ad Juliada oppidum longitudine tendit, & habitatur ab incolis Judæis, Syrisque*

(1) Tacitus lib. 5. Histor.
(2) Josephus lib. 1. de Bello Judaico cap. 15.
(3) Idem lib. 17. cap. 10.
(4) Ibid. cap. 13.
(5) Idem lib. 3. de Bello Judaico cap. 2.

que promixtis. Altera, quæ Herodis Antipæ Tetrarchia fuit, complectebatur Peræam, Galilæamque, regiones Judææ. Peræa trans Jordanem sita est, cujus *longitudo a Machærunte in Pellam, latitudo vero a Philadelphia usque ad Jordanem. Et Pella quidem, quam supradiximus, Septemtrionalis ejus est tractus; Occiduus vero Jordanis; Meridianum autem Moabitis regio terminat; ab Oriente autem Arabia, & Silbonitide, nec non & Philadelphia, itemque Gerasis clauditur*. Galilæa vero *pars est Judææ Syriæ juncta*, ut inquit Plinius *lib. 5. cap. 14.* Ejus disserta mentio fit *Josue cap. 13. ver. 2. & lib. 3. Reg. cap. 9.* ubi legimus, dedisse Salomonem Hiram Regi Tyri viginti oppida in Terra Galilææ: quo ex loco discimus, Tyrum maritimam Phœniciæ urbem extra Galilææ terminos extitisse, cui Josephi ætate Carmeli mons adjectus fuit, cum prius ad Galilæam pertineret. Josephi verba hic damus, quibus Galilææ situm delineavit: *Duæ autem sunt Galilææ, quæ superior, & inferior appellantur, easque Phœnice, & Syria cingunt. Discernit vero ab Occidente Ptolemais territorii sui finibus, & quondam Galilæorum, nunc autem Tyriorum mons Carmelus; cui conjuncta est Gaba civitas Equitum, quæ sic appellatur, eo quod Equites ab Herode Rege dimissi, coloni eo deducebantur. A Meridie autem Samaritis, & Scythopolis usque ad flumen Jordanem. Ab Oriente vero Hippene, & Gadaris, sed & Galanitidis desinit: qui etiam Regni Agrippæ fines sunt. Septemtrionalis autem ejus tractus Tyro, itemque Tyriorum finibus terminatur. Inferioris quidem Galilææ longitudo a Tiberiade usque ad Zabulon, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais, protenditur. Latitudine autem patet a vico Xaloth, qui in magno campo situs est, usque ad Bersaben; unde etiam superioris Galilææ latitudo incipit, usque ad Bacam vicum, qui terram dirimit Tyriorum. Longitudo vero ejus a Thella vico Jordani proximo usque ad Meroth extenditur*. Addit paulo post Josephus: *In qua Civitates crebræ sunt, & ubique multitudo vicorum propter opulentiam populosa, ut qui sit minimus, supra quindecim millia colonorum habeat*. Tertia, quæ ad Archelaum pertinuit Tetrarchia Samariæ, Judææ, & Idumææ regionibus constitit. Samaria Judææ contermina est, & Phœniciæ, ac Galilææ jungitur, eamque Josephus hunc in modum descriptam exhibet: *Samariensis autem regio inter Judæam quidem, & Galilæam sita est. Incipiens enim a vico in planicie posito, cui nomen est Ginæa in Acrabatenam desinit Toparchiam: sed natura nihil a Judæa discrepat, nam utraque montosæ sunt, & campestres, agrisque colendis molles, atque optimæ, necnon & arboribus plenæ.... Harum confinium est Anvath vicus, qui etiam Borceos appellatur, Judææ limes a Septemtrione. Meridiana vero pars ejus si in longitudinem metiare, adjacenti vico Arabum finibus terminatur, cui nomen est Taria. Latitudo sane a Jordane flumine usque ad Joppem explicatur. Media vero ejus est Jerosolyma: unde quidam non sine ratione umbilicum ejus terræ eam urbem vocaverunt. Sed nec marinis quidem Judæa deliciis caret, ad Ptolemaidem usque locis extenta maritimis*. Nullam Idumææ descriptionem Josephus adorsus est, licet Judææ contermina sit; verum quia infelix est regio, & vix in novo Testamento memorata, eam & nos prætermittimus, his contenti, quæ de illa superius diximus.

Posterior hæc Tetrarchia haud diu stetit: Archelaus quippe apud Augustum accusatus a Judæorum & Samaritanorum Proceribus, decimo post Herodis obitum anno, Viennam Galliæ relegatus est, ejus patrimonium ac thesauri fisco adjudicati, regiones vero in Provinciæ formam redactæ,

& Syriæ adjectæ sunt: qua de re hæc Josephus narrat: [1] *Quirinus Senator Romanus a Cæsare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium: & cum eo venit Coponius, Præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Judææ rerum administratio. Quin & ipse Quirinus in Judæam venit jam attributam Provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates ejus regionis civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret*. Eadem potestate usus Tiberius Augusti successor, Pilatum in Judæam Procuratorem destinavit, teste pariter Josepho: [2] *Missus autem a Tiberio in Judæam Pilatus curandam regionem accepit*. Nihil tamen de Herodis Antipæ, & Philippi Tetrarchiis detractum est, sed ambo ad finem usque vitæ illis præfuerunt; quod idem Scriptor prodit: *Archelai Ethnarchia*, inquit, *in Provinciam redacta, reliqui, idest Philippus, & Herodes, qui cognominabatur Antipas, Tetrarchias suas regebant*. Philippo vita functo, Cajus Caligula post Tiberii obitum Imperio potitus, Agrippæ Aristobuli filio, quem Tiberius Romæ in carcerem conjecerat, Philippi Tetrarchiam concessit, unaque dignitatem Regisque nomen impertiit: *Succedens in Imperium Cajus Cæsar*, (prosequitur Josephus) *absolvit Agrippam vinculis, & Tetrarchiam Philippi* (jam enim is decesserat) *ei tradidit, Regemque appellavit*. Quin & paulo post ditionem ejus amplificavit, in ipsum quoque translata Herodis Antipæ Tetrarchia, qua ille propter avaritiam excidit, cum Romam una cum uxore profectus, ut a Cajo etiam ipse Regium nomen obtineret, ab eo gravissime objurgatus, aufugit in Hispaniam: *Herodes*, subdit Josephus, *venit ad Cajum, a quo ob avaritiam vehementer increpitus ad Hispaniam fugit; secutus eum quippe fuerat accusator Agrippa, cui etiam Tetrarchiam illius Cajus Cæsar adjecit*. Cajo interim sublato, Agrippa Romam reversus, cum Claudio ad Imperium a Senatu, & militibus obtinendum ope, & consilio astitisset, [3] Claudius *Agrippam protinus donat Regno paterno universo, adiiciens ei etiam illam, quam Augustus Herodi donaverat, Trachonitidem scilicet, & Auranitidem: præter hæc autem aliud quoque Regnum, quod Lysaniæ vocabatur*. Quod tamen de Lysaniæ Tetrarchia Agrippæ a Claudio concessa affirmat Josephus, ita intelligendum est, ut non primus eam impertitus sit, sed antea a Cajo Agrippæ tributam, Claudius confirmaverit. Alioquin sibi non constaret Josephus, *cum lib.* 18. *Antiquit. cap.* 8. de Cajo scripserit: *Elapsis non multis diebus*, Cajus *accersitum ad se domum, tonderi, vestemque mutare præcepit, imposito deinde in ejus caput diademate, Tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem constituit, adjecta Lysaniæ quoque Tetrarchia*.

Quæ vero esset Lysaniæ Tetrarchia Josephus non explicat, eam tamen Abilinæ vocabulo expressit Sanctus Lucas Evangelista; sicut etiam Ituræ meminit, quæ pars fuit Tetrarchiæ Philippi, cujus tamen altum est silentium apud Josephum: [4] *Anno*, inquit, *quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto*. Lysaniæ Tetrarchiam S. Lucas Abilinam vocat ab Abila urbe ejus regionis primaria, a Plinio, & Ptolemæo inter Paneadem, & Damascum collo-

(1) Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 1.
(2) Idem lib. 2. de Bello Judaico cap. 8.
(3) Ibid. cap. 10.
(4) S. Lucas cap. 3.

collocata, quæ olim quidem veteri Judææ confinis erat, extra illius tamen limites sita: unde isthæc Abilinæ regio a S. Luca memorata, ab Geographis recentioribus, præsertim Sampsone ultra montes Libani in Cœlesyria, seu ut alii vocant, in Phœnicia Libani ponitur. De Ituræ regione dissidium est inter Geographos, ubinam illa fuerit: aliqui enim eam locant inter Pellam, & Peræam, immo inter Trachonitidis, & Peræ regiones mediam faciunt. Recens Auctor Thesauri Geographici, Tom. 1. affirmat, eamdem esse Ituræam, ac Peræam: ejus vero Sententiæ assertorem facit Strabonem. At enim Strabo refert, [1] quod ultra Damascum *sint duo colles, qui Trachones appellantur, postea Arabiam, & Ituræam versus sunt montes asperi, & altis speluncis insignes, quarum una quatuor hominum millia recipere possit in excursionibus, quæ undique in Damascenos fiunt*. Ex hoc Strabonis testimonio colligimus, Ituræam montibus potissimum constitisse, sicuti & Arabiam illi contiguam: Trachones autem colles, a quibus Trachonitis appellatur, haud procul ab Ituræa positos. Nam idem Strabo paulo ante dixerat, Arabiæ montes *desinere in eos, qui ibi Trachonitæ dicuntur, in alios quosdam montes, qui glebosos, atque fructiferos colles habent*. Additque: *Montanam autem regionem Ituræi, & Arabes habent malefici omnes*. Ituræa Montana regio a Strabone vocatur, quæ Arabiæ montibus adhærebat, Trachonitidi conjuncta, a qua in eo differebat, quod hæc planitie potius, & collibus, Ituræa vero asperrimis montibus constaret, a quibus Trachonitis incipiens, usque ad Jordanem fluvium pertingebat. Quare satius videtur asserendum, Traconitidem regionem trans Jordanem a Libani, & Ituræ montibus usque ad Peræam protendi, ac subinde hujus regionis nomine etiam Gaulanitidem, & Batanæam comprehendi: quas omnes Sanctus Lucas Trachonitidis, & Ituræ vocabulo complexus est, ex quibus Tetrarchia Philippi composita erat.

XII. Omnes itaque Tetrarchiæ in tres Herodis filios distributæ, denuo in unum Regnum coaluerunt, cui præfuit Agrippa Rex, ille ipse, qui Jacobum Jerosolymis gladio interfecit, & Petrum conjecit in carcerem, Herodis nomine vocatus *in Act. Apostolorum cap.* 13. ubi & illud memoriæ proditum est, eum non multo post Cæsareæ a vermibus consumtum decessisse. Post ejus interitum, Claudius Imperator Judæam, Samariam, Galilæam, ceterasque regiones, nunc Tetrarchis, nunc Regibus subjectas, in Provinciæ formam redegit, teste Josepho: [2] *Decessit*, inquit, *in Cæsarea, relinquens filium nomine Agrippam, qui cum admodum parvulus esset, Claudius Regnum in Provinciam redegit, in cujus procurationem missus est Cestius Festus; post hunc autem Tiberius Alexander; qui nihil de consuetudine patria immutantes, gentem in pace tenuerunt*. Alexandro Cumanus, huic autem Festus successit, sub quo Agrippa Herodis Agrippæ filius primum Chalcidis, postea Trachonitidis, Batanææ, & Gaulanitidis aliarumque regionum, quæ trans Jordanem sitæ sunt, Regnum impetravit a Claudio; postmodum Neronis beneficentia quatuor urbibus auctum: [3] *In Peræa scilicet regione Abilam, & Juliadem, in Galilæa autem Taricheam, & Tiberiadem; reliqua autem Judææ Felici procuranda dedit*. Hinc patet Agrippæ juniori non omne patris regnum fuisse tributum, sed partem Regni dumtaxat, reliquam vero Provinciam mansisse Felicis curæ commissam, ita tamen ut Syriæ

(1) Strabo lib. 16.
(2) Josephus lib. 2. de Bello Judaico cap. 10.
(3) Ibid. cap. 11.

Syriæ Præsidi subjecta esset. Ob id contigisse arbitror, ut Cornelius Tacitus nullam sub Claudio de Judæorum Regibus habuerit mentionem, sed Judæam jam in Provinciæ formam redactam Equitibus Romanis, aut Libertis ab Imperatore permissam narraverit. Horum vero regiminis cum tæderet Judæos, adversus Romanum militem arma sumsisse refert, sed paulo post a Vespasiano domitos, tum deinde a Tito excisis Jerosolymis, Regno, Urbibus, Oppidis, libertate spoliatos: (1) *Claudius*, inquit, *defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Equitibus Romanis aut libertis permisit, e quibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatræ, & Antonii nepte in matrimonium accepta: ut ejusdem Antonii, Felix progener, Claudius nepos esset. Duravit tamen patientia Judæis, usque ad Gessium Florum Procuratorem. Sub eo bellum ortum, & comprimere cæptantem Cestium Gallum Syriæ legatum, varia prælia ac sæpius adversa excepere. Qui ubi fato, aut tædio occidit; missu Neronis, Vespasianus fortuna, famaque, & egregiis ministris, intra duas æstates, cuncta camporum, omnesque præter Jerosolyma urbes victore exercitu tenebat.* Quod Vespasianus non potuit, Titus ejus Filius secundo Paterni Imperii anno perfecit; nempe longa & sævissima obsidione Jerosolyma cinxit, cepit, solo æquavit, (2) adeo ut *qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent.* Talis quidem finis fuit Judaici Principatus, & inclytæ urbis toto orbe celebris: *Sed enim neque antiquitas, neque ingentes divitiæ, neque per totum orbem terræ diffusa fama, nec magna religionis gloria quidquam juvit quominus periret.*

XIII. Jerosolymis dirutis, tota Palæstina qua late patet, Judæamque, Galilæam, ceterasque regiones, ac Tetrarchias supra recensitas complectitur, Romanis paruit, ac deinceps semper Provincia mansit. Quare Eutropius in Vespasiano dixit: (3) *Sub hoc Judæa accessit Romano Imperio, & Jerosolyma, quæ fuit urbs clarissima Palæstinæ, quæ libera ante fuerat.* Hanc urbem Judaicæ gentis caput merito appellavit Tacitus *lib. 5. Histor. Jerosolyma genti caput.* At Vespasiano Imperante totius Palæstinæ caput fuit Cæsarea, Turris Stratonis, & Appollonia prius dicta, quam Herodes a se multis ædificiis ornatam ampliatamque in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupari voluit. Eam idcirco Tacitus Judææ caput vocat: loquens enim de Muciani adventu Antiochiam, & Vespasiani Cæsaream, hæc habet: (4) *Haud dubia destinatione discessere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Siquidem uti Antiochiæ Præsides Syriæ, ita in Civitate Maritima Cæsareæ Procuratores Judææ Sedem suam collocaverant, ut colligitur ex Josepho *lib. 2. de Bello Judaico, cap. 15. & 16.* Immo & ante Vespasiani Imperium, vel ipsis Apostolorum temporibus Cæsaream fuisse Sedem Procuratoris Judææ, compertum habeo ex *Actuum Apostolorum cap. 23.* ubi legimus, Paulum a Lysia Tribuno missum fuisse Cæsaream ad Felicem Præsidem. Et cap. 24 proditum est, biennio expleto, Felici datum fuisse successorem Portium Festum, de quo eadem Acta testantur: *Festus* (5) *ergo cum venisset in Provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam ex Cæsarea.* Et infra: *Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem, descendit Cæsaream,*

(1) Tacitus lib. 5. Histor. pag. 576. 577.
(2) Josephus lib. 7. de Bello Judaico cap. 18.
(3) Eutropius.
(4) Tacitus lib. 2. Histor.
(5) Act. Apost. cap. 25.

ream, & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci. Quo ex loco patet, Apostolorum ætate Cæsaream fuisse Palæstinæ civilem Metropolim, ibique erectum a Romanis Præsidis tribunal. In hac urbe, sicut & in reliquis Judææ ac Palæstinæ civitatibus, a Christi Apostolis ac discipulis Evangelium esse promulgatum, & Ecclesias primum institutas, Apostolorum Acta ubique fidem astruunt. Jerosolymis a D. Petro prima jacta sunt Ecclesiæ fundamenta. *Act. cap.* 2. Ipsius aliorumque Apostolorum prædicatione ibidem multa Judæorum millia ad Christum conversa. *Act. cap.* 3. 4. & 5. Discipuli hinc pulsi, atque in prima persecutione dispersi per regiones Judææ, & Samariæ, Evangelium annuntiaverunt Samariæ, Azoti, Cæsareæ, aliisque Palæstinæ civitatibus. *Act. cap.* 8. & 9. Petrus Apostolorum Princeps Ecclesias per totam Galilæam, Samariam, & Judæam visitasse, easdemque peragrasse dicitur *Act. cap. 9. Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur . . . . . Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos qui habitabant Lyddæ*.

XIV. Ante Constantini Principatum nulla occurrit Palæstinæ divisio; neque in divisione Imperii ab Augusto, neque in altera ab Hadriano facta. Nihil etiam ejus meminerunt Strabo, Dio Cassius, aliique veteres. Appianus Alexandrinus in Proœmio unam tantum commemorat Palæstinam: *Collustranti*, ait, *littora Syriaca, occurrit Palæstina*. Primis quippe temporibus una tantum Provincia fuit; nec nisi post Constantini Magni tempora in tres Provincias distracta est, ut Carolus a Sancto Paulo in Geographia sacra animadvertit: (1) *Palæstina sub Juliano Apostata Consularem habuit; deinde sub Gratiano Proconsulem, ac sub eodem in duas Provincias divisa est, cum in utraque Palæstina Theodosius Judæorum Synedria fuisse scribat. Tandem in tres divisa est, Primam, Secundam, & Salutarem*. Posterior hæc Palæstinæ partitio in tres Provincias videtur ab Arcadio Imper. originem suam trahere; cum *in Cod. Theodos. l.* 30. *de erogat. milit. annonæ*, data anno 409. eoque primo Imperii Theodosii Junioris, mentio habeatur Primæ, Secundæ, & Tertiæ Palæstinæ. Nunc cujusvis ejusmodi Provinciarum urbes lubet hic, quantum fieri poterit, ex variis Notitiis exhibere.

Primæ Palæstinæ Metropolis est Cæsarea, ipsamet quæ usque ad Constantini Principatum totius Palæstinæ caput extitit. In Synodo Nicæna Episcopus Jerosolymorum in Provincia Palæstinæ primo loco nominatur, ac deinceps in aliis Synodis: Cæsarea tamen cum in Nicæna, tum in CP. Ephesina, & Chalcedonensi Synodis Metropolis Palæstinæ appellatur. Has illi civitates adscripsit Hierocles Grammaticus *in Notitia Provinciarum Imperii Orientalis*; seu potius Author supplementi Notitiæ ejusdem Hieroclis.



Provin-

(1) Carolus a S. Paulo in Geographia sacra.

Provincia Palæstinæ sub Consulari Urbes XXII.

Cæsarea Metropolis.	Anthedon.	
Dora.	Diocletianopolis.	
Antipatris.	Sycamazon.	
Diospolis.	Honus.	
Azotus Maritima.	Sozusa.	
Azotus Mediterranea.	Joppe.	
Eleutheropolis.	Gaza.	*in nummis legitur :*
Elia, quæ & Hierusalem.	*Ramphia*.	* Raphioron.
Neapolis.	Ascalon.	
Libias.	Ariza.	
Augusta Sebaste.	Bityle.	

Deest hæc Provincia cum Episcopatibus in Cod. Regio, & apud Goar in Notitia Leonis Sapientis: eam tamen hic damus ex Beveregio, & Schelstrate.(1)

Provincia Palæstinæ primæ.

1. Ælia Jerosolymorum sancta civitas.

2. Cæsarea Metropolis.	3. Dora.
4. Antipatris.	5. Diospolis, sive Georgiopolis.
6. Jamnia.	7. Nicopolis.
8. Onus.	9. Sozusa.
10. Joppe.	11. Ascalon.
12. Gaza.	13. Raphia.
14. Anthedon.	15. Diocletianopolis.
16. Eleutheropolis.	17. Neapolis.
18. Sebaste.	19. Regio Apathus.
20. Regio Jericho.	21. Regio Libyæ.
22. Regio Gadara.	23. Azotus Maritima.
24. Azotus Hippinis.	25. Acomazon.
26. Bittymos.	27. Tricomias.
28. Toxus.	29. Saltus Constantiniani.

30. Saltus Garaiticus, sive Barsamon.

Notitia Jerosolymitani Patriarchatus, quam ex Codice Vaticano edidit D. Emanuel a Schelstrate *Tom. 2. Antiq. Eccles. Append. XX. ad Opus Geographicum* sub Cæsarea Metropoli novendecim tantum Episcopatus collocat, nec urbium nomina omnino cum præcedentibus consentiunt nisi pauca.

Se-

(1) Apud Schelstratem de Concil. Antiochen. in can. 9. cap. 13. art. 1. pag. 445.

Sedes prima Cæsarea maritima: Sub hac Sede sunt Episcopatus XIX.

Dora.	Regium Gadaron.
Antipatrida.	Azotus Paralia.
Jamnias.	Azotus Yppum.
Nicopolis.	Etoumæson.
Onus.	Estilion.
Sozucis.	Tricomias.
Raphias.	Tocrus.
Regium Apatos.	Saltum.
Regium Yericho.	Constantiniaquis.
Regium Livas.	

Totidem urbes eademque urbium nomina recenset Notitia Ecclesiarum Milonis Abbatis sub Cœlestino III. scripta. Nec multum ab hac differt altera Notitia Episcopi Catharensis, nisi quod unum dumtaxat prætermittat Episcopatum, & octodecim enumeret vocibus parumper immutatis.

XV. Scythopolis secundæ Palæstinæ Metropolis, olim Methora, teste Zonara *Tom.* 1. *Annal.* dicta, quæ tamen a Plinio Nysa nuncupatur, & in Syria Decapolitana ponitur *lib.* 5. *cap.* 18. quod scilicet Palæstina ab antiquis etiam Syria appellata sit, unde Ammianus Marcellinus *lib.* 14. Palæstinam *ultimam Syriarum* vocat. Satius tamen Stephanus urbem Palæstinæ fuisse asserit; & Strabo *lib.* 16. Galilææ proximam esse scribit: erat enim in ora lacus Genesaræ ad meridiem, apud Jordanis fluvii egressum, in Galilæa, Tiberiadi & Bethsaidæ contigua. A Scythis conditam volunt, a quibus nomem sortita sit. In Itinerario Antonini a Baccho constructam esse proditum est, ac de Scytharum ejus comitum nomine nuncupatam.

Catalogum Urbium secundæ Palæstinæ hunc in modum contexuit Hierocles Grammaticus.

Provincia Palæstinæ secundæ: sub Præside Urbes XI.

Scythopolis.	Tiberias.
Sella.	Helenopolis.
Gadara.	Diocessa.
Abila.	Maximianopolis.
Capetolias.	Gabæ.
Hippus.	

Deest etiam hæc Provincia in Cod. Regio, & Goar; sed ex Beveregio, & Schelstrate hic describitur.

Provincia Palæstinæ secundæ.

1. Scythopolis.	2. Gadara.
3. Pella.	4. Abila.
5. Capetomas.	6. Diocæsarea.
7. Maximianopolis.	8. Gabæ.
9. Tiberias.	10. Hippos.
11. Helenopolis.	12. Clima Gelanes.
13. Terracomia.	14. Comenias.

Notitia Patriarchatus Jerosolymitani superius laudata novem dumtaxat hujus Provinciæ urbes recenset, earumque nomina pæne omnia, si unum, vel alterum excipias, a præcedentibus diversa præsefert.

Scythopolis.	Villisypus.
Capitoliados.	Tetracomias.
Myru.	Clima Galanis.
Gadarum.	Comanas.
Pelon.	

Totidem urbes iisdem nominibus appellatas exhibet *Notitia Ecclesiarum* a Milone Abbate Tempore Cœlestini III. descripta: itemque *Notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis* ab Episcopo Catharensi concinnata: nisi quod utraque a præcedenti in eo differt, quod *Tiberiadem* inter secundæ Palæstinæ urbes enumeret, sicut & Hierocles, a quo nihilominus nedum in assignando civitatum numero, earumque nominibus exarandis, dissentit; verum etiam in hoc, quod Metropolitanam Sedem, Scythopoli Nazarethum translatam asserit, ob reverentiam Annuntiationis Dominicæ, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

XVI. Tertiæ Palæstinæ Metropolis est Petra, non quidem illa, quæ Arabiæ Petrææ caput est: nec item Petra incisa oppidum Palæstinæ, inter Cæsaream ad Meridiem, & Montem Carmelum ad Boream: sed Urbs altera Palæstinæ, quæ Petra dicitur: quamquam incertum sit, an illa ipsa fuerit, quæ Petra deserti, seu Rabbath Moabitarum, quæ demum dicta fuit Cyriarcopolis, & Mons Regalis a Guilielmo Tyrio. Nam Petra vocatur a Stephano, uti etiam a Leone Sapiente, & a Hierocle Grammatico: ab aliis vero Rabba, seu Rabbaath Moabitis; quæ & postea a Ptolomæo Philadelpho vocata est Philadelphia Palæstinæ, ut ab altera Mysiæ discerneretur, Gadaræ, & Areopoli finitima, ultra lacum Genesaram sita. Apud hanc urbem versus ortum exusta regio patet, stadiis longa quingentis, quadringentis lata, ubi nullæ arbores præter vitem inveniuntur, quæ exustum vinum fert, ita elegans, ut nulli cedat. Facies hominum ejus regionis cinerulentæ sunt velut combustæ, ut Strabo *lib.* 12. auctor est.

Pro-

Provinciæ hujus urbes ſexdecim enumerat Leo Sapiens, quas hic excribimus.

Provincia Palæſtinæ III.

	Petræ Metropolis.	Biroſabon.
Apud Goar.	Auguſtopolis.	Elas.
* Charagmuda.	Arindela.	Pentacomia.
	Charagmucha.	Salton.
	Areopolis.	Mamo.
* Mapſis.	*Napſis*.	Pſora.
	Eluſa.	Mitrocomia.
* Zoara.	*Zoora*.	Hieraticon.

Longe pauciores, decem nimirum dumtaxat civitates huic Provinciæ adſcripſit Hierocles Grammaticus: ejus tamen Metropolin & ipſe Petram conſtituit.

Provincia Palæſtinæ III. ſub Præſide Urbes X.

Petra.	Toara.
Auguſtopolis.	Mampſis.
Arindila.	Vitarus.
Charagmuba.	Eluſa.
Areopolis.	Salton.

Notitia Jeroſolymitani Patriarchatus Metropolin tertiæ Palæſtinæ appellat Rabbam Moabitarum, eique ſubjicit duodecim Epiſcopatus.

Sedes tertia Rabba Moabitis: Sub hac Sede ſunt Epiſcopatus XII.

Auguſtopolis.	Sora.
Arindila.	Veroſſam.
Karath.	Pentacomia.
Hierapolis.	Mamapſon.
Menſidos.	Mitromias.
Elucis.	Saltum hieraticum.

Eodem nomine hanc Metropolim vocat *Notitia* Eccleſiarum Milonis Abbatis, eaſdemque illi ſubjectas civitates recenſet. At Catharenſis Epiſcopus in ſua *Notitia Eccleſiarum Urbis & Orbis*, hanc ipſam Metropolim nominat Petram deſerti, a qua hanc Sedem aſſerit Petracenſem dictam. Totidem & ipſe Epiſcopatus ſub ipſa collocat, at eorum nomina non omnino cum præcedentibus conveniunt, præter Auguſtopolin, Arindilam, Jerapolim, Elucim, Pentacomiam: ceterarum vero civitatum hæc nomina ponit: Barach, Moniſides, Mitincomias, Serratiton, Diabbyroſan, Manaſon, Saltum.

XVII. Antequam Palæstina in tres Provincias scinderetur, Cæsarea Metropolis ejus fuit, cui etiam Jerosolyma subiicebantur. Magno nihilominus honore, ac summa apud omnes veneratione semper donata fuit Jerosolymorum Ecclesia ab ipsis Christiani nominis primordiis, quod nimirum pretioso Redemtoris nostri sanguine, passione, ac morte consecrata sit; quam idcirco S. Epiphanius *hær.* 77. Christi Domini Thronum appellat. Quare variis privilegiis semper ornata fuit Sedes hujus Ecclesiæ, quam Eusebius Cæsariensis *lib.* 7. *Histor. Eccl.* nominat *Apostolicam Cathedram*. Ejus Episcopus spontanea quadam ceterorum Antistitum concessione ac obsequio erga locum adorandis Christi vestigiis atque Mysteriorum salutis nostræ consummatione sanctificatum, quemdam saltem honoris Primatum obtinuit. Nicæna quippe Synodus cum Primatum honoris confirmare vellet Episcopo Æliæ, hoc est Jerosolymitanæ civitatis, cui novum illud nomen indiderat Ælius Adrianus Imperator, quia illam juxta veterem Jerusalem ædificaverat, professa est, se laudabilem consuetudinem, & antiquam Traditionem præ oculis habuisse: *Quia*, inquit, *consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropoli propria dignitate*. Hisce tamen postremis verbis constat, ita Primatum honoris Jerosolymitano fuisse tributum, ut nihilominus Episcopo Cæsariensi servarentur intacta Metropolitica jura. Nec dum siquidem eo tempore Patriarchica dignitas concessa fuerat Jerosolymitano Antistiti, sed Cæsariensi Metropolitæ suberat: postmodum Jerosolyma Primatum ejus obtinuit, ut infra videbimus.

CAPUT III.

Synopsis.

I. *Brevis Ægypti descriptio. Eam Plinius Asiæ adscripsit, nunc fere omnes Africæ attribuunt.*

II. In duas partes Ægyptus dividitur, Superiorem, & Inferiorem. Olim in quatuor Regna discernebatur, Thinitarum scilicet, Thebanorum, Memphitarum, & Inferioris Ægypti.

III. Post subactam a Cambyse Ægyptum suprascripta Regna in Provincias transierunt. Tres ex antiquis Provinciis enumerat Marcellinus, Ægyptum, Thebaidem, & Libyam: duas postmodum additas refert, Augustanicam, & Pentapolin. Tandem in octo Provincias secta est.

IV. Epiphanius septem Ægypti Provincias numerat. Explicatur ejus Sententia. Auctus deinceps est Ægypti Provinciarum numerus.

V. Libyæ descriptio. Ea in Superiorem, & Inferiorem dividitur. Superior Cyrenaica, & Pentapolitana dicitur: Inferior Libyæ nomen retinet; ab aliis etiam Marmarica vocatur. Qua occasione accesserit Imperio Romano declaratur.

VI. Pentapolitanæ caput olim fuit Cyrenes, unde & Cyrenaica appellata. Leo Sapiens illius Metropolin ponit Sozusam. At minus accurata videtur ejus Notitia. Ptolemais Metropolis est hujus Provinciæ.

VII. *Li-*

VII. Libyæ Inferioris Metropolim nonnulli Barcen esse putant. Auctores Ecclesiastici Dranicon, seu Dranicon eam dignitatem afferunt. Ejus urbes ex Leone Sapiente, & Hierocle describuntur.

VIII. Thebaidi nomen dedit Thebe olim urbs ejus princeps, quam descripsit Marcellinus. In duas Provincias discerpta est Primam, & Secundam. Primæ Thebaidis Ecclesiastica Metropolis a Leone Sapiente statuitur Antionous; a quo etiam istius Provinciæ civitates recensentur.

IX. Secundæ Thebaidis Metropolis est Ptolemais, eique subjectas urbes exhibet Leo Sapiens. Hieroclis Notitia ab illa Leonis multum differt.

X. Ægyptum proprie dictam Julius Cæsar subegit, quam tamen Cleopatræ concessit. Eamdem vero Octavianus Augustus aggregavit Imperio. Ingens frumenti copia quotannis in Urbem ex Ægypto deportata. In duas Provincias secta est Primam, & Secundam. Primæ Ægypti Metropolis Alexandria. Illius civitates ex Leonis Notitia numerantur.

XI. Hierocles unam dumtaxat Ægypti Provinciam commemorat, urbesque aliquas confundit ad Secundam pertinentes.

XII. Inter civitates Secundæ Ægypti plerique Cabasam primo loco ponunt, licet incertum sit, an ejus Metropolis fuerit. Urbium illius Catalogus.

XIII. Gratianus Imperator Augustanicam ab Ægypto divulsit, & peculiarem Provinciam fecit. In duas distracta est Primam, & Secundam. Primæ Metropolis est Pelusium, ejusque urbes ex Leone Sapiente hic damus. Aliter eas descripsit Hierocles.

XIV. Augustanicæ Secundæ Metropolis est Leonto. Urbium ejus meminere Leo Sapiens & Hierocles.

XV. Postrema Diœcesis Ægypti Provincia est Arcadia ab Arcadio Augusto sic nuncupata. A Thebaide divulsam plerique putant. Illius Metropolis Oxyrynchus. Urbes ejus a Leone descriptæ, a cujus tamen Notitia Beveregius, Goar, & Hierocles in quibusdam discrepant.

I. Ægypto secundum inter Diœceses Præfecto Orientis subjectas locum tribuit Notitia Imperii. A nobiliore, ac notiore Provincia totam Diœcesin denominat, tametsi plures Provincias complectatur, quarum unaquæque proprium habet nomen. Attamen priscis temporibus una Ægypti nomenclatione continebantur tot Provinciæ, quæ propriis postea vocabulis discretæ fuerunt. Amplissima hæc regio, teste Plinio, Canopico disterminatur ostio, ab Asia autem Pelusiaco, quam ob causam nonnulli inter Insulas Ægyptum computaverunt. Ii tamen, qui Asiam dimensi sunt, Asiæ regionibus Ægyptum quoque adjudicarunt, præsertim Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. & Pomponius Mela *lib.* 1. Est Africæ proxima, cui nunc fere ab omnibus tribuitur. Hæc ab Oriente habet deserta Arabiæ: ad Occidentem Libyam: a Meridie Æthyopiam: a Septemtrione mare Mediterraneum. Eam interfluit Nilus, cujus inundatione fecundatur, atque ita fluvius hic se findit, ut triquetram terræ figuram efficiat. Inde contigit, ut multi veterum Græcæ litteræ Δ vocabulo Deltam Ægyptum appellaverint: sic Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. Strabo *lib.* 17. Ptolemæus *lib.* 4. *cap.* 6. Ammianus Marcellinus *lib.* 22. De ingenti numero urbium illius hæc tradit Pli-

Plinius: (1) *Ægyptus super ceteram antiquitatis gloriam XX. millia urbium sibi Amase regnante habitata præfert, nunc quoque multis, etiamsi ignobilibus, frequens.*

II. Dividitur Ægyptus in duas partes, Superiorem scilicet, & Inferiorem: Superior Delta appellatur, figura triquetra constans, ad verticem habens Babylonem, ad extremam basin Alexandriam, & Pelusium: Inferior, quæ secundum Nilum contermina Æthyopiæ meridiem versus usque ad Syenen procedit, Thebais nominatur. Olim paulo post Diluvii Noëmici ætatem universa Ægyptus in quatuor Regna secta fuit, Thinitarum, Thebanorum, Memphitarum, & Inferioris Ægypti: de quibus plura scripserunt Diodorus Siculus, Herodotus, Julius Africanus, Eusebius, & Georgius Syncellus. Regnum Thinitarum ad Libycam Nili ripam collocant, per fluvium ipsum a Thebano diremtum: cui Menes, seu Meraim Chami filius primus præfuit; a quo prius Ægyptum *Misraim*, seu *Mesarim* nuncupatam refert Josephus *lib.* 1. *Antiq. cap.* 12. Ejus Metropolis *This* urbs antiqua, prope Abydum posita, cujus meminit Stephanus *in Opere de Urbibus*, & *Populis*. Ab ea Nomus Thinites nomen accepit apud Ptolemæum *lib.* 4. *cap.* 5. Thebanorum Regnum a Thebe ejus Metropoli appellatum est, quæ civitas ad Arabicam Nili ripam sita est, a qua & Provincia Thebaidis nomen obtinuit. Hæc eadem urbs Ptolemaicis temporibus Diospolis dicta est; unde Manetho, Julius Africanus, & Eusebius Thebanorum Reges Diospolitanos vocant. Regnum Memphiticum, seu Superioris Ægypti a Memphi ejus Metropoli nuncupatum est, quæ civitas supra τὸ Delta posita erat, in Occidentali Nili ripa. Inferioris Ægypti caput Heliopolis fuit; sub Pastoribus autem Tanis, unde Reges Tanitæ.

III. Post subactum a Cambyse Persarum Rege Ægyptiorum Imperium, ejus Regna in provincias transierunt; (2) tametsi initio non totidem eæ fuerint, quot Regna: nam Marcellino auctore, (3) *Ægyptus tres provincias fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam; quibus duas adjecit posteritas, ab Ægypto Augustanicam, & Pentapolin a Libya sicciore disparatam.* Quæ Marcellinus prisca vocat tempora, intelliguntur ea, quæ Hadriani Imperium antevertunt: in Notitia quippe Cæsaris Augusti tres tantum Provinciæ occurrunt, Ægyptus, quam ille sibi retinuit, Cyrenaica, quæ & Pentapolis, & Libya, quas Populo Romano concessit. Hadrianus quatuor ejus provincias recensuit, Ægyptum, Thebaidem, Libyam, & Pentapolin: quæ utique partitio etiam Constantini ævo vigebat. Ab ejus obitu Ægyptus divisa est in Primam & Secundam ante Arcadii Principatum: sicuti etiam ab eadem Ægypto sub Gratiano Augustanica est avulsa: hæc postea in duas ejusdem nominis secta est. His deinde accessit Arcadia, quam a Thebaide discerptam Arcadius Imperator suo nomine insignivit. Eæ sunt igitur octo Provinciæ Diœceseos Ægypti, quas exhibet notitia Imperii: Libya: Pentapolis, quæ & Libya Inferior & siccior dicta est: Thebais: Ægyptus Prima, seu Superior: Ægyptus Secunda, seu Inferior: Augustanica Prima: Augustanica Secunda: Arcadia.

IV. Nescio unde Epiphanius totam Ægypti Diœcesin in septem provincias partitus sit, nec propria illorum nomina servaverit. (4) *Hic enim*, inquit, *mos est Alexandrinorum Episcoporum, ut per totam Ægyptum, ac The-*

(1) Plinius lib. 5. cap. 9.
(2) Constantinus Manasses in Annalibus.
(3) Marcellinus lib. 22.
(4) S. Epiphanius hæresi 68.

Thebaidem, *Mareotiden*, *Libyam*, *Ammoniacam*, *Mareotidem*, *& Pentapolim Ecclesiastica negotia administrent*. Has omnes Epiphanii ævo fuisse varias Ægypti Provincias indicat Dionysius Petavius in Epiphanii indice; at difficile est Ammoniacam, & Mareotidem inter Provincias Ægypti deprehendere. Nisi forsitan per Ammoniacam intellexerit Libyam Mediterraneam, in qua Juppiter Ammon sub arietis forma celebratur, sic dictam ab arenæ copia. Stephanus tamen putat, totam Libyam ab Ammone Ammoniam nuncupatam. Hinc *Ammoniacum* vocatur gutta seu lacryma ferulæ in Libya nascentis, quæ a Dioscoride *lib.* 1. Agasyllis, & a Plinio Metopion appellatur. Itemque *Ammoniacus sal*, qui, teste Dioscoride, est terræ salsedo in Libyæ arenis crescente luna effervescens; de quo & Plinius *lib.* 31. *cap.* 7. Unde Ammoniaca Epiphanio commemorata videtur pars Mediterranea Libyæ: Ammon quippe urbs est Libyæ Inferioris in Cyrenaicæ Regionis confinio, apud Garamantes, a Cyrene 400. M. P. in Austrum recedens, ubi quondam fuit celebre Ammonis Templum & Oraculum, testibus Plinio, Diodoro, & Solino. Ejus quoque meminit Claudianus de laudibus Stiliconis lib. 1.

Et velox Garamas: nec quamvis tristibus Ammon Responsis.

Ab hac urbe ejusque Templo tota regio nomen accepit. Bis Mareotidis nomen in textum Epiphanii irrepsit, forsitan Amanuensium incuria: non enim nisi unica est Mareotis, quæ & ipsa est pars Libyæ inter Cyrenaicam, & Ægyptum sita, a Ptolemæo Marmarica appellata, quam descripsit Plinius *lib.* 5. *cap.* 6. eamque Mareotidem nominat, incolas autem ipsos Marmaridas, qui & Barcæi Virgilio, & Barcitæ Ptolemæo: nam Mareotis vulgo *Barcha* dicitur. Est porro Africæ regio proxima Nilo, quæ, ut Ptolemæus *lib.* 3. tradit, ab Occasu terminatur Cyrenaica Provincia, a Septemtrione Ægyptiaco mari, ab Oriente Ægypto, a Meridie interioris Libyæ parte, quæ Ægypto est contermina. A nemine duas Mareotides distinctas reperimus, nisi ab Epiphanio, qui forte alterius Mareotidis nomine intellexit Marmaridem, & ipsam ad Africam pertinentem, sed Ægypto proximam, cujus populi, referente Plinio *lib.* 5. usque ad majores Syrtes protenduntur. Quamquam hæc proprie Provincia non sit a Marmarica, seu Mareotide secta. Mihi tamen videtur Epiphanius, hic non tam Provincias Metropoli subjectas, quam regiones unius provinciæ enumerare. Nemo siquidem duas Mareotidis regiones distinxit; sed una tantum omnibus nota est, illa scilicet, quæ agrum Alexandrinum complectitur, & Mareotes Nomus appellatur. Hæc vero numquam Provinciæ nomen obtinuit, nec proprium Episcopum habuit, sed specialis Alexandrini Episcopi Parochia fuit, ut constat ex D. Athanasio *Apolog.* 2. Memoratur itidem antiquis Geographis palus ingens Ægypti Mareotis dicta, quæ & Maria Straboni, apud Alexandriam, circuitu olim 600. M. P. & trajectu triginta: juxta hanc paludem est Pagus *Mareja* nuncupatus. Insignis etiam olim fuit Ægypti regio id nominis adepta, in qua vinum provenit, unde & vites Mareoticæ apud Columellam, & Mareotides vites Virgilio non ignotæ lib. 2. Georgic.

Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.

Ad hanc pariter regionem allusit Lucanus lib. 10.

Calcabatur onyx, hebenus Mareotica vastos
Non operit postes.

Epiphanius *Mareotem* vocat, atque a Mareotide secernit; nam in antiquis Editionibus, præsertim Parisiensi apud Hieronymum de Marnef, & Guliel-

lielmum Cavellet sub Pelicano, Monte D. Hilarii ann. 1564. hæc Epiphanii verba leguntur: *Hic enim mos obtinet, ut Alexandriæ Episcopus totius Ægypti, ac Thebaidis, Mareotæque, ac Libyæ, Ammoniacæque, ac Mareotidis, ac Pentapolis, Ecclesiasticam habeat administrationem*. Vixit Epiphanius ad annum Christi 402. ut observat Valesius in notis ad Socratem, & Sozomenum; cum jam Gratianus Augustanicam ab Ægypto disterminasset. Post Epiphanii obitum Arcadius a Thebaide sejunxit Provinciam Arcadiæ. Auctas postmodum fuisse Theodosii Junioris tempore Ægypti Provincias, constat ex epistola hujus Imperatoris ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum scripta, & *Act.* 1. *Concilii Chalcedonensis relata col.* 99. in qua jubet Dioscorum *venire Ephesum cum decem Reverendissimis Metropolitis, qui sub tua degunt Diœcesi*. Quocirca tunc necesse erat, ultra Superioris Ægypti Provinciam, cui Patriarcha Alexandrinus tamquam Metropolitanus præerat, decem alias extitisse Provincias Ecclesiasticas, totidemque illarum Metropolitas, quos una cum Dioscoro Theodosius Ephesum asciverat. Leo Sapiens, qui seculo nono Orientis Imperium regebat, in sua Notitia Ecclesiarum decem enumerat Provincias Ægypti, licet iis Tripolitanam accenseat, quæ non ad Alexandrinum Patriarcham, sed ad Primatem Carthaginensem prioribus Ecclesiæ seculis spectabat.

Sic habet Textus.

V. Prima ex illis Provinciis, quibus Ægyptiaca Diœcesis constat, Libya occurrit in Notitia Imperii. Africæ pars est, vel a Libe vento, vel a Libya Epaphi filia sic nuncupata. De ea Claudianus. (1)

Hic Libya est Africa.

Junximus Europam Libyæ; concordia fratrum

Plena redit . . . .

Pars est Borealis Africæ, inter Ægyptum ad Ortum, mare Mediterraneum ad Boream, Syrtin majorem, & Tripolitanam regionem ad Occasum, & Æthyopiam atque Garamantes ad Meridiem. Notitia Imperii eam bipartitam exhibet, Superiorem, & Inferiorem. Superior Cyrenaica, & Pentapolitana Provincia dicitur: Inferior Libyæ nomen retinuit; a Marcellino *Arida Libya*, ab aliis etiam Marmarica appellatur. Utramque commemorat Marcellinus, & Ptolemæi Senioris, cui cognomentum Apionis fuit, Romanæ Reipublicæ testamento relictam refert: (2) *Aridam Libyam Supremo Apionis Regis consequuti sumus arbitrio: Cyrenais cum residuis civitatibus Libyæ Pentapoleos, Ptolemæi liberalitate suscepimus*. Similia habet Sextus Rufus. L. Florus de hoc eodem Ptolemæi testamento hæc scripsit: (3) *Ptolemæus Cyrenarum Rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus heredem Populum Romanum reliquit, & ejus Regni civitates Senatus liberas esse jussit*. Id sane contigit statim post confectum bellum Macedonicum a Lucullo; & initio belli Cretici, ad quod missus fuit Q. Cæcilius Metellus, ut refert Eutropius *lib. 6.* ubi post duo illa bella recensita, subdit: (4) *Quo tempore Libya quoque Romano Imperio per testamentum Appionis, qui Rex ejus fuerat, accessit: in qua inclitæ civitates erant; Berenice, Ptolemais, & Cyrene*. In Notitia Augusti extat Cyrenaica Provincia, & Libyæ pars: utriusque pariter meminerunt Pomponius Mela *lib. 1. cap. 4. & 8.* Dio Cassius, & Appianus Alexandrinus.

In Cyrenaica Provincia, seu Libya Pentapolis, sicuti in tota Ægypto, Christi Fidem prædicavit S. Marcus Evan-

(1) Claudianus de Bello Gildon.
(2) Marcellinus lib. 22.

(3) L. Florus in Epitome ex lib. 70. Livii Histor.
(4) Eutropius lib. 6.

Evangelista, ibique Alexandrinam & alias Ecclesias fundavit, atque Episcopos constituit, ut fidem faciunt, S. Hieronymus *de Scriptoribus Eccles. in Marco, & epist. 85. ad Evagrium:* Chronicon Orientale : Rabanus Maurus, & Notkerus in Martyrologio ad 7. Kalendas Maii: Martyrologium Melchitarum 25. *Aprilis:* Severus Alexandrinus, *de Vitis Patriarcharum Alexandrin. in Marco* + & Nicephorus, *lib. 2. Histor. cap.* 43. Provinciarum Ægypti, Thebaidis, & Libyæ mentio fit in Concilio Nicæno.

VI. Superioris Libyæ, seu Pentapolis præcipuas urbes enumerat Ammianus Marcellinus, ac primo loco Cyrenem ponit, olim celebrem, sed suo tempore dirutam: (1) *In Pentapoli Libyæ Cyrene posita est, urbs antiqua, sed deserta; quam Spartanus condidit Battus: & Ptolemais, & Arsinoe, eadem quæ Tauchira, & Darnis, & Berenice, quas Hesperidas appellant.* At Leo Sapiens in Notitia Ecclesiarum suo nomine vulgata apud Schelstratem *tom. 2. Antiq. Illustr.* Cyrene Sozusam anteponit: itemque apud Beveregium.

Provincia Libyæ Pentapolis.

Apud Beveregium. * Cyrine.	Sozusa.	*Theuchira.*	* Theuchera.
	Cyrene.	Adriane.	
	Ptolemais.	*Beronice.*	* Peronica: *Hierocles habet:* Veronice.

Verumtamen perversus est ordo a Leone, & Hierocle hic constitutus: cum primis enim Sozusa nedum veteribus ignota omnino fuit; sed etiam neotericis nequaquam explorata; nisi quod Philippus Ferrarius in Lexico Geographico, putat esse oppidum Æthiopiæ. Sozusæ nomine tres fuerunt urbes, una Phœnices, altera Pisidiæ, tertia Æthiopiæ, Auctore Stephano; nulla autem Libyæ. Tum deinde ex veterum monumentis novimus, Ptolemaidem fuisse Metropolin Pentapolitanæ Provinciæ. Synesius quippe Ptolemaidis Episcopus, cum esset Pentapolis Metropolita *Epist.* 67. Palæbiscæ, & Hydracis Episcoporum ordinationes irritas esse causatur: & *Epist.* 76. ad Theophilum Alexandrinum refert, se velut Metropolitam præfuisse Concilio Provinciæ, in quo electus fuit Antonius Obliatarum urbis Episcopus: tandem *Epist.* 67. ad eumdem Theophilum scribit, B. Siderium a Philone Cyrenensi Episcopum creatum, non multo post, a D. Athanasio Ptolemaidis Metropolitam factum: (2) *Cum*, inquit, *exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, & magis magisque accendere oporteret, hominem illum majoribus regendis idoneum eo migrare jussisse, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret.* Expositio totius Mundi, & Gentium edita a Jacobo Gothofredo Ptolemaidem Libyæ Pentapolis caput fuisse indicat: *Regio*, ait, *Pentapolitana modica, sed frugibus, & jumentis dives: quæ duas vetustas civitates habet Ptolemaidem, & Cyrenem; quas etiam aliquando Regnumobtinuisse ajunt.*

VII. Libya Inferior, quæ & arida & sicca nuncupatur, licet ægre habitata sit ob deserta loca, suas tamen habet urbes, e quibus eæ a Marcellino recensentur: (3) *in sicciore vero Libya, Parætonion, & Cherecla, & Neapolis inter municipia parva, & brevia.* Nonnulli putant, *Barcen* Metropo-

Pars Prima. P

(1) Marcellinus lib. 17.
(2) Synesius Epist. 67.

(3) Marcellinus loco cit.

tropolim esse aridæ Libyæ, sic dictam a Regina ejusdem nominis: quæ tamen urbs in solitudine sita est: atque ad illam allusit Claudianus:

Diffidet occiduis, quod diffidet arida Barcæ.

Virg. Æneid. lib. 4. (*rentes*
Hinc deserta sui regio, lateque fu-
Barcei —— (Populi Africæ)

Ejusdem urbis meminit etiam Martyrologium Melchitarum die 25. Aprilis, ubi de Divo Marco Evangelista ait: (1) *Aliquando moratus est in urbe Cyrene, Cyrenæorum, indeque Alexandriam, quæ apud Pharum est, pervexit; deinde in Barcam profectus est, multaque edidit miracula, & Christi Ecclesias exornavit, constituens eis Episcopos, atque his inferiores Sacerdotes.*

Ceterum Auctores Ecclesiastici rectius Libyæ Inferioris Metropolin constituunt *Dranicon*, quæ & Darnis, & Dranieon ab aliis vocatur. Nilus Doxapatrius *in Notitia Patriarchatuum* eamdem civitatem nominat *Daricon: Provincia*, inquit, *Libyæ in qua est Metropolis Darico habens nonnullos Episcopatus*. Singulas urbes descripsit Notitia Leonis Sapientis nomine edita a Schelstrate.

Provincia Libyæ.

			Apud Beveregium.
	Darnieon Metropolis.	*Paratojum.*	* Paratonion.
* Tranzalensis.	*Tranzales.*	Ammoniace.	
	Antipyrgus.	Antiphron.	
* Ædonias.	*Edonia.*	*Marmorica.*	* Marmarices.

Diminuta est hujus Provinciæ descriptio apud Hieroclem Grammaticum, nec nomina conveniunt.

Provincia Libyæ Inferioris: sub Præside Urbes VI.

Paratonium.	Antiphro.
Zogrozagules.	Darnis.
Pidonia.	Ammoniacæ.

Urbem Metropolin penultimo loco, primo autem posuit Parætonium, quod est Libyæ Inferioris oppidum, stadiis fere nongentis distans a Catabathmo, portumque habens ingentem quadraginta fere stadiorum, de quo videndus est Strabo *lib.* 17.

VIII. Thebais tertia Ægyptiacæ Diœceseos Provincia est, in Æthiopiam vergens. Huic nomen dedit Thebe ad Nilum quondam clarissima & amplissima a Busiride rege condita, ambitu centum quadraginta stadiorum, uti refert Herodotus. *Hecatompylos* a centum portis cognominata fuit; aliis itidem publicis privatisque ædificiis insignis, totaque pensilis, adeo ut Reges vel maximos exercitus soliti sint educere, nullo oppidanorum id sentiente. Eam ita descripsit Ammianus Marcellinus: (2) *Urbem priscis sæculis conditam ambitiosa mœnium strue, & portarum centum quondam aditibus celebrem, Hecatompylos Thebas institutores ex facto cognominarunt: cujus vocabulo Provincia nunc usque Thebais appellatur*. Clariores hujus Provinciæ civitates idem Auctor ita exhibet: (3) *Igitur Thebais multas inter urbes clariores aliis Her-*
mo-

(1) Martyrologium Melchitarum.
(2) Marcellinus lib. 22.
(3) Marcellinus libr. 22.

mopolim habet, *& Copton*, *& Antinoen*, *quam Adrianus in honorem Antinoi Ephebi condidit sui*. *Hecatompylos enim Thebas nemo non novit*. Jam Concilii Nicæni temporibus hæc Provincia, uti & Ægyptus, & Libya, & Pentapolis in Ecclesia celebres erant; nam *can. 6.* expresse nominat Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, quibus & Thebais addenda est, ut constat ex subscriptionum Catalogo istius Synodi, in quo sub Provincia Thebaidis occurrunt varii Episcopi, qui ex illa profecti Concilio interfuerunt. Et Sanctus Athanasius Synodum ex Diœcesi Ægypti describens prædictas quatuor Provincias hisce verbis commemorat: (1) *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto*, *Thebaide*, *Libya*, *& Pentapoli*. In duas provincias Thebais divisa est, Primam, & Secundam.

Primæ Thebaidis caput, & Metropolis in Notitia Leonis Sapientis Antinous collocatur, quæ Stephano Antinoia & Adrianopolis dicitur, quod ab Adriano condita fuerit, & amasii sui nomine nuncupata, uti testantur Divus Hieronymus *contra Jovinianum*, & Marcellinus *lib. 22.*

Provincia Thebaidis Primæ.

Beveregius legit, * Polyco.	Antino Metropolis.	Hermopolis.	*In Beveregii Notitia deest*.
	Theodosiopolis.	*Casus*.	* Casus.
At Goar. * Lyco.	*Lyco*.	Hypsele.	
	Appollonius.	*Anteon*.	* Antei.
* Panos.	*Panus*.		

Hierocles Grammaticus tertio loco ponit Antinoum, nec omnino numerum & locorum nomina observat.

Provincia Thebaidis proximæ : sub Præside urbes X.

* Hermai.	*Hermui*.	Theodosiopolis.	
	Antino.	*Acuasa*.	* Phacussa ab Casus.
	Lycorum.	Ypsile.	
	Apollon parvus.	Antei.	* In Oasin relegabant Romani, ut in Pandectis; ubi museæ palmares: ibi Gloriæ Grææ.
	Panius.	*Oases magna*.	

IX. Thebaidis Secundæ Metropolim faciunt Ptolemaidem, nedum Leo Sapiens, sed etiam Hierocles, & Nilus Doxapatrius. Quinque sunt ejusdem nominis urbes, de quibus scripsere S. Hieronymus *epist. ad Eustochium:* & Plinius *lib. 2. cap. 73. lib. 5. cap. 19. & lib. 6. cap. 29.* Sed hæc Thebaidis est propria, quam una cum ceteris urbibus ita descripsit Leo Sapiens.



Pro-

(1) S. Athanasius Apolog. 2.

Provincia Thebaidis Secundæ.

Apud Beveregium:
* Appollonos.
* Hermonthes.
*Vicus Anassæ magnæ.

Ptolemais Metropolis.
Conto, ſeu Juſtinianopolis.
Diocletianopolis.
Dioſpolis.
Tentyra.
Maximianopolis.
Thebais.
Leto.
Jambon.

Apud Beveregium: * Lato.

Hermutes.
Apolloneos.
Villa Anaſſes.
Magnæ Thebaidis.
Superioris.
Mathon.
Hermon.
Trimunthon. *Apud Beveregium:* * Erbon.

Beveregius habet: Thebaidis: Superioris: Et Ibeos. *Sed correctius Goar, & Cod. Regius:* Magnæ Thebaidis, & Superioris Ibeos.

Hieroclis Notitia a præcedenti plurimum deficit, nec locorum numerum, nec illorum nomina ſincere profert.

Provincia Thebaidis Superioris ſub Duca Urbes XI.

Ptolemais.
Dioſpolis.
Tentrya.
Maximianopolis.
Coptus.
Phice.
Diocletianopolis.
Eresbytus.
Lattorum.
Appollonias.
Ombi.

X. Ægyptus proprie dicta quarta Diœceſis ejusdem nominis Provincia in Notitia Imperii occurrit. Primus omnium Julius Cæſar [1] *Ægyptum in ſuam ditionem, poteſtatemque redegit, deditque Cleopatræ, cujus cauſa bellum geſſerat;* ait Xiphilinus. Captus quippe amoribus Cleopatræ Julius Cæſar Ægyptum ei conceſſit, ex qua Ptolemæus Dionyſius ejus frater illam expulerat. At poſt Julii necem, victa ab Auguſto Cleopatra, Ægyptus in Provinciæ formam redacta eſt; eique præfectus Cornelius Gallus, eodem Xiphilino referente: *Ægyptus per Octavianum Auguſtum Imperio Romano adjecta eſt: Præpoſituſque ejus factus eſt Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum Judicem habuit.* Antea propriis Regibus parebat, ſed cum Marcus Antonius Cleopatræ blanditiis irretitus, hujus Regno amplificando plus æquo deditus in ſuſpicionem Populo Romano veniſſet, a Cæſare Auguſto debellatus, cum ipſe Cleopatræ dolo interfectus, tum Cleopatra ipſa morſu aſpidis ſponte ſiniſtro brachio admotæ necata, vitam Regnumque amiſerunt, quod Cæſar Imperio adgregavit. Id memoriæ proditum eſt a Sexto Rufo: *Ægyptus* [2] *omnis ſub amicis Regibus fuerat; ſed victa cum Antonio Cleopatra, Provinciæ formam Octavii Cæſaris Auguſti tempore accepit: & primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus Judex adminiſtravit.* Dio Caſſius *lib.* 53. & Idatius in excerptis apud Caniſium *cap.* 31. hoc ipſum affirmant: *Cleopatra, & Antonius ſemet interficiunt, & ob hoc Ægyptus fit Romana Provincia.* Magnam inde utilitatem Romæ attulit Octavianus Auguſtus, ob ingentem frumenti co-

(1) Xiphilinus in Epitome.

(2) Sextus Rufus in Breviario.

copiam quotannis ex Ægypto in urbem deportatam, cujus rei cauſa paludes campeſtria undique occupantes, militum opera exſiccaverit, ut fertile ſolum priſtinæ fecunditati redditum uberiores fructus proferret. Qua de re hæc tradit Sextus Aurelius: *Auguſtus* (1) *regionem Ægypti, inundatione Nili acceſſu difficilem, inviamque paludibus, in Provinciæ formam redegit. Quam ut annonæ Urbis copioſam efficeret, foſſas incuria vetuſtatis limo clauſas, labore militum patefecit. Hujus tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur*.

In duas Provincias ſecta eſt Ægyptus, Primam, & Secundam. Primæ Ægypti Metropolis eſt (2) *Alexandria vertex omnium civitatum*, ait, Marcellinus, *quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altiſſimi, & architecti ſolertia Dinocratis; qui cum ampla mœnia fundaret & pulchra, penuria calcis ad momentum parum repertæ, omnes ambitus lineales farina reſperſit: quod civitatem poſt hæc alimentorum uberi copia circumfluere fortuito monſtravit indicio. Ibi auræ ſalubriter ſpirantes, aer tranquillus & clemens: atque ut periculum docuit per varias collectum ætates, nullo pæne die incolentes hanc civitatem ſolem ſerenum non vident*. Ab Alexandro Magno, poſtquam Ægyptum ſine labore obtinuiſſet, condita fuit, ac ſuo nomine donata: ab Antiocho, Ptolemæo ad Peluſium navali pugna victo, obſeſſa, ut refert Livius *lib.* 4. *Decad.* 5. eamdem a Romanis ſubverſam Cæſar publicis inſtauravit expenſis. Sedes Patriarchalis olim fuit, cui omnes Ægyptiacæ Diœceſis Provinciæ ſuberant. Hic tamen illam ſpectamus quatenus Primæ Ægypti Metropolis eſt, cui ex urbes ſubditæ ſunt, quas ex Notitia Leonis Auguſti nunc damus.

Provincia Ægypti. Patriarchatus per Ægyptiacam Diœceſim.

	Alexandria ſub Duce,	Zenonopolis.	
Apud Carolum	& Auguſtali.	Paphna.	
a S. Paulo: * Metelis.	Hermopolis.	*Onuphes.*	* Onuphis.
	Mileos.	*Save.*	* Tava.
Apud Beveregium:	Coſtus.	Cleopatris.	
* Pſaneos Vicus.	*Pſanis Vicus.*	*Marcotis.*	* Marcotes.
* Cotrideos Vicus.	*Copridis Vicus.*	*Manelitorum.*	* Manelaitarum.
	Sais.	Schedia.	
	Lentopolis.	*Thernuthis.*	* Thernuthes.
	Naucratia.	Sondra.	
	Andronicius.		

XI. Ab hac fere toto cœlo diſcrepat Notitia Hieroclis. Cum primis unam dumtaxat ponit Ægypti Provinciam. Tum deinde una confundit urbes aliquas, quæ ad Secundam Ægyptum attinent. Tandem pleraque urbium nomina corrupta ſunt. Quod ſpectat ad civilem Provinciarum adminiſtrationem, forſitan Hieroclis ætate una tantum erat Ægypti Provincia utramque Eccleſiaſticam complectens, ac uni ſubjecta Præſidi. En Hieroclis Notitia.

(1) Sextus Aurelius de Vita, & Moribus Imperatorum paulo ab initio.

(2) Marcellinus lib. 22.

Provinciæ Ægyptiacæ: sub Augustali Urbes XXIII.

	Alexandria.	Pachnemoës.	
	Hermopolis.	Diospolis.	
	Menelaites.	Sebonytus.	
* Metelis,	*Meletes*.	Onuphis.	
	Vutos.	Tava.	
	Cabassa.	Cleopatra.	
	Zaës.	Cyno.	
	Naucratis.	Busires.	
	Andron.	*Oases*.	* Oases duæ; magna & parva.
	Nicii.	Elearchia.	
* Xois.	*Zois*.	*Paralios*.	* Paralos,
	Phravynes.		

XII. Inter ceteras Urbes Hierocles Cabassam nominat, quæ tamen Secundæ Ægypti est civitas, & prima sese offert in Notitia Leonis Sapientis nomine vulgata, cum apud Schelstratem *Tom. 2. Antiq. Illustr.* tum apud P. Goar, Carolum a S. Paulo, Beveregium, & in Codice Regio. Nullus tamen eorum eam Metropolim vocat, nec satis constat quænam fuerit hujus Provinciæ Metropolis. Nilus Doxapatrius qui *in Notitia Patriarchatuum* omnes Alexandrini Patriarchatus Provincias, earumque Metropoles exprimit, Secundæ quidem Ægypti meminit; sed de illius Metropoli prorsus tacet. Quare & nos Notitiam urbium hujus Provinciæ hic damus, qualem Leo Sapiens vulgavit Metropolis nomine ignoto.

Provincia Ægypti Secundæ.

	Cabasa.	Elearchia.	
	Phragonis.	Regeon.	
	Pachnemonis.	Paralus.	
	Diospolis.	Pariane Vicus.	
Apud Beveregium:	Sebennytus.	Cyma.	
* Cæno.	*Cyno*.	*Richomerium*.	* Vicus Richomerium.
	Busiris.	Xoeos.	

XIII. Gratianus Imperator Augustanicam ab Ægypto divulsit, ac peculiarem Provinciam esse voluit. Nam Ammianus Marcellinus, qui sub Valentiniano & Valente sæculo quarto scripsit, cum dixisset: (1) *Tres Provincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam*: statim subdidit: *quibus duas adjecit posteritas, ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim a Libya sicciore*. Quæ verba referens P. Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis in *Geographia Sacra* observat, Augustanicam per Gratianum Imperatorem ab Ægypto avulsam. Ante Gratianum siquidem nullus veterum Augustanicæ velut ab Ægypto sejunctæ meminit; at vero post Gratiani obitum obvia est ejus mentio, ne-

(1) Marcellinus lib. 22.

nedum apud Marcellinum, ut vidimus, sed etiam in Notitia Imperii Arcadii temporibus scripta, ubi legimus: *sub dispositione viri spectabilis Praefecti Augustalis Provinciae infrascriptae: Libya Superior, Libya Inferior, Thebais, Ægyptus, Arcadia, Augustamnica*. Cyrillus Alexandrinus sub Imperio Theodosii Junioris clarus, in epistola ad Atticum hanc Provinciam vocat Augustalem: *Ægyptum*, inquit, *regionem etiam Augustalem, & Arcadiam, & Thebaidem, & Libyam, & Pentapolim, & tot Ecclesias dolore afficis*. Nobiliores Augustanicae civitates eleganter descripsit Marcellinus, primumque locum Pelusio concessit: [1] *In Augustamnica oppidum Pelusium est nobile, (quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrare Deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum post interfectum fratrem nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur:) & Cassium, ubi Pompeii sepulchrum est Magni, & Ostracinae, & Rhinocorura*.

In duas Provincias Augustanica secta est, Primam, & Secundam. Augustamnicae Primae Metropolis Pelusium, est nuper ex Marcellino descriptum; urbs in externa Ægypti ora, quae Casiotidi contermina est, sita, a qua extremum Nili ostium, quo Ægyptus ab Asia terminatur, Pelusium, seu Pelusiacum appellatur.

Hujus Provinciae urbes ex Notitia Leonis Sapientis eae sunt.

Provincia Augustamnicae Primae.

	Pelusium Metropolis.	Casium.	
Apud Beveregium:	Sethroetes.	Apthaeum.	
* Tanes.	*Tanis.*	*Hephaestus.*	* Hiphestus.
* Thmues.	*Thmuis.*	Panephusus.	
* Rhinocurura.	*Gebenocurura.*	*Gerus.*	* Geros.
* Ostracine.	*Ostracene.*	*Itagerus.*	* Itageros.
* Pentaschanon.	*Pentaschoenon.*	Thenesus.	

Ab Hierocle Grammatico minime pretermissa est Augustanica Provincia; sed neque urbium ordinem ac numerum, neque illarum nomina ubique servat; quin & Pelusio inferius in octavam Sedem detruso, primatum Rhinocoruris defert.

Provincia Augusta Prima (Augustamnica) sub Correctore Urbes XIII.

Rhinocorura.	Pelusium.	
Ostracine.	Sethraites.	
Cassium.	Hephaestus.	
Pentaschoenon.	*Panithysos.*	* Iphysos, *vel* Ephysos.
Aphanaion.	*Pannis.*	* Tanis.
Gerrhas.	Thmuis.	
Scenna.		



(1) Marcellinus lib. 22.

For-

Forsitan Hieroclis ætate Rhinocorura Sedes civilis erat Correctoris: quod enim ad Ecclesiasticam Metropolim spectat, nedum Leo Sapiens, & Nilus Doxapatrius; sed & veteres omnes Pelusium fuisse affirmant.

XIV. Alterius Augustamnicæ Metropolis est Leonto, quæ & Leontopolis Ptolemæo, & aliis urbs Leonum dicitur, Busiridi urbi proxima. Hujus Provinciæ civitates ita exhibet Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Augustamnicæ Secundæ.

Apud Beveregium:	Leonto Metropolis.	Bubastus.	
* Athrabes.	*Athreces.*	Carbetus.	
* Helius.	*Helias.*	*Anabius.*	* Arabius.

Eamdem Metropolim huic Provinciæ adscribit non solum Nilus Doxapatrius, sed etiam Hierocles Grammaticus, licet posterior hic addat ceteris urbibus Clysma Castrum, nec prorsus in earum nominibus describendis cum aliis consentiat.

Provincia Augusta Secunda (Augustamnica II.) sub Præside Urbes VII.

	Leonto.	Pharzitus.	
* Atribis.	*Atrides.*	Arabia.	
	Heliu.	Clysma *Castri.*	* Castrum.
	Bubastus.		

XV. Postrema Diœceseos Ægypti Provincia est Arcadia; non illa Peloponnesi regio intima a mari undique remota, ab Arcade filio Jovis, & Callistonis Lycaonis Arcadiæ Regis filiæ nomen adepta; sed altera in Ægypto posita, quæ ab Arcadio Imperatore sic appellata est, propterea primum in Notitia Imperii ejus tempore scripta occurrit. Divulsam eam fuisse ab Thebaide Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis in *Geographia Sacra*, P. Goar, Emanuel a Schelstrate, aliique observant. Metropolis Arcadiæ, a Nilo Doxapatrio, a Leone Sapiente, & Carolo a S. Paulo, aliisque Oxyrynchus appellatur: quod nomen illi impositum fuit a pisce quodam Nilo peculiari, qui etiam in Mari Rubro, & in Caspio capitur. Hunc piscem Oxyrynchum tota Ægyptus colit, cui & templum dicavit, ut refert Strabo *lib.* 17. Nulla quippe gens adeo superstitiosa fuit ac insipiens, quæ cujusvis generis belluas pro numinibus haberet, ac Ægyptia: ex terrestribus bovem, canem, felem: ex volatilibus accipitrem, atque ibin: ex piscibus Crocodilum, & Oxyrynchum. Quæ sane Ægyptiorum superstitio non vana solum, sed insana etiam ab aliis Gentibus credita est, ob stultam hanc bestiarum consecrationem. De qua Juvenalis:

... quis

(1) . . . *quis nescit qualia demens*
Ægyptus portenta colit? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturum serpentibus Ibin:
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis: illic
Oppida tota canem venerantur . . . . .

Nec templa solum, sed & urbes belluis dicabant: sicuti Cynopolis canum civitas, in qua Anubis colebatur, & honor, & sacer quidam cibus canibus erat constitutus. Ejusmodi fuit & Oxyrynchus, a pisce hujus nominis vocata: quæ urbs Arcadiæ seu Arcesinæ Metropolis est, cui eæ civitates subjiciuntur in Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Arcadiæ.

	Oxyrynchus Metropolis.	Alexandria.
	Heracleus Clima.	Colynten.
* Heliopolis.	*Hilopolis*.	Agni.
	Arsenoetes.	Panalli.
	Theodosiopolis.	Thasmatus.
	Aphroditon.	Tamiatha.
*Forte Memphites.	*Memphilite:*.	Tenese.
	Septem Ostia Nili.	

Beveregius, & P. Goar ab hac Notitia discrepant. Beveregius quippe secundo loco ponit tantum *Heracleus:* Goar legit *Clisma*. Beveregius tertio loco statuit *Cæno;* quam urbem prætermittit Notitia Leonis Sapientis a Schelstrate edita *Tom. 2. Antiq. Illustr.* Hæc ex adverso, uti & P. Goar legunt *Theodosiopolim*, *& Aphroditon;* quæ tamen a Beveregio sunt prætermissæ. Abbas Fuliensis pro *Memphelitus*, legit *Memphis*. Septem ostia Nili: a Beveregio hæc recensentur:

Nilus habet Ostia septem. 1. *Alexandria*. 2. *Colynten*. 3. *Agni*. 4. *Parali*. 5. *Chasmatis*. 6. *Tamiathe*. 7. *Tenese*.

Hierocles septem Nili ostia nequaquam memorat; immo ceteris urbibus præponit *Cyno*, cujus editæ ab aliis Notitiæ nihil meminerunt: nisi forte sit *Cæno*, quam Beveregius tertio loco ponit, eamque Cynopolin esse credimus; quæ tamen hujus Provinciæ Metropolis non est. In aliis pæne congruit Hieroclis Notitia, nisi quod interdum depravata sunt nomina; & ultimo loco habet urbem *Littus*, de qua altum est silentium apud Scriptores ceteros.



(1) Juvenalis Satyra 15.

CAPUT IV.

Synopsis.

I. *Asia Minor tertia Diœcesis Præfecto Orientis subjecta. In Notitia Imperii undecim Provincias complectitur. Harum prima Asia Proconsularis. Eam Romani primum testamento Attali, postea armis acquisiverunt.*

II. *De aliis Asiæ minoris Provinciis variæ Auctorum sententiæ. Usserii opinio de Asia Proconsulari exploditur. Ephesum non Lydiæ, sed Asiæ Proconsularis Metropolin Ulpianus tradit, quem perperam de Lydia interpretatur Usserius.*

III. *Asianæ Diœcesis Provinciarum numerus ex Petro de Marca. Decem enumerat Notitia Imperii Constantino tributa, quibus addenda est Asia Proconsularis. Valentis, Arcadii, & Honorii temporibus Asiæ nomen tribus ejusdem Diœcesis partibus impositum. Prior erat Asia proprie dicta: secunda Asia Proconsularis: tertia reliquas Asiæ Provincias comprehendebat.*

IV. *Metropolis Asiæ Proconsularis Ephesus. Ejus urbes ex Leone Sapiente, & Hierocle recensentur.*

V. *Pamphyliæ descriptio. Eam P. Servilius domuit, & Imperio adjecit. Duæ in ea fuerunt præcipuæ civitates Side, & Perge. Dissecta postmodum fuit hæc Provincia in duas, sed nonnisi post Concilium Chalcedonense.*

VI. *Primæ Pamphyliæ Metropolis Side. Urbium illius Catalogum exhibet Leo Sapiens.*

VII. *Secundæ Pamphyliæ Metropolis Perge. Urbes illi subjectæ. Hierocles utramque Pamphyliam simul complexus est, civilem Imperii formam imitatus.*

VIII. *Hellespontus Asiæ Provincia etiam Dardania dicta. In ea Troja & Ilium. Cyzicus illius Metropolis est. Urbes illius enumerat Leo Sapiens, sed longe plures Hierocles.*

IX. *Lydia olim Crœsi Regnum a Romanis capta occasione belli Asiatici contra Antiochum. Ejus Metropolis Sardis. Quot urbes illi adscripserint Leo Sapiens, & Hierocles.*

X. *Pisidiam cum ceteris Asiæ Provinciis P. Servilius subegit. Metropolis illius est Antiochia Pisidiæ. Urbes a Leone Sapiente, & Hierocle enumeratæ.*

XI. *Lycaonia a Perpenna, & Manio Aquilio obtenta, sed filiis Ariarathis concessa, postmodum a Cæsare Augusto in Provinciæ formam redacta est. Metropolis ejus Iconium cum ceteris urbibus hic descriptis.*

XII. *Phrygia duplex: Pacatiana, & Salutaris. Pacatianæ Metropolis est Laodicea. Urbes illius exhibet Notitia Leonis Sapientis. Multo plures enumerat Hierocles.*

XIII. *Phrygiæ Salutaris Metropolis Synada. Ejus Urbes ex Notitia Leonis Sapientis exhibitæ. Plurimum ab ea discrepat altera Hieroclis.*

XIV. *Tertiam Phrygiæ Provinciam addit Leo Sapiens, cujus Metropolim facit Hierapolim. Aliter ejus urbes descripsit Notitia Leonis Sapientis apud Schelstratem, aliter apud P. Goar, & Beveregium.*

XV. *Lyciam a P. Servilio subactam, Vespasianus Provinciam fecit. Metropolis ejus est Myra. In Concilio Chalcedonensi, & epist. ad Leonem Augustum plurimi ejus Episcopatus nomi-*

nan-

nantur. Illius urbes Leo Sapiens, & Hierocles recensent.

XVI. Cariam P. Servilius in Provinciam redegit. In Notitia Leonis Sapientis Stauropolis statuitur Cariæ Metropolis. At Hierocles constituit ejus Metropolim Aphrodisiam, sicuti etiam Concilium Chalcedonense. Urbes ex Leone Sapiente, & Hierocle describuntur.

XVII. Cyclades Insulæ undecimam componunt Asiæ Provinciam. Sub illis tamen hic etiam comprehenditur Rhodus, quæ est totius Provinciæ Metropolis. Illius urbium Catalogum contexuerunt Leo Sapiens, & Hierocles.

I. Quicumque nomen Asiæ in Notitia Imperii offendit, non Asiam latissime acceptam intelligat necesse est, tertiam scilicet Orbis nostri partem, sæpius a veteribus commemoratam; sed illam quæ Asia Minor appellari solet, quæque tertiam Diœcesim constituit, Præfecto Prætorio Orientis subjectam. Hanc accurate descripsit Plinius, & bifariam juxta Agrippæ divisionem ejus limites metitus est: [1] *Asiam in duas partes Agrippa divisit: unam inclusit ab Oriente Phrygia, & Lycaonia: ab Occidente Ægeo mari: a Meridie Ægypto: a Septemtrione Paphlagonia. Hujus longitudinem CCCCLXX. m. passuum, latitudinem CCC. m. fecit. Alteram determinavit ab Oriente Armenia minore: ab Occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia: a Septemtrione Provincia Pontica: a Meridie mari Pamphylio longam CCCCCLXXV. m. passuum, latam CCCXXV. m.* Asiatica Diœcesis undecim in Notitia Imperii Arcadii, & Honorii temporibus edita, complectitur Provincias.

Harum Prima Asia Proconsularis appellatur. Eam Romani prius hereditate acquisierunt, deinde armis firmarunt. Attalus quippe Eumenis filius, Attalo patruo, qui post Eumenis obitum Regnum pro tutore curaverat, vita functo, quinque regnavit annis; ac moriens sub annum Urbis conditæ 621., ut ex Strabone lib. 13. colligitur; seu ut aliis placet anno 626. Populum Romanum instituit heredem. Id præter Plinium *lib.* 33. *cap.* 11. Vellejum *lib.* 2. & Orosium *lib.* 5. *cap.* 10. ita refert L. Florus: *Attalus Rex Pergamenorum Regis Eumenis filius, socii quondam, commilitonisque nostri testamento reliquit: Populus Romanus bonorum meorum heres esto. In bonis Regis hæc fuerunt. Adita igitur hereditate, Provinciam Populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed (quod est æquius) testamenti jure retinebat.* Hæc vero Provincia, cujus hoc loci Florus meminit, non Pergami, quæ civitas erat tunc Regni caput, sed Asiæ Proconsularis fuit: quod clarius significavit Eutropius, licet lapsu memoriæ Attalum hunc Eumenis fratrem vocet, qui tamen filius fuit: [1] *Eo tempore*, inquit, *Attalus Rex Asiæ, frater Eumenis, mortuus est; heredemque Populum Romanum reliquit. Ita Imperio Romano per testamentum Asia accessit.* Verum id ægre ferens Aristonicus, Eumenis ex pellice filius, invadit Asiam, & Crassi Prætoris exercitu deleto, postea ipse a Consule Perpenna profligatus captusque, Romæ in carcere strangulatus interiit: iterumque Asia in ditionem Populi Romani recepta est, ut tradit idem Auctor. Sed non multo post a Mithridate Rege Romanis ereptam, Pompejus bello contra eum feliciter gesto totam recuperavit;

Q 2

(1) Plinius lib. 5. cap. 27.

(1) Eutropius lib. 4.

vit; adeo ut in concione non immerito gloriatus fit: (1) *Se Asiam ultimam Provinciarum accepisse eamdemque patriæ reddidisse*. Nec eam solam, de qua agimus, quámque Asiam Proconsularem dicunt, Pompejus subegit, sed etiam totam Asiam Minorem, qualem Lucius Florus (2) descripsit: *Pompejo Duce*, inquit, *Populus Romanus totam, qua latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam Imperii habebat Provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non noverant; omnis Asia inter Rubrum mare, & Caspium, & Oceanum Pompejanis domita, vel oppressa signis tenebatur*.

II. Quamvis autem veteres Historici omnes Asiam Minorem Romano Imperio subjectam asserant, & varias ejus Provincias enumerent: difficile tamen est exactam earumdem Provinciarum notitiam assequi, eo quod priscis Romanorum temporibus uni Præfecto plures Provinciæ parerent. Insinuasse hoc videtur Strabo, qui Augusti tempore scripsit, & *lib.* 13. Phrygiæ, Lydiæ, & Cariæ limites ita coincidisse affirmat, ut vix internosci possent. Atque hanc hujus rei causam affert, *quod Romani has partes non ad nationum formam dividerent, sed secundum fora, & jurisdictiones*. Et quia antiquitus non singulis Provinciis peculiares Præfecti, sed binis, vel ternis, immo & pluribus singuli præfuerunt, ut asserit Dio Cassius *lib.* 53. idcirco difficulter Provinciarum confinia investigari possunt. Asiam Cæsaris ætate a Proconsule, *qui tamen Bithyniæ præerat*, gubernatam fuisse, tradit Vellejus Paterculus *lib.* 2. ubi asserit, *Cæsarem cum de piratis in Asia trucidandis ageret, in Bithyniam perrexisse ad Proconsulem Junium, qui & Asiam obtinebat*. Itemque Lucium Flaccum in Asia jus dixisse commemorat Tullius in Oratione, (3) quam in ejus defensionem habuit: quo etiam auctore discimus, Asiâ tunc Mysiam, Cariam, & Lydiam fuisse comprehensas. Neque Jacobo Usserio assentiri possum, dum Asiam Proconsularem, Vespasiano imperante, in plures divisam fuisse contendit: (4) *Vespasiani tempore, Proconsularis Asia separata est ab Asia illa reliqua, quæ una cum hac ipsa in unam Consularem Provinciam erat ante ab Augusto Cæsare descripta. Nam cum Asiæ Proconsul duas tantum Provincias sub se haberet (donec a Theodosio Seniore Hellespontica esset addita) continentes unam, quam ipse, Insularum alteram, quam sub eo Præses regebat*. Itaque existimat Usserius Proconsularem Provinciam Asiæ sub Vespasiani Imperio ab Asia reliqua separatam fuisse, & ex Lydia, & Insulari Provincia conflatam, quibus Theodosii Senioris tempore Hellespontica accesserit. Ei, inquam, assentiri cum primis non possum in eo, quod ait, ante Theodosii Senioris Imperium, Asiæ Proconsulem duas tantum Provincias sub se habuisse, Lydiam scilicet, & Insulas; contrarium enim novimus ex Vellejo Paterculo, & Cicerone, dum ille etiam Bithyniam, hic vero sub Asia Phrygiam, Mysiam, Cariam, & Lydiam collocat, ac uni Flacco subjectas affirmat. Immo postquam Proconsularis Provincia a reliqua Asia separata fuit, ad eam Hellespontum quidem, non autem Lydiam spectasse optime observat D. Emanuel a Schelstrate *Antiq. Eccles. Illustr. Tom.* 2. *dissert.* 5. *cap.* 2. *art.* 1. §. 2. & 3. neque Asiam Proconsularem post Vespasiani tempora umquam Lydianam vocatam fuisse reperimus. Quotquot namque a Vespasiani obitu Proconsularis muneris, aut Provinciæ meminerunt, semper Asiæ Procon-

(1) Apud Plinium lib. 7. cap. 26.
(2) L. Florus lib. 3.

(3) Cicero in Orat. pro Flacco.
(4) Jacobus Usserius in Opusc. de Asia Lydiana.

consulem, Asiam Proconsularem nominant, numquam Lydianum Proconsulem, aut Lydiam Proconsularem appellant. Extant Plinii Junioris litteræ ad Arrium Antoninum, Antonini Pii Imperatoris avum, in Asia tunc Proconsulatum agentem scriptæ: *Quod semel*, (1) inquit, *atque iterum Consul fuisti, similis antiquis: quod Proconsul Asiæ, qualis ante te, qualis post te, vix unus, aut alter*. Meminit quoque Proconsulatus gesti in Asia ab Antonino Pio Spartianus in ejus vita. Hadrianus itidem Imperator apud Eusebium *lib. 4. cap.* 8. & apud Justinum Martyrem in Apologia pro Christianis: *Minutio Fundano Asiæ Proconsuli rescripsit*.

Sane Ephesus non Lydiæ, sed Asiæ Proconsularis Metropolis extitit, atque ipsius Proconsulis Sedes; propterea Antoninus Imperator ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsulem ad eam urbem ea de causa appellere debere cum ingrederetur Provinciam; teste Ulpiano: (2) *Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit; Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, & Metropolium Ephesum primam attingere*. In cassum Usserius hunc Ulpiani locum de Lydiana sua Provincia interpretatur, in qua plures Metropoles fuisse contendit, Laodiceam, Sardis, Smyrnam, Ephesum & Pergamum. Sed a vero procul abit cum ex Strabone, Plinio, Ptolemæo, aliisque Geographiæ peritissimis viris exploratum sit, plerasque ex supradictis urbibus extra Lydianam Provinciam sitas esse. Laodicea siquidem Lydiæ ab Antiocho Stratonices filio condita, ut Stephanus refert, Laodicea dicta a Laodice Antiochi uxore, numquam Metropolis fuit; aliæ hujus nominis urbes ad alias Provincias spectant, scilicet Phrygiam, Syriam, Lycaoniam, Mæsiam. Smyrna Joniæ est civitas; Ephesus Asiæ proprie dictæ Metropolis; Sardis dumtaxat Lydiæ Metropolis fuit. Quocirca si Proconsul Asiæ sub Antonini Imperio in prædictas urbes jurisdictionem exercuit, oportet omnino pluribus Provinciis etiam post Vespasiani tempora eum præfuisse, ac proinde Antonini legem, non de solis Lydianæ Provinciæ Metropolibus, sed de aliis etiam Asiaticis Provinciis intelligendam esse. Id pariter insinuat Capitolinus in vita Antonini Pii: (3) *Proconsulatum Asiæ sic egit, ut solus avum vinceret, & in Proconsulatu etiam sic Imperii omen accepit. Nam quum Sacerdos femina Trallis ex more Proconsules semper hoc nomine salutaret, non dixit, Ave Proconsul, sed Ave Imperator. Cyzici etiam de simulacro Dei ad Statuam ejus corona translata est*. Itaque Antoninus Pius ante adeptum Imperium fuit Asiæ Proconsul, atque ejus jurisdictioni non Tralliana tantum, sed etiam Cyzici civitas subjecta erat; & tamen Cyzicus Hellesponti Metropolis erat. Quare diu ante Theodosii Senioris Principatum Hellespontus ad Proconsulem Asiæ pertinebat; uti reipsa Imperii Romani divisio ab Hadriano Imperatore facta inter ceteras Asianæ Diœceseos Provincias Hellespontum recenset. Idipsum & de aliis Provinciis asserendum est; licet earum singulis ante Alexandri Severi tempora singulos Præfectos fuisse datos, referat Dio Cassius: (4) *Quoniam*, inquit, *nunc earum quævis suum habet peculiarem Præfectum*.

III. De ejusmodi Provinciarum numero hæc tradit doctissimus Petrus „ de Marca: (5) Asiana Diœcesis in „ Notitia Imperii decem Provinciis „ constat, quæ Vicario Præfecti Prætorio Orientis parebant, scilicet „ Pamphylia, Lydia, Hellesponto, „ Pi-

(1) Plinius lib. 4. Epist. 3.
(2) L. 4. ff. de Officio Proconsulis.
(3) Capitolinus in Antonino.
(4) Dio lib. 53.
(5) Petrus de Marca lib. 1. Concord. cap. 3. §. 11.

„ Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria, & Insulis. Attamen in politiæ Ecclesiasticæ ratione Asiana Diœcesis undecim Provincias complectebatur, teste Theodoreto. Quod explicandum est e Theodosii lege, quæ Asiam Proconsularem ab Asiana distinguit, licet eas in unum corpus, quoad statum & communionem Ecclesiasticam, cogat. Itaque Asia Proconsulari adjecta ad decem Provincias Asianæ Diœceseos, conficitur numerus undecim Provinciarum Ecclesiasticarum a Theodoreto designatus. Asia strictissime sumpto vocabulo, a Romanis nomen accepit: qui Regnum Attali Pergameni Testamento delatum cernentes, ditionem illam in Provinciæ formam redegerunt; Asiamque de continentis nomine appellaverunt, teste Strabone. (1) Ejus administrationi Proconsulem præfecerunt; qui Magistratus continuatus est sub Imperio; quamvis Statum Asiæ Proconsularis Constantinus Magnus immutaverit, ab ea recisis Lydia, Caria, Hellesponto, & Cycladibus, quæ in speciale Provinciarum nomen transierunt. Unde factum, ut Eunapius cum Asiæ recentioris Proconsulatum describeret, a Pergamo, & ora maritima in continentem Cariâ tenus, & ad Tmolum montem ex parte Lydiæ porrexerit. Sub Arcadio Hellespontus & Insulæ redditæ sunt Proconsulatui, ut patet ex Notitia Imperii.

Asianæ Diœcesis Provincias utique enumerat Imperii Notitia, quæ Constantino Magno adscribitur: *Provinciæ Diœcesis Asianæ decem, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris, Lycia, Caria, Insulæ*. Iis nihilominus addenda est Asia Proconsularis, nedum juxta Ecclesiasticam, ut arbitratur D. Petrus de Marca, sed etiam civilem Imperii dispositionem. In hac quippe Provincia Proconsul peculiari potiebatur jure: quod declarant hæc ejusdem Notitiæ verba: *sub dispositione viri spectabilis Proconsulis Asiæ, Provinciæ infrascriptæ: Asia, Insulæ, Hellespontus*. Et licet a Constantino Præfecti, & Præsides singulis Provinciis præpositi essent, Proconsul tamen a sua jurisdictione non cecidit, quam in plures Provincias exercebat, divisis nimirum inter Proconsulem, & Vicarium Diœcesis Asianæ Provinciis. Sicut enim Notitia Imperii Proconsuli adscribit Asiam, Insulas, Hellespontum; ita Vicario Asiæ reliquas administrandas committit: *sub dispositione*, inquit, *viri spectabilis Vicarii Diœcesis Asianæ Provinciæ infrascriptæ: Pamphylia, Lydia, Caria, Lycia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris*. Octo hic Provinciæ enumerantur, eædem ipsæ, quæ in superioribus Notitiæ verbis, prætermissis Asia, Insulis, & Hellesponto, jam paulo ante Proconsuli attributis; quæ octo præcedentibus adjectæ, undecim Asianæ Diœceseos Provincias componunt. Ex his vero lucem non modicam acquirere possunt, quæ de confiniis Asiæ tradit Eunapius in vita Maximi, ubi de Clearcho, quem Valens Imperator præfecerat Asiæ, ita disserit: (1) *Toti tunc Asiæ cum Imperio præfuit, quæ ab Hellesponto per Lydiæ ac Pisidiæ fines in Pamphyliam excurrit*. Subjicit deinde: *Rebus prospere succedentibus mirifice Clearchum complecti cœpit Valens, neque solum non ademit, sed majorem insuper ei præfecturam commisit Asiæ, quæ nunc peculiari nomine sic vocatur, Proconsulem creans. Ea a Pergamo usque maritimam oram complexa in continentem Caria tenus definit, Tmolo monte fines ejus Lydiam attin-*

(1) Strabo lib. 13.

(1) Eunapius in vita Maximi.

attingentes circumscribente: estque Provincia illustris, & locuples, neque subjecta Præfecti Prætorio imperio. Duas Asiæ præfecturas commemorat Eunapius, earumque terminos metitur: Prima per Lydiam & Pisidiæ fines in Pamphyliam tendit, & est Præfectura Vicario Asiæ commissa, quæ ab Hellesponti limitibus in Pamphyliam decurrit, & plures Provincias ambit, quas Notitia Imperii designat. Altera vero est Præfectura Asiæ, quæ non in Lydiam, ut Usserius censet, sed a Pergamo usque ad Cariam sese porrigit: & hæc proprie est Asia Proconsularis, quamvis Proconsuli etiam Insulas, & Hellespontum Notitia attribuat. Idque Eunapius significare voluit illis verbis, *Asia quæ nunc peculiari nomine sic vocatur*.

Hinc patet, Valentis, sicut & Arcadii, & Honorii temporibus, Asiæ nomen tribus Diœcesis Asianæ partibus impositum; quarum prior proprie Asia dicebatur, & Epheso adjacebat: unde Auctor *de locis Actuum Apostolorum*, recte observat, *specialiter ubi Ephesus civitas est*, *Asiam vocari*. Altera est Asia Proconsularis, quæ Asianam, Hellespontícam, & Insularum Provincias continebat, & Proconsuli parebat. Tertia reliquas Asiæ Provincias complectebatur Vicario subjectas, quæ una cum Provinciis Proconsularibus totam constituebant Asianam Diœcesim. Consentanea est hæc divisio Constitutioni Theodosii Junioris ad Auxonium Asiæ Proconsulem directæ, in qua Ecclesiæ adjudicantur illis Episcopis, qui cum Amphilochio Iconiensi communicant *in Asia*, *necnon Proconsulari*, *atque Asiana Diœcesi*. Quæ constitutio habetur in *Codice Theodosiano lib.* 16. *tit.* 1. §. 3. ubi Theodosius tres Asiæ denominationes indicat, *Asiæ* nimirum *Provinciæ: Asiæ Proconsularis*, quæ tres Provincias complectebatur, *& Asianæ Diœceseos*, quæ undecim Provincias comprehendebat.

Ceterum cum in Notitia Imperii una tantum occurrat Provincia, quæ Asia Proconsularis dicitur, & in Politiæ Ecclesiasticæ ratione hæc sola Asiæ nomen retineat, idcirco unam hanc hoc loco illustrandam suscepimus, eamque Proconsularem appellamus.

IV. Hujus vero Asiæ Proconsularis Metropolis Ecclesiastica eadem est, quæ quondam in civili politia totius Asianæ Diœcesis caput extitit; Ephesus nimirum, urbs amplissima, Amazonum opus anno 40. a capta Troja conditum. Præter cetera ornamenta, quibus hæc civitas decorata fuit, atque a Gentilibus in pretio habita, celeberrimo Dianæ templo ubique terrarum famam nominis sui sparsit. Ducentis ac viginti annis tota Asia condendo huic templo operam suam impendit, illudque in solo palustri ædificavit, ne terræmotibus quateretur. Centum ac viginti septem columnæ in eo spectabiles erant, singulæ a singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, inter quas triginta sex cælatæ miro artificio eminebant. Sed opus tam insigne constat, eadem nocte, qua in lucem editus est Alexander Magnus, conflagrasse: de quo Timæi dictum extat: *Minime id esse mirandum*, *quod Diana*, *cum in partu Olympiadis adesse voluisset*, *abfuisset domo*. Quod sicut acute concinneque repertum laudat Cicero *lib.* 2. *de Natura Deorum:* Plutarchus ut ineptum, ac frigidum jure contemnit. Omnibus Asiæ urbibus nobilior fuit Ephesus, quam Dio Nicenus *lib.* 51. *Urbem Asiæ clarissimam:* Aristides *Orat. de concordia* ad civitates Asiaticas, *commune Asiæ ærarium:* Plinus *Asiæ lumen:* & variorum Numismatum inscriptiones Asiæ *Metropolim primam* appellant. Hoc Metropolitico jure donata fuit Ephesus ab ipsis Apostolorum temporibus, cui Sanctus Paulus Timotheum præfecit Episcopum, sicuti Theodoretus, Chryso-

sostomus, & alii *Commentar. in epist. ad Timotheum* observant; eamque prædicatione sua ad Christi fidem convertit. Paulus quippe cum pervenisset Ephesum, ibi per tres menses disputavit in Synagogis, & per biennium in Schola Tyranni cujusdam, *ita ut omnes*, (1) *qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini Judæi atque Gentiles*. Joannes itidem Evangelista usque ad Trajani tempora Ephesinam rexit Ecclesiam, teste D. Irenæo, apud Eusebium *lib.* 3. *cap.* 23. Quare vel ab ipsis Apostolorum temporibus Ephesus obtinuit, ut esset Asianæ Provinciæ Metropolis, uti eam vocat S. Joannes Chrysostomus: *Est quidem Ephesus Asiæ Metropolis*. In omnibus Synodis præsertim Chalcedonensi *Act.* 1. Ephesus Metropolis Asiæ habetur. Plures ei suberant Episcopatus, quos Notitia Leonis Sapientis descripsit.

Hos habet Provincia Asiæ.

Apud Bevereg.	Ephesi.	Magnesiæ.	
*Hypeporum.	*Hipetorum.*	*Aninatorum.*	* Animatum.
* Trallium.	*Trallensium.*	Pergami.	
	Magnesiæ ad Mæandrum.	Aneorum.	
	Elææ.	Prienes.	
	Adramytii.	Arcadiopoleos.	
	Assi.	Novæ Aulæ.	
	Gargarorum.	*Jovis Fani.*	* Templi Jovis.
	Mastaurorum.	Augazorum.	
	Caloes.	*Siorum.*	* Sion.
	Bryulorum.	*Colophorus.*	* Colophones.
	Pittamnes.	*Lenedi.*	* Levedi.
	Myrrhines.	Tei.	
	Phociæ.	*Erythrorum.*	* Erytrarum.
	Aureliopoleos.	*Clazomeniorum.*	* Clazomenarum.
	Nissæ.	*Ataudrorum.*	* Attadrorum.
	Maschacomes.	Theodosiopoleos, sive Peperines.	
*Metropolis.	*Metropoleos.*	*Cumæ.*	* Cymæ.
	Barettorum.	*Palæopoleos.*	* Palcopolis.

Multum ab hac Notitia differt Hierocles Grammaticus, qui & Smyrnam & urbes alias, & quidem longe plures enumerat, quam Leunclavius, P. Goar, Abbas Fuliensis, Beveregius, & alii, qui ex Notitia Leoni Sapienti tributa urbium hujus Provinciæ indiculum contexuerunt.



Pro-

(1) Act. cap. 19.

Provincia Asiæ sub Proconsule. Urbes XXXXIII.

Ephesus.	Colophon Metropolis.
Enea.	Lebedus.
Priene.	Tius.
Magnesia Meandri.	Smyrna.
Trallis.	Clazomene.
Nyssa.	Satrote.
Priulla.	Magnesiasopolis.
Mastaura.	Apae.
Anineta.	Temnus.
Hypeta.	Phocea.
Adriopolis.	Myrina.
Dios Hieron, seu Fanum Jovis.	Myce.
	Pergamus.
Evaza.	Elæa.
* Coloasis. *Colosæ*.	Pittane.
Algiza.	Tiane.
Nicopolis.	Theodosiopolis.
Palæopolis, seu vetus Urbs.	Adramattyon, quæ alias Lyrnesus.
Baretta.	Atandrus.
Aurelii Come, seu Vicus.	Gadara.
	Assus.
Neauche.	

Desunt numero, quem in titulo expressit Hierocles, duæ civitates.

V. Pamphylia regio est minoris Asiæ ad austrum, & versus oram litoralem maris Mediterranei, seu Pamphylii ab ea dicti, quod eam alluit. Terminatur a Septemtrione Pisidia, & Lycaonia, uti etiam tantisper Phrygia magna. Hæc fere tota Montana ex Tauro in mare procumbit. In ea, ut Pomponius refert, est Fluvius Melas navigabilis, & Eurymedon, apud quem Cimon Atheniensis Persas navali pugna superavit. Putant nonnulli partem eam nunc esse Occidentalis Caramaniæ. De illa Statius *lib.* 1. *Sylvar. Carm.* 4.

Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes.

Et Lucanus lib. 8.

.... magnosque sinus Telmesidos undæ Compensat, medio pelago Pamphylia Puppi Occurrit tellus.

Hanc Provinciam P. Servilius domuit, ac Romanæ Reipublicæ adjecit, uti Eutropius narrat: (1) *Ad Ciliciam, & Pamphyliam missus est P. Servilius ex Consule vir strenuus. Is Ciliciam, & Pamphyliam subegit.* Domitam a Servilio indicat etiam Orosius, & affirmat Sextus Rufus, (2) quod eam *Servilius Proconsul ad bellum Epirotarum missus obtinuit.* Illam tamen Amyntæ Regi fuisse attributam, tradit Carolus Sigonius: (3) *Oppida*, inquit, *Pamphyliæ*,

(1) Eutropius lib. 6. Roman. Histor.
(2) Rufus in Breviar.
(3) Sigonius.

liæ, *quæ Amyntæ attributa antea fuerant libertate donata sunt*. Quod ex Dione confirmat *lib.* 54. ubi cum tradidisset, quod *Amynta mortuo Regnum filiis ejus non tradidit* Cæsar Augustus, *sed Provinciam Populi Romani fecit: atque exinde Gallogræcia cum Lycaonia Romanum habere Præfectum cæpit*. Deinde subdit: *Oppida Pamphyliæ, quæ prius sub Amynta fuerant, sua sunt libertati restituta*. Quo ex tempore missi sunt ab Imperatoribus, qui Provinciam illam gubernarent: quemadmodum Calpurnio Asprenati eam Provinciam, una cum Galatia a Galba commissam scribit Cornelius Tacitus: (1) *Galatiam, ac Pamphyliam Provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat*.

Duæ quondam fuerunt celebres Pamphyliæ civitates Side, & Perge, quarum meminit Pomponius Mela *lib.* 1. *de situ Orbis*, *cap.* 14. & Auctor *Expositionis totius Mundi & Gentium*, editæ a Jacobo Gothofredo, ubi ait: *Pamphylia regio beatissima est, sibique sufficiens: olei porro plurimum cum habeat, & alias regiones eo implet. Habet vero duas civitates claras, Pergen & Siden*. Ab his urbibus duæ Provinciæ Ecclesiasticæ, in quas Pamphylia secta est, cognomentum sumpserunt, scilicet Pamphylia Prima, quæ & Side dicitur, & Pamphylia Secunda, quæ & Perge, & Sylæi nuncupatur. Utramque distinguit *Ordo Præsidentiæ Metropolitanorum*, sub nomine Leonis Sapientis: Primam numero decimo collocat: *Provincia Pamphyliæ, Metropolis Side:* alteram numero vigesimam quintam: *Provincia Pamphyliæ, Metropolis Perge, seu Silæi;* posteriorem hanc P. Goar Secundam Pamphyliam nominat. Duæ itidem Provinciæ Pamphyliæ extant in Notitia Leonis Sapientis apud Schelstratem *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Illustr.* & alterius Side, alterius Perge Metropoles sunt. Totidem habet *Ordo Thronorum Metropolitanorum*, quem descripsit P. Goar, & reperitur ad calcem Codini *de Historia Byzantii*, *pag.* 406. ubi legimus *num.* 10. *Sidensis totius Pamphyliæ:* & num. 26. *Silæensis, qui & Pergensis dicitur Secundæ Pamphyliæ .... Est nunc Attaliensis Episcopus quidem antea sub Pergensi, habet vero nunc Metropolita factus, etiam locum illius*. Hunc ordinem & nos secuti Pamphyliam in duas Provincias partimur: quamquam hæc distinctio post Chalcedonensis Concilii tempora fuerit instituta. Nam in Nicæna Synodo *Callinicus Pergensis* Metropolita cum septem Episcopis subscriptus legitur: nec alterius Pamphyliæ mentio habetur: sicut etiam Synodus CP. 1. unius tantum Pamphyliæ meminit. Hoc ipsum constat ex Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. & ex Epistola Episcoporum hujus Provinciæ ad Leonem Imperatorem relata *par.* 3. ejusdem Concilii: & utrobique *Perge* Metropolis Pamphyliæ nominatur. Quare Chalcedonensi Concilio recentior est duplicis Pamphyliæ distinctio, quam hic exhibemus.

VI. Primæ Pamphyliæ Metropolis est Side, seu Sida urbs maritima apud Ciliciæ confinia, inter ostia Eurymedontis ad Occidentem, & Coracesium urbem ad Ortum. Ejus urbes ex Notitia Leonis Sapientis hic damus.

Pro-

(1) Tacitus lib. 2. Histor.

Provincia Pamphyliæ.

	Sides.	Syethrorum.	
	Aſpendi.	*Myrabes.*	* Mylones, ſive Juſtinianopolis.
Apud Beveregium: * Orumnæ.	Ettenes.	*Vamandenſium.*	* Anamandorum.
	Erymnes.	*Dalinſadi.*	* Daliſandi.
	Caſſorum.	*Iſynorum.*	* Iſnorum.
	Semneorum.	*Lyrbes.*	* Lybræ.
* Coralliorum.	*Caraliarum.*	*Colybraſſi.*	* Colybaraſſi.
	Coraciſſis.	Manæorum.	

VII. Secundæ Pamphyliæ Metropolis eſt Perge, quæ & Perga, urbs Mediterranea apud oſtia Ceſtri Fluvii. Hic erat Dianæ templum, unde illa Pergæa denominata eſt, teſte Pomponio *lib.* 1. apud Stephanum vero Diana Pergaſia vocatur. De hoc templo loquitur Cicero 3. *in Verrem* Hanc urbem prædicatione ſua Chriſti fide imbuit Sanctus Paulus, uti Apoſtolorum Acta commemorant: (1) *Et cum a Papho navigaſſent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ.* Iſtius Provinciæ civitates has enumerat Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Pamphyliæ. (ideſt Secundæ.)

	Perges, ſive Silæi.	Corydalorum.	
	Attaliæ.	Peltineſſi.	
	Magidi.	*Diciotanabrorum.*	* Diciſtaneorum.
	Eudociadis.	Ariaſſi.	
* Telmiſi.	*Termiſi.*	Puglorum.	
	Iſindi.	Ardianes.	
	Maximianopolis.	Sandidorum.	
	Laginorum.	*Barbes.*	* Barbæ.
	Palæopolis.	Perbænorum.	
	Cremni.	Coi.	

Scholiaſtes Græcus hoc loci adnotat, *quod Attalia facta eſt Metropolis anno* ꟾↃↃ. ꟾↃ. ꟾↃXCII.

Hierocles Grammaticus utramque Provinciam una complexus eſt, civilem Imperii formam imitatus. In titulo quadraginta ſeptem urbes Pamphyliæ adſcripſit; ſed earum aliquas prætermiſit, nec omnes propriis nominibus appellavit.



(1) Act. Ap. cap. 13.

Provincia Pamphyliæ sub Consulari. Urbes XXXXVII.

	Perge Syllæum.	Ariasus.	
	Magydus.	Maximianopolis.	
	Attalia.	Ctema, seu possessio Maximianopoleos.	
	Demu Uliambos.	Regesalamara.	
	Tresena.	Limobrama.	
* Demu, *idest populi*.	*Demu* Canaura.	Codrula.	
	Zobia.	Demussa.	
	Thermesus, Far, & Eudocia.	Demu Sabaon, seu plebis Sabaonum.	
	Demu Mendeneo.	Pastolerisus.	
	Demu Socla.	Selpe.	
	Sinda.	Trimopolis.	
* Berbe.	*Berbie*.	Sodi.	
* Sindaunda.	*Sendaunda*.	Serna.	
	Myodia. * Chori.	Lybre.	
* Corio-Myliadica.	*Homyliadica*.	Cassa.	
	Olbasa.	Cotana.	
	Palæopolis.	*Orimena*.	* Orymna.
	Lysenara.	Coracesium.	
	Comana.	Syedra.	
	Colbasa.	Caralia.	
	Cremna.	*Holybarsus*.	* Holybrasus.
*Panemi. Techos.	*Panemoticos, seu Panemimyrus*.		

Epistola Episcoporum Pamphyliæ ad Leonem Augustum plures Episcopatus commemorat, quorum aliqui ab his nuper relatis differunt.

Epiphanius Perges. Ephestius Comanenus. Porphyrius Palæpoleos. Diodorus Lysinensis. Polæmon Tebennorum. Miccus Adrianopolis. Maras Codri. Neon Gilsatenus. Paulus Puglensis. Martius Pellensis. Hiericus Panemotici. Joannes Ariasii. Theosebius Maximianopolis. Auxentius Termissæ. Innocentius Eudoxianus.

Sidæ Episcopus hic nullus apparet. Attamen in Catalogo Episcoporum Synodi Chalcedonensis *Act.* 1. & in subscriptionibus *Act.* 3. *Rufus Sidæ, seu Sidenæ*, inter Episcopos subscriptus legitur.

VIII. Hellespontus tertia Asiaticæ Diœceseos Provincia est: quo nomine non intelligitur fretum angustum inter Ægæum mare, & Propontidem, septem stadiorum spatio Asiam ab Europa disterminans; sed Regio Asiæ, quæ pars Mysiæ est, inter Bithyniam, & Phrygiam, mari prædicto adjacens: in qua urbes sunt, Cyzicus, Parium, Lampsacus, Abydus, Dardanum. Meminit hujus regionis Ovidius *lib.* 4. *Fastor. Dist.* 258.

Perque urbes Asiæ longum petit Hellespontum.

Regionem hanc, aut saltem illius partem veteres appellarunt Dardaniam, a Dardano Jovis filio, qui Dardanum ibi condidit: deinde Trojam, & Ilium: de quo Virgilius *lib.* 3. *Æneidos:*

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & Auctor.

Non

Non solum Leo Sapiens, sed etiam Auctor *Expositionis* totius mundi & Gentium a Jacobo Gothofredo editæ, Trojam, & Ilium in Hellespontο collocat: *Hellespontus*, inquit, *regio fructifera, frumenti, vini, oleique dives. Civitates porro in ea antiquæ illæ Troja, & Ilium: his vero major Cyzicus, quæ & structuræ elegantia, & magnitudine, & ornatu, & formositate, omni laude major est. Ibi quippe etiam Venus, sagitta Cupidinis ornata, mulierum decus constituere voluit.* Occasione belli, quod in Asia contra Aristonicum gestum est a Perperna, & M. Aquilio, Hellespontum inter ceteras Asiæ Provincias in potestatem populi Romani deditione venisse, tradunt Sextus Rufus, & Jornandes.

Cyzicus totius Hellesponti Metropolis ad Propontidem, & Æsapi Fluvii ostium sita est, mœnibus, arce, & turribus marmoreis munita; cui nomen indidit Cyzicus Rex, quem Jason per imprudentiam interemit. Fuit hæc civitas magnitudine & venustate cum primis Asiæ urbibus comparanda, paci & bello apta, tribus armamentariis inclyta, quorum unum armorum, aliud instrumentorum, tertium frumenti erat receptaculum. Merito proinde de illa Ovidius cecinit: (1)

Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris,

Cyzicon Æmoniæ nobile gentis opus.

Hanc urbem non sine laude commemorat Cicero: (2) *Cyzicus urbs Asiæ clarissima nobisque amicissima, obsessa a Mithridate maxima multitudine, & oppugnata vehementissime, L. Luculli virtute, assiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberata est.* Illius Episcopum nedum Metropolitam, verum etiam Exarchum vocat *Ordo Thronorum Metropolitanorum: Cyzicenus Exarchus totius Hellesponti.* Synodus Chalcedonensis *Act.* 1. & Provinciæ Hellesponti, & ejus Metropolis Cyzici meminit. In epistola ad Leonem Imperatorem *ibid. par.* 3. *Evoptius Metropolis Cyzici*, prior ceteris inscribitur. Indiculum urbium istius Provinciæ descripsit Notitia Leonis Sapientis nomine inscripta:

Provincia Hellesponti.

Cyzici.	Abydi.
Germes.	Dardani.
Poemanii.	Ilii.
Oces.	Troadis.
Apud Beveregium: Bareos.	*Pioniæ.* * Pæoniæ.
* Adrianotherarum. *Adriani venatus.*	Melitopoleos.
Lampsaci.	

Triginta quatuor urbes, seu oppida huic Provinciæ adjudicat Hierocles Grammaticus, licet in titulo triginta solum adnotet.



Pro-

(1) Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 9.

(2) Cicero pro Lege Manilia.

Provincia Hellefponti fub Confulari. Urbes XXX.

Cizicus Metropolis.	Molis.
Proconefus.	Germæ.
Exoria.	Aptaus.
Barifpe.	Cergæ.
Parium.	Sagara.
Lampfacus.	Adriani, & Theræ.
Abydus.	Heræ.
Dardanum.	Pionia.
Ilium.	Coniofine.
Troas.	Argiza.
Scamandrus.	Xius Tradus.
Polichna.	*Mandacada*. * Mandacanda.
Poemanentus.	Ergafterion.
Artemea.	Mandræ.
* Recita. *Receta*.	Hippi.
Bladus.	Cifideron.
Scelenta.	Scepfis.

IX. Lydia Afiaticæ Diœcefeos quarta Provincia, Crœfo Rege, & Pactolo aurifero flumine notiffima eft; quæ flexuofis Mæandri amnis recurfibus perfufa, inter Phrygiam magnam ad Ortum, & Boream, & Lyciam ad Meridiem extenfa, fuper Joniam, olim fub ipfa comprehenfam, ad occafum procedit. A Lydo Atyos filio nomen obtinuit, cum antea Mæonia vocaretur, teftibus Herodoto, Plinio, & Ptolemæo. In hujus regionis incolis illud adnotavit Herodotus *lib.* 2. quod primi aurum argentumque fignarunt, primique caupones inftitorefque fuerunt. Occafione belli Afiatici contra Regem Antiochum, etiam Lydiam a Romanis captam prodit Sextus Rufus. Cum enim prius de hoc bello egiffet, poftea fubdit: (1) *Eadem occafione etiam Lydia, Sedes antiqua Regnorum; Caria, Hellefpontus, ac Phrygiæ in poteftatem Populi Romani juncta deditione pervenerunt*. Quas dein Provincias amiffas, per Pompejum recuperatas Appianus refert.

Totius Provinciæ caput, & Metropolis eft Sardis, ut tradit Zofimus *lib.* 5. quæ Straboni, Xenophonti, & aliis Sardeis; Homero autem Tarna dicitur. Urbs nobilis eft apud Tmolum montem conftructa, olim Regum Lydiæ, Crœfi præfertim Regia. De qua Ovidius lib. 11. Metam.

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Artemidorus Sardiorum Metropolita cum fex aliis Lydiæ Epifcopis Nicænæ Synodo fubfcripfit. In Concilio quoque Chalcedonenfi Act. 1. & 3. inter Metropolitas ponitur *Florentius Epifcopus Sardium Lydiæ Metropolis*. Epiftola ad Leonem Auguftum fcripta aliquot exhibet Epifcopatus, qui in his Notitiis non extant: funt vero: *Paulus Daldi*, nifi forfan error fit, & *Daldi*, pro *Dalles* ponatur: *Joannes Hieraclidis*, fed fortaffis *Hierocæfareæ* legendum eft: *Joannes Maffoniæ*, vel potius *Mæoniæ*: *Rufinus Areopolis*, melius *Aureliopolis*: *Anatolius Hellenorum*: *Leonides Beanæ*: *Heraclidianus Sen.*

Ur-

(1) Rufus in Breviar.

Urbes Lydiæ has enumerat Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Lydiæ.

Apud Beveregium:			
* Sardium.	*Sardensium.*	*Mustines.*	* Mustinæ.
	Philadelphiæ.	*Acrasi.*	* Arcasi.
* Tripolis.	*Tripoleos.*	Appolloniadis.	
	Thyatirorum.	Attaliæ.	
* Atiliapolis.	Settorum.	*Bages.*	* Bagæ.
	Aureliopoleos.	Balandi.	
	Gordorum.	Mesotymoli.	
	Troallorum.	Hierocæsareæ.	
	Salorum.	*Dalles.*	* Dalla.
	Silandi.	Stratoniceæ.	
	Mæoniæ:	Cerasεorum.	
* Fani Apollinis.	*Appollinis Fani.*	Satalorum.	
* Hyrcanidis.	*Arcanidis.*	Gabalorum.	
		Hermocapeliæ.	

At Hieroclis Grammatici Notitia vigintitres dumtaxat hujus Provinciæ urbes enumerat.

Provincia Lydiæ sub Consulari. Urbes XXIII.

	Sardis.	Apollinis Fanum.	
	Philadelphia.	Talaza.	
	Tripolis.	Bagis.	
	Thiatera.	Cerase.	
	Sitæ.	Mesotymellus.	
	Mæonia.	Appollones.	
	Julianopolis.	Hierocastellia.	
	Tralles.	*Mystene.*	* Mystine.
	Aureliopolis.	Sataleon.	
	Attalia.	Gordos.	
	Hermocapelia.	Mostina.	
* Acrasus.	*Ocrasus.*		

Apostolorum ætate Lydiam Christi fidem amplexam esse, constat ex Apocalypsis *cap.* 1. *&* 2. ubi inter Ecclesias Asiæ, ad quas scripsit S. Joannes Evangelista, Sardis hujus Provinciæ Metropolim collocat. *Ordo Thronorum Metropolitanorum* editus *ad calcem Codini. Histor. Byzant.* innuere videtur, Metropoliticam dignitatem Philadelphiam translatam esse: *Sardensis totius Lydiæ ..... Est nunc Philadelphiæ existens quidem prius Metropolita Episcopus sub Sardensi, factus vero Metropolita habet nunc locum & Exarchi Sardensis, & ceteros sub se Episcopatus.*

X. Pisidia Diœceseos Asiaticæ quinta Provincia, Lycaoniæ, Isauriæ, & Pamphyliæ finitima est; cujus meminit Plinius *lib.* 20. *cap.* 27. ubi & illius populos antea Solymos dictos observat. Illam quoque commemo

rat

rat Strabo *lib.* 12. affirmans Pisidas finitimos esse Phrygibus, Lydis, Carisi; & infra mentionem facit Antiochiæ ad Pisidiam. Regionem hanc cum ceteris Asiæ Provinciis a P. Servilio captam tradit Sextus Rufus: A Cn. Manlio Vulsone Pisidiam quoque devictam refert Aurelius Victor *de Viris Illustribus*. Certe Eumenes Rex Asiæ cum in Senatu Romano Orationem habuisset, inter ceteras Provincias, quas tunc Populus Romanus in Asia, possidebat, etiam Pisidiam nominat, apud Livium: (1) *Nam & Lycaonia, & Phrygia utraque, & Pisidia, omnis & Chersonesus, quæque circumjacent Europæ, in vestra sunt potestate.*

Antiochia Pisidiæ urbs totius Provinciæ Metropolis vocatur in Actis Apostolicis, ut ab altera Syriæ ejusdem nominis discerni possit. In ea Sancti Paulus, & Barnabas Christi fidem prædicaverunt, atque hinc in universam Pisidiam promulgaverunt; quod eadem Apostolorum Acta testantur: (2) *Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ.* Cumque Paulus ibidem prædicasset in Synagoga, & plerique Gentilium etiam conversi essent, *disseminabatur verbum per universam regionem*. Et infra de iisdem Apostolis: *Transeuntesque Pisidiam, venerunt Pamphyliam.*

Nicæna Synodus Pisidiæ meminit, sed tamen sub ea comprehendit etiam Lycaoniam: nam primo loco subscribit *Eulalius Iconii* cum undecim Episcopis: est porro Iconium Metropolis Lycaoniæ. At Synodus CP. 1. has duas Provincias discernit; ejus quippe Actis subscripsit *Optimus Episcopus Antiochiæ Pisidiæ*. Concilium Chalcedonense distinguit duas Pisidiæ Metropoles; nam *Act.* 1. in Catalogo Episcoporum occurrit *Eorticius Episcopus Nicopolis Metropolis Pisidiæ:* postmodum *Act.* 3. subscriptus legitur *Pergamius Metropolitanus Antiochiæ Pisidiæ*. Sed Posterior hæc Metropolis omnino retinenda est, prima vero Librariorum culpa irrepsit in Editionem Romanam Græco-Latinam, cum in Provincia Pisidiæ nulla sit civitas Nicopolis dicta: est quidem in ea urbs Neapolis nuncupata, sed hæc in nulla Synodo, nec apud Ecclesiasticos Scriptores est Metropolis hujus Provinciæ. Contra vero apud omnes Antiochia Pisidiæ Metropolis dicitur. Forte Episcopus erat ejusdem urbis, quæ in Notitia Leonis Sapientis *Metropolis* dicitur.

Pisidiæ Urbes ex in Notitia Leonis Sapientis enumerantur.

Provincia Pisidiæ.

	Antiochiæ.	Zarzelorum.	
	Sagalassi.	*Tiberiadis.*	* Timbriadum.
	Sozopolis.	*Tomandi.*	* Tymandis.
Apud Reveregium:	Apameæ.	*Conanæ.*	* Conanes.
* Cibi.	*Cybire.*	Mali.	
	Tyræni.	Siniandi.	
* Bareos.	*Baris.*	Titiassi.	
	Adrianopolis.	Metropolis.	
* Limemorum.	*Portuum.*	Papporum.	
	Laodiceæ combustæ.	*Paralles.*	* Paralle, sive Paralla.
	Seleuciæ ferreæ.	*Bindei.*	* Mindevi.
	Adadorum.		

Con-

(1) Livius de Bello Maced. & Asiatico lib. 7.

(2) Act. Ap. cap. 13.

Contextus vero a Hierocle urbium Pisidiæ catalogus hic sequitur.

Provincia Pisidiæ sub Consulari. Urbes XXV.

Antiochia.	Hopamia.
Neapolis.	Eudoxiopolis.
Limenæ.	Agalassus.
Sabinæ.	Baris.
Atmenia.	Seleucia ferrea.
Pappa.	*Timbiadum*. * Timbriadum.
Sinethandus.	Themisconius.
Laodicea exusta.	Justinianopolis.
Tyrajum.	Mallus.
Adrianopolis.	Odada.
Philomelium.	Zorzila.
Sozopolis.	Tetyassos.
Tymandrus Metropolis.	

XI. Lycaoniam sexto loco ponit sub Asiatica Diœcesi Notitia Imperii. Hæc regio a Cilicia Tauro monte dividitur, inter Isauriam ad Occasum, & Armeniam minorem ad Ortum jacens. Ejus mentio extat apud Strabonem *lib.* 14. & Pomponium Melam *lib.* 1. *cap.* 2. qui asserunt, notiora fuisse suis temporibus Lycaonum nomina. In bello Asiatico cum ceteris Provinciis a Perpenna, & Manio Aquilio obtentam referunt Rufus, & Jornandes; eamque una cum Cilicia concessam filiis Ariarathis Cappadociæ Regis scribit Justinus *lib.* 37. Amynta Rege e vivis erepto, sub Cæsare Augusto in Provinciæ formam redactam asserunt Dio *lib.* 54. & Sextus Rufus *in Breviario*. Sancti Paulus, & Barnabas hanc Provinciam peragrantes Christi fide imbuerunt: de quibus hæc habent Apostolorum Acta: *Confugerunt* (1) *ad Civitates Lycaoniæ Lystram, & Derben; & universam in circuitu regionem, & ibi Evangelizantes erant*.

Lycaoniæ Metropolis Iconium appellatur, urbs primaria etiamnum ampla, & probe munita Caramaniæ late sumptæ caput, Sedes Præfecti totius regionis, sub Turcarum Dominio. Eam omnes Scriptores commemorant, maxime vero Plinius *lib.* 5. *cap.* 27. Strabo *lib.* 12. & Cicero in *epist. lib.* 3. ubi aliquando se fuisse affirmat. Cum in hanc urbem pervenissent Paulus, & Barnabas, inde pulsi *confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystram, & Derben;* ubi cum multos Christiana fide imbuissent, tandem & Iconium suscepit Evangelii doctrinam, ut Apostolorum Acta testantur: (1) *Cumque evangelizassent, & docuissent multos, reversi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam confirmantes animas discipulorum*.

Synodo CP. 1. subscripsit *Amphilochius Episcopus Iconii Lycaoniæ:* Et Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. & 3. *Onesiphorus Iconii Metropolis*.

Indiculum urbium hujus Provinciæ hunc exhibet Notitia Leonis Sapientis.

Pars Prima. S *Pro-*

(1) Actuum Ap. cap. 14.

(1) Act. Ap. cap. 14. vers. 20.

Provincia Lycaoniæ.

	Iconii.	*Hydes.*	* Hydæ.
Apud Beveregium: * Vasadorum.	Lystrorum.	*Sabatrorum.*	* Savatrorum.
	Anasadæ.	Cani.	
* Ambadorum.	*Amdadorum.*	Berinopolis.	
* Vomandorum.	*Onamadorum.*	Galbanorum, sive Eudociadis.	
	Larandorum.	*Helistrorum.*	* Ilistrorum.
* Berete.	*Beretes.*	Pertorum.	
* Derbe.	*Derbes.*		

Decem & octo Civitates in hac Provincia enumerat Hierocles.

Provincia Lycaoniæ sub Consulari. Urbes XVIII.

Iconium Metropolis.	*Baratæ.*	* Baraza.
Lystra.	Hidæ.	
Mysthea.	Isauropolis.	
Amblada.	Corna.	
Vasada.	Sabatra.	
Umanada.	Pterna.	
Listra.	Carna.	
Laranda.	Glavama.	
Derbæ.	Rignum.	

Ceterum Nilus Doxapatrius quindecim tantum Episcopatus sub Metropoli Iconii agnoscit: *Iconium*, inquit, *Lycaoniæ habens Episcopatus XV.*

XII. Phrygiæ in duas Provincias sectæ septimam, & octavam Sedem in Diœcesi Asiana concedit Notitia Imperii. Est vero Phrygia Minoris Asiæ regio, Cariæ, Lydiæ, Mysiæ, & Bithyniæ finitima, quarum omnium fines ita coëunt, ut difficulter possint distingui, teste Strabone *lib.* 12. In duas dividitur, Majorem, & Minorem. Major Xenophonti, Livio, & aliis nota in lib. Notitiarum, & Conciliorum Pacatiana vocatur, totaque Mediterranea est inter Bithyniam ad Boream, Galatiam ad Ortum, Pamphyliam, & Lydiam ad Meridiem, & Mysiam ad Occasum. Minor altera dicitur, & Salutaris nuncupatur, olim Hellespontica dicta Livio, & aliis, quia versus Hellespontum erat, & oram maris Ægei magis ad Occasum. Hinc contigisse arbitror, Trojam a nonnullis in Phrygia Minore collocatam esse, quam idcirco Troadem Ptolemæus appellat. Unde L. Florus *lib.* 1. *cap.* 1. Phryges sub Ænea in Italiam venisse affirmat. Ambas Phrygias sub Manio Aquilio in potestatem Populi Romani deditione venisse Sextus Rufus, & Jornandes produnt. Hanc regionem Paulum una cum Sila perambulasse referunt *Apostolorum Acta cap.* 16. Nicæna Synodus unam dumtaxat Phrygiam commemorat; ejusque decretis subscripsit *Nunechius Laodicensis* cum septem Episcopis. At Synodus CP. 1. disserte distinguit Phrygiam Pacatianam a Phrygia Salutari. Sicut etiam Concilium Chalcedonense *Act.* 1. & 3. ubi utriusque Metropolim assignat: siquidem *Nunechius Laodiciæ Metropolis* Phrygiæ Pacatianæ: & *Marianus*

Syn-

Synnadæ Metropolis Phrygiæ Salutaris subſcripti leguntur.

Metropolis Phrygiæ Pacatianæ eſt Laodicea urbs clariſſima Lyco flumini impoſita: primo Dioſpolis, deinde Rhoas, tandem Laodicea dicta: quam urbem loci virtus, & cives quidam fortunati valde illuſtrarunt: Primum Hieronymus, qui hereditatem populo diviſit ſupra duo millia talentorum, multiſque donis civitatem exornavit: poſtea Zeno orator, & Polemo ejus filius, qui ob res fortiter geſtas, prius ab Antonio, dein ab Auguſto ad Regiæ dignitatis faſtigium evectus eſt.

Hujuſce Provinciæ urbes hic ſubjicimus ex Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Phrygiæ Pacatianæ.

	Laodicea.	Tranopolis.	
	Tiberiopolis.	Sebaſte.	
Apud Beveregium:	Azanorum.	Eumeniæ.	
* Ancyroſynai.	*Ancyroſynſi.*	*Timeni venatus.*	* Timeni Therarum.
	Peltorum.	*Boni Pagi.*	* Agathæ Come.
	Appiæ.	Alinorum.	
	Acadorum.	Tripolis.	
	Icriorum.	Attanaſſi.	
* Iluzorum.	*Cariæ.*	Trapeſopolis.	
* Sibliæ.	*Siblios.*		

Notitia Leonis Sapientis, tum illa quæ a Schelſtrate, tum ea quæ a Beveregio, P. Goar, & Abbate Fulienſi edita eſt, non legit Pacatianæ, ſed Capatianæ; ſicuti etiam Hierocles Grammaticus, qui triginta & octo urbes huic Provinciæ adſcribit, immo in titulo triginta novem recenſet, quarum una in catalogo prætermiſſa eſt.

Provincia Phrygiæ Capatianæ ſub Conſulari. Urbes XXXIX.

	Laodicea.	Sebaſta.	
	Hierapolis.	Iluza.	
	Moſyna.	Acmona.	
	Attyda.	Adii.	
	Trapezopolis.	Jucharatax.	
	Colaſſæ.	Dioclia.	
	Ceretapa.	Ariſtium.	
* Themeſonius.	*Themoſonius.*	*Cidiſſis.*	* Cidiſſus.
	Valentia.	Apia.	
	Sanaus.	Eudocias.	
	Coniopolis.	Azana.	
	Sitopolis.	Tiberiopolis.	
	Craſus.	Cadi.	
	Lunda.	*Theodoſia.*	* Theodoſiana.
* Molte.	*Molpe.*	Ancyra.	
* Eumenea.	*Eumenia.*	Sinaos.	
	Siblia.	Temenothyræ.	
	Pepuza.	Tanopol is.	
	Briana.	Pulcherianopolis.	

Celebrem hujus Provinciæ, ſicuti & Laodiceæ ejus Metropolis mentionem facit *Expoſitio totius Mundi, & Gentium* a Jacobo Gothofredo edita: *Phrygia quæ & ipſa beata regio eſt, & ipſa fortes viros habens ſecundum antiquorum ſcripta, Homeri, & Virgilii, & aliorum, qui bellum horum Phrygum, & Græcorum conſcripſerunt. Ea vero maximam civitatem habere dicitur Laodiciam, quæ veſtem ſimplicem, & celebratam emittit, quæ vocatur Laodicena.*

XIII. Alterius Phrygiæ, nimirum Salutaris, Metropolis Synnada vocatur. Ferunt autem Acamantem cum poſt bellum Trojanum aberraſſet, in Phrygiam veniſſe, & illic dum obſeſſo regionis Principi ſuppetias ferret, agrum quemdam accepiſſe, ibique urbem condidiſſe; quæ primum Synnæa dicta ſit, quod multi ex Græcis Macedones per Aſiam collecti in ea habitarent, deinde a finitimis corrupto vocabulo Synnada nuncupata. Marmore clara eſt hæc civitas, quod Synnadicum appellatur, ut tradit Strabo: ad quod alluſit Claudianus *lib.* 2. *in Eutropium*.

Marmore purpureis cedit tui Synnada venit.

Hujus Provinciæ urbes has enumerat Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Phrygiæ Salutaris.

Apud Beveregium:			
* Synadorum.	*Sinadum*.	Auguſtopolis.	
	Dorylæi.	Bryxi.	
* Nacoleæ.	*Nicoliæ*.	Otri.	
	Medæi.	Lycaonis.	
* Hipſi.	*Ipſi*.	Stectorii.	
	Promiſſi.	Cinaborii.	
	Meri.	Conæ.	
* Sibindi.	*Sibildi*.	Scordapiæ.	
	Phytiæ.	Nicopolis.	
	Hierapolis.	*Abroclorum*.	* Æroclorum.
	Eucarpiæ.	Epiſcopus Cademnorum Alopex.	
	Lyſiadis.		

Beveregius viginti duos dumtaxat Epiſcopatus recenſet, ultimo prætermiſſo. Rectius tamen P. Goar, & Codex Regius illum retinent; & in utroque addunt.

23. Epiſcopus Cademnorum.
24. Alopex.

Multum ab aliis Notitiis diſcrepat Hierocles Grammaticus; nec enim Synnadam primo loco ponit, nec numerum ſervat, & diverſa plerumque locorum nomina deſcribit.

Pro-

Provincia Phrygiæ Salutaris sub Consulari. Urbes XXIV.

Eucarpia.	Polygotus
Hierapolis.	Docimium Metropolis.
Oſtrus.	Merus.
Sectorium.	Nacolia.
Bruxus.	*Doryllium*. * Doryleum.
Cleros Horines.	Medajum.
* Policices. Cleros *Polemicos*.	Demu Libaon, ſeu
* Debalica. *Debalacia*.	Plebis *Libaonum*. * Licaonum.
Lyſias.	Demu, ſeu Plebis Aurelia.
Synada.	Demu, ſeu Populi Alamaſſi.
Prymneſus.	Demu, ſeu populi. *Propniaſa*. * Prypniaſa.
Hypſos.	

XIV. Notitia Leonis Sapientis edita a Schelſtrate *Tom. 2. Antiq. Eccleſ. Illuſtr.* ſicuti etiam illa, quæ edita eſt a Beveregio, a P. Goar, ab Abate Fulienſi, & quæ eſt in Codice Regio, tertiam addunt Provinciam Phrygiæ, cujus Metropolis eſt Hierapolis. Apud Schelſtratem ita deſcribitur:

Provincia Phrygiæ Capatianæ.

Hierapolis.	Moſynorum.
Metellopolis.	Marcianopolis.
Dionyſiopolis.	Rodoſtoli.
Anaſtaſiopolis.	Tramariſcorum.
Attudorum.	

Quæ vero eſt apud Beveregium, & P. Goar, hic ſequitur.

Provincia Phrygiæ Capatianæ.

1. Hieropolis.	2. Metellopolis.
P. Goar, & C.R. legunt 3. Dionyſiopolis.	4. Anaſtaſiopolis.
* Attudorum. 5. *Antædorum*.	6. Moſynorum.
Marcianopolis.	Rodoſtoli.
Tramariſcorum.	Nomorum.
Zecedeporum.	Scaræ.

De tribus hiſce nullo numero obſignatis, notat Abbas Fulienſis ex Provincia Hæmimontis huc perperam tranſlatos eſſe. Tres autem ſequentes deſunt in Codice Regio.

XV. Lyciam inter Provincias Diœceſis Aſiaticæ nonam collocat Notitia Imperii. A Lyco Rege Pandionis filio ſic appellatam aſſerit D. Iſidorus; cum antea Mylias, & Ozygia vocaretur, teſte Stephano. Terminatur a Meridie Mari Mediterraneo, ſeu Lycio, ab ea ſic dicto, a Septemtrione Phrygia, ab Ortu Pamphylia, ab Occaſu Caria. Ejus meminerunt Strabo *lib.* 14. *Geographicæ*: & Pomponius Mela *lib.* 1. *cap.* 15. Olim apud Ethnicos Poëtarum fabulis fuit fama illuſtris hæc regio: Chimæræ ſiquidem monſtri ignibus infeſtatam comminiſcebatur. Cujus fabulæ occaſionem dedit Chimæra ejus regionis Mons

cre-

crebro ignem eructans. Inter alias urbes Pataram habuit Apollinis oraculo apud Gentiles celebratam: inde Lyciæ ſortes apud Virgilium *Æneidos* 4. ideſt, ſortes Apollinis, qui in Lycia apud Pataram reſponſa edebat. Hanc Provinciam cepit, urbeſque ejus pæne delevit P. Servilius, ut Oroſius, aliique narrant. Poſtmodum vero in Provinciæ formam a Veſpaſiano Imperatore fuiſſe redactam tradunt Eutropius *lib.* 7. & Euſebius in Chronico. Inter ceteras regiones, quas D. Paulus perluſtravit, cum Romam duceretur, hanc quoque commemorant Apoſtolorum acta: (1) *Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.*

Myra apud Lymirum fluvium ſita Metropolis ampliſſima fuit Lyciæ, cujus mentionem facit Strabo *lib.* 14. cique aliquando præfuit Sanctus Nicolaus, ſanctitate, & miraculis toto Orbe illuſtris; ſed nunc parva civitas eſt.

Hujus Provinciæ meminit Nicæna Synodus; ſed unus tantum ejus Epiſcopus *Eudemus Pataræ* ſubſcriptus legitur in editione Romana Græco-Latina, cum tamen certum ſit interfuiſſe huic Synodo Sanctum Nicolaum Myræ Archiepiſcopum: quam utique civitatem Metropoleos titulo appellat Concilium Chalcedonenſe *Act.* 1. & 3. & Epiſtola Epiſcoporum Lyciæ ad Leonem Auguſtum *par.* 3. *Concil. Chalcedon.* ubi etiam plures Epiſcopatus recenſentur, quorum nomina hæc ſunt: *Petrus Epiſcopus Myrenæ Metropolis. Eudoxius Chomatenus. Cyrinus Patarenus. Stephanus Lymirenus. Eudoxius Acalandenus. Leontius Araxenus. Andreas Tolæorum. Nicolaus Acraſſenus. Athanaſius Xanthenſis. Hypatius Sidymenſis. Pannitius Aſcandenus. Anatolius Olympienſis. Cyrinus Oëneandenus. Nicolaus Gaunenus. Aquilinus Padullenus. Nicolaus Balburenus. Ariſtodemus Phaſelitanus. Theodorus Antiphelenſis. Palladius Corydallanus. Romanus Bunenſis. Heliodorus Narenſis. Leontius Calidenus.*

Pluribus hæc Provincia urbibus conſtat, quæ in Notitia Leonis Sapientis extant.

Provincia Lyciæ.

Apud Beveregium :			
* Myrorum.	*Myræ.*	Marcianæ.	
* Maſterorum.	*Maſtaurorum.*	*Uniodum.*	* Onundorum.
	Telmeſi.	Chomatis.	
* Limyrorum.	*Limyræ.*	Candanorum.	
	Araxes.	Phelli.	
	Aprilorum.	Antiphelli.	
	Podaliæ.	*Phaſelidis.*	* Phaſilidis.
	Orycandorum.	*Rodopolis.*	* Rhodiopolis.
* Tatlorum.	*Taporum.*	Acaliſi.	
	Ameorum.	Lebiſi.	
* Sidymorum.	*Sitymorum.*	Acandorum.	
	Zenopoleos.	Paliotarum.	
	Olympi.	Eudochiadis.	
* Otlorum.	*Cotlorum.*	Catarorum.	
	Coridallorum.	Comborum.	
	Canni, ſeu Alceæ.	*Nyſorum.*	* Neſſorum.
	Acraſſi.	Barburorum.	
* Bobi, *ſeu* So-	Xanthi.	*Meloitarum.*	* Melatorum.
phianopolis.	*Sophianopoleos.*	*Coanenorum.*	* Cianeorum.

In

(1) Act. Apoſt. cap. 17.

In Codice Boldejano desunt, *Podaliæ*, *Orycandorum*, *&* *Teporum*: nisi *Teporum* idem sit quod Tatlorum. Deest quoque in Boldejano *Catarorum*; sed adest Pataronum, quibus caret notitia Leonis Sapientis apud Schelstratem. Hierocles triginta duas dumtaxat Lyciæ civitates enumerat, licet in epigraphe adnotet triginta quatuor.

Provincia Lyciæ sub Consulari. Urbes XXXIV.

	Phasydes.	Candyba.	
* Anapus.	*Avapus*.	Eudocias.	
	Gaza.	Patara.	
	Acalisus.	Xanthus.	
	Elebesus.	Combæ.	
	Limyra.	Misæ.	
* Arycanda.	*Arycnada*.	Pinara.	
	Podalia.	*Diodoma*.	* Sydima.
	Choma.	*Plo*.	* Tlo.
	Rencylias.	Telmisus.	
* Myra.	*Mæra* Metropolis.	Caunus.	
	Arnæa.	Araxa.	
	Cyaneæ.	Bubon.	
	Aperle.	Henoanda.	
	Phellus.	Balura.	
	Antiphellus.	Comistaraos.	

XVI. Caria decima Provinciarum Diœceseos Asiaticæ, a Cara Rege nomen accepit, qui primus auguria avium dicitur invenisse. Epaphroditus totam Cariam Chrysaoridem appellat: sed Stephanus Cariam a Care conditore vocatam scribit. Hæc regio inter Joniam ad Boream, & Lyciam ad Ortum sita, mari Ægæo, seu Carpathio ad Occasum, Rhodio ad Austrum terminatur. Plinius tamen *lib.* 3. *cap.* 27. Cariam ab Ortu Lycaonia, & Phrygia, illa quæ Galatiam, & Pisidas attingit, ab Occasu toto Ægæi maris excursu, a Meridie Ægypto Pelago, Septemtrione Paphlagonia definit. At Strabo (1) Cariam a Borea Mæandro flumine claudit, ab Occidente Icario, & Myrtoo pelago, a Meridie Rhodiensi, ab Ortu Lyciis, aliisque Gentibus, & magnam Tauri montis partem in Caria conclusit, omnem oram Rhodiam ei attribuens, quæ Meridionalis est. Eam sub Servilio Proconsule in formam Provinciæ redactam asserit Sextus Rufus. Hanc Provinciam describens Pomponius Mela *lib.* 1. *de situ Orbis*, in ea Aphrodisios, & Halicarnassos commorari affirmat. Priscis temporibus Halicarnassum fuisse totius Cariæ Metropolim nonnulli inde colligunt, quod Urbs illa Sedes fuerit Mausoli Regis, cui Artemisia conjux Mausoleum illud celebratissimum extruxit. Postmodum totius Cariæ Metropolis amplissima effecta est Staurupolis, urbs mediterranea a cruce nomen habens, juxta Notitiam Leonis Sapientis. At vero Hierocles Grammaticus Cariæ Metropolim constituit *Aphrodisiam*, unam ex quatuordecim Urbibus, quæ *in Præfectura Thraciæ, seu Europæ a Consiliariis reguntur*, ut ex ipso Hierocle tra-

(1) Strabo lib. 14.

tradit Constantinus Porphyrogenitus *lib.* 2. *de Thematibus*, *Themate* 1. Et quidem Synodo Chalcedonensi *Act.* 1. & 3. subscripsit *Critonianus Aphrodisiadis Metropolis Cariæ*. In Nicæna Synodo primo loco subscriptus legitur Eusebius Antiochenus cum tribus Episcopis Cariæ; non quod Antiochia esset Metropolis hujus Provinciæ, sed forsan quia Eusebius erat Senior. Urbes hujus Provinciæ eæ sunt ex Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Cariæ.

	Stauropolis.	Stratoniceæ.	
	Cibyræ.	*Alinduæ*.	* Alindorum.
Apud Beveregium:	Sizorum.	*Mylassorum*.	* Mylassarum.
* Syalbicæ.	Heracleæ *Syalbacæ*.	*Mizo*.	* Mezo, *sed in C. Regio est* Amizo.
	Apolloniadis.	Iassi.	
	Heracleæ.	Barbyli.	
	Lacymorum.	Halicarnassi.	
	Taborum.	Hylarimorum.	
	Larborum.	Cnidorum.	
	Antiochiæ ad Mæandrũ.	Metaborum.	
* Tapassarum.	*Tapassorum*.	Mondi.	
* Harpassarum.	*Harpassorum*.	Fani.	
	Neapolis.	Cindramorum.	
* Orthysiadis.	*Orthosiadis*.	*Cerami*.	* Ceramorum.
	Anotetartæ.	Promissi.	
	Alabandum.		

Hierocles Grammaticus primo loco ponit Miletum, quem corrupte Melitum vocat, sed proprie Miletus dicitur a Mileto conditore, ut testatur Ovid. *lib.* 9. *Metamorph.* apud Mæandri fluvii ostia.

Provincia Cariæ sub Consulari. Urbes XXX.

	Melitus.	Hylarema.	
	Heracleas.	Antiochia.	
	Ogmi.	Metropolis Aphrodisias.	
	Amyndus.	Heraclea.	
	Alicarnassus.	Tabas.	
	Cnidus.	Apollonias.	
* Cerassamus.	*Ceramus*.	Sebastopolis.	
	Mylasa.	Iasus.	
	Stratonicia.	Erezus.	
	Amizon.	Marcianopolis.	
	Alinda.	Anastasiopolis.	
	Alapanda.	*Chora* Patrimonia.	* Choria.
	Orthosias.	Cibyra.	
	Arpasa.	Cœstemalicæ.	
	Neapolis.		

XVII. In-

XVII. Insularum nomine, quæ undecimam Diœceseos Asiaticæ Provinciam componunt, Notitia Leonis Sapientis Cyclades intelligit. Sunt eæ maris Ægæi Insulæ circa Delum in orbem sitæ, unde & nomen sortitæ sunt a cyclo ita vocatæ, ut tradit Strabo *lib.* 10. De quibus Ovidius 1. *Tristium*.

Cyclades Ægæas obstupuisse reor.

Alii tamen censent, eas vocari Cyclades, non quod in orbem sitæ sint, sed quod longo ordine eas circuire necesse sit, propter promontoria. Unde & Virgilius. lib. 3. *Æneid.* dixit:

. . . . . *sparsasque per æquor Cyclades*. . . . . . .

Sunt autem numero quinquaginta tres: nunc vulgo appellantur *Insulæ Archipelagi*, quas Sporades, idest Disseminatæ, circumstant. Ex quibus nobiliores habentur, Delos, Andros, Naxos, Tenos, Myconos, Scyros, Siphnos, Scriphos, Peparetus, Cythnos, Scyros, Oliaros, Paros, cum aliis. Præcipua inter eas est Delus, omnium clarissima, sic dicta a Græcis *Delos*, idest manifestata, quod prius aquis cooperta ex improviso prodierit, ac se manifestaverit. In ipsa natum Apollinem ferunt, unde & Delius cognominatus. Deli fit mentio *lib.* 1. *Maccab. c.* 15. ubi de Romanis cum Jonatha prius, deinde cum Juda, & Simone ejus fratribus amicitia & societate conjunctis proditum est, scripsisse eos in favorem Judæorum encyclicas litteras, quas miserunt signanter *Spartiatis, & in Delum, & in Myndum*. Præter Cyclades nihilominus, hic Insularum nomine venit etiam Rhodos, Insula nobilissima in mari Carpathio, Cariæ adjacens, ambitu 130. M. P. quæ in Notitia Imperii omnium aliarum est princeps. Hæc Insula inter Asiaticas tertia numeratur; nam Lesbus, & Cyprus majores habentur. Ab Horatio *clara Rhodus* vocatur: ut enim Solinus auctor est, numquam dies ita nubilosus est, ut Sol in hac Insula non conspiciatur. Aurum Rhodi pluisse ob felicitatem Insulæ, cecinit Pindarus. Urbem habet ejusdem nominis, quæ toti Insulæ nomen fecit cum antea Ophiusa, Asteria, Æthræa, aliisque plurimis nominibus fuerit appellata. Urbem vero ipsam Rhodum dictam volunt, sive a Rhodia puella, quam Apollo adamavit, ut fabulatur Diodorus *lib.* 6. sive ab eo quod capulo rosæ illic invento sit ædificata. Portubus olim, & viis, & mœnibus, & reliquis ornamentis tantopere ceteras superavit, ut nulla putaretur æqualis: legum præstantia, & navalis rei peritia adeo valuit, ut annis multis maris imperio potiretur, & Piratarum latrocinia sustulerit. Gymnasium habuit Asiatica eloquentia, & Mathematicis studiis clarissimum. Ideo Aristippus, Socraticæ Scholæ Philosophus celeberrimus, cum naufragio ejectus in Rhodiensium littus, animadvertisset Geometrica Schemata descripta, exclamasse ad socios dicitur: (1) *Bene speremus, hominum vestigia video*. Fuit etiam in hac insula Lyndus urbs opulentissima, ex qua Cares statuarius, qui Colossum extruxit 70. cubitis altum Soli dicatum.

Populi hujusce Insulæ cum primum Romanis infensi essent, postmodum inita cum ipsis societate omnium fidelissimi evaserunt, eisque præsidio fuerunt in bello contra Antiochum, teste Eutropio *lib.* 4. Præclara sunt, quæ de Rhodiensibus, & Cycladum incolis tradit Sextus Rufus: (2) *Rhodiis, & insularum populis primum infestissimis, post fidelissimis auxiliatoribus usi sumus. Ita Rhodus Insula primum libere agebat, postea in consuetudinem parendi Romanis clementer provocantibus pervenit, & sub Vespasiano Principe Insularum Provincia facta est*. Idipsum Eutropius *lib.* 7. & Eusebius *in Chronico ad ann.* 6. *Vespasiani* affirmant:

(1) Vitruvius lib. 7.

(2) Sextus Rufus in Breviar.

mant: inter Provincias siquidem, quæ cum liberæ prius, & sub amicis Regibus essent, in Provincias redactæ sunt, (1) *Rhodum* collocant: *Achajam*, *Lyciam*, *Rhodum*, *Byzantium*, *Tamum*, *quæ liberæ ante hoc tempus fuerant*, *Vespasianus in Provinciarum formam redegit*. Quare nonnisi a Vespasiani temporibus Rhodus Provincia fuit. Coum, & Rhodum adnavigasse D. Paulum Apostolorum Acta referunt *cap.* 21. Sunt qui putant, Colossenses, ad quos S. Paulus epistolam suam scripsit, fuisse Rhodios, quasi Rhodus a Colosso Solis Colossæ dicta sit, ut existimant Suidas, Zonaras, Glycas, & Eustathius. Sed falluntur, Colossæ etenim civitas est non Rhodiorum, sed Phrygiæ, vicina Hierapoli & Laodiceæ, ut docent Plinius *lib.* 5. *cap.* 52. Herodotus *lib.* 7. Strabo *lib.* 12. Nicetas Choniata *lib.* 6. *Annal. initio*, & Orosius.

Metropolis Provinciæ Insularum est ipsa Rhodus, jam a priscis temporibus: nam Synodo Nicænæ subscripsit *Euphrosinus Rhodi*, cum tribus Episcopis; & Synodo Chalcedonensi *Act.* 1. & 3. *Joannes Rhodi Metropolis*. Illius urbes ita describit Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Insularum Cycladum.

Rodi.	Pari.
Sami.	Letri.
Chii.	Andri.
Coi.	Teni.
Naxiæ.	Meli.
Theræ.	Pisyni.

Scholiastes Græcus adnotat: *Parus*, *& Naxia sunt unitæ redactæque in Metropolim mense Majo*, *Indict.* 6. *anno* ɔɔ. ꟾɔ. ɔxcI.

Hierocles Grammaticus multo plures istius Provinciæ recenset civitates.

Provincia Insularum sub Præside. Urbes XX.

Rhodus.	Tenus.	
Cos.	Naxus.	
Samus.	Parus.	
Chius.	Syphnus.	
Mytilene.	Melus.	
Methymna.	Jus.	
Petelus.	Thera.	
Tenedus.	*Amurgus*.	* Amolgus.
Proselene.	Astypalæa.	
Andros.		

Civilem, non Ecclesiasticam politiam spectasse videtur Hierocles; quinimmo & aliarum Insularum urbes nominat, quæ neque ad Rhodum, neque ad Cyclades pertinent: veluti Mytilene urbs maxima est in Lesbo juxta Methymnam, a cujus nomine nunc omnis Insula Mytilene appellatur, in qua fuerunt olim duæ nobilissimæ civitates, hæc scilicet, & Methy-

(1) Eutropius lib. 7.

thymna, quam pariter hîc Hierocles commemorat. Hanc eamdem Insulam pridem Lesbum dictam volunt ab urbis nomine, quæ in ea potentissima fuit: dicta postmodum fuit Mytilene, a Mytilene Macaris filia, ut refert Diodorus *lib.* 4. De hac urbe scribit Vitruvius *lib.* 1. ut magnificenter quidem, & eleganter ædificata fuerit, sed non prudenter posita, in qua Auster cum flat, homines ægrotant, cum Corus, tussiunt, cum Septemtrio, restituuntur in salubritatem. Ceterum Nilus Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum, Mytilenem constituit Metropolim Insulæ Lesbi: *Mytilene*, inquit, *Lesbi insulæ habens Episcopatus VI.* Eamdem urbem inter Metropoles reposuit *Expositio Imperatoris Andronici Palæologi Senioris*, edita in fine Codini *in Histor. Byzant. a P. Goar. pag.* 400. *num.* 52.

Tenedos quoque, cujus hîc meminit Hierocles, non una est Cycladum Insularum; sed inter Lesbum & Hellespontum, contra Trojam sita est, a Sigæo littore 12. M. pass. distans, a Lesbo 56. M. Hæc prius Leucophrys nominabatur, a nonnullis etiam Phœnice, & Lyrnessos; de qua Plinius *lib.* 5. *cap.* 31. In hanc ex Troade navigavit cum novis Colonis Tenes Cycni filius, conditaque urbe de nomine suo Tenedon eam vocavit, a qua & Insula denominata est.

CAPUT V.

Synopsis.

I. *Pontus undecim Provinciis compositus est. Recensentur Provinciæ, quas initio complectebatur.*

II. *Lucullus in Pontum primus penetravit. Pompejus in Provinciam redegit. Pauciores sub Augusto, plures deinceps huic Diœcesi Provinciæ adscriptæ: sub Honorio undecim Provinciis aucta est.*

III. *Cappadociæ limites assignati. In duas Provincias divisa est.*

IV. *L. Sulla, pulso Mithridate, Regnum Cappadociæ Ariobarzani restituit. Pompejus Pontum, & Cappadociam subjugavit. Claudius Cappadociam Provinciam fecit.*

V. *A Valente Cappadocia in duas Provincias distracta fuit. Primæ Cappadociæ Metropolis Cæsarea. Urbes illi subjectæ ex Nilo Doxapatrio, Leone Sapiente, & Hierocle recensentur.*

VI. *Secundæ Cappadociæ Metropolis Tyana cum suis urbibus. Tertiam Cappadociam addit Notitia Leonis Sapientis, cujus Metropolin Mocissum vocat, urbesque illi addictas affert. Hierocles secundam & tertiam Cappadociam una complexus est.*

VII. *Galatia, olim Gallogræcia, sub Cæsare Augusto Provinciæ formam suscepit. In duas Provincias dividitur. Primæ Metropolis Ancyra, eique subditæ urbes ex Leone, & Hierocle proponuntur.*

VIII. *Galatiæ Salutaris Metropolis Pessinû. Ejus urbes Leo Sapiens & Hierocles referunt.*

IX. *Bithyniæ varia nomina. Illam Nicomedes Romanis testamento donavit. A Mithridate Romanis ereptam Lucullus recuperavit. Illius Metropolis Nicomedia cum suis urbibus.*

X. *Valentinianus Bithyniam divisit, Nicæa Metropoli constituta. Illius urbes enumerat Leo Sapiens; sed tamen Chalcedonem prætermisit. Eam recenset Hierocles cum aliis urbibus.*

XI. *Paphlagoniam Philomenes Rex Romanis in hereditatem concessit. Ejus*

Metropolis Gangra. Urbes Leo Sapiens & Hierocles commemorant.

XII. Pontus Polemoniacus sub Nerone formam Provinciæ suscepit dono Polemonis Regis. Illius Metropolis Neocæsarea. Urbes ex Notitia Leonis & Hieroclis descriptæ.

XIII. Hellespontus post Augusti obitum in Provinciam redactus. Illius Metropolim Amasæam, urbesque proferunt Leo Sapiens & Hierocles.

XIV. Armenia duplex Major, & Minor. Lucullus magnam Armeniæ partem in ditionem populi Romani redegit. Minorem Mithridati ereptam Pompejus Tetrarchis concessit. Majore Armenia Pompejus Tigranem spoliavit, iterumque ipsi eam reddidit. Exactis Regibus sub Trajano Provincia facta est.

XV. Majoris Armeniæ Metropolim Melitenem, & ejus urbes describit Notitia Leonis Sapientis.

XVI. Justinianus Imperator totam Armeniam in quatuor Provincias distribuit. Quartam cum suis civitatibus recenset Leo Sapiens, cujus Metropolim vocat Dadæmonem: variæ proferuntur Notitiæ, quibus singulæ partes Armeniæ exprimuntur.

XVII. Honorias postremam Ponticæ Diœcesis Provinciam componit, ab Honorio nomen sortita. Ejus Metropolis est Claudiopolis. Catalogum civitatum contexuerunt Leo Sapiens & Hierocles. Post Honorii ætatem Metropolis istius Provinciæ Heracleam Ponti translata est.

I. Pontus non secus ac Asia Diœcesim satis amplam constituit, undecim Provinciis compositam. Regio est Asiæ mari Euxino opposita, inter Bithyniam ad Occasum, & Paphlagoniam ad Ortum. Paulo aliter Ptolemæus illam describit *lib. 5. Pontus*, inquit, [1] *ab Occasu ore Ponti, & Thracio Bosphoro: a Meridie regione, quæ proprie Asia dicitur: a Septemtrione, parte Euxini maris terminatur.* Ceterum Strabo Ponti fines metitus, videtur omnes illas regiones, quæ ab Hellenoponto usque ad Bithyniam pertingunt, sub Ponti Provincia comprehendisse: *Cum hæc* [2] *tota regio dividatur in Mediterraneam, & in oram maritimam ab Haly usque ad Bithyniam: maritimam usque ad Heracleam Mithridates possedit: de Mediterraneis etiam proximas partes, quarum nonnullæ ultra Halym excurrerent. Atque eo usque Romani Ponticam Provinciam extenderunt. Reliqua etiam dejecto Mithridate, Regulis paruere.* Hisce enim verbis indicat Strabo Augusti tempore, quo ipse scribebat, Paphlagoniam, & Hellenopontum, regiones Bithyniæ finitimas, sub unius Ponti Provincia comprehensas fuisse. Unde & in Notitia Provinciarum Augusti, quam Dio adornavit, solum commemoratur *Bithynia cum Ponto finitima*. Medeæ sævitia, & maleficarum herbarum proventu hæc regio celebris facta est: de qua Virgilius: [3]

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto.

II. Lucullus Romanorum primus penetravit in Pontum, ac insignes ejus urbes Amisum, Eupatoriam, Themiscyram ad Thermodontem fluvium oppugnavit, Appiano & Plutarcho referentibus. Quod & antea insinuaverat Cicero: [4] *Populus Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum, regiis quondam opibus, & natura regionis vallatum.* At Pompejus postea Pontum in Provinciæ formam redegit: de quo audiendus est Carolus Sigonius *Commentar. in Fast. & Triumph. Roman.*

(1) Ptolemæus lib. 5.
(2) Strabo lib. 12.
(3) Virgilius Eclog. 8.
(4) Cicero pro Archia.

man. agens de re gesta a Cn. Pompejo cum Mithridate *ex Epitoma* 101. ubi ait: (1) *Cn. Pompejus in Provinciæ formam Pontum redegit*. Idque etiam ex Cicerone in Oratione de Provinciis probat: *Cum enim dicat Cicero, Asiam, quæ antea Romanum Imperium terminabat, tribus novis Provinciis Pompeii victoria cinctam, Pontum intelligere videtur, quem ille cum Bithynia junctum, unam Provinciam auctore Strabone fecit*. Ita Sigonius. Sed expresse Sextus Rufus *in Breviario* (2) *Pontus per Pompejum victo Mithridate Rege Pontico formam Provinciæ accepit*. Eaque tunc in unam cum Bithynia coaluit. Aliæ deinceps additæ Provinciæ, præsertim post Augusti Imperium: Is quidem, teste Eutropio (3) *lib. 7. omnes Ponti maritimas civitates subegit; in his nobilissimas, Bosphorum, & Panticapæon*; attamen ejus ætate Pontus cum Bithynia unam Provinciam constituebat, sicuti ex Dione discimus; neque in tot Provinciarum corpus excrevit, nisi post Augusti obitum. In ejus quippe Notitia inter Provincias Populo Romano attributas enumerantur *Bithynia, Paphlagonia, Propontidis, & Ponti pars*: inter eas vero, quas sibi Augustus reservavit, *Galatia & Armenia Minor*. Notitia Hadriani Imperatoris octo Provincias in Ponto recenset, *Galatiam, Bithyniam, Hellespontum, Pontum Polemoniacum, Cappadocias duas, Paphlagoniam, Armeniam*. Constantini Magni ævo in novem; ac tandem Honorii tempore in undecim Provincias Pontica Diœcesis secta est: quæ in Notitia Imperii a Constantino Magno usque ad Arcadium, & Honorium descriptæ sunt: nempe *Galatia, Bithynia, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Paphlagonia, Pontus Polemoniacus, Hellespontus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia Salutaris, & Honorias, quæ accessit tempore Honorii Imperatoris*.

III. Etsi autem cum in hac Notitia, tum in altera Hadriani Imperatoris Galatia primum locum obtineat, nos tamen a Cappadocia exordimur, quod ejus Metropolis sit Cæsarea, quæ olim totius Ponti caput fuit. Hæc Pontica regio satis ampla, mari Euxino exposita, inter Galatiam ad Occidentem, & Armeniam ad Ortum contenta, introrsus in Austrum usque ad Ciliciæ fines, Tauro monte dividente extensa est. Seu juxta alios lævo latere utrasque Armenias, Comagenemque tangens, dextro multis Asiæ populis circumfusa, ad Tauri juga, & Solis ortus attollitur. Euphratis flumine ab Armenia Majore dispescitur. Appianus Minoris Armeniæ partem, Ptolemæus vero Minorem Armeniam esse scribit. Ejus meminerunt, Ptolemæus tabula prima Asiæ, ubi eam describit, Plinius *lib. 6. cap. 2. & 3.* Strabo, Solinus, Stephanus; sed posterior hic perperam Ciliciæ regionem facit, Sinope usque ad Evarchum fluvium, qui Cappadociam, & Paphlagoniam disterminat; nam omnes Geographi Solinum sequuti, non Orientis, sed Ponticæ Diœcesis Provinciam esse volunt Cappadociam. Dicta est Cappadocia a Cappadoce amne, cum prius Leucosyria vocaretur. Dividebatur olim in Majorem, & Minorem; nunc autem in Primam, & Secundam, ait Stephanus; qui etiam observat, extremam Montis Tauri partem Cataoniam appellatam, a Strabone Cappadociam nominari. In superiori Ciliciæ parte Cappadociam collocavit *Expositio totius Mundi, & Gentium* a Jacobo Gothofredo edita; cum enim antea Ciliciam descripsisset, statim subdit: *Post hæc in superiori parte est Cappadocia, quæ habet viros nobiles, &*

(1) Carolus Sigonius.
(2) Rufus in Breviar.

(3) Eutropius lib. 7.

& maximam civitatem Cæsaream. Dicitur autem frigora maxima pati, adeo ut locorum imperitus nonnisi cum aliquo artificio ibi habitare possit. Merces autem has optimas ubique eam mittere ajunt, vestem leporinam, Babylonicas pelles, & celebratos Imperatorios equos formosissimos.

IV. Proprios Principes habuere Cappadoces, atque in iis Ariarathem, quo regnante societatem cum Romanis injerunt; sed Ariarathe una cum parvulo ejus Filio a Gordio Mithridatis Duce interfecto, cum Mithridates Cappadociæ Regnum invasisset, a L. Sulla pulsus, illud Ariobarzani Regiæ stirpis juveni cedere coactus est. Rem ita narrat Carolus Sigonius: (1) *Ariarathen Cappadociæ Regem, cum Mithridates per Gordium cum parvulo ejus filio interfecisset, Rege ei filio suo imposito Provinciam occuparat: Cum autem Nicomedes Bithyniæ Rex producto filio suo, quem ementita stirpe Ariarathis filium esse dicebat, eamdem ad se traheret; placuit Senatui, ad quem rejecta res erat, Mithridatem Cappadocia, Nicomedem Paphlagonia, quam & ipse Polyæmeni ademerat, cedere. Ariobarzanem ex Regio genere juvenem, cum Cappadoces Regem, quam libertatem mallent, Cappadociæ Regem appellari. Ita tum Ariobarzanes per L. Sullam prætorem in Cappadociam, pulso armis Gordio & Mithridatis Duce, reductus est: tumque primum bellum initum, quod postea 32. anno a Cn. Pompejo terminatum est.* Hæc ex Appiani Mithridatico, Justini lib. 37. & Strabonis lib. 12. excerpta sunt. Paucis vero Plutarchus eamdem historiam perstrinxit: *L. Sulla non sine repulsa Præturam Urbanam adeptus; ex Prætura vero in Cappadociam adversus Mithridatem missus, non admodum magnis copiis, sociorum auxiliis usus; Gordio pulso Ariobarzanem Regem constituit.* Similia tradit Sextus Rufus: *Cappadoces,* (2) inquit, *primo societatem nostram sub Ariarathe Rege per Legatos petiverunt: postea que Ariobarzanes Rex Cappadocum a Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est; semperque in auxilia nostra fuere Cappadoces.*

Inter Provincias, quas Pompejus in Orientem profectus subegit, Plutarchus in ejus triumpho, quem Romæ agebat, Pontum & Cappadociam enumerat: (3) *Inscriptiones in triumpho præferebantur, quibus de gentibus ageretur, indicantes. Erant autem Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, Phœnice, Palæstina, Judæa, Arabia.* Non tamen omnes in Provinciam tunc redactæ fuerunt, minus vero Cappadocia, quæ suis Regibus paruit usque ad Claudii Principatum, quo tempore Provinciæ formam accepisse, refert Sextus Rufus: (4) *Postremo quum sub Imperatore Claudio Cæsare Archelaus ex Cappadocia Romam venisset, ibique diu detentus occubuisset, in Provinciæ speciem Cappadocia migravit.* Sed hic corrigendus est Rufus ex præcedentium temporum Scriptoribus, qui tradunt non sub Claudio, sed sub Tiberio Cappadociæ Regnum in Provinciæ formam transiisse: sic testantur Eutropius *lib. 7.* Suida, & Xiphilinus *in Epitome Dionis.* Et ad annum Urbis conditæ 771. habet Tacitus *lib. 2. Annalium, cap. 57. Cappadoces in formam Provinciæ redacti Q. Veranium Legatum accepere.* Eusebius quoque *in Chronico ad annum 7.* Tiberii affirmat, Archelai Romæ detenti *Regnum in Provinciam versum fuisse.* Tandem Suetonius *in Tiberio, cap. 37.* idipsum affirmaverat: qui etiam in *Caligula cap. 1.* per Germanicum tunc in Oriente constitutum, Armeniæ Re-

ge

(1) Carolus Sigonius Commentar. in Fast. & Triumph. Roman. tit. de Ariobarzane.
(2) Sextus Rufus in Breviar.
(3) Plutarchus in Pompejo.
(4) Rufus ibid.

ge devicto, Cappadociam in Provinciæ formam redactam tradit. Germanicus porro Tiberio imperante veneno interiit.

Multo illustrior fuit Cappadocia, cum Christi Evangelio, quam cum Imperio Romanorum collum subjecit. Id contigit sub ipsis Christiani nominis primordiis, quando scilicet D. Petrus Antiochena Sede constituta, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia Evangelium prædicavit, quod ipsemet insinuat in priore epistola Canonica, quam ita inscripsit: [1] *Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*. Et expresse testatur Sanctus Hieronymus, dicens: [2] *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, Romam pervenit sub Claudio*. Cui consentit etiam S. Leo Petrum sic alloquens: *Jam* [3] *populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras*. Inter Provincias igitur, quas Apostolorum Princeps Evangelica prædicatione Christi fide imbuerat, Cappadocia, & aliæ Ponticæ Diœceseos regiones fuerunt.

V. In duas Provincias Cappadocia divisa est, non tamen a Constantino, ut Schelstrates existimat, sed a Valente Imperatore, in odium Basilii Magni, constituta Cappadociæ secundæ Metropoli in urbe Tyanorum; cujus Episcopus Anthimus Synodum Provinciæ in duas distraxit partes, invito licet Basilio, ut affirmat S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 20. Cappadociæ Primæ Metropolis est Cæsarea, in honorem Augusti, ut putat Rufus, vel potius Tiberii, ut Strabo aliique volunt, sic appellata, cum prius Mazaca diceretur: de qua hæc Rufus: [4] *Cappadoces ita Majestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Cæsaris Megara civitas Cappadociæ maxima Cæsarea nuncuparetur*. Quam Rufus Megaram vocat, Strabo *lib.* 12. & alii Mazacam nuncuparunt: quæ in urbe, quia Reges Cappadocum lares fixerant, ut Strabo observat, Romani Sedem præcipuam Vicarii Ponticæ Diœceseos, eamque totius Ponti Metropolim constituerunt, & quidem eo libentius, quo magis ejus incolæ Majestatem Romanam coluerant, & in honorem Tiberii Cæsaris, eam Cæsaream appellaverant. Hinc Episcopi Cæsareæ dignitas nata est, qui universæ Diœcesi Ponticæ tamquam Exarchus præerat, teste Gregorio Nazianzeno, qui propterea Cæsaream ceterarum urbium *matrem* vocat. Unde Notitia Leonis Sapientis *in Ordine præsidentiæ Metropolitarum*, Cæsareensem primo loco ponit: *In Provincia Cappadociæ primus est Cæsareæ Metropolita. Et Ordo Thronorum Metropolitanorum*, qui extat ad calcem Godini *Histor. Byzant. pag.* 406. iis eum titulis exornat: *Cæsareensis Cappadociæ Hypertimus Hypertimorum & Exarchus totius Occidentis*. Vox illa *Hypertimus*, significat *Superhonoratum*, & sic in Lugdunensi Concilio vertitur.

In Concilio Nicæno unius Cappadociæ fit mentio, ex qua *Leontius Cæsareæ* prior subscripsit, deinde novem Episcopi. Ceterum Synodus Chalcedonensis duas Cappadocias dividit, & Primæ Metropolim constituit Cæsaream, Secundæ vero Tyana. In epistola quoque Episcoporum Cappadociæ 1. ad Leonem Augustum, primus in-

(1) 1. Petri cap. 1.
(2) S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. in Petro.
(3) S. Leo Serm. 80. in Natali Apost. Petri, & Pauli.
(4) Sextus Rufus in Breviar.

inscribitur *Alypius Episcopus Cæsareæ Metropolis*: in altera ad eumdem Leonem, *Patricius Episcopus Tyanorum Metropolis*.

Huic Metropoli octo Episcopatus subjicit Nilus Doxapatrius: *Cæsarea Cappadociæ habens Episcopat. VIII.* Totidemque apud Leunclavium, nempe.

Primæ Cæsareensis Cappadociæ.

1. Nyssenus.	2. Camulianorum.
3. Regiarum Thermarum.	4. Cissi.
5. Evaissorum.	6. Seriadis.
7. Arathæ.	8. Epoliorum.

Ceterum Notitia Leonis Sapientis sex dumtaxat in Prima Cappadocia agnoscit Episcopos.

Provinciæ Cappadociæ Episcopi.

Apud Beveregium:	Cæsareæ.	Methodiopoleos Armeniæ.	
*Basilicarum Thermarum.	*Regiarum Thermarum.*	Camulianorum.	
*Nysæ.	*Nissæ.*	*Cysici.*	* Ciscissi.

Hierocles Grammaticus quatuor tantum hujus Provinciæ urbes enumerat.

Provincia Cappadociæ Primæ sub Consulari. Urbes IV.

Cæsarea.	Therma.
Nyssa.	Regepodandus.

VI. Secundæ Cappadociæ Metropolis est Tyana, media fere inter Cæsaream ad Boream, & Tarsum urbem Ciliciæ ad Meridiem. In hac Urbe natus est Apollonius dictus propterea Tyaneus, maxime apud omnes Scriptores celebris, qui discendi causa Scythiam, Massagetes, Albaniam, Iberiam, Mediam, Parthiam, Persidem, Assyriam, Babyloniam, Arabiam, Palæstinam, Ægyptum, Æthiopiam, & alias quamplures regiones peragravit, cujus vitam, & gesta integro volumine exequitur Philostratus. Tempore Valentis Imperatoris Tyanorum civitas Secundæ Cappadociæ Metropolis effecta est, ejusque urbes exhibet Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Cappadociæ, scilicet Secundæ.

Tyanæ, sive Christopoleos.	Faustinopoleos.
Cybistrorum.	Sasimorum.

Tempore Leonis Sapientis, Cappadociam Secundam rursus sectam in duas fuisse oportuit; nam in ejus Notitia tum a Schelstrate, tum a P. Goar, Carolo a S. Paulo, Leunclavio, Beveregio, & in Codice Regio edita, a duabus Cappadociis, tertia cum suis urbibus omnino distincta occurrit, quam arbitror esse Cappadociam Mediterraneam, cujus Metropolis vocatur

tur Mociſſi, ab aliis Moceſſi. Nulla iſtius Urbis mentio extat apud prophanos Scriptores; extat tamen diſertiſſima in libris Conciliorum, & fere apud omnes auctores Eccleſiaſticos, qui Metropoleon & Provinciarum diſtributionem perveſtigarunt. Hujus quippe meminit *Ordo diſpoſitus per Imperatorem Leonem Sapientem, quem locum, & ſeriem habeant Throni Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectarum*, & inter Metropoles *num.* 29. Mociſſum reponit. Nilus Doxapatrius in *Notitia Patriarchatuum* inter Metropoles Conſtantinopolitano ſubjectas, *num.* 29. Mociſſum collocat his verbis: *Moceſſus Cappadociæ* habens *Epiſcopatus IV.* Eumdem locum illi adſcribit *Expoſitio Imperatoris D. Andronici Palæologi ſenioris:* itemque *Ordo Thronorum Metropolitanorum, quorum alii dicuntur Exarchi Hypertimi, alii ſolum Hypertimi*, inter Metropolitas hujus ſecundi ordinis reponit *Mociſinum Secundæ Cappadociæ num.* 29. ut videre eſt *ad calcem Codini Hiſt. Byzant.* & Schelſtratem *Tom.* 2. *Antiq. Eccleſ. Illuſt. in Appendice* 26. Quare hic etiam urbium Tertiæ Cappadociæ catalogum exhibemus juxta Notitiam Leonis Sapientis.

Provincia Cappadociæ, ſcilicet Tertiæ.

Apud Beveregium: * Moceſſi.

Mociſſi.	Parnaſſi.
Nazianzi.	Doarorum.
Coloniæ.	

Concilii Chalcedonenſis tempore duæ tantum erant Cappadociæ I. ſcilicet, ac II. hujus poſterioris Epiſcopatus ii recenſentur in epiſtola ad Leonem Auguſtum: *Patricius Tyanorum Metrop. Euſtathius Paterni. Theodorus Nazianzi. Ariſtomachus Colonorum. Cyrus Cabiſtuliæ. Ambroſius Aſimæ. Patrophilus Juſtinopolis. Anebrius Doalæ.*

Utramque Cappadociam, ſecundam ſcilicet, & tertiam complecti videtur Hierocles Grammaticus, tametſi quarumdam urbium nominibus prætermiſſis, alia addiderit nomina.

Provincia Cappadociæ Secundæ ſub Præſide Conſulari. Urbes VIII.

Tyana.	Saſima.
Fauſtinopolis.	Parnaſus.
Cybiſtra.	Regedoara.
Nazianzus.	*Regecucuſus*. * Regemuciſcus.

VI. Galatia tertia Diœceſeos Ponticæ Provincia, inter Bithyniam ad Occaſum, & Cappadociam ad Ortum poſita eſt; cui Phrygia magna ad Meridiem & Paphlagonia ad Septemtrionem hærent. Hæc regio, & Gallogræcia dicta eſt, & populi ipſi Gallogræci olim nuncupati ſunt; cum enim a Rege Bithyniæ Galli ſimul & Græci in auxilium vocati veniſſent, partem Regni tenuerunt, & ab utriſque populis Gallogræci ſunt vocati. De his mentionem faciunt Pauſanias, Polybius, & Titus Livius *Decade* 4. *lib.* 8. ſed poſtea Galatiæ nomen obtinuit. Occaſione belli Aſiatici adverſus Antiochum ſuſcepti a Romanis hæc regio occupata eſt, propterea quod ejus populi Antiocho opem tuliſſent, uti refert Livius loco citato, & Se-

& Sextus Rufus *in Breviario*, (1) ubi cum dixisset, vocari regionem hanc *Gallogræciam, idest, Galatiam*, subdit: *sunt enim, ut ex Gallis sonat nomen, Galatæ, quos, quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, invasimus. Mummius Proconsul Galatas persecutus est, quum fugientes partim in Olympum, partim in Megaram montem, qui nunc Modiatus dicitur, de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Dejotarus Tetrarches nobis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octaviano Cæsare Augusto Galatia in formam Provinciæ redacta est.* Quo pacto id acciderit, Dio Cassius refert: (2) *Amynta Galatiæ Principe mortuo, regnum filiis ejus non tradidit, sed Provinciam populi Romani fecit, atque exinde Gallogræcia cum Lycaonia Romanum habere Præfectum cœpit.* Idipsum prodit Eutropius in Augusto: (3) *Galatia quoque sub hoc* (scilicet Augusto) *Provincia facta est, cum antea Regnum fuisset, primusque eam M. Cellius pro Prætore administravit.* De hac eadem Provincia scripsit Tacitus: (4) *Galatiam, ac Pamphyliam Provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat.*

Ab Apostolorum Principe populos Galatiæ Evangelicis præceptis instructos antea adnotavimus: Divi Pauli quoque prædicatione edoctos tum ejus *Epistola ad Galatas* inscripta, tum Apostolorum *Acta cap.* 16. testantur. Ante Constantini Principatum nulla Galatiæ sectio occurrit; postmodum tamen ea conspicua fuit in Notitia Imperii Arcadii & Honorii temporibus conscripta; ubi Galatia Salutaris decimo loco posita, a Galatia proprie dicta discernitur. Primæ Galatiæ Metropolis est Ancyra, sic dicta ab anchoris navium captarum a Mithridate, quas Ptolemæus Rex Ægypti suppetias Gallogræcis miserat. Ejus meminerunt Stephanus & Plinius *lib.* 5. *cap. ult.* Concilii Nicæni tempore una tantum erat Provincia Galatiæ, ex qua *Pancratius* Ancyræ cum quatuor Episcopis subscripsit Concilii Actis. Sed duæ expresse distinguuntur in Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. & 3. & in litteris ad Leonem Augustum, ubi *Anastasius Episcopus Ancyræ Metropolis I. Galatiæ; & Theoctistus Episcopus Pissinuntis Galatiæ* subscripti leguntur. Hujus Provinciæ urbes enumerat Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Galatiæ.

	Ancyræ.	Berinopoleos.
	Tabiæ.	Mizzi.
	Heliopoleos.	*Ccnes.* * Cinæ.
Apud Beveregium: * Asponæ.	*Aspones.*	Anastasiopoleos.

Hierocles Grammaticus septem dumtaxat Galatiæ urbes descripsit.

Provincia Galatiæ (primæ) sub Consulari. Urbes VII.

Ancyra Metropolis.	Reganagalia.
Tabia.	Regemnezus.
Aspona.	Heliopolis.
Cinna.	

VIII. Ga-

(1) Rufus in Breviario.
(2) Dio lib. 54. in Augusto.
(3) Eutropius lib. 7.
(4) Tacitus lib. 1. Hist. cap. 9.

VIII. Galatiæ Salutaris Metropolis vocatur Pessinûs, civitas, quam nonnulli perperam Phrygiæ urbem faciunt: est quippe civitas Galatiæ, olim ad populos illos pertinens, qui Tolistobii Livio, Tolistobogi Ptolemæo, Tolistobogii Straboni dicti sunt, Tectosages etiam vocati a Tectosagibus Galliarum populis derivati, qui in Asia Galatiam incoluerunt. Ab Attalicis Regibus hanc urbem conditam ferunt, ac splendide extructam, Cybeles Deorum Matris templo, & porticibus ex candido marmore egregie nobilitatam. Celebriorem eam Romani reddiderunt, accersito inde Cybeles Simulacro, quod in Urbem transportarunt; quæ & Pesinuntia appellata est. Id tradit Livius *Decadis III. lib.* 9. Ibi etiam Gordium Nodum ab Alexandro rescissum aliqui narrant. Istius Provinciæ urbes hic subjicimus ex Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Galatiæ, nempe Salutaris.

Apud Beveregium: * Pisinuntium.	*Pisinuntis.*	Germocoloniæ.	
	Myrici.	*Spaniæ*, sive *Justinianopolis*.	* Spalex, *sive* Justianopolis.
	Eudoxiadis.		
* Pitannissi.	*Pitamissi.*	Orcisti.	
* Trocnadorum.	*Trocnadum.*		

Novem urbes hic enumerat Hierocles Grammaticus.

Provincia Galatiæ Salutaris sub Præside. Urbes IX.

	Pisinus.	*Regetnocade.*	* Regetnocaude.
* Regemaurecium.	*Maurecium.*	Eudoxias.	
	Petinesus.	*Myracion.*	* Myricion.
	Æorium.	Germia.	
	Claneus.		

IX. Bithynia regio Ponticæ Diœceseos ad Euxinum mare cum Ponto, & ad Propontidem contra Thraciam sita est. Solino & Servio auctoribus, primum Bebryca, postea Mygdonia, deinde a Bithynio Rege Bithynia appellata est. Sunt qui scribant, Thynos populos transiisse ex Thracia Europæ in hanc regionem, eamque occupasse, a quibus Bithyni nuncupati, & Bithynia dicta. Quo allusit Claudianus: (1)

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Strabo existimat, Mysos prius Bithyniam habitasse, unde Bosphorum Thraciæ, juxta quem Bithynia est, Mysium aliquando appellari ait Dionysius Poëta: hinc etiam Herodotus dicit, Thraces in Asiam transvectos, Bithynos esse appellatos, templumque & vaticinium Martis habuisse, & a Bosphoro usque Rhebam flumen regionem tenuisse. Insignes hæc regio viros peperit, Xenocratem philosophum, Dionysium dialecticum, Hipparchum, Theodosium, ejusque Filios Mathematicos, Cleophanem Oratorem ex Myrlea, & Asclepiadem Medicum Prusiensem.

Nicomedes Rex socius & amicus Populi Romani morti proximus ipsi Bithyniam testamento reliquit, teste Lucio Floro *in Epitome lib.* 93.

(1) Claudianus lib. 2. in Eutrop.

Nicomedes Bithyniæ Rex moriens populum Romanum fecit heredem, Regnumque ejus in Provinciæ formam redactum est. Iisdem pæne verbis id refert Eutropius: [1] *Mortuus est Nicomedes Rex Bithyniæ*, & *per Testamentum populum Romanum fecit heredem.* Hoc sub Sylla contigisse scribit Florus *lib.* 3. *cap.* 5. sed cum Mithridates rursum Bithyniam occupasset, fracto a Lucullo Proconsule ejus exercitu, Bithynia decedere compulsus est: *L. Lucullus* [2] *Proconsul* (inquit Florus) *ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame, ferroque delevit, pulsumque a Bithynia Regem, variis belli, ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere.* Tandem Pompejus, cum bello Mithridatico finem imposuisset, Bithynicus appellatus est, quod ex Bithynia supellectilem Regis Nicomedis Romam deportaverit, ut tradit Festus. A Pompeii ætate ad Honorium usque Imperatorem Bithynia terminos suos protendebat usque ad Paphlagoniam. Unde Ammianus Marcellinus ante avulsam ab Honorio Provinciam Honoriadis, dixit: [3] *Post Bithyniæ partem Provinciæ Pontus, & Paphlagonia protenduntur.* Et Dio Cassius inter Provincias, quas Cæsar Augustus pacatas Populo Romano reliquerat, *Bithyniam cum Ponto* finitimam numerat. Ad hanc Provinciam Plinius Proconsul missus a Trajano, in multis epistolis eidem Imperatori inscriptis, quæ extant lib. 10. *Claudiopolim*, *Prusiadem*, *Prusiam;* sicuti etiam alias in Bithynia, & Ponto collocat; quæ postmodum sub Honorio Honoriadi sunt attributæ. Ex quibus etiam constat, Plinii ætate sub Ponto Paphlagoniam comprehendi, ultra quas Provincias Mithridates jus Imperii protraxerat usque in Cappadociam, ut antea ex Sexto Rufo novimus. Quocirca ipse Plinius *epist.* 28. ad Trajanum scripsit: *Bithyniam intravi;* quia scilicet Bithynia & Pontus ab uno Proconsule ipsis Trajani temporibus regerentur. His sane lucem non modicam afferunt ea, quæ de Bithyniæ & Ponti civitatibus ad Trajanum retulit idem Plinius *epist.* 109. & 113. Nam inter Bithyniæ urbes etiam Claudiopolim collocat *epist.* 48. quæ civitas in Honoriade sita est. Sub Ponto similiter Amastrim reponit, quæ in Paphlagonia, & Amisum quæ in Hellenoponto, ut patet ex ejus *epistolis* 93. *&* 99. Bithyniam perinde ac Pontum, & Galatiam a D. Petro Evangelicis legibus institutam, satis superque probant, quæ supra docuimus.

Nicomedia totius Provinciæ Metropolis est, urbs olim clara a Nicomede Rege inclyto Zelæ filio, ejus conditore nomen consecuta. Eam commemorant Strabo *lib.* 12. Plinius *lib.* 5. *cap. ult.* Ptolemæus *lib.* 5. *cap.* 1. Stephanus, aliique. In ejus suburbio Constātinus Magnus diem ultimum clausit. Eusebius Nicomediæ cum octo Episcopis interfuit Concilio Nicæno: *Euphrasius* CP. 1. *Et Eunomius Nicomediæ Metropolis* Concilio Chalcedonensi. Provinciæ urbes eæ sunt juxta Notitiam Leonis Sapientis.

Provincia Bithyniæ.

Apud Beveregium:	Nicomediæ.	*Adrianæ.*	* Adrianorum.
* Prusæ, *sive* Theopolis.	*Prusæ.*	Cæsareæ.	
	Præneti.	Galli, sive Lophorum.	
	Helenopoleos.	Daphnusiæ.	
* Bisilinopolis: *apud P. Carolum a S. Paulo:* Basilianopolis.	*Basinopoleos.*	Eristæ.	
	Dascylii.		
	Apolloniadis.		

X. Pri-

(1) Eutropius lib. 6.
(2) Florus in Epitome ex lib. 95.
(3) Marcellinus lib. 22.

X. Prima hæc est juxta Notitiam Ecclesiasticam Bithyniæ Provincia; nam ante Valentis & Valentiniani Imperium indivisa fuit Bithynia, & tota Nicomediensi Metropolitæ subjecta. At Valentinianus Augustus a Nicæno rogatus, & in honorem Magni Concilii Nicææ sub Constantino habiti, edicto suo Nicæam in Metropolim erexit, quo fretus Anastasius ejus Urbis Antistes, jus Metropolitani sibi arrogare, Basilianopolitanorum ordinationes usurpare, & Nicomediam in duas Metropoles scindere tentabat. Sed cum Anastasii ausus contra canones vergerent, Eumenius Nicomediensis in Synodo Chalcedonensi graviter questus est, Sedis suæ jura a Nicæno Episcopo violari, Imperatoris leges surreptitias esse, *canone* 4. Synodi Nicænæ sancitum esse, ordinationum in singulis Provinciis potestatem penes Metropolitas esse, perperam vero hoc jus sibi usurpare velle Nicænum Episcopum, Nicomediensi subjectum, nec ipsi posse suffragari leges Valentiniani adversus Canones Ecclesiasticos latas. Itaque Judices lecto Nicæno canone, recitatis quoque Valentiniani Imperatoris legibus, pronuntiarunt, has leges civilibus tantum rebus, non Ecclesiasticis prospexisse: Metropoleos nomen, & honorem Nicænæ civitati concessum, jus autem Metropoliticum Nicæno Episcopo minime tributum: immo iis legibus cautum esse, ne aliarum civitatum juribus detraheretur; neve sacris canonibus vulnus aliquod inferretur. Canones porro id præcipere, ut unicus in una Provincia Metropolita esset. Quocirca Patres Concilii a Judicibus rogati, ut Sententiam ferrent, uno ore clamarunt: *Canones teneant: canonibus satisfiat:* Decretumque ab illis, Nicæno Metropolitæ nomen tantum, honoremque delatum, ita tamen ut Nicomediensi Metropolitæ subsit, penes quem dumtaxat sit Jus Metropoliticum. Verum secutis temporibus Nicæno etiam jus Metropoliticum delatum est, secta Bithynia in duas Provincias, quarum Primæ Nicomediensis, Secundæ Nicænus præesset.

Itaque posterioris Bithyniæ jam a Prima dissectæ Metropolis facta est Nicæa, urbs ad Ascanium fluvium & lacum sita, quam primum Antigonus Philippi filius condidit, & Antigoniam nominavit: Postea Lysimacus a nomine uxoris Antipatri filiæ, Nicæam vocavit. Non vulgare istius urbis decus fuit viarum portarumque dispositio ita apte concinnata, ut in medio ejus tota conspici posset. Habuit enim vero quatuor portas ad rectos angulos constructas, quæ ex uno lapide ad medium gymnasium posito omnes cernebantur. Illustrior tamen ea fuit magni, ac primi Concilii Oecumenici celebratione. Scholiastes Græcus, in Notitia Leunclavii, hæc de Nicæa adnotavit: *Nicæa Mysiæ in Bithynia civitas a Lysimacho ad paludem Ascaniam condita est. Prius Helicore dicta fuit, & a Græcis in admiratione habita propter fortitudinem, & felicitatem. Cum fraude autem a Mysis capta esset, & viri partim deleti sunt, partim aufugerunt, & vicinas civitates inhabitarunt, & regio ipsorum penitus eversa est. Verum post Alexandri obitum a Lysimacho condita est, & Nicæa nominata, de nomine Antipatri filiæ. Hac oriundus est Stoicus Philosophus Apollo, Apollonii, qui Dardano successit, discipulus, item Lycon, & Lycander, Stoici similiter Philosophi. Necnon Hierax, & Isidorus, insignes Grammatici.*

Hujus

Hujus Provinciæ urbes eæ sunt, quæ sequuntur juxta Notitiam Leonis Sapientis.

Eadem Provincia, scilicet Bithyniæ.

	Nicææ.	*Godoserborum.*	* Gerduservarum.
Ex Beveregio: * Melinorum.	Modrinæ, sive *Melinensium.*	*Numericorum.*	* Numericarum.
* Linoes.	*Linaës.*	Taii.	
		Maximianarum.	

Miror cur in hac Notitia Leonis Sapientis Chalcedon prætermissa sit. Nihil de illa neque Codex Regius, neque Leunclavius, non Beveregius, non P. Goar, non Carolus a S. Paulo eam commemorant. Et tamen Urbs est Bithyniæ juxta Bosphorum Thracium, ex opposito Byzantii. Id forsitan contigit, quod Metropoleos nomen & dignitatem obtinuit, nec Nicomediensi, aut Nicæno subjecta erat, sed proprii juris, tametsi Metropolitica in alias urbes auctoritate careret. Nilus quippe Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum, cum duas Bithyniæ Metropoles Nicomediam, & Nicæam nominasset, quarum alteri duodecim, alteri sex Episcopatus subjecerat; statim adjecit: *Chalcedon ejusdem Provinciæ sine subditis.* Hoc ipsum habet *Ordo Præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum*, ejusdem Leonis Sapientis: *In eadem Provincia* (scilicet Bithynia) *Chalcedonis.* Quod si civilem dispositionem spectemus, inter Bithyniæ urbes Chalcedonem expresse collocavit Hierocles Grammaticus, quamquam primæ Provinciæ Ponticæ vocabulo Bithyniam intellexerit, nec eam in duas distraxerit.

Provincia Ponticæ primæ (Bithyniæ scilicet) sub Consulari. Urbes XVI.

Chalcedon.	Prusa.
Nicomedia.	Cæsarea.
Prinetus.	Apollonias.
Elenopolis.	Dascilium.
Nicæa.	Neocæsarea.
Basilinopolis.	Adriani.
Cius.	Regetatajos.
Apamea.	Regodorie.

XI. Paphlagonia Ponticæ Diœcesis regio est, Ponto Euxino adjacens, inter Bithyniam ad Occasum, & Cappadociam ad Ortum posita, Galatia ad Austrum cohærente, seu ut alii eam metiuntur, inter Pontum Euxinum ad Boream, & Galatiam ad Meridiem. Sic appellata est, inquit Stephanus, a Paphlagone Phinei filio. Hæc, ut Solinus scribit, a Cytoro monte consurgit, porrecta in spatium trium & sexaginta milliarium: quam ita descripsit Strabo: (1) *Versus Orientem Halys est Paphlagoniæ terminus, ad Meridiem Phryges, & qui eo commigrarunt Galatæ ad Occasum Bithyni.* Quo tem-

(1) Strabo lib. 12.

tempore in ditionem Populi Romani venerit, tradit Sextus Rufus: (1) *Paphlagoniam Philomenes Rex amicus Populi Romani tenuit: sæpe ex ea pulsus, regno a nobis est restitutus, quo mortuo Provincia ejus Paphlagonibus imposita est*. Philomenes quippe morti proximus Regni sui heredem constituit Populum Romanum, ut refert Jornandes: (2) *Paphlagoniæ*, inquit, *Philomenes Rex, amicus Populi Romani a multis dum inquietaretur, Romanorum petit auxilium. Se quoque dum de inimicis ulcisceretur, defunctus, Romanos per testamentum heredes reliquit*. Verisimile putat Schelstrates id contigisse post Trajani Imperatoris obitum, cum Plinius, qui duas tantum Provincias sortitus fuerat, Paphlagoniæ urbes sub Ponti nomine gubernaverit. At diu ante Trajani tempora arbitror Paphlagoniam in Provinciam abiisse: siquidem teste Plutarcho in Pompeii vita, Inscriptiones quæ in Pompeii triumpho præferebantur, inter ceteras Orientis Provincias, *Paphlagoniam* exhibent. In Augusti quoque Notitia una cum aliis Provinciis Ponticæ Diœcesis, quas Populo Romano Augustus concesserat, Paphlagonia exprimitur.

Metropolis hujus Provinciæ est Gangra, seu Gangre, urbs satis ampla in Mediterraneis posita, quæ in Concilio Ephesino, & ab aliis interdum Theodosia Gangrorum dicitur. Gangres hujus Provinciæ Metropolis mentio habetur in Concilio Chalcedonensi *Act*. 1. *&* 3. & in litteris ad Leonem Augustum, *Petrus Episcopus Gangrenæ Metropolis* nominatur. Urbes Paphlagoniæ eæ sunt in Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Paphlagoniæ.

Gangrorum.	Dadybrorum.
Junopoleos.	Sorarorum.

Addit *Ordo Præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum* ejusdem Leonis Sapientis duas alias civitates, sed quoniam ad Metropoleos nomen & honorem evectæ fuerant, eas in Notitia prætermisit: sunt autem Pompejopolis, & Amastridis, quæ posterior Amisus, seu Amison a Plinio vocatur. Omnes vero complexus est Hierocles Grammaticus.

Provincia Paphlagoniæ sub Correctore. Urbes VI.

Gangra.	Amastrium.
Pompejopolis.	Junopolis.
Sora.	Dadybra.

XII. Pontus Polemoniacus vel a Polemonio urbe in ora Ponti, inter ostia Thermodoontis ad Occasum, & Cotyorum ad Ortum: ac inter Amisum ad Occasum, & Trapezuntem sita: vel, quod verius videtur, a Polemone Rege nomen habuit. Post confectum a Pompejo bellum Mithridaticum, hæc Ponti portio Regulo concessa fuit; sed postea sub Nerone Provinciæ formam suscepit, dono Polemonis Regis; de quo hæc Suetonius: (3) *Ponti modo Regnum, concedente Polemone, in Provinciæ formam re-*

(1) Rufus in Breviar.
(2) Jornandes lib. 1.

(3) Suetonius in Nerone.

redegit. De Ponto Polemoniaco dumtaxat Suetonius loquitur: nam teste Eutropio (1) *duæ tantum sub eo Provinciæ factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente Rege Polemone, & Alpes Cottiæ, Cottio Rege defuncto*. Hoc pariter Flavius Vopiscus in *Aureliano*: & Aurelius Victor *in L. Domitio Nerone*; qui etiam adnotavit hanc Provinciam a Polemone cognomen adeptam esse: (2) *Nero in jus Provinciæ, Polemonis permissu redegit; cujus gratia Polemoniacus Pontus appellatur*. Præcipuas ejus urbes Polemonium, & Amisum commemorat Marcellinus: *Post* (3) *Bithyniæ partem, Provinciæ Pontus, & Paphlagonia protenduntur, in quibus Heraclea, & Sinope, & Polemonion, & Amisos amplæ sunt civitates*. Nihilominus illius Metropolis est Neocæsarea, ut videre est in Notitia Leonis Sapientis, & apud Nilum Doxapatrium, aliosque Ecclesiasticos Scriptores. *Longinus Neocæsareæ* cum duobus Episcopis Nicæno adfuit Concilio: & litteris ad Leonem Augustum relatis Par. 3. Concilii Chalcedonensis, *Evippus Episcopus Metropolis Neocæsareæ* subscripsit. Has illi urbes assignat supradicta Leonis Sapientis Notitia.

Provincia Ponti Polemoniaci.

	Neo Cæsareæ.	Polemonii.
Apud Beveregium:	Trapezuntis.	Comanorum.
* Cerosantium, *at Leunclavius habet*: Cerasuntorum.	*Cerasuntis*.	

Totidem urbes Ponti Polemoniaci recenset Hierocles Grammaticus, verbis paululum immutatis.

Provincia Ponti Polemoniaci. Urbes V. Sub Præside.

Neocæsarea.	Cerasus.
Comana.	Trapezus.
Tolemonium.	

Nilus Doxapatrius septem huic Metropoli Episcopatus subjicit: *Neocæsarea Ponti Polemoniaci habens Episcopatus VII*. Apud Leunclavium habentur septem Episcopatus sub hac Provincia, cui Scholiastes tres alios addidit.

XIII. Hellenopontus apud Geographos regio est Bithyniæ, quæ & Pontus dicitur Ptolemæo, inter Bithyniam, & Paphlagoniam, mari Euxino apposita. Verum in Conciliorum libris, & apud Ecclesiasticos Auctores latius patet, & urbes aliquot Cappadociæ, & Paphlagoniæ continet. Nonnisi post Cæsaris Augusti obitum distincta a Cappadocia, Paphlagonia, & aliis Ponticis regionibus Provincia constituta est, primumque occurrit in Notitia Hadriani Imperatoris. Amasia, seu Amasea ejus Metropolis est, Urbs Cappadociæ, quam Iris fluvius præterfluit, quondam Strabonis Geographi patria, ut ipse testatur *lib.* 12. Amasæ Metropolis Hellesponti meminit Concilium Chal-

(1) Eutropius lib. 7.
(2) Aurelius Victor in Nerone.
(3) Marcellinus lib. 22.

Chalcedonense *Act.* 1. & 3. & in litteris ad Leonem Augustum *Seleucus* vocatur *Episcopus Amasiæ Metropolis*. Hellenoponti urbes eæ sunt ex Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Hellenoponti.

	Amaseæ.	*Andrapodum.*	*Andraporum. *C. R.* Andrapodorum: *Goar:* Adrapenorum.
	Amissi.	Zelichi, *sive* Centopoleos.	
Apud Beveregium: * Iborotum.	Sinopes.	Zelorum.	
	Ibyrnorum.		

Eadem exhibet Hierocles:

Provincia Hellenoponti sub Consulari. Urbes VII.

Amasia.	Andrapa.
Ibyra.	Amisus.
Zela.	Sinope.
Saltum Zalichen.	

XIV. Armenia ampla est Asiæ regio inter Taurum, & Caucasum montes sita, a Cappadocia usque ad Caspium mare protensa. Ab Armenio Thessalo Jasonis comite, ut putat Strabo, vel ab Armeno quodam Rhodio, ut ex Antipatri sententia tradit Stephanus, sic appellata est. In duas ab antiquis divisa est, inquit, Plinius, (1) Majorem scilicet, & Minorem. Major post Mediam ab Occidentem occurrit: ea vero, auctore Ptolemæo, a Septemtrione Colchidem habet, Iberiam, & Albaniam: ab Occasu magnum Euphratis cursum, qui Cappadociam, Minorem Armeniam, & Syriam Comagenem relinquit a dextris; ab Oriente partem Hyrcani Maris, ac Mediam, qua montes Caspii assurgunt: a Meridie Mesopotamiam, atque Assyriam. Minor est inter Cappadociam ad Occasum, Syriam ad Ortum, & Ciliciam ad Austrum, Euphrate fluvio a Majore sejuncta.

Lucullus magnam Armeniæ partem in ditionem Populi Romani redegerat, ut tradit Strabo: sed cum Mithridates Minorem Armeniam invasisset, a Pompejo illi erepta est, ac Dejotaro atque aliis Tetrarchis concessa. Majorem autem Armeniam possidebat Tigranes, ut ex Appiano & aliis refert Carolus Sigonius; at Tigranes a Pompejo devictus, Regnum a Romanis accipere compulsus est: donec sub Trajano exactis Armeniæ Regibus, Provinciæ formam admisit, Rufo referente: (2) *Ad extremum sub Trajano Principe, Regi Majoris Armeniæ Diadema sublatum est: & per Trajanum Armenia, Mesopotamia, Assyria, & Arabia Provinciæ factæ sunt.* Ad annum 15. Imperii Trajani hoc refert Eusebius *in Chronico*. Ob hanc causam Armeniæ, tanquam Provinciæ non meminit Pomponius Mela, cujus tamen mentionem facit Appianus Alexandrinus tempore Hadriani, qui Trajano successit. Metropolis Majoris Armeniæ vocatur Sebasta: Armeniæ Primæ *Eulabius Sebastenus*, Secundæ vero *Arsaphius Sophenensis* Episcopi interfuerunt Concilio Nicæno: *Otenius Melitensis Armeniæ II.* Concilio CP. 1. Utriusque Pro-

(1) Plinius lib. 6. & 9.

(2) Rufus in Breviar.

Provinciæ mentionem facit Concilium Chalcedonense; & Primæ quidem Metropolim constituit Sebastam, Secundæ autem Melitenem. In litteris ad Leonem Augustum, *Joannes* dicitur *Episcopus Sebastæ Metropolis*, Armeniæ I. & *Tresius Episcopus Melitenæ Metropolis*. Armeniæ II. Urbes Armeniæ I. has recenset Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Armeniæ.

Sebasteæ.	Satalorum.	
Sebastopoleos.	Coloniæ.	*Apud Beveregium:*
Nicopoleos.	*Cerisses.*	* Berisses.

Quinque dumtaxat ex supradictis urbibus refert Hierocles Grammaticus, Cerisse prætermissa.

Provincia Armeniæ Primæ sub Consulari. Urbes V.

Sebastea.	Satala.
Nicopolis.	Sebastopolis.
Colonia.	

XV. Minoris Armeniæ Metropolis est Melitine, seu Melitene, urbs olim præclara apud Euphratem fluvium, de qua disertam mentionem faciunt Strabo *lib.* 11. & Ptolemæus in descriptione Armeniæ Minoris. Hujus Provinciæ urbes has exhibet Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Armeniæ, scilicet Minoris.

		Apud Beveregium:
Melitines.	*Arabesi.*	* Arabissi.
Arcæ.	Ariarathæ.	
Cucusi.	*Ceomannorum.*	* Ceomanarum.

Easdem Urbes nominat Hierocles Grammaticus, & in una tantum Ariarathe parumper discrepat, quam ipse Ararathim vocat, quæ fortassis est Artaxata, insignis olim Armeniæ civitas.

XVI. Duas tantum Armenias hucusque perlustravimus, veterem Imperii Notitiam persequuti; in nonnullis tamen Notitiis quatuor Armeniæ occurrunt, cui divisioni causam dedisse videtur Justinianus Imperator. Is quippe, cum devictis barbaris Imperii fines protulisset, integram Armeniam, quæ ad illam usque ætatem in Primam, & Secundam partita fuerat, in quatuor Provincias distribuit, quæ totidem Magistratibus regendæ committerentur: ita tamen, ut pristina Ecclesiarum forma minime mutaretur: (1) *Quæ vero*, inquit, *ad Sacerdotia spectant, ea ut sæpe diximus, volumus in pristina manere forma, negotio ipso, neque circa jus Metropoliticum, neque circa ordinationes, vel mutationem, vel novitatem suscipiente*. Notitia Leonis Sapientis bis Catalogum urbium Quartæ Armeniæ contexuit; semel sub titulo *Mesopotamiæ Superioris, seu Quartæ Armeniæ*; quem supra proprio loco descripsimus: iterum vero his verbis.

Pro-

(1) Justinianus Novella 31. de descriptione quatuor Præsidum Armeniæ cap. 2.

Provincia Quartæ Armeniæ alia.

Dademon nunc Metropolis.	Clima Sophenes.
Armusatarum.	Clima Anzitines.
*Chozanorum. *Polichne.*	Clima Digesenes.
Cosmachorum.	Clima Garenes.
Chitarisarum.	Clima Orzianices.
Castrum Merticertorum.	Clima Bilabitenes.
Castrum Bajuloeus.	Clima Astianicæ.
Castrum Polius.	Clima Mamuzurarum.
Castrum Ardon.	

Subdit Scholion ejusdem Notitiæ. *Sciendum est, hanc sui juris esse non facientem sacra sub Apostolico Throno, sed honoratam propter Sanctum Gregorium Armeniæ, habentem civitates, & castra 200.*

Notitia Ecclesiarum tempore Cœlestini III. scripta a viro Religioso, & Milone ejus Abbate, enumerans Metropoles tunc temporis Antiocheno Patriarchatui subjectas, in Armenia has collocat.

IN ARMENIA.

Sedes tertia Edessa in Rages. Sub hac Sede sunt Episcopatus X. Unchi, Constantia, Carron, Marcopolis, Vatnon, Cedmaron, Tmeria, Querquensia, Tapsaron, Callimices.

Sedes quarta Apamia. Sub hac Sede sunt Episcopatus VIII. Epiphania, Seleuce, Valla, Jarissa, Vallanea, Mariani, Raphania, Arecusa.

Sedes quinta Jerapolis in Malbech. Sub hac Sede sunt Episcopatus VIII. Hemna, Sauron, Verualis, Neocæsarea, Perri, Occimon, Dolichi, Europi. Quibusdam vero interjectis, iterum ad Armeniam revertitur.

IN ARMENIA.

Sedes octava Seleucia. Sub hac Sede sunt Episcopatus XXIV. Claudiopolis, Diocæsarea, Europi, Balizandros, Sevila, Kolenderis, Anemori, Ticopolis, Jamas, Antiochia parva, Nephelia, Lustra, Selemnita, Totapi, Philadelphia parva, Trinopolis, Germanicopolis, Mobda, Dometiopolis, Subdi, Hinopolis, Adrason, Miloi, Neapolis.

Aliquantulum differt *Notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis ab Episcopo Catharensi* edita ante annos fere 370.

IN ARMENIA MAIORI.

Sedes tertia Edessa Rages. Sub hac Sede sunt Episcopatus X. Brit, Constantia, Vatuon, Tmeria, Trapsaron, Matropolis, Gajon, Sedinaron, Querquentia, Callinutos.

Sedes quarta Appamia. Sub hac Sede sunt Episcopat. VII. Epiphania, Celenconvalla, Larisa, Vallanea, Muriam, Raphajam, Arechusa.

Sedes quinta Jerapolis, idest Malbelch. Sub hac Sede sunt Episcopatus VIII. videlicet, Senma, Cicon, Varnalis, Beoresaria, Para, Damon, Dolichi, Europi.

IN ARMENIA.

Sedes septima Anariarz. Sub hac Sede sunt Episcopatus IX. Epiphania, Flavias, Alexandres, Rossos, Irnopolis, Castavali, Tambrisopolis, Egnas, Bisia.

X 2 XVII.

XVII. Honorias ultima est Ponticæ Diœceseos Provincia, ab Honorio Imperatore nomen sortita. Honorius quippe recisis a Paphlagonia aliquot urbibus, itemque a Bithynia tribus, aut quatuor civitatibus, peculiarem Provinciam instituit, cui & Honoriadis nomen imposuit. Huic novæ Provinciæ sua Metropolis non defuit, nempe Claudiopolis, una ex Bithyniæ civitatibus; Ptolemæo, & Pausaniæ nota, quæ & Bithynium dicitur ad Sangarium fluvium. *Calogerus Episcopus Claudiopolis Metropolis* Provinciæ Honoriadis recensetur in Catalogo Episcoporum Concilii Chalcedonensis *Act.* 1. *&* 3. Indiculum Civitatum hujus Provinciæ ita profert Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Honoriadis.

Claudiopoleos.	Tii.
Heracleæ Ponti.	Crateæ.
Prusiadis.	Adrianopoleos.

Easdem urbes, earumque nomina continet Notitia Hieroclis.

Provincia Honoriadis sub Præside. Urbes VI.

Claudiopolis.	*Tius.*	* Pius.
Prusias.	Cratia.	
Heraclea.	Adrianopolis.	

Post Leonis Sapientis ætatem Honoriadis Metropolim Claudiopolin translatam fuisse Heracleam Ponti, affirmat *Ordo Thronorum Metropolitanorum*, qui extat ad calcem Codini *Hist. Byzant. pag.* 406. ubi *n.* 17. Episcopus *Claudiopolitanus* vocatur Exarchus *totius Honoriadis, cujus loco est nunc Heracleensis Ponti Episcopus: cum esset sub Claudiopolitano antea Metropolita, factus vero Metropolita habet & locum, & Exarchiam illius.* Ceterum recens est hæc novæ Metropoleos institutio; nam statim ac Honorius Imperator novæ Provinciæ a se institutæ Metropolim civilem Claudiopolim fecit, etiam eadem dignitate in Ecclesia aucta est. Unde Claudiopolis recensetur inter civitates Metropolitanas in subscriptionibus Concilii Chalcedonensis, æque ac civitas Ancyræ, aut Gangrarum.



CAPUT

CAPUT VI.

Synopsis.

I. Thracia Europæ describitur. Quomodo a Romanis subacta, & A Pompejo Provincia facta est.

II. Sex Thraciæ Provincias Romanorum armis devictas recenset Marcellinus.

III. Prima Diœceseos Thraciæ Provincia est Europa: Byzantium, & Heraclea olim præcipuæ illius Urbes: Heraclea tamen Metropolis Ecclesiastica. Illius urbes exhibentur.

IV. Thracia peculiaris istius Diœceseos Provincia, cujus Metropolis est Philippopolis. Urbes illi subjectæ.

V. Hæmimontis Metropolis est Hadrianopolis. In tres partes eam dividit Leo Sapiens; sed corrigitur ejus Notitia.

VI. Rhodope a monte ejusdem nominis sic dicta pro Metropoli habet Trajanopolim. Hierocles in illius urbibus recensendis civilem potius, quam Ecclesiasticam dispositionem inspexit.

VII. Mæsia, quæ & Mysia duplex, Superior, & Inferior. Illa Serviam, & Bosinam: hæc Bulgariam complectitur. Inferior tantum pertinet ad Diœcesim Thraciæ. Ejus Metropolis videtur Marcianopolis. Urbes a Hierocle descriptæ.

VIII. Scythia Europæa ad Diœcesim Thraciæ spectat. Ejus Metropolis est Tomos, exilio Ovidii nota. Urbes illi addictas recenset Hierocles.

IX. Populi quondam celebres ad Scythiam, & Daciam pertinentes. Bulgari sub Anastasio Imperatore cogniti. Quas regiones inhabitarent. Hunni fuisse videntur. Thraciam invadunt, & Constantinopoli imminent, sed eos Justinianus magna auri copia pacificos reddit.

X. Novum Regnum Bulgari condunt. Hujus origo & confinia describuntur.

XI. Christi fidem Telerius Bulgariæ Princeps suscipit; serius tamen illius populi. Nicolaus I. directis in Bulgariam Episcopis totam convertit. Archiepiscopum Acridæ instituit, eumque Primatem & Patriarcham creavit. Innocentius III. Acrida Trinoviam Archiepiscopalem Sedem transtulit.

XII. Bulgaria vetus pars est Imperii Moschorum. Hujus limites describi. Urbs primaria Moscha dicitur. Circa finem seculi noni Moschi Christo nomen dederunt, & Sancti Bonifacii Martyris opera seculo decimo.

XIII. Ludovicus Thomassinus putat, Episcopum CP. in Russiam Christi fidem invexisse: sed fallitur ambiguitate nominis Rhosos. Russorum, seu Moschorum Ecclesia Græcorum Schismate implicata est. Olim Moschorum Patriarcha Constantinopolitano parebat: nunc ab ejus imperio se subtraxit. Russia nigra Regno Poloniæ aggregata Romano Pontifici subest. Novus Moschorum, & finitimarum Gentium Apostolus Sanctus Hyacinthus Ordinis Prædicatorum.



I. Po-

I. Ostrema Diœcescon Orientis est Thracia, Europæ regio amplissima, a Septemtrione Mysiam Inferiorem habens; ab Occidente Macedoniam, & partem Mysiæ Superioris, ab Oriente Pontum, a Meridie Ægæum mare. Primum Scython, postmodum Thracia ab asperitate dicta est: optime siquidem ipsius etymon a Græca voce τραχὺς, asper, agrestis, derivatur, teste D. Isidoro. Est enim regio (ut Pomponius scribit) nec cœlo, nec solo tractabilis, & nisi qua mari propior est, infecunda & frigida: feri ac crudeles illius incolæ cultuque aspero; quales eos describit Sextus Rufus: (1) *In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est. Sævissimi omnium Gentium Thraces fuerunt. In Thraciæ regionibus Sordisci habitaverunt, pariter crudeles, & callidi; de quorum sævitia multa fabulose memorantur, quod hostiis captivorum diis suis aliquando litaverunt, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sunt soliti.* Uberiorem & Thraciæ & hominum ejus regionis notitiam ex Ammiani Marcellini historia hausimus: *Erat* (2) *Thraciarum descriptio facilis, si veteres concinerent styli: quorum obscura varietas, quoniam opus veritatem professum non juvat, sufficiet ea, quæ vidisse meminimus expedire. Has terras immensa quondam camporum placiditate, aggerumque altitudine fuisse porrectas, Homeri perennis auctoritas docet, Aquilonem, & Zephyrum ventos exinde flare fingentis. Quod aut fabulosum est, aut tractus ante hac diffusi latissime, destinatique nationibus feris, cuncti Thraciarum vocabulo censebantur. Et partem earum habitavere Sordisci, longe nunc ab iisdem Provinciis disparati: Sævi quondam, & truces, ut antiquitas docet; hostiis captivorum Bellonæ litantes, & Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum humanis bibentes avidius. Quorum asperitate post multiplices pugnarum ærumnas sæpe res Romana vexata, postremo omnem amisit exercitum cum rectore. Sed ut nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti Syderis modum, effingunt theatri faciem speciosam. Cujus in summitate Occidentali, montibus præruptis densatæ Succorum patescunt angustiæ, Thracias dirimentes, & Daciam. Partem vero sinistram Arctois obnoxiam stellis, Hæmimontanæ celsitudines claudunt, & Hister, qua Romanum cespitem lambit, urbibus multis, & castris contiguis, & castellis. Per dextrum, quod Australe est latus, scopuli tenduntur Rhodopes: unde Eoum jubar exurgit, finitur in fretum: cui undosius ab Euxino ponto habenti, pergentique fluctibus reciprocis ad Ægeum, discidium panditur terrarum angustum. Ex angulo tamen Orientali Macedonicis jungitur colliminiis per arctas præcipitesque vias, quæ cognominantur Acontisma: cui proxima Arethusa convallis, & Statio in qua visitur Euripidis sepulchrum tragœdiarum sublimitate conspicui: & Stagira, ubi Aristoteles, ut Tullius ait, fundentem aureum flumen natum accepimus. Hæc quoque priscis temporibus loca barbari tenuere, morum sermonumque varietate dissimiles. E quibus præter alios ut immaniter efferati memorantur Odrysæ, ita humanum fundere sanguinem assueti, ut quum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas, post cibi satietatem & potus, suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum.*

Thracum maximum populum vocat L. Florus *lib.* 4. *cap.* 12. ferocissimas gentes Livius *Decad.* 4. *lib.* 6. sæpe multis insidiis, interdum etiam aperto Marte Romanos vexasse, tum ipse

(1) Sextus Rufus in Breviar.
(2) Marcellinus lib. 27.

(3) Marcellinus loco citato.

ipse Livius *lib.* 8. tum Florus *lib.* 3. *cap.* 4. testantur: (1) *Verum aucta Republica* (inquit Marcellinus) *dum Consulare vigeret imperium, has gentes, ante hoc semper indomitas vagantesque sine cultu vel legibus, Marcus Didius ingenti destinatione pressit: Drusus intra fines continuit proprios: Minucius prope amnem Hebrum a celsis Odrysarum montibus fluentem superatos prælio stravit: post quos residui ab Appio Claudio Proconsule sunt infesta concertatione deleti. Oppida enim in Bosphoro sita, & Propontide classes obtinuere Romanæ. Advenit post hos Imperator Lucullus, qui cum audacissima gente Bessorum conflixit omnium primus: eodemque impetu Hæmimontanos acriter resistentes oppressit. Quo imminente Thraciæ omnes in ditionem veterum transivere nostrorum.* Eamdem quam Marcellinus historiam de Thracibus Romanorum armis domitis refert Sextus Rufus: (2) *Sæpe per eos Romanus est cæsus exercitus: M. Didius vagantes Thraces repressit: M. Drusus intra fines proprios continuit: M. Minucius in Hebri fluminis glacie vastavit. Per Appium Claudium Proconsulem hi, qui Rhodopen incolebant, victi sunt. Europæ maritimas urbes antea Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus conflixit, ipsamque caput gentis Thraciam vicit. Hæmimontanos subegit: Eumolpidam, quæ nunc Philippopolis dicitur: Uscudamam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit: Calyben cepit. Supra Pontum positas civitates occupavit, Appolloniam, Callatim, Phthinopolim, Tomos, Istrum: ad Danubium usque perveniens, Romana Scythis arma monstravit.* Iisdem pæne verbis hoc ipsum refert Jornandes *lib.* 1. Attamen decreto Senatus, etvictorum largitione, Thraciam amicis Regibus commissam, & postea a Pompejo in Provinciam redactam, scribit Eutropius lib. 7. Inter Provincias, quas sibi Augustus reservaverat, Thraciæ locum habet in ejus Notitia: *Mæsia in qua Dardani, Thraces, & Daci.* Eam Vespasianus Imperator addixerat Orienti, teste Eustathio *in Dionysio:* quod apud omnes deinde secutos Princeps obtinuit, qui Thraciam, licet freto Propontidis, & Hellesponti ab Asia discretam, adtexuerunt Orienti.

II. Sex Thraciæ Provincias Romanorum armis devictas, & Reipublicæ subjectas tradit Ammianus Marcellinus: (3) *Hoc modo*, inquit, *post procinctus ancipites, Reipublicæ sex Provinciæ sunt quæsitæ. Inter quas prima, quæ ex fronte Illyriis est confinis, Thracia speciali nomine appellatur: quam Philippopolis, Eumolpias vetus, & Beroea amplæ civitates exornant. Post hanc Hæmimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Uscudama; & Anchialon, civitates magnas. Dein Mysia; ubi Marcianopolis est, a Sorore Trajani Principis ita cognominata; & Dorostorus, & Nicopolis, & Odyssus. Juxtaque Scythia; in qua celebriora sunt oppida, Dionysopolis, & Tomi, & Calatis. Europa omnium ultima, præter municipia, urbibus nitet duabus, Apris, & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. Rhodopa huic annexa, Maximianopolim habet, & Maroneam, & Aenum, post quam conditam, & relictam, Æneas Italiam auspiciorum prosperitate perpetua post diuturnos occupavit errores.* Easdem Provincias Romanæ Reipublicæ tunc accessisse affirmat Sextus Rufus: (4) *In ditionem Reipublicæ sex Thraciorum Provinciæ. Sunt acquisitæ; Thracia, Hæmimons, Mæsia Inferior, Scythia, Rhodope, Europa; in qua nunc secundæ arces Romani Orbis sunt constitutæ, Constantinopolis.*

III. Pri-

(1) Marcellinus loco citato.
(2) Rufus loco citato.

(3) Marcellinus loco citato.
(4) Rufus loco citato.

III. Prima Diœceseos Thraciæ Provincia in Notitia Imperii occurrit Europa, quo nomine non intelligitur celebris illa pars totius Mundi, sed singularis Provincia, prope Illyricum Orientis, versus Propontidem, ubi alias pars est Orientalis Thraciæ, inter Pontum Euxinum ad Boream, & Melanem sinum maris Ægæi ad Meridiem extensa. Ante Severi Principatum Byzantium, & Perinthus, seu Heraclea inter nobiliores habebantur Thraciæ civitates; unde Tacitus *lib.* 2. *cap.* 54. refert, Tiberium in Græciam profectum, Perinthum, & Byzantium Thraciæ urbes intrasse, *cupidine veteres locos, & fama celebratos noscendi*. Sed post deletam a Severo nobilissimam hanc civitatem, Perinthus, seu Heraclea præcipuum dignitatis fastigium obtinuit, uti referunt Herodianus *in Severo;* Procopius *lib.* 4. *de ædificiis illustr.* & Dio Cassius *lib.* 74. (1) Byzantium quippe Pescennii Nigri partibus adhæserat contra Severum, sed cum illud Romanorum exercitus cepisset, Imperator *civitati abstulit libertatem, eamque privavit dignitatibus, fecitque tributariam bonis civium publicatis: urbem, omnemque regionem, quæ erat sub urbis potestate, Perinthiis concessit. Hi Byzantio usi sunt ut vico, & a nullo genere injuriæ temperaverunt. Quæ quamquam jure facere quodammodo visus est Severus, tamen Byzantiis magno dolori fuit, quod mœnia urbis evertit, propterea quod gloria privarentur ea, quam ex magnifica ipsorum ostentatione consequebantur. Idque quum faceret Severus magnum præsidium Romanorum, arcemque contra barbaros Ponti, & Asiæ subvertit. Ego quidem mœnia ita diruta spectavi, ac si ea Barbari cepissent, non Romani, videramque ea, quum adhuc starent, eorumque sonitum, quem edunt, audiveram. In his septem turres a portis Thraciis ædificatæ spectabant ad mare, quarum reliquæ quidem persæ vocales non sunt. Quod si quis in prima turri vocem emisisset, aut lapidem in eam conjecisset, tale erat in ea artificium, ac machina, ut is statim sonus ad secundam, indeque ad tertiam, & ad omnes deinceps non interceptus perferretur.* Quamvis autem Byzantium ante Severi Imperium urbs celebris esset, non tamen Ecclesiastica Metropolis fuit hujus Provinciæ, immo Heracleæ subdita erat, ut infra videbimus. At enim ubi a Constantino Magno secunda Imperii Sedes facta est civitas illa, statim ad maximam provecta est dignitatem, & nedum Heracleæ, verum etiam præcipuis Orientis civitatibus cœpit præferri. Nihilominus tamen Heraclea semper hujus Provinciæ Metropolis fuit, qualem eam exhibent omnes Notitiæ, præsertim illa toties laudata Leonis Sapientis, quam hic transcribimus.

Provincia Europæ.

Heracleæ Thraciæ.	Cherronesi.
Apud Beveregium: Panii.	Cylæ.
* Callipolis. *Callipoleos.*	Rædesti.

Pedorus Heracleæ Europæ Episcopus Nicænæ Synodo subscripsit. Hujus quoque Metropolis mentio extat in Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. & 3. & in litteris ad Leonem Augustum.

Aliam hujus Provinciæ Metropolim assignat Hierocles Grammaticus, nempe Eudoxiopolim; sed illa in quibusdam tantum, non omnibus Codicibus MM.SS. extat, nec Ecclesiasticam, sed civilem Metropolim spectat.

Pro-

(1) Dio lib. 74.

Provincia Thraciæ Europæ sub Consulari. Urbes XIV.

* Ex alio Codice.	*Eudoxiopolis.*	Callipolis.	
	Heraclea.	Morizus.	
	Arcadiopolis.	Siltica.	
	Bizya.	*Synadia.*	* Savadia.
	Panoium.	Aphrodisia.	
	Orni.	Aprus.	
	Gannus.	Cœlia.	

IV. Peculiare Thraciæ nomen sibi vendicat secunda Thraciæ Diœcesis Provincia, cujus Metropolis est Philippopolis, antea Trimontium, Ptolemæo, & Plinio, & Suidæ etiam Poneropolis, Eumolpias Rufo, Pulendena Jornandi, nunc Philippopolis, urbs inter montem Hæmum ad Circium, & Rhodopen ad Eurum. Hanc Thraciæ Metropolim commemorat Concilium Chalcedonense *Act.* 1. *&* 3. & epistola Episcoporum hujus Provinciæ ad Leonem Augustum, cui subscripsit *Valentinus Episcopus Philippopolis Metropolis*. Ejus civitates eæ sunt ex Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Thraciæ.

Philippopolis.	Diospolis.
Diocletianopolis.	

Apud Leunclavium loco horum trium, novem alii Episcopatus habentur: apud Hieroclem vero urbes quinque.

Provincia Thraciæ sub Consulari. Urbes V.

Philippopolis.	Sebastopolis.
Beron.	Diopolis.
Diocletianopolis.	

V. Hæmimontus est regio a monte Hæmo nomen sortita. Hæmus Suidæ & Codino, mons est ingentis altitudinis Thessaliam a Thracia dividens, sic dictus ab Hæmo Boreæ, & Orithyiæ filio. Ex ejus jugo ferunt, utrumque mare Euxinum, & Adriaticum conspici. Quod tamen a Polybio assertum, Strabo lib. 3. falsum esse docet. In longum protenditur, & ad Mesembriam urbem desinit; inter Thraciam, & Mysiam in mare usque Euxinum percurrens. Unde perperam in Onomastico scribitur, illum Thraciam per medium dividere, cum illam a Mysia separet. A Lucano Thracicus vocatur: *Tunc linquitur Hæmus Thracicus*. Hoc in monte Martis domicilium constituerunt Poëtæ; in cujus radicibus sunt amœna illa loca, quæ a Græcis Tempe appellantur. Quæ circa hunc Montem sita est regio in Notitia Imperii Hæmimontus dicitur. Ejus Metropolis est Hadrianopolis, quæ Oresta Lampridio, Uscudava, seu Uscudama Marcellino, urbs Thraciæ maxima, Hebro flumine divisa, olim Turcarum regia ante captam Constantinopolim. Juxta civilem Imperii dispositionem unicam Hæmimonti Provinciam describit Hierocles.

Provincia Hæmimonti sub Præside. Urbes V.

Adrianopolis.	Plotinopolis.
Anchialus.	Izoides.
Dibertius.	

At vero si Ecclesiasticam ejus dispositionem spectemus, tres Hæmi-Monti Provinciæ recensentur in Notitia Leonis Sapientis.

Provincia Hæmi Monti.

Adrianopolis.	Plotinopolis.	*Apud Bevereg.* * Zoidorum.
Mesembriæ.	*Zoïdum.*	
Sozopolis.		

Provincia eadem.

Marcianopolis.	Noborum.	
Rodostoli.	Zecedoporum.	
Tramarissi.	*Zarcaræ.*	* Sarcaræ.

Provincia eadem.

Trajanopolis.	Anastasiopolis.
Peri.	

Apud alios tamen Leone Sapiente recentiores, unam totius Hæmimonti Metropolim reperio, scilicet Hadrianopolim. Sic Nilus Doxapatrius *in Notitia Patriarchatuum* enumerans Provincias & Metropoles Patriarchatui Constantinopolitano subjectas, *num.* 40. ait: *Hadrianopolis Hæmimonti habens Episcopatus XI.* Ordo Thronorum Metropolitanorum ad calcem Codini *hist. Byzant. num.* 40. vocat Episcopum Adrianopolitanum *Exarchum Hæmimonti*. Quare existimo in Notitiam Leonis Sapientis mendum irrepsisse, nec Hæmimontum in tres Provincias esse discerpendum, sed quæ secundo loco posita est, ad primam pertinere; tertiam vero esse Provinciam Rhodopes. Id cum primis inde conjicio, quod in Notitia Leonis Sapientis desit titulus Provinciæ Rhodopes, cum tamen omnes aliæ Provinciæ propriis characteribus ab aliis secernantur. Tum deinde urbes, quæ in tertia Provincia Hæmimonti extant, præcipue Metropolis, ad Rhodopem, non ad Hæmimontum spectant: ut videre est *in ordine Præsidentiæ Metropolitanorum*, qui est in fronte Notitiæ ejusdem Leonis Sapientis, ubi duæ tantum Metropoles Hæmimonti nominantur, scilicet Adrianopolis primæ, & Martianopolis secundæ Provinciæ: Provincia autem Rhodopes ibidem recensetur *num.* 30. his verbis: *In Provincia Rhodopes Trajanopoleos*. Idipsum habet Nilus Doxapatrius in sua Notitia, *num.* 37. *Trajanopolis Rhodopes habens Episcopatus VII.* Consentit etiam *Ordo Thronorum Metropolitanorum* supra laudatus, *num.* 37. *Trajanopolitanus totius Rhodopis:* nec ullus alius, præter auctorem Notitiæ Leoni Sapienti tributæ, in plures Provincias Hæmimontum dividit, aut Marcianopolim alteram ejus Metropolim facit.

VI. Rhodope igitur quarta est Thraciæ Diœceseos Provincia, ab ejusdem nominis monte sic appellata. Est vero Rhodope mons Thraciæ notissimus, ex quo Hebrus, & Arzus, aliaque

que flumina profluunt, usque ad Euxinum mare extensus, ad Apolloniam urbem desinens. De hoc Ovidius *lib.* 2. *Metamorph.*

Et tandem nivibus Rhodope caritura.
Et Claudianus *de* 4. *Conf. Honorii:*
Flumina laverunt puerum Rhodopeja Martem.

Hujus Provinciæ Metropolim esse Trajanopolim ex nuper relatis Notitiis constat: urbs est ad Hebrum fluvium sita. *Basilius Episcopus Trajanopolis Metropolis Rhodopæ* subscripsit Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. *&* 3. In Notitia tamen Hieroclis Grammatici, quæ non Ecclesiasticam, sed civilem dispositionem continet, Ænus primum locum tenet.

Provincia Rhodopes sub Præside. Urbes VII.

Ænus.	Pirus nunc Rusium.
Maximianopolis.	Nicopolis.
Trajanopolis.	Cereopyrgus.
Marona.	

Anchialum, & Cypsellam omisit, quas tamen inter Metropoles solius nominis hujus Provinciæ, sicuti etiam Ænum, Maronam, & Maximianopolim, repofuit *Ordo Præsidentiæ Metropolitarum* Leonis Sapientis.

VII. Mœsia, quæ & Mysia Ptolemæo & Straboni dicitur, regio Europæ est juxta Danubium, quæ a Pannonia ad Pontum usque protenditur. In ea sunt Dardani, Mœsi, & Triballi. Gemina est, Prima, seu Superior, ubi nunc *Servia*, & Secunda, seu Inferior, quæ nunc *Bulgaria*, inter Hæmum montem, & Danubium fluvium contenta, circa oram maris Euxini & ostia Istri; cui a quibusdam adjungitur Scythia *Besarabia*, vulgo dicta, ultra Danubium ex parte, hoc est, circa oram Maris Euxini. Ejus meminerunt, Strabo, Ptolemæus, Plinius *lib* 4. *cap.* 26. Solinus *cap.* 34. & Virgilius in Georg. 1.

... nullo tamen sic Mœsia cultu.
Jactat, & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Mœsia dumtaxat Secunda, seu Inferior pertinet ad Diœcesim Thraciæ. Abest hæc Provincia ab omnibus, quas videre potui, Notitiis cum Leonis Sapientis, tum Nili Doxapatrii, aliorumque. Hoc unum in Notitia Leonis Sapientis reperitur, quod in Ordine Autocephalorum primo loco statuitur *Provinciæ Mysiæ Autocephalus Odyssi;* juxta editionem Beveregii ex Codice Bodlejano. In altero Codice, quem edidit Schelstrates *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Illustr.* in ordine *Metropolitarum, qui proprii sunt juris, & nullam in subditos exercent*, primo loco ponitur: *In Provincia Mysiæ, Odyssi Archiepiscopus*. Sed cum isthæc Archiepiscopi vel Metropolitæ Autocephali dignitas sit solius honoris absque ulla Metropolitica potestate, adhuc nos latet, quænam fuerit Mœsiæ Metropolis, *Pistus Episcopus Marcinopolis*, cum duobus aliis Nicæno Concilio subscripsit. Hierocles Grammaticus has illius urbes describit.

Provincia Mysiæ sub Præside. Urbes VII.

Marcianopolis.	Novæ.
Odyssus.	Appiaria.
Dorostolus.	Ebrættus.
Nicopolis.	

In Epistola Episcoporum Mœsiæ II. ad Leonem Augustum scripta, quæ extat *par.* 3. Concilii Chalcedonensis Editionis Romanæ Græco-Latinæ, *pagin.* 480. ii Episcopatus numerantur. *Marcianus Abritica Civitatis. Martialis Apiarensis Civitatis. Monophilus Dorostrii. Marcellus Nicopoleos. Petrus Novensis Civitatis. Dicta Civitatis Odyssæ Scythiæ.* Aliam ex Sententia ejusdem Hieroclis ampliorem hujus Provinciæ Notitiam edidit Constantinus Porphyrogenitus *lib.* 2. *de Thematibus, Themate I. Præfectura Mysiæ sub Duce. Urbes XV. Tomis, Dionysopolis, Acræ, Callatis, Ister, Constantiana, Zelpa, Tropæus, Axiopolis, Capidaba, Carpus, Trosmis, Nobiodunus, Agissus, Halmyris.* Sed posterior hæc notitia minus exacta est, cum pleræque urbes hic recensitæ non ad Mœsiam, sed ad Scythiam pertineant.

VIII. Scythia Thraciæ Diœceseos sexta Provincia, non Asiatica, sed Europea est, & Sarmatiæ Europeæ pars. A Tanaidis ripis per Mæotidis, & Ponti Euxini litora, usque ad Istri ostia expanditur. Seu juxta alios, regio est inter ostia Danubii fluvii ad Boream, Pontum Euxinum ad Ortum, Daciam, & Mœsiam inferiorem ad Occasum, & Hæmimontum ad Meridiem. Etiam nunc in illo tractu Scythiæ sunt Tartari Dobruicenses dicti, Turcarum clientes, sicuti etiam Tartari Bajologrodenses ad ostia Danubii. Scythiæ Europeæ Metropolis est Tomos, seu Tomis, ut Ptolemæus, aliique vocant, urbs inter Calatiam ad Meridiem, & Istropolim ad Boream, exilio Ovidii satis nota; ibi etenim Ovidius exulavit in Pontum relegatus, cujus ille non semel meminit: veluti *lib.* 1. *de Ponto Eleg.* 1. *& lib.* 4. *Eleg.* 14. ubi ait:

> *Tam mihi cara Tomos, patria quæ sede fugatis*
> *Tempus ad hoc nobis hospita fida manet.*

Nunc ad Regnum Bulgariæ pertinet, civitas etiamnum munita, cum Portu capaci in ora Ponti Euxini. *Gerontius Episcopus Tomensis Scythiæ* subscriptus legitur Concilio CP. 1. meminit cum laude istius urbis Sozomenus sub Imperio Valentiniani, & Valentis *lib.* 6. *c.* 21. *Scythiæ Provincia*, inquit, *multas urbes, & vicos continet, & castella. Metropolim autem habet Tomos urbem magnam, & opulentam ad mare sitam, in sinistro latere Ponti Euxini.* Deest quoque hæc Provincia in Notitia Leonis Sapientis, uti in ceteris, quæ extant apud Schelstratem, aliosque Auctores, quos videre potui. Nihilominus Episcopum Tomis *Autocephalum Provinciæ Scythiæ* appellat Leo Sapiens in ordine Autocephalorum, Notitiæ præfixq. Urbes hujus Provinciæ apud Hieroclem eædem sunt, quas Constantinus Porphyrogenitus loco supra laudato Mysiæ adscripsit. En ipsas ex Hieroclis Notitia.

Provincia Scythiæ sub Præside. Urbes XV.

Tomis.	Axiopolis.
Dionyssopolis.	Capudava.
Acræ.	Carsus.
Calátes.	Trosmis.
Istrus.	Novio Odunus.
Constantiana.	Ægissus.
Zeldepa.	Almyrus.
Tropæus.	

An-

Antiquissimam fuisse Metropolim Scythiæ urbem Tomitanam, conjicere possumus ex Theodosii Senioris lege, quam commemorat Sozomenus *lib. 7. cap. 9.* qua sancivit Ecclesias tradendas esse iis, qui communicarent cum Catholicis Episcopis, quos inter enumerat Episcopos Tomi, & Marcianopolis: *In urbibus denique Thraciæ, ac Scythiæ eos, qui cum Terentio Tomitano, & Martyrio Marcianopolis communicarent*.

IX. Cum aliquot populi olim celebres fuerint, & etiamnum sint, qui Christo nomen dederunt, quorum alii ad Scythiam Europeam, alii ad Asiaticam, nonnulli etiam ad Daciam veterem pertinebant, non erit injucundum de his pauca disserere. Primi omnium occurrunt Bulgari, quorum nomen Orienti innotescere cœpit sub Anastasio Imperatore anno 499. ut observat Baronius [1] ex Marcellino narrante ab eis tunc fusum, deletumque fuisse Romanorum exercitum in Thracia: rursumque eosdem anno 502. [2] Thraciam deprædatos esse: tum anno 504. [3] in Illyricum transeuntes cum Sirmium expugnassent, Theodoricus Italiæ Rex inde eos repulit, teste Cassiodoro *in Chronico*. Bulgaros primum incoluisse Regiones Mæotidi Paludi conterminas, juxta Cophinum fluvium, Tanai proximum, docent Nicephorus Patriarcha *in Breviario*, & Theophanes *in Chronico*, *pag.* 297. Adjacens Regio ad Ortum *magna Bulgaria* vocabatur, id nominis inde adepta, quod sese circa Volgam fluvium porrigeret. Proximos fuisse Bulgaros populis Patzinacitis, refert Porphyrogenneta *lib. de Administrat. Imperii capp.* 5. 8. & 37. Porro Patzinacitæ eos terræ tractus incolebant, quos *Danapris* & *Danastris* fluvii permeant, quorum alter est, quem *Dnieper* vocant, seu *Borysthenes*. Sed progressu temporis armorum vi, ac fortitudine regnum dilatantes, ad Danubium usque produxerunt. Justino imperante maximis copiis in Thraciam irruentes, cum Constantinopoli jam imminerent, a Belisario repressi sunt, atque ad proprias Sedes redire coacti. Hos Agathias *lib.* 5. & Teophanes *ad annum Incarnationis secundum Alexand.* 551. Hunnos appellat, quos tamen diversos non fuisse a Bulgaris, liquet ex eodem Theophane ad *annum XI.* Constantini Pogonati, ubi & eos *Hunnogundo-Bulgares*, & *Contragos* etiam nominat, & ex Nicephoro *in Breviario pag.* 22. ex quo Theophanes desumpsit, quæ de illis commemorat. Agathias loco laudato *Hunnos Cotriguros* appellat; verum cum de ipsis eadem referat, quæ Theophanes sub Hunnorum, & Sclavorum nomine, dubium non est, quin Hunni isti a Bulgaris alii non fuerint, & diversa ejusmodi nomina eamdem gentem significent: quod accurate adnotavit Ducangius in Familiis Augustis Byzantinis, dum de Dalmaticis Familiis *cap. 6.* loquitur. Hos itaque Bulgaros, Hunnos etiam dictos, anno 559. ad ripam Istri fluminis descendisse, vigente hyeme, partemque exercitus in Græciam, alteram in Chersonesum Thracicam in perniciem Imperii misisse, narrat Agathias: qui & addit, eos, postquam ingentem auri vim a Justiniano Imperatore acceperant, pacificos ex Imperio excessisse.

X. Aliud postea Regnum, quod *Nova Bulgaria dicitur*, sequenti sæculo non sine Imperii Romani detrimento, & clade exortum est; cujus quidem originem hanc aperiunt Theophanes ad ann. Constantini Pogonati IX. & Nicephorus *in Historia pag.* 22. Vetus quippe Bulgariæ Regnum ad Mæotidem paludem, juxta Cophinum fluvium situm erat; sed cum illius Rex sub

(1) Baronius ad ann. 499. num. 12.
(2) Ad an. 502. num. 39.
(3) Ad ann. 504. num. 8.

ſub Conſtante Pogonati Patre vita functus quinque filios reliquiſſet, horum tertius traductis copiis ultra Euxinum Mare venit, & Bajano in poteſtatem redacto, Danubium tranſivit, & ad Barnam, quæ prope Odyſſum, & eminentiora illa mediterranea eſt, caſtra poſuit. Mox Thraciæ Oppida, locaque omnia Bulgari populantur: *Quare Imperator annua penſitatione promiſſa pacem cum iis facere coactus eſt*, inquit Nicephorus, idque cum *dedecore Romani Imperii*, uti obſervant Zonaras, & Cedrenus.

XI. Bulgarorum converſioni initium dedit Telerus Bulgariæ Princeps, quem ex ſacro fonte exeuntem ſuſcepit Leo IV. Imperator, & ſummis honoribus cumulatum valde adamavit, auctore Theophane ad annum ſecundum Alexan. 769. Chriſti vero 777. Serius tamen ejus populi cervicem Chriſtianæ Religioni ſubmiſerunt, nempe anno 871. de quibus hæc tradit Nicetas: *Bulgari providentia Dei, fame urgente, muneribuſque ab Imperatore deliniti, armis poſitis, cœleſtis Baptiſmatis unda ſunt luſtrati:* idipſum refert Symeon Logotheta, qui & ſubdit, Michaëlem Imperatorem Bogori Bulgariæ Principi Baptiſmate tincto nomen ſuum impoſuiſſe, ejuſque Regni fines dilataſſe, conceſſa ei urbe Thraciæ ad fines Myſiæ, & Ponti Euxini ſita, quam *Debellum* vocat, Porphyrogenneta vero *Debeltum*, Ammianus *Dibultum*, Ptolemæus *lib.* 3. *cap.* 11. *Develtum*. Direxit vero Bulgarorum Rex Michaël Romam Legatos ad Nicolaum I. Summum Pontificem, ab eo poſtulans, *quid*[1] *ſe facere ſalubrius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum adhuc Baptiſmo carentem populum, ut fidei Sacramenta perciperet, agi deberet;* teſte Anaſtaſio tum Romæ verſante; qui & addit, miſſos in Bulgariam a Nicolao Pontifice Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem magnæ Sanctitatis Epiſcopos, a quibus gentem illam prædicatione & exemplis ad Chriſti fidem converſam, affirmant Anaſtaſius ipſe, & Annalium Scriptores Bertinianus, & Fuldenſis *ad ann.* 866. Naſcentem Bulgariæ Eccleſiam Nicolaus I. fovit auxitque, tum ibi Epiſcopis conſtitutis, tum ſaluberrimis decretis, quæ videri poſſunt *in Reſponſis ejus ad Conſulta Bulgarorum*. Ex his inter cetera illud conſtat, Michaëlem Bulgarorum Regem petiiſſe, an Patriarcham ſibi ſuum creare fas eſſet? Reſpondiſſe verò Pontificem, ordinandos primum illis Epiſcopos, quibus præficiendus deinde erat, ſi minus Patriarcha, certe Archiepiſcopus, & quidem ab Apoſtolica Sede inſtituendus. Et reipſa illis Archiepiſcopum præfecit Acridæ, ſeu primæ Juſtinianæ Antiſtitem, quem & ſpecioſo Patriarchæ titulo honeſtavit. Jam enim Juſtinianus Imperator in hanc urbem patriam ſuam congeſſerat quanta maxima potuerat auctoritatis ornamenta, præ ceteris vero ab Apoſtolica Sede ipſi impetraverat Primatus honorem. Iſtius ergo urbis Epiſcopum Primatem, & Patriarcham Bulgarorum inſtituit Nicolaus I. quod & poſtea confirmavit Innocentius III. cum Acridæ Sedem Trinoviam tranſtulit, Valachiæ, ſive ut tunc appellabatur, Blachiæ civitatem, ut conſtat ex ejus *Regeſt.* 16. *epiſt.* 105. quod refert Rainaldus *ad ann.* 1204. *n.* 37. *&* 38. Ejus tranſlationis cauſam diſcimus ex Nicephoro Gregora *lib.* 2. referente, Bulgaros a Baſilio Imperatore Macedoniæ finibus, & Acrida pulſos, in Myſiam ad oram Danubii confugiſſe, ibique Trinoviam, ſeu Ternobum Metropolim ſibi conſtituiſſe. Eam porro a Metropolitico jure Acridæ, ſeu primæ Juſtinianæ abſolvi tunc curaverunt, cum Theodorus Laſcaris, Imperatoris Græci filius, Bulgarorum Re-

(1) Anaſtaſius apud Baronium ad ann. 866.

Regis filiam uxorem duxit: *Tunc*, inquit Nicephorus, *Ternobi Episcopus libertatem perpetuam impetrat, cum ad id usque tempus primæ Justinianæ Archiepiscopo, propter veterem illius gentis cognationem paruisset*.

XII. Quæ hactenus de Bulgarorum conversione, & Ecclesiis diximus, de Nova Bulgaria sunt intelligenda, quæ sita est inter Danubium fluvium, Serviam, Thraciam, & Pontum Euxinum, cujus primaria urbs est Sophia Sedes Præfecti, & civilis totius Regni Metropolis: Ecclesiastica vero, ut adnotavimus, est Thrinavia, seu Ternobium. Quod vero ad Bulgariam Veterem spectat, pars est Imperii Moschorum, quæ aliter dicitur Regio, *seu Horda Zavolhanorum*, juxta Volgam flumen, atque ad antiquam Sarmatiam pertinet. Quare sub Moschovia eam comprehendemus. Est autem Moschovia una ex præcipuis Europæ regionibus versus Septemtrionem, & amplissima, ubi alias maxima pars Sarmatiæ Europeæ, cum aliquâ parte Asiaticæ. Nunc etiam Russia alba & magna dicitur. A Septemtrione terminatur mari gelu concreto, ab Ortu dividitur a Tartaria magna, Pisida, Obio, & Jaico fluviis, a Meridie Tanai minore, Desna, & Psola, a quibus separatur a Tartaria Minori, & ab Occasu Borysthene, & Nerva fluminibus, quibus a Poloniæ Regno secernitur. Totius regionis primaria urbs est Moscua, seu Moscha, a qua nomen habet, non autem a Moscis populis ultra Mare Euxinum, Colchis finitimis, ut aliqui volunt. Quadraginta circiter Provinciis constat, quæ plerumque a præcipuis urbibus denominantur. In iis regionibus Russi rerum potiti sunt a Roxolanis, forte deflexo paululum nomine, oriundi; atque eorum Principes ad Varagos originem referunt, gentem transmarinam, ut ipsorum Annales testantur, qui Imperii Sedem primo Novogardiæ, deinde Kioviæ, postremo Volodimiriæ habuerunt, antequam Moscham transferretur. De his populis mentionem facit Lucanus lib. 3.

Heniochi, sævisque affinis Sarmata Moschis.

Horum quoque meminit Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti, ubi ait:

Sauromatam taceo, ac Moschum, solitosque cruentum
Lac potare Getas....

Christianam fidem amplexi sunt Russi, seu Moschi anno circiter 867. ut tradit Baronius, vel potius 861. ut refert Franciscus Pagius ex Porphyrogenneto, & quidem hac occasione: cum enim totam Euxini Ponti maritimam regionem deprædati essent, divinam in se ultionem experti, domum redeuntes Constantinopolim miserunt Legationem, qua petierunt Sacerdotes mitti, qui eos baptizarent, fidemque Christianam edocerent; quod & factum esse Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alii testantur. Russi alteri a prioribus diversi, & ipsi Tauro-Scythiam incolentes Christi fidem amplexi Archiepiscopum a S. Ignatio Patriarcha CP. receperunt, ut narrat idem Pagius *ad ann. 876. num. 19.* sed ad Idololatriam eos paulo post rediisse ex eo constat, quod sequenti seculo eorum Regina Helena Constantinopoli baptizata, diutius, licet parvo fructu illorum conversionem procuraverit; & S. Adalbertus eo ab Apostolica Sede missus, a Gentilibus expulsus fuerit, teste Ditmaro *lib. 2. p. 20.* Tandem omnes prædicatione, miraculis, & Martyrio Sancti Bonifacii ab Idolorum cultu, ad Christi fidem translati sunt, decimo seculo jam labente. Erat is Bonifacius Ottonis III. Imperatoris consanguineus, vir liberalibus artibus apprime instructus, cumque Romæ in Ecclesia S. Boni-

nifa-

nifacii Martyris oraret, Martyrii desiderio accensus, relicto seculo, Sanctum Romualdum sequens, vitam Monasticam amplexus est, quo aptior fieret ad Apostolicum munus obeundum. Accepta igitur a summo Pontifice Gregorio V. prædicandi Gentibus Evangelium facultate, consecratusque Archiepiscopus in Russiam venit, ubi cum prædicationi insisteret, proposita sibi probatione ignis a Rege, Pontificalibus ornamentis indutus per medias accensi rogi flammas omnino illæsus transiit: quo miraculo Rex, & ingens populi multitudo perculsa Christianam Fidem, ac Baptismum suscepit. Sed quod aliis vitam animæ, Bonifacio mortem corporis attulit, a pessimo siquidem Regis fratre necatus sanguine fidem, quam enunciaverat, confirmavit, ingenti insuper miraculo interfectoribus suis salutem animæ, a qua tantopere abhorruerant impertiens, uti in vita S. Romualdi narrat S. Petrus Damiani.

XIII. Dubium excitat Ludovicus Thomassinus, *de Vet. & Nov. Eccles. Discip. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 25. §. 4. an vere Constantinopolitani Præsules primi fuerint in Russia Fidei Christianæ sators, & parentes: quippe in Concilio Antiocheno sub Joviano Imperatore legitur & subscriptio Antipatri Episcopi Rossorum, sive Rhos, quo antiquo illi nomine utebantur, quod in Scripturis Sacris non semel occurrit. At dubium illud minime extricat, sed solum asserit, sub Joviniano Imperatore nec dum Ecclesiam Constantinopolitanam ea fecisse incrementa virium, & potestatis, quæ longinquis gentibus sub jugum fidei mittendis videntur esse necessaria. Ab eo tamen satius abstinere poterat vir doctissimus, si animadvertisset, Rhosum, quæ & Rhosium Polyæno, & Rhosos, seu Rhossos Plinio, & Ptolemæo dicitur, urbem esse Syriæ in ora maris Syriaci, & Sinus Issici, & in Pieria, tractu fere 50. mill. pass. a limite Ciliciæ in Meridiem Antiochiam versus: unde & Rhosi montes Plinio, qui Promontorium Syriæ ad Sinum Issicum, super quo Seleucia urbs Pieriæ constructa est, terminant. Itaque Episcopus ille, qui Concilio Antiocheno sub Joviano interfuit, non Russorum Moschoviæ, sed Rossorum, seu Rhosi urbis Syriæ Antistes fuit. Quare origo primæ conversionis Russorum, seu Moschorum recentior est, ad exitum quippe vergente seculo IX. a Græcis fidem, sacramque disciplinam illi hauserunt, Basilio imperante; & licet postea Sanctus Bonifacius Camaldulensis Monachus, aliique ex Latinis in illis regionibus Apostolico munere functi fuerint, & plurimos illius nationis homines ad Christi fidem perduxerint; tamen consentit omnino fides, & Ecclesia eorum cum Græca, eodem & ipsa Schismate a Romana divisa, iisdemque erroribus implicata. Patriarcham, seu Primatem habent Moschi, cui obnoxii sunt duo Metropolitani, Rostoviensis, & Novogardensis, præter Archiepiscopos quosdam alios, & Episcopos, ut refert Possevinus *in Moschovia*. At Olearius recentior Possevino huic Patriarchæ subjicit quatuor Metropolitanos, septem Archiepiscopos, Episcopum dumtaxat unum. Ceterum Vir Clarissimus P. Magn. F. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson in Indice Geographico, quem ad calcem Indicis Generalis suæ Historiæ Ecclesiasticæ edidit, anno 1722. Hos Archiepiscopatus, & Episcopatus in Moschovia, & Russia recenset: *In Moschovia, itemque in Russia Alba, Episcopi e cœtu Monachorum Ordinis Sancti Basilii ut plurimum eliguntur, solentque undecim Episcopi in universo Moschi Imperio numerari, quorum Metropolita in urbe Moscau Sedem habebat. Duo etiam in Moschovia sunt Archiepiscopatus, nimirum Restoviensis, & Novogar-*

gardiæ Magnæ. *Extant vero Episcopatus in Civitatibus Cortinæ*, *Resaniæ*, *Columnæ*, *Casani*, *Vologdæ*, *Tueriæ*, *Smolesski*, *&* *Susdaliæ*. Olim Moschorum Patriarcha Constantinopolitano parebat; sed nunc jam ab aliquot seculis ab ipso Magno Duce Moschorum eligitur, nec confirmari se expectat a Patriarcha C. P. cujus jam diu se subtraxit imperio. Tentata aliquando fuit concordia Ecclesiæ Russorum cum Romana, sed sine effectu, ut videre est apud Thomassinum laudatum §. 7. nunc tamen haud levis affulget spes, quin sub eorum Imperatrice Catharina feliciter regnante, tota Russia Alba, seu Moschovia in unitatem se aliquando Catholicam recipiat, in eaque perseveret. Quod sane de Russia Nigra gratulati sumus, quæ sub Clemente VIII. Romanæ se fidei, & communioni restituit. Hæc Provincia est Regni Poloniæ versus Austrum, inter Poloniam Superiorem ad Occasum, & Volhiniam ac Podoliam ad Ortum. A Septemtrione habet Polesiam, & a Meridie separatur Carpatho monte sub Hungaria Superiori, & Transylvania. Ejus primaria urbs est Leopolis: aliæ sunt Belza, Chelma, Premistia, Jaroslavia, & Zamoscia. Novus Moscorum non modo, sed & finitimarum gentium Apostolus merito censendus est Sanctus Hyacinthus, primum Cracoviensis Canonicus, deinde Ordinis Prædicatorum illustre decus: vir plane Apostolicus, qui varias dissitasque regiones Evangelica prædicatione peragravit, & innumeros prope Infideles ad Ecclesiam perduxit. Doctrina, sanctitate, ac miraculis excelluit; inter quæ illud clarissimum memoratur, quod Vandalum flumen Villogradum Massoviæ urbem redundantibus aquis præterfluens, siccis vestigiis, expanso super aquas pallio, una cum sociis trajecerit.



178



LIBER TERTIUS

Quas Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis Notitia Imperii sub Constantino Magno edita adscribit Diœceses, liber tertius complectitur. Eæ vero sunt, Macedonia, & Dacia. Is adjecimus etiam Diœcesim Illyrici Occidentalis, tametsi hæc Præfecto Prætorio Italiæ fuerit concredita, ut simul universum Illyricum perlustremus.

CAPUT I.

Synopsis.

I. Illyricum Europæ pars, ejusque limites dispositi. Ob interfectos R. Reip. Legatos bellum cum Illyricis initum.

II. Ante Constantini Imperium Illyricum indivisum fuit. Opinio D. Petri de Marca exploditur de divisione Imperii a Diocletiano facta. Primus omnium Constantinus in tres partes Imperium distraxit; sed postea iterum uni Constantio cessit. Valentinianus deinde, Occidente sibi retento, Orientem Valenti fratri impertiit.

III. Illyrici divisio in Orientale, & Occidentale a Petro de Marca tribuitur Arcadio; sed melius tribuenda videtur Theodosio, aut potius Gratiano: usque ad num. VII.

VII. Quindecim Illyrici Provincias enumerat Zosimus, rectius septemdecim Rufus. Secto Illyrico, ex his Provinciis tres Diœceses compositæ sunt; Dacia, Illyricum Occidentale, & Macedonia, seu Illyricum Orientale. Illyricum Occidentale sex Provincias; Orientale undecim complectebatur: illud Præfecto Italiæ, istud Præfecto Illyrici Orientalis subest. Istius Thessalonica, illius Sirmium Metropolis, donec a Justiniano Acridam translata fuit.

I. Illyrium, sive Illyricum regio Europæ satis ampla, secundum dextrum Maris Adriatici latus extensa, a ceteris partibus Istria, Mysia Superiori, & Macedoniæ parte, quæ Adriatico mari incumbit, terminata: Italia ac Liburnia ad Occasum, & Dalmatia ad Ortum divisa est. Quamquam Illyricum in Notitia Imperii exhibitum, atque ut a nobis hoc loci accipitur latius pateat, ac septemdecim Provincias complectatur. Ob interfectos Romanæ Reipublicæ Legatos

 cum

cum Illyricis bellum a Romanis initum est; ac tertio post anno confectum: de quo Orosius hæc scripsit: *Sequenti* (1) *anno Legati Romanorum ab Illyriis interfecti sunt: post cum ipsis Illyriis atrocissimum bellum gestum est, in quo multis oppidis, populisque deletis, reliqui se Fulvio Posthumioque Consulibus dediderunt*. Causam huic bello præbuit Teuta Illyriorum Regina, quæ ab Agrone Rege ejus conjuge Regni heres relicta, suos piraticam facere, prædisque, ac latrociniis Italiam vexare permisit. Quare Romani Italorum querelis permoti, Cajum, & Lucium Coruncanos questum ad eam miserunt: e quibus Lucium, quod liberius locutus esset occidi curavit. Ea nece violari jus Gentium, Nobilissimæ ac potentissimæ Reipublicæ gravissimam irrogari injuriam Romani animadvertentes, bellum contra Illyrios terrâ, marique susceperunt: atque ab ipsis multa in Illyrico oppida capta sunt. Tum finis bello impositus Teuta pacem a Romanis impetrante, interposita tamen tributi pactione, quod ipsis quotannis Illyricum persolveret. Hæc referunt Polybius *lib.* 2. & Plinius *lib.* 34. *cap.* 6. & L. Florus (1) lib. 2. c. 5. *Illyrii*, inquit, *seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam, Titiumque flumen, longissime per totum Adriatici maris litus effusi. Hi regnante Teuta muliere populationibus non contenti licentiæ scelus addiderunt. Legatos quippe nostros, ob ea, quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem, sed victimas, securi percutiunt, Præfectos navium igne comburunt: idque, quo indignius foret, Mulier imperabat. Itaq. Cn. Fulvio Centimalo Duce late domantur. Strictæ in principum colla secures legatorum manibus litavere*. Liburnos vocat Florus Illyrios, cum tamen Illyrici essent populi, non tota Illyriorum gens. Hos tamen satius distinxit Virgilius *Æneid. lib.* 1.

> *Antenor potuit mediis elapsus Achivis*
> *Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus*
> *Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi*.

Postmodum vero occasione Belli Macedonici Illyricum subactum est, atque in formam Provinciæ redactum; quod deinceps constabit, cum singulas ejus Provincias perlustrabimus. Interea necesse est originem divisionis Illyrici in Orientale & Occidentale perverstigare.

II. Ante Constantini ætatem sicuti Imperium, ita & Illyricum indivisum fuit; tametsi ejus administratio varie sub Ethnicis Imperatoribus composita fuerit, laxatis ipsorum arbitrio, vel restrictis Provinciarum finibus; donec Constantini Magni Decreto quatuor illæ Præfecturæ sunt institutæ, quarum supra mentionem habuimus. Existimat quidem D. Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 4. *n.* 4. divisionem Imperii primum tentatam a Diocletiano, quando sibi & Galerio Maximiano retinuit Orientem, Nicomediâ sui Principatus Sede adlecta. Occidentem vero in duas partes distraxit, datis Constantio Chloro Constantini patri Illyrico, Italia, & Africa: concessis Maximiano Herculeo Galliis, Britannia, & Hispaniis. De qua Imperii divisione Eutropius *lib.* 10. Sectumque deinceps mansit Imperium usque ad Licinii necem, quo sublato, integrum uni Constantino cessit, stetitque ad ejus usque obitum. Verum non ita facile admiserim a Diocletiano divisum fuisse Imperium; ascivit quidem ille consortes regiminis Constantium Chlorum, & Maximianum Herculeum, sicuti & antea nonnulli alii Imperatores idipsum præstiterant, sociis Prin-ci-

(1) Orosius lib. 4. cap. 11.

(1) L. Florus l. 2. cap. 5.

cipatus adlectis; at ea proprie non fuit sectio Imperii, sed plures simul unum idemque Imperium gubernabant, ut idem Eutropius, aliique Scriptores notant. Nec Socrates, quem D. Archiepiscopus Parisiensis citat in margine *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6. quidpiam hujusmodi docuit. Primus omnium, qui Imperium Romanum in partes diffiderit, fuit Constantinus Magnus, dum tres Filios, Constantinum, Constantium, & Constantem Imperii heredes scripsit. Qua de re Aurelius Victor in Epitome hæc habet: (1) *Constantino vita defuncto ad tres Orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, & Constantium, ac Constantem filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt: Constantinus Junior cuncta trans Alpes: Constantius a freto Propontidis Asiam usque Orientem: Constans Illyricum, Italiamque, & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achajam.* In eo tamen corrigendus est Aurelius Victor, quod quartum Augustum addiderit, scilicet Hannibalianum, cui Armenia, & circumjacentes sociæ nationes attributæ fuerint: nemo quippe inter Imperatores illum reposuit; præsertim Zosimus Comes illius ætatis Scriptor, qui & ipse hanc historiam adornavit: *Constantinus* (2) *quidem natu maximus, cum minimo natu Constante omnia trans Alpes sita, & Italiam, & Illyricum sortitus est: præterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginem pertinet; Constantio datum est quidquid est in Asia, & Oriente, & Ægypto. Erant & Imperii quodammodo participes, Dalmatius a Constantino Cæsar dictus, & Constantius Constantini frater, & Hannibalianus, qui purpurea, & aureis ornata limbis veste utebantur: dignitatem nobilissimatus, ut vocant, ab ipso Constantino propter cognationis reverentiam consequuti.* Quo loco Zosimus Hannibalianum nominat inter ceteros Imperii quodammodo participes, non tamen Augustos, Imperatoresve, quales erant tres Constantini filii: quorum etiam meminerunt Fasti Idatiani, Feliciano & Titiano Consulibus: *Ipso Anno* (quo scilicet mortuus est Constantinus) *nuncupati sunt tres Augusti Constantinus, & Constantius, & Constans V. Idus Septembris.* Prima igitur isthæc fuit Romani Imperii partitio, quæ cesserunt Constantino Juniori Diœceses Hispaniæ, Galliarum, & Britanniæ: Constanti Diœceses Italiæ, Africæ, Illyrici, & Thraciæ: Constantio autem Diœceses Ponti, Asiæ, Orientis, & Ægypti.

Haud diu stetit hæc Imperii divisio; Constantino quippe post triennium, & Constante non multo post interemtis, pristinam repetiit amplitudinem, solidumque ad unum Constantium fratribus superstitem transivit; ab hoc ad Julianum Apostatam, mox ad Jovinianum optimum Principem, sed orbi vix ostensum, quam datum, transmeavit. At Valentinianus Senior, Joviniani successor, sive propriis viribus diffisus, quod solus totius Imperii molem sustinere non posset; sive quod ipsi fratris caritas antiquior esset, quam Reipublicæ cura, Valentem fratrem effusa liberalitate consortem Imperii assumpsit, Asiæ, & Ægypti dominatum ei largitus, Europa suæ ditioni reservata: ut ait Theodoretus *lib.* 4. *Histor. Eccles. cap.* 5. Factam jam pridem a Constantino Magno inter Filios Imperii distributionem, Valentinianus Senior imitatus est, nempe Occidentem sibi retinuit, Orientem vero in Valentem fratrem transtulit. Quod accurate Sozomenus observavit: *Valenti*, (3) inquit, *tribuit Provincias, quæ*

(1) Aurelius Victor in Epitome.
(2) Zosimus lib. 2.

(3) Sozomenus lib. 2.

quæ ad Orientem sitæ sunt. Eas vero quæ ab Illyrico usque ad Oceanum Occidentalem, & eam quæ est ex adverso continentem usque ad extrema Africæ, sub sua potestate constituit. Anteiverat Sozomeno Zosimus Auctor Gentilis eamdem historiam texens: (1) *Visum est Valentiniano, diviso cum fratre Imperio, curæ quidem illius Orientem ad Ægyptum usque, Bithyniamque, ac Thraciam permittere; se vero sortitum Illyricas urbes in Italiam transire, atque urbes in ea sitas, una cum Transalpinis Nationibus, & Hispania, & Insula Britannia totaque Africa juri suo reservare.* Ex hoc Zosimi testimonio discimus, Valentinianum in hac Imperii partitione octo omnino Diœceses sibi retinuisse, Macedoniæ nimirum, Daciæ, Italiæ, Illyrici, Africæ, Hispaniæ, Galliarum, & Britanniæ. Valenti autem fratri quinque Diœceses concessisse, Orientis scilicet, Ægypti, Asiæ, Ponti, & Thraciæ. Valentiniano seniore e vivis erepto Gratianus ejus successor (2) *Theodosium Theodosii filium in consortium assumit Imperii, eique Regnum tradit Orientis:* inquit Eusebius; & licet post Gratiani, & Valentiniani necem, illius a Maximo, hujus ab Arbogaste procuratam; postque Eugenium tyrannum devictum, atque interemtum, uni Theodosio utrumque Imperium Orientis, ac Occidentis pareret; idem tamen ipse morti proximus iterum illud in duos filios distribuit, Honorio Occidentem, Arcadio Orientem dispertiens.

In hac porro Romani Orbis partitione a Constantino primum, ac deinceps ad Theodosium usque facta, solidum Illyricum semper Imperio Occidentis adnexum fuit. Quæ postmodum contigit Illyrici divisio in Orientale, & Occidentale, non omnino constat, quemnam illa primum habuerit auctorem, Theodosium ne, an Arcadium ejus filium? D. Petrus de Marca dubius hæret, num Theodosio Seniori, an Arcadio ejus filio tribuenda sit Illyrici divisio: (3) *Illyrici sectio in duas partes, quas Notitia Imperii exhibet, inducta est ex Theodosii arbitrio, aut ex Arcadii usurpatione. Variant enim in hoc capite veteres Historici.* Nihilominus propendet magis in eam Sententiam, quæ Arcadii opera id factum asserit; quam his rationibus munit. Primum quia Zosimus *lib. 4. Histor.* docet, Theodosium Orientis, & Thraciæ rebus, non autem Illyrici a Gratiano præfectum: Inde est, quod Probus Valentiniani II. beneficio Præfectura Italiæ, Africæ, & omnis Illyrici potiebatur ann. 383. ut colligitur ex *l. 1. Cod. Theodos. Si per obrep. fuer. impetr.* Deinde Valentinianus II. sibi metuens a Maximi copiis, qui contra fœderis leges Italiam invasurus erat, ex Aquileja Thessalonicam aufugit, ibique Sedem fixit: quod retulit Socrates ad consilium Probi: (4) *Confestim,* inquit, *ex Italia digressus venit in Illyricum, & in urbe Macedoniæ Thessalonica Sedem fixit.* Tum paulo post Theodosius devicto Maximo, rebusque compositis, Valentinianum II. integro Occidentis Imperio præfecit; relictis illi Provinciarum iis tractibus, quos Pater illius Valentinianus Senior possederat, idest, Gallia, Britannia, Hispania, Africa, & solido Illyrico usque ad Thraciam. Tandem Valentiniano II. per summum Arbogastis scelus Viennæ intra Gallias strangulato ann. 392. Theodosius iterum ultor Regii sanguinis in Occidentem penetravit, sublatoque Eugenio Tyranno, ipse quoque Mediolani obiit, collato Occidentis in Honorium filium Imperio, & in Arcadium Orientis, anno 395. Tunc Illyrici sectio in duas par-

(1) Zosimus lib. 4.
(2) Eusebius in Chronico.

(3) Petrus de Marca dissert. de Primat. Lugdun. num. 33.
(4) Socrates lib. 5. cap. 11.

partes inducta est. Post pauca, cum Illustrissimus Præsul dixisset, incertum esse, num id Theodosii arbitrio, an Arcadii usurpatione contigerit, ob varias de hac re veterum sententias; ipse posteriorem de invecta ab Arcadio Illyrici divisione complectitur, Zosimi, ut ait, auctoritate fretus, cujus hæc sunt verba: (1) *Thedodosius Imperator gentes Italiæ adjunctas, Hispanos, Gallos, atque omnem Africam, Honorio filio tradidit*. Illyrici Præfecturam omisit, quia transcripta erat in Arcadium.

At ego minime video, undenam ex Zosimi verbis colligi possit, ab Arcadio primum factam fuisse Illyrici sectionem; quin potius consequens foret, solidum Illyricum Theodosii testamento transcriptum fuisse in Arcadium, ac proinde nullam Illyrici portionem Honorio relictam; quod tamen nec ipse Petrus de Marca, nec ullus alter dixit: quinimmo omne Illyricum Occidentale, uti & reliquas Occidentalis Imperii Provincias Honorio paruisse fatentur: & explorata res est ex conditionibus pacis, quas Alaricus Rex Gothorum Honorio proposuit, quas inter ea fuit, ut Noricum, & Dalmatiam Illyrici Occidentalis Provincias Gothi incolerent: qua de re Zosimus Comes *lib. 5. Histor.* & Sozomenus *lib. 9. cap. 7. & seq.* Igitur Illyrici pars ad Occidentale Honorii Imperium pertinebat: quod Zosimus in eodem loco, quem Vir Clarissimus laudat, non obscure indicavit, cum dixit: *Gentes Italiæ adjunctas* Honorio traditas esse a Theodosio patre. Illyricum quippe Occidentale, postquam ab Orientali sectum fuit, Italiæ adjunctum ejus Præfecto suberat. Quare verisimilius puto cum doctissimis viris Valesio *in Notis ad Socratem lib. 5. cap. 2.* atque ad Theodoreti *lib. 5. cap. 8. & 9.* & Pagio *in Critica Baronii ad ann.* 380. *n. 6. 7. & 8.* Illyrici sectionem initio Principatus Theodosii Senioris Gratiani consensu inductam. Nam Theodosius, secundo Imperii sui anno, Thessalonicæ baptizatus est ab Acholio ejus urbis Antistite, ut docet Socrates *lib. 5. cap. 6.* quæ civitas Illyrici Metropolis vocatur a Theodoreto *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 16.* Nec ulla suberat causa, cur Baronius *ad ann.* 380. *num.* 1. Socratem hac parte erroris argueret, & Thessalonicam non Illyrici, sed Macedoniæ urbem diceret. Enimvero Macedonia Illyrici Orientalis Provincia fuit, ut perinde sit Thessalonicam in Illyrico, ac in Macedonia sitam esse. Sicuti Arelate Galliæ civitatem dicimus, quia in una ex Galliæ Provinciis posita est. Erat ergo Thessalonica tunc temporis Illyrici Orientalis, in Imperium Orientis nuper translati, caput, quando ea in urbe Theodosius ab Acholio Episcopo Baptismate tinctus fuit. Ibi exordio Imperii sui nonnumquam commorari voluit, uti testantur *l. 2. de Fide Catholica: lex 25. de Episcopis, & Clericis;* aliæque anno 1. & 2. Thessalonicæ datæ, & in Codicem Theodosianum relatæ, quas profecto optimus Princeps in urbe alterius ditioni subjecta ferre ausus non fuisset.

Præter rationem modo allatam, idipsum confirmari potest ex eo, quod Theodosius postea quam a Gratiano Sirmii Augustus renuntiatus est, Thessalonicam profectus, illic diu sedit, & legationes civitatum Orientis excepit. Certe *lex 17. Cod. Theod. de Cohortalib.* demonstrat, Illyricum Orientale tunc Theodosio fuisse subjectum. Lata fuit lex illa ann. 389. *Timasio, & Promoto Css.* eaque mandat, *ut aurum ad officium Inlustris per Illyricum Præfecturæ cum certa taxatione perferatur*, seu ad officium Præfecti Prætorio Illyrici. Ubi Pagius adnotat, (1) *adjutum tunc Illyricum auro Orientis, ad cu-*

(1) Zosimus lib. 4.

(1) Pagius ad ann. 380. num. 8.

cujus ad Prætorii Præfectum ea lex directa, conficiendis forte reliquiis Barbarorum, qui in Macedonum, Thessalorumque fortunas grassati fuerant, absente Theodosio in Occidente adversus Maximum Tyrannum. De qua grassatione, & victoria Theodosii de illis relata legendus Zosimus *lib.* 4. *pag.* 770. 771. Macedonia igitur, & Thessalia tunc subjectæ erant Theodosio, ut ex Zosimo ibidem deducitur. Anno itidem sequenti, scilicet 390. jussu Theodosii magna hominum cædes Thessalonicæ facta est; cum enim ea in urbe ingens seditio orta esset, populusque Bothericum Illyricanorum militum Præfectum necasset, Theodosius injuria commotus, plurimorum civium, etiam innocentium clade, id facinus ultus est. Quam ob stragem D. Ambrosius Theodosium Ecclesiæ adita prohibuit, donec injunctam pœnitentiam impleret. Ut quid vero Theodosius tantam cladem Thessalonicæ intulisset ob interemtum militum Præfectum, nisi urbs illa suæ ditionis fuisset, ad quam idcirco Ducem cum militibus miserat? Siquidem tunc Valentinianus Junior adhuc superstes erat, nec intra ipsius Imperii limites Theodosius præsumsisset militum cohortes ducere, urbemque alieni juris tanta civium strage vastare.

III. Divisio itaque Illyrici in Occidentale, & Orientale, non Theodosio morienti, nec Arcadio ejus filio illam Imperii partem sibi usurpanti, sed Gratiano tribuenda videtur, quando scilicet Theodosium in consortium Principatus ascivit, in quem una cum Oriente illam Illyrici partem, quæ Orientalis dicta est, initio transtulit. Neque in hac re discordes reperio veteres Historicos: Zosimus quippe *lib.*4. *pag.* 770. & 771. non obscure insinuat, Thessalonicam, & Thessaliam Theodosio obtemperasse, quando Is adversus Maximum decertavit, ipsumque devicit. Nullam vero in divisione Imperii de Illyrico mentionem facit, quia ejus tantum partem Gratianus Theodosio concessit. Contra autem Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 5. commissum Theodosio Illyricum, & Orientem affirmat: *Cum Illyricum*, inquit, *& Orientis partes Theodosio tradidisset*, nempe Gratianus. Unde perperam D. Petrus de Marca Sozomenum hallucinationis redarguit; male itidem Theodoretum reprehendit, quod *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 15. scripserit: Valentinianum II. ut caput suum tueretur ab insidiis Maximi Tyranni, qui contra fœderis leges Italiam cum copiis ingressus erat, *relictis Imperii sui partibus*, in ditionem Theodosii se recepisse; venit enim Thessalonicam cum Justina matre, ut testes sunt etiam Zosimus, & Socrates *lib.* 5. *cap.* 11. quæ civitas cum ad Theodosii Regnum pertineret, merito Theodoretus dixit, Valentinianum in ditionem Theodosii confugisse. Socrates autem, eumdem *ex Italia digressum, venisse in Illyricum, & in urbe Macedoniæ Thessalonica Sedem fixisse*; consensu nimirum Theodosii substitisse Thessalonicæ, quo usque a Maximi fraudibus tutus esset.

His porro non obstat *lex unica Cod. Theodos. Si per obreptionem fuerint impetrata*, a Valentiniano II. sancita, in qua Probo Præfecto Prætorio jubet, ut eam observari curet *per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum*: quandoquidem Valentinianus intelligendus est de omni eo Illyrico, quod Probo subditum erat, non autem de illa Illyrici parte, quæ ante annos quinque a Gratiano concessa fuerat Theodosio, ut eæ leges probant, quas hic initio sui Principatus Thessalonicæ sancivit. Scio Gothofredum in Commentar. *Legis* 2. *Cod. Theodos. de Constit. Principum*, in ea fuisse opinione, ut crederet Illyricum non cessisse Theodosio Seniori, nisi post

post Valentiniani II. necem Arbogastis scelere patratam, quæ accidit anno 392. atque ab hoc tempore dumtaxat Illyricum in Orientale, & Occidentale sectum. Verum hinc colligi tantum potest, tunc totum Illyricum, una cum Imperio Occidentis, sub Theodosii potestatem demigrasse, cui prius pars solum Illyrici adjacens Orienti tributa fuerat. Quod & agnovit Gothofredus ipse in Commentar. *Legis 8. Cod. Theodos. de Metallis*; ubi priorem sententiam suam emendans, adnotat, Illyricum ascito a Gratiano in consortium Imperii Theodosio, abiisse in Orientale, & Occidentale.

VI. At enim post annos 58. Illyricum ad pristinam formam rediit occasione nuptiarum, quas Valentinianus III. Imperator iniit cum Eudoxia Theodosii Junioris Augusti filia. Tunc enim Valentinianus Illyricum totum concessit Theodosio ann. 437. ut auctor est Jornandes: (1) *Valentinianus Imperator*, inquit, *a Roma Constantinopolim ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosii Principis filiam venit, dataque pro munere Socero suo tota Illyrica, celebratis nuptiis ad sua Regna cum Uxore recessit*. Quod pariter refert Cassiodorus *lib. 11. Epist. 1.* ubi de Valentiniano prodit: (2) *Nurum sibi amissione Illyrici comparavit, factaque est conjunctio regnantis divisio dolenda Provinciis*: quia nimirum pars Illyrici ab Occidentis Imperio divulsa, in Orientis Imperium transiit.

VII. Quæ hactenus dicta sunt palam evincunt, ante Imperii Theodosiani primordia, integrum Illyricum ad Occidentem pertinuisse, Præfecto Prætorio Illyrici subjectum. Quindecim dumtaxat ejus Provincias enumerat Zosimus, (3) nempe, *Pannonias, utramque Noricum, Dalmatiam, Dacias, Mœsiam, Dardaniam, Macedoniam, Achajam, Thessaliam, utramque Epirum, & Cretam*. At vero Sextus Rufus in Breviario septemdecim Provincias recenset: *Habet* (4) *Illyricum*, inquit, *decem & septem Provincias, Noricorum scilicet duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas: & in Diœcesi Macedoniæ Provinciæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, Creta*. Exactior tamen est Provinciarum, ac Diœceseon Illyrici descriptio, quam vetus Imperii notitia exhibet, quæ Illyricum Occidentale ab Orientali disterminat, & ab utroque Daciam sejungit, adeout ex Septemdecim Provinciis a Sexto Rufo enumeratis, tres Diœceses componat, nimirum Daciæ, Illyrici Occidentalis, & Macedoniæ, quæ & Illyricum Orientale appellatur. Daciana Diœcesis quinque Provinciis constabat, Dacia Mediterranea, Dacia Ripensi, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana, & parte Macedoniæ Salutaris. Illyricum Occidentale sex Provincias comprehendebat, duas Pannonias, Saviam, Dalmatiam, & Norica duo, Mediterraneum scilicet, ac Ripense. Diœcesis Macedoniæ sex Provincias complectebatur, Achajam, Macedoniam, Cretam, Thessaliam, Epirum veterem, & Epirum novam, cum parte Macedoniæ Salutaris. Secto Illyrico duæ Diœceses Illyrici Orientalis, videlicet Dacia, & Macedonia Præfecto Prætorio Illyrici: Occidentale autem Illyricum Præfecto Prætorio Italiæ parebant. Orientalis Illyrici Metropolis fuit Thessalonica, cui contributæ erant undecim Provinciæ superius recensitæ: Occidentalis vero Sirmium, cui sex Provinciæ sub Præfecto Prætorio Italiæ parebant. Sirmium civitas est Pannoniæ Inferioris, non

(1) Jornandes lib. de successs. Regnorum cap. 97.
(2) Cassiodorus lib. 11. epist. 1.
(3) Zosimus lib. 4.
(4) Rufus in Breviar.

non procul a Danubio flumine, quam describit Ptolemæus *lib. 2. cap. 1.* Plerisque creditum est ante Illyrici divisionem, Sirmium solidi Illyrici caput fuisse, antequam ab Attila, evertetur. Eam quippe urbem Herodianus in Maximino vocat *omnium* Illyrici *primariam:* Ammianus Marcell. *lib. 21.* nominat (1) *Urbium matrem:* in ea Principum Romanorum palatium fuisse tradit, itemque Zosimus *lib. 4.* ibique Sedem Præfecti Prætorio Illyrici constitutam indicare videtur idem Ammianus *lib. 15.* Hinc Anemius in Synodo Aquilejensi, cui interfuit S. Ambrosius dixit: *Caput Illyrici nonnisi civitas est Sirmiensis.* Idipsum confirmat Justinianus Imperator *Novella XI.* (1) ubi asserit, *antiquis temporibus Sirmii Præfecturam fuisse constitutam, ibique fuisse omne Illyrici fastigium, tam in civilibus, quam in Episcopalibus causis.* Quod de civili Præfectura Justinianus dixit, Nihil abnuo, Sirmium videlicet olim fuisse Præfecti Prætorio Sedem; in ejus tamen Sententiam concedere non possum in eo quod ait, *Sirmii tam in civilibus, quam in Episcopalibus causis* fuisse totius Illyrici fastigium constitutum; nec nisi post eversum Sirmium una cum civili Præfectura etiam Primatum Ecclesiasticum Thessalonicam fuisse translatum. Nam Sirmiani Primatus ante Thessalonicensem nulla omnino extant vestigia apud Ecclesiasticos Scriptores. Cœpit Illyrici Primatus a Vicariatu Apostolico, quo Summi Pontifices Damasus, Siricius & Innocentius Thessalonicensem Metropolitam exornaverant, diu ante cladem ab Attila illatam, & Sirmii excidium. Quocirca Justinianus perperam ex Præfectura civili, quondam Sirmii constituta, colligit etiam Primatum in causis Ecclesiasticis Episcopo Sirmiensi fuisse tributum. Ab eodem Justiniano Augusto post Sirmium eversum Sedes Illyrici Occidentalis constituta est prima Justiniana, cui Provincias illas adscripsit, quas ipse enumerat Novella XI. scilicet utramque Daciam, Mediterraneam, & Ripensem, Mysiam Superiorem, Dardaniam Prævalitanam, Secundam Macedoniam, & Secundam Pannoniam. Quæcumque tamen Illyrici divisio facta est, civilis Imperii sectionem sequuta, utriusque limitibus mensurabatur. Ceterum quod spectat ad Ecclesiasticam politiam, solidum Illyricum semper sub Patriarchatu Romano Occidentis remansit; & si qua umquam ab Imperatoribus Orientis mutatio tentata fuit, statim reclamarunt Romani Pontifices, antiquisque juribus ereptas Provincias restitui fategerunt.

CAPUT II.

Synopsis.

I. *Prima Illyrici Orientalis Diœcesis Macedonia sex Provinciis constat. Paulus Æmilius eam in Provinciam redegit.*

II. Plures alias Provincias Macedonia continebat, quam ipsi Notitia Imperii adscribat.

III. Macedoniæ, & totius Illyrici Orientalis Metrop. Thessalonica. Altera ejus Metrop. Philippi. Hieroclis Notitia de civitatibus Macedoniæ erroribus plena est.

IV. Achaja altera Macedoniæ Provincia. Bellum Romanorum cum Achæis. Co-

(1) Marcellinus lib. 21. & 26.

(1) Novellæ XI.

Corinthus a Romanis eversa. Quo tempore in Provinciæ formam redacta sit, Auctores non consentiunt.

V. Corinthus ejus Metropol. Sicuti plures Achajæ partes, ita & Metropoles. Hieroclis, & Nili Doxapatrii Notitiæ.

VI. Cretam Metellus subegit, & Provinciam fecit. S. Paulus prædicatione illustravit. Ejusdem Apostoli locus de improbis Cretensium moribus exponitur.

VII. Gortyna Cretæ Metrop. urbes ex Hierocle recensitæ.

VIII. Thessalia variis nominibus celebrata, & montibus insignis. Larissa ejus Metrop. Achillis patria. Urbes ex Hierocle.

IX. Epirus bellum Romanis intulit. Ab iis subacta. Ætolia Epiro comprehensa. Epirum Æmilius, Ætoliam Fulvius devicerunt.

X. In duas Provincias Epirus distracta, Veterem, & Novam. Veteris Nicopolis, Novæ Dyrrachium Metrop. Utriusque urbes ex Hierocle.

I. Hic prima occurrit Illyrici Orientalis Diœcesis Macedonia dicta, cui sex Provinciæ tributæ sunt in Notitia Imperii, scilicet Achaja, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus Vetus, Epirus Nova. Nos a Macedonia ordiemur, & quod toti Diœcesi det nomen, & in ea sit Thessalonica, olim Illyrici caput. Regio est Europæ latissima, duobus quondam Regibus, & terræ imperio clarissima, prius Emonia, & Emathia appellata. Hæc parvis initiis vix nata, paulatim Principum prudentia, ac gentis fortitudine eo magnitudinis excrevit, ut centum & quinquaginta populis dominata sit. Eam a Septemtrione Dalmatia, Mœsiaque Montana sejungit, ab Occasu mari Adriatico, sive Jonio, ab ortu Ægæo abluitur. Meridianam oram Epiroticæ Gentes, & ipsa Græcia excipit. Diu a Romanis contra Macedones decertatum est, antequam eam Provinciam obtinerent. Primum adversus Philippum Regem, paucis post pacem Carthaginensibus datam mensibus, bellum indictum est, anno Urbis conditæ 554. quod ille Attalo, Atheniensibus, aliisque Romanorum sociis infestus esset. Sulpitius Galba, tunc Consul contra Philippum rem gessit; deinde sequenti anno Quinctius Flaminius & ipse Consul in faucibus Epiri prospere dimicans, Philippum in fugam dedit, fugatumque coëgit in Regnum reverti. Mox in Thessaliam irrupit, eamque vexavit: ejusque frater L. Quinctius navali prœlio, Attalo Rege, ac Ætolis adjuvantibus, Eubœam, & maritimam oram occupavit. Altero autem anno idem Quinctius ad Cynoscephalas in Thessalia cum Philippo debellavit: Acharnanas per L. Quinctium fratrem in deditionem accepit, Leucade expugnata. Quare Philippus tot prœliis fractus, leges pacis ex Senatus decreto a Quinctio recipere compulsus est, ac Græciæ libertatem restituere. Hæc narrant Livius *lib.* 31. 32. & 33. Polybius *lib.* 16. 17. *in legat. Excerptis; & in Ecloga* 9. & Plutarchus *in Quinctio, & in Paulo Æmilio*. At Perseus Philippi filius heres non minus paterni in Romanos odii, atque consilii, quam Regni, bellum in eos gessit, sed infelici eventu. Quarto siquidem anno bellum hoc tam Persei, quam totius Macedonici Imperii clade, ac servitute finitum est, anno Urbis conditæ 586. Romanorum Imperator eo prœlio fuit Consul Paulus Æmilius; quo Macedonum cæsa sunt in acie ad viginti millia, capta undecim; ex Romanis vero vix centum ceciderunt, unius tan-

tantum horæ ſpatio ſervente certaminis ſumma. Majorem quinimmo copiam cæſorum enumerat Plutarchus: *Tradunt* (1) *in ea pugna ſupra viginti quinque millia hominum cæſa fuiſſe Macedonum: Romanorum vero, ut Poſidonius ſcribit, centum; ut autem Naſica, octoginta ceciderunt: Celeriter autem hæc pugna transfacta eſt: Hora enim nona pugnari cœptum, decima victoria parta, reliquam diei in perſequendo hoſtem conſumtum.* Eamdem hiſtoriam referunt Livius *lib.* 44. Vellejus Paterculus *lib.* 1. Juſtinus *lib.* 33. Florus *lib.* 2. *cap.* 12. & Eutropius *lib.* 4. Inſignis hæc Victoria ac Macedonici Imperii occaſus fuit Lunæ eclipſi, quæ pridie ejus diei, quo certatum eſt, accidit ea nocte, quæ inter quartam, & quintam diem Romani Septembris interceſsit, & in Juliano Calendario inter vigeſimam primam, & vigeſimam ſecundam Junii media fuit. Hanc Lunæ defectionem C. Sulpitius Gallus Tribunus militum pro concione prædixerat; veluti Livius habet in Epitome apud Florum, ipſemet Paulus Æmilius: (2) *Paulus*, inquit, *in Macedoniam profectus Perſeum vicit, univerſamque Macedoniam in poteſtatem redegit. Antequam confligeret dixit exercitui, ne miraretur, quod Luna nocte proxima defectura eſſet:* naturali ſiquidem Syderum curſu id noviſse datum eſt. Tunc igitur *Macedonia in Provinciæ formam redacta eſt* a Paulo Æmilio, ut in Epitome Hiſtor. Livii tradit L. Florus *lib.* 45. Illyricum Perſeo adjunctum parem belli aleam expertum eſt. *Macedonici* (inquit Florus lib. 1. cap. 13.) *belli contagio traxit Illyricos. Ipſi quidem, ut Romanum a tergo diſtinguerent, a Perſe Rege conducti pecunia militavere: Sine mora ab Anicio Prætore ſubiguntur: Scordam caput gentis deleſſe ſuffecit. Statim ſecuta deditio eſt.* Cum autem aliquot poſt annis Pſeudo-Philippus Macedoniam invaſiſſet, bellum alterum adverſus eum ſuſceptum; in quo a Trebellio Quæſtore ſuperatus, tum deinde à Q. Cæcilio victus, captuſque eſt, teſte eodem L. Floro: *Pſeudo-Philippus in Macedonia, cæſo cum exercitu M. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus, captuſque eſt, relicta Macedonia.* Quod etiam refert *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 17. eique conſentit Valerius Maximus lib. 9. cap. 3. Quæ hucuſque retulimus, paucis complexus eſt Sextus Rufus: (3) *Ter rebellavit, ſub Philippo, ſub Perſeo, ſub Pſeudo-Philippo. Philippum Flaminius, Perſeum Paulus, Pſeudo-Philippum Metellus oppreſſit, quorum triumphis Macedonia quoque Populo Romano adjuncta eſt.* Metellus, cujus hic mentio eſt, ante Julii Cæſaris Principatum de Macedonia triumphavit, adeout recte Aurelius Victor Macedoniam Ciceronis ætate Provinciam fuiſse commemoret.

II. Latius tamen tunc patebat, aliaſque Provincias complectebatur Macedonia, quas Notitia Imperii ſub Honorio deſcripta, ab illa ſejungit. Comprehendebat quippe omnem regionem a finibus Thraciæ ad Dyrrachium uſque, quod tempore Cæſaris, ſeculiſque Cæſarem ſequutis, Macedoniæ adnumerabatur; uti ſcribit Dio Caſsius *lib.* 41. Theſſalia quoque illi adnexa erat: nam Coſmographia Æthico tributa ejus limites Meridionales uſque ad Achajam porrigit, ac Theſſalia prætermiſſa, duas tantum Provincias in illis regionibus recenſet, Macedoniam ſcilicet, & Achajam, quibus antiquus nongentorum annorum Codex Palatinus Epirum dumtaxat adgregavit. Tiberii itidem temporibus hæc Diœceſis non alias habuiſſe videtur diſtinctas Provincias, niſi Macedoniam, & Achajam: Tacito

(1) Plutarchus in Paulo Æmilio.
(2) Livius lib. 44. in Epit. Flori.

(3) Sextus Rufus in Brev.

cito quandoquidem referente, ad ann. ab Urbe condita 768. (1) *Prorogata fuit Poppæo Sabino Provincia Mæsiæ, additis Achaja, & Macedonia*. Idipsum Dio Cassius: (2) *Poppæus porro Sabinus, qui ad id usque temporis per omnem fere Tiberii Principatum, Mysiæ utrique, & Macedoniæ præfuerat, gratissimum habuit nec sibi ultro consita judicia omnia evitare. Et in præfectura Regulus successit, uam Macedonia, & si quibusdam credimus, Achaja extra sortem Provinciæ dabantur*. Ex utroque hoc testimonio colligimus, Macedoniam, & Achajam sibi invicem fuisse contiguas, quæ ambæ uni Præfecto committebantur, nec aliæ sub Tiberii Imperio Provinciæ mediæ sigillatim discernebantur. Attamen Inscriptio, quam Cyriacus Anconitanus ante 270. circiter annos, Corinthi reperit, etiam Thessaliæ mentionem facit: *THEO. PREPEN. AUG. LIB. PROC. DOMINI. N. M. AUR. Severi Alexandri Provinciæ Achajæ, & Epiri, & Thessaliæ*. Quocirca tractu temporis sex illæ Provinciæ divisæ fuerunt, quibus Macedonica Diœcesis constat: Inter Provincias a Cæsare Augusto Senatui tributas, Macedonia, & Achaja numerabantur, quæ a Tiberio usurpatæ, rursum a Claudio Cæsare Senatui fuerunt restitutæ, uti narrat Suetonius: (3) *Provincias Achajam, & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit*. Tandem utraque Diœcesis cum Macedoniæ, tum Achajæ Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis subjecta fuit.

III. Macedoniæ, immo & totius Illyrici saltem Orientalis Metropolis Thessalonica fuit, urbs olim clarissima, ad sinum Thermaicum sita, haud procul ab Echedori fluminis ostio; quæ Stephano teste, primum a Cassandro condita dicitur, & Halia, seu, ut aliis placet, Halis nuncupata. Thessalonicæ autem nomen a Philippo Amyntæ filio accepit, cum ille in ejus agro Thessalos ingenti clade profligasset. Amplificata maxime est urbis istius dignitas, cum Præfecti Prætorio Sedes effecta, totius Illyrici negotia ad se traxit. Quare Theodoretus de ea sic loquitur: *Thessalonica urbs est maxima, & populosa, Macedonum quidem in gente posita, sed quæ caput est tum Thessaliæ, & Achajæ, tum aliarum complurium Provinciarum, quæ reguntur a Præfecto Prætorio Illyrici*. Alexander Thessalonicæ Metropolis interfuit Concilio Nicæno: Aëtius Sardiensi: Acholius CP. 1. In Concilio autem Chalcedonensi primus post Patriarchas sedit, & subscripsit Thessalonicensis.

Philippi altera Metropolis est Macedoniæ, urbs quondam celebris inter Nessum, & Strymonem fluvios ædificata, quæ Datos antea vocabatur, quam Philippus Macedonum Rex instauravit, & a nomine suo Philippos appellari voluit. Ejus meminere Plinius *lib. 4. cap.* 11. & Virgilius 1. *Georg.*

Ergo inter se se paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Labitur tamen Virgilius loc. cit. dum asserit, propinquos fuisse campos, ubi Pompejus a Cæsare superatus fuit, iis in quibus Brutus, & Cassius ceciderе. In eumdem errorem lapsus Lucius Florus, lib. 4. cap. 6. scripsit: *Brutum, & Cassium eamdem arenam insedisse, quæ fuerat fatalis Pompejo*. Uterque in leges Geographiæ peccavit: Pompejus quippe victus fuit a Cæsare in Pharsalicis Thessaliæ campis, qui leucis plusquam 300. distant a Philippis Macedoniæ urbe. Hinc Campi Philippici Tacito, aliisque Romanarum rerum Scriptoribus, olim civilibus cladibus nobilitati, in quibus

(1) Tacitus lib. 1. Annalium.
(2) Dio lib. 58.

(3) Suetonius in Claudio cap. 25.

bus Auguſtus Brutum, & Caſsium vicit. Sed nobilior fuit hæc civitas, uti & Theſsalonica prædicatione Divi Pauli; immo & Macedonia univerſa, quæ quaſi ſtadium fuit, in quo pro fide amplificanda ſtrenue decertavit; quemadmodum ex epiſtolis ad Philippenſes, & Theſsalonicenſes ſcriptis; necnon ex Apoſtolorum Actis *cap.* 16. & 17. diſcimus.

Miror, cur Leo Sapiens prætermiſerit Notitiam Macedoniæ, aliarumque Provinciarum Illyrici. Meminit quidem Metropoleon *Ordo diſpoſitus per Imperatorem Leonem Sapientem, quem locum, & ſeriem habeant Throni Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectarum:* & 16. Sede Theſsalonicam: 39. Philippos collocat; ſed urbes illis ſubjectas nullas commemorat. Inter commenta Græculi cujusdam Schiſmatici reponi debet Scholion, quod in Notitia ejusdem Leonis Sapientis extat, poſt Provinciam ſecundæ Galatiæ hiſce verbis expreſsum: *Sunt vero a Romana Diœceſi avulſi, qui nunc Throno Conſtantinopolitano ſubjacent Metropolitæ, & eis ſubjecti Epiſcopi. Theſsalonicæ. Syracuſæ. Corinthi. Rhegii. Nicopolis. Athenarum. Patrarum. Novarum Patrarum. Iſti Synodo, & Eccleſiæ CP. veteris Romæ Papa a Gentilibus detento, ſunt adjuncti* Anile ſane commentum eſt aſserere, Romanum Pontificem a Gentilibus detineri. Cauſa autem, cur Provinciæ illæ in Scholio recenſitæ a Patriarchatu Romano Occidentis fuerint avulſæ, & Conſtantinopolitano adjunctæ, fuit tyrannis Leonis Iſaurici, qui in hæreſim Iconoclaſtarum lapſus, odio Catholicæ fidei, & Romanæ Eccleſiæ, Illyricum, Siciliam, & Calabriam abſtraxit a Patriarchatu Romano, atque in Conſtantinopolitanum tranſtulit, fruſtra reclamantibus Summis Pontificibus, graviſsimam Apoſtolicæ Sedi injuriam irrogari. Difficile eſt exactam habere notitiam urbium, & Epiſcopatuum Provinciarum Illyrici, quod nulla nobis ſuppetant hujus rei antiqua monumenta: qualemcumque tamen haurire potuimus hic damus. Et vero Nilus Doxapatrius in *Notitia Patriarchatuum*, inter Metropoles Conſtantinopolitano ſubjectas, *n.* 16. recenſet *Theſſalonicam*, cui octo Epiſcopatus ſubjicit: *n. autem* 39. *Philippos* collocat, eique ſeptem Epiſcopatus ſubditos facit. Hieroclis Grammatici Notitia, in his maxime Illyrici utriuſque Provinciis, multis erroribus ſcatet. Eam nihilominus hic tranſcribimus.

Provincia Illyrica I. Macedoniæ ſub Conſulari. Urbes XXXI.

Theſsalonica.	*Trimula.* * Primula.
Pella.	Parthicopolis.
Europus.	Heraclea Strymni.
Dius.	Serræ.
Berœa.	Philippus.
Eordea.	Amphipus.
Edeſsa.	Apollonia.
* Cella. *Colla.*	Neapolis.
Almœpia.	Acanthus.
Lariſsa.	Berge.
Heraclea Laoci.	Araurus.
Antagnia Gemindi.	Clema.
Nicedes.	Meoticon, & Acontiſma.
Dioborus.	Inſula Thaſus.
Idomenæ.	Inſula Samothraces.
* Bragylus. *Dragylus.*	La-

Lariſſam quam Hierocles in Provincia Macedoniæ collocat, conſulto omittit diſpoſitio Conſtantini Porphyrogeniti; non enim Macedoniæ, ſed Theſſaliæ urbs, immo & Metropolis eſt. Philippos itidem nominat alteram Macedoniæ Metropolim: in duas quippe Provincias Macedoniam ſectam fuiſſe, Primam ſcilicet, & Secundam, colligitur ex Catalogo Epiſcoporum, quibus Concilium Nicænum Acta ſua per omnes Chriſtiani orbis Eccleſias diſtribuenda commiſit, quos inter fuit Alexander Theſſalonicenſis, de quo Gelaſius Cyzicenus: (1) *Alexander Theſſalonicæ per eos, qui ſub ipſo cenſentur, Eccleſiis in Macedonia Prima, & Secunda.* Arbitror ego Philippos Metropolim fuiſſe alterius Macedoniæ; tametſi hanc urbem Hierocles in Prima Macedonia conſtituat: Secundæ vero has urbes recenſeat.

Provincia Macedoniæ Secundæ ſub Præſide. Urbes VIII.

Hanc patriam agnoſcit Joannes cognomento Stobæus, qui Græce Collectanea Moralia, & Phyſica.

Stoli. * Stobi.	Bargala.
Argos.	Celenidem.
Euſtrajon.	Harmonia.
Pelagonia.	Zapara.

Cum enim inter has urbes nulla ſit, quæ Eccleſiaſtica fuerit Metropolis iſtius Provinciæ, non aliam illi adtributam fuiſſe crediderim, niſi Philippos. Unde in Concilio Sardicenſi ex Provincia Macedoniæ primus omnium ſubſcripſit *Porphyrius de Philippis.* Verum tamen in Synodo Chalcedonenſi ex Macedonia II. ſubſcriptus legitur *Nicolaus Stoborum*, ſeu *Stolorum*, quæ eſt prima civitas in hac Provincia, a Hierocle recenſita.

IV. Achaja Macedoniæ contigua, quæ & Hellas dicitur, altera eſt Macedonicæ Diœceſis Provincia: quamquam Hellas potius ſit Achajæ regio, quæ Attica vocatur, in qua Athenæ, ac Thebæ clariſſimæ urbes; Corinthus vero omnium nobiliſſima, ac prædives totius Achajæ caput: quare Achajæ nomen hoc loco, non ſolum Peloponneſum, ſed etiam Atticam complectitur. Omiſſis autem quæ a Ptolemæo, Plinio, & Strabone de Achaja dicuntur, uno Pauſania contenti erimus, qui *lib.* 5. ait: *Inter Eleam, & Sicyoniam jacens regio ad Orientale pelagus, nunc Achaja dicitur ab incolis: olim Ægialus, & incolæ Ægialenſes, ab Ægialeo Sicyonum Rege.* Hic celebris illa Achæorum Reſpublica conſtituta eſt, cujus fundamenta jecerunt Patrenſes, Dymæi, & Phareenſes, quæ quidem duodecim urbibus conſtabat; ut teſtis eſt Polybius *lib.* 2. *pag.* 128. Eo autem potentiæ devenerunt Achæi, ut multis in unum Reipublicæ corpus partim allectis, partim vi coactis civitatibus, totius pæne Græciæ dominatum ſibi uſurparent. Quin & Lacedæmonios mœnibus, ac priſtinis ademtis legibus, invitos in eamdem ſocietatem compulerunt: a quibus idcirco delatæ ad Senatum Populumque Romanum, cum quo fœdere conjuncti erant, querelæ, illum protinus coëgerunt, in Græciam Legatos mittere, qui non ſolum Lacedæmonem, ſed etiam Corinthum, Argos, Heracleam, & Orchomenios Arcadas, ab Achæorum corpore divelli juberent. At Legati ab Achæis male ſuſcepti, ac ſeditione contra eos mota, fuga ſaluti ſuæ conſulere compulſi ſunt. Quibus de cauſis bellum Achaicum a Senatu ſuſceptum eſt, anno Urbis conditæ 607. ac primum a Prætore Metello duobus prœliis ad Ther-

(1) Apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. cap. 35.

Thermopylas, & in Phocide Achæi victi sunt; quorum altero Dux erat Critolaus, altero Diæus. Tandem anno, urbis 608. Dræus Achaici motus primus auctor ab Achæis Dux creatus, ad Isthmon superatus est a L. Mummio Consule, qui omni Achaja in deditionem accepta Corinthum ex Senatus consulto diruit, incenditque. Corintho autem flagrante, ex auro, argento, atque ære liquefactis, & invicem confusis, genus illud æris pretiosissimi casus invenit, quod Corinthium dixerunt, mire apud veteres laudatum; præsertim apud L. Florum: (1) *Quantas*, inquit, *opes, & abstulerit, & cremaverit, hinc scias, quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & ceteris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ Urbis fecit injuria, quia intendio perustis plurimis statuis, atque simulachris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere.* Corintho, quæ caput erat Achajæ, diruta, Mummius aliarum Græciæ urbium, quæ contra Romanos bellum susceperant, muros dejecit, armaque Civibus ademit: tunc de Legatorum decem Sententia, concilia singularum Nationum, Achaicum, Phocicum, Bæoticum, ac reliqua populorum Græciæ sublata sunt, teste Pausania in *Achaicis;* descripta tributi forma, constitutumque, ut quotannis Prætor juris dicendi causa mitteretur. Quo ex tempore Græcia omnis Achajæ nomen accepit; ut scribit Pausanias *lib.* 5. atque hoc sensu illam accepit Plinius in epist. ad Maximum in Achajam Proconsulem missum: (2) *Cogita*, inquit, *te missum in Provinciam Achajam, illam veram, & meram Græciam, in qua primum humanitatis litteræ, etiam fruges inventæ esse creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, idest, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos; qui jus a natura datum virtute, meritis, amicitia, fœdere denique, & religione tenuerunt. . . . . . Habe ante oculos hanc esse terram, quæ nobis miserit jura, quæ leges non victa acceperit, sed petentibus dederit, Athenas esse, quas adeas, Lacedæmonem esse, quam regas, quibus reliquam umbram, & residuum libertatis nomen eripere durum, ferum, barbarumque est.*

Doctissimus Petavius *lib.* 13. *de Doctrinâ Temporum, ad ann. Per. Julian.* 4787. *& urbis conditæ* 827. existimat, nonnisi quinto Imperii Vespasiani anno, Achajam in Provinciam fuisse redactam: *Achaja*, inquit, *Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Trachæa Cilicia, Commagena, quæ liberæ antea, vel sub amicis Regibus erant, in Provinciam redactæ. Suetonius cap.* 8. *Eutropius* 7. *Euseb. Chron.* Perspicua sunt Suetonii verba, quibus fretus Vir Cl. censet, Achajam a Vespasiano in numerum Provinciarum relatam: (3) *Achajam*, inquit, *Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta; item Thraciam, Ciliciam, & Comagenen ditionis Regiæ usque ad id tempus, in Provinciarum formam redegit.* Loco Thraciæ Petavius Tracheam legit: at vero Isaacus Casaubonus, (4) & Pæanius Thraciam retinent, uti & olim Eutropius iisdem pæne usus verbis, quibus & Suetonius. Turnebo tamen visum est rescribere *Tracheam Ciliciam:* quæ lectio omni difficultate caret; quemadmodum etiam videre est apud Strabonem *lib.* 14. quam Petavius ceteris præponit. Verumtamen, quod ad Achajam, & nonnullas alias Provincias recensitas spectat, quædam Suetonio videntur adversari. Constat siquidem ex his, quæ supra docuimus, Achajam inter Provincias recenseri ab Augusto Senatui tributas; Thraciam quo-

(1) L. Florus lib. 3. cap. 16.
(2) Plinius lib. 8. epist. ulti.

(3) Suetonius in Vespasiano cap. 8.
(4) Casaubonus adnot. 29. in lib. 8. Sueton. pag. 173.

quoque inter eas, quas sibi Augustus reservavit. Sextus Rufus testatur, sex Thraciarum Provincias a Marco Metello subactas in ditionem Romanæ Reipublicæ conquisitas esse. Et Eusebius in Chronico ad annum sextum Claudii ait: *Thracia hucusque regnata in Provinciam redigitur*. Cilicia, quam Suetonius, itemque Eutropius *lib*. 7. a Vespasiano in Provinciæ formam redactam commemorat, longe ante id tempus a Servilio Proconsule una cum Isauris subacta, Provinciis Romanæ Reipublicæ adscripta fuerat; indeque Servilius Isaurici nomen adeptus est, testibus Rufo *in Breviario*, & L. Floro *lib*. 3. *cap*. 6. Et sane in Notitia Augusti Cilicia numeratur: ad eam quoque Cicero profectus est, Proconsulis officium obiturus; quod ipsemet tradit: (1) *Cilicum autem, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipsi*. Et Aurelius Victor *in Sylla* ait: *Prætor Ciliciam Provinciam habuit*. Eidem Provinciæ præerat Felix, eique suffectus Porcius Festus, ambo Præsidis officio fungentes, cum D. Paulus a Judæis vinctus accusatusque ante illorum tribunal stetit, *Act*. 23. 24. & 25. Comagenem similiter ante Vespasiani Principatum Tiberius in Provinciæ formam transcripserat, Prætore illi dato, ut refert Cornelius Tacitus: (2) *Comagenis Q. Servaeus præponitur, tum primum ad jus Prætoris translatis*. Comagenes tunc primum ad jus Prætoris translatos asserit, quia prius Regibus parebant, ut paulo ante idem Tacitus narraverat: *Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum Regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis Regium imperium cupientibus*.

Non alia ratione explicari posse suprascriptum Suetonii locum arbitror, nisi dicamus, aliquas Achajæ civitates, sicuti etiam aliarum Provinciarum, quas ipse commemorat, partes, prius libertate donatas, aut Principibus concreditas, postmodum aut Principibus vita functis, aut libertate adempta, Romani juris omnino factas, Romanoque Imperio penitus fuisse subjectas. Alioquin in hoc ipso, in quo præcipue versamur, Achajæ argumento, Suetonius sibi minime constaret. Enimvero de Claudio dixerat: (3) *Provincias Achajam, & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit*. Igitur ante Vespasiani Principatum, Tiberio, & Claudio imperantibus, Achaja Provinciæ formam, non secus ac Macedonia, susceperat. Ac infra, Patribus conscriptis ab eodem Claudio Achajæ Provinciam commendatem subdit: (4) *In commendanda Patribus conscriptis Achaja, gratam sibi Provinciam ait, communium studiorum commercio*. Insinuasse videtur hanc eamdem explicationem Casaubonus, de Thracia Suetonii mentem ita interpretans: (5) *Si ea Scriptura sedet, intelligemus de parte aliqua Thraciæ, ubi Regnum ante fuerit. Et scimus quam late pateat interdum Thraciæ, appellatio*. Neque Suetonium cum aliis Scriptoribus conciliare facile erit, nisi hunc ejus locum ita intelligamus. Achajæ siquidem imperium Sexto Pompejo Consuli in quinquennium datum fuisse, ex historiis Romanis constat. Tacitus quoque ad annum Urbis conditæ 768. affirmat: (6) *prorogatam Poppæo Sabino Provinciam Mœsiam, additis Achaja, & Macedonia*. Quod pariter tradit Dio Cassius: (7) *Poppæus porro Sabinus, qui ad id usque temporis per omnem fere*

(1) Cicero lib. 1. de Divinat. paulo ab initio.
(2) Tacitus lib. 2. Annal.
(3) Suetonius in Claudio cap. 25.
(4) Ibid. cap. 42.

(5) Casaubonus loco cit.
(6) Tacitus lib. 1. Annal. cap. 80.
(7) Dio lib. 58.

fere Tiberii Principatum Myſiæ utrique, & Macedoniæ præfuerat, gratiſſimum habuit, nec ſibi ultro conſcita judicia omnia evitare. Et in præfectura Regulis ſucceſſit; nam Macedonia, & ſi quibusdam credimus, Achaja, extra ſortem Provinciæ dabantur. Tiberii itaque temporibus Achaja, uti & Macedonia, jam Provinciarum ſortem induerant, eiſque Prætores a Senatu, vel ab Imperatore miſſi præſidebant.

Illuſtrem hanc Provinciam reddidit Apoſtolus Paulus, nedum prædicatione Evangelica, verum & litteris, & doctrina, & converſatione: Athenis quippe in Areopago concionem habuiſſe, ac Dionyſium aliosque ad Chriſti fidem convertiſſe, Corinthi annum & ſex menſes docuiſſe, ac univerſim Achajam perambulaſſe, Apoſtolorum Acta teſtantur: (1) Duas præterea ad Corinthios ſcripſit epiſtolas, quo nomine totam Provinciam, cujus caput erat Corinthus, indigitavit. Qui civilem hujus Provinciæ deſcriptionem adorſi ſunt, Achajam ultra Peloponneſum non extendunt: quo pacto illam delineavit Coſmographia Æthico tributa: *Achaja undique propemodum cincta ex mari, nam ab Oriente habet Myrtoum mare; ab Euro mare Creticum; a Meridie Jonium; ab Africo & Occaſu habet Cephaliam, & Caſſiopam Inſulas; a Septemtrione ſinum Corinthium; ab Aquilone anguſtum terræ dorſum, quod quidem Macedoniæ conjungitur, vel potius Atticæ, qui locus Iſthmos vocatur, ubi eſt Corinthus*. Quæ utique deſcriptio Achajæ ſolam Peloponneſum menſurat. Ceterum Achaja quatenus Provincia eſt Eccleſiaſtica ſub Corintho ejus Metropoli, non ſolum Peloponneſum, ſed etiam Atticam, & Inſulam Euboeam complectebatur; ut patet ex Epiſtola Petri Corinthii, quam anno 451. ad Leonem Imperatorem miſit, quæ eſt poſt Concilium Chalcedonenſe *epiſt.56.* cui Peloponneſi, Atticæ, & Euboeæ Epiſcopi ſubſcripſerunt.

V. Achajæ Metropolis eſt Corinthus, fere in medio Iſthmi Peloponneſiaci ſita: ab Ortu Saronicum, ab Occaſu Criſſæum ſinum habens, qui & Corinthiacus appellatur: duobus inclyta portubus, quorum Lechæus Jonio, Schœnus Ægæo imminet mari. Hinc Poëtæ Bimarem Corinthum vocavere: Ovidius 4. *Faſtorum:*

Adriacumque patens late, bimaremque Corinthon.

Et Horatius *lib. 1. carm. Ode 7.*

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi Mœnia . . . .

In ipſa urbe mons præruptus eminebat, iisdem mœnibus circumſeptus, in quo arx fuit, cui nomen Acrocorinthus, ejusque ad radices Pirene fons ſcaturiebat Muſis ſacer, non copioſas ille quidem, attamen perſpicuas, potuque ſuaviſſimas habens aquas; qualem deſcripſere Strabo *lib.* 8. Suidas, & Plautus *in Aul.* ait: *Interbibere ſola, ſi vino ſcateat, Corinthienſem fontem Pirenem poteſt*. Hæc civitas a Cicerone *pro Lege Manilia* vocatur, *Græciæ totius lumen*: (2) a L. Floro: *Corinthus Achajæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Jonium, & Ægæum quaſi ſpectaculo expoſita*. Eo autem potentiæ propter ſitus opportunitatem excrevit, ut vix Romanæ Urbi concederet. Everſam, incenſamque, ut vidimus, a L. Mummio Nepote, poſtea Julius Cæſar jacentem erexit, inſtauravitque, ac Romanorum Coloniam eſſe voluit, Plutarcho auctore: (3) *Ad conciliandum*, inquit, *etiam ſibi militum animos, quasdam deduxit colonias, ex quibus clariſſimæ ſunt Carthago, atque Corinthus. Hiſce duabus obtigit urbibus, ut cum ſu-*

(1) Apoſt. Acta cap. 17. 18. 19.
(2) Florus lib. 2. cap. 16.
(3) Plutarchus in C. Cæſare pag. 177.

superioribus annis simul in potestatem venissent, eodem etiam tunc restituerentur tempore.

Quemadmodum Achaja Peloponnesum, Atticam, quæ & Hellas dicitur, & Euboëam comprehendit, ita & plures habet Metropoles: prima & præcipua, cui subsunt ceteræ, est Corinthus totius Achajæ, Patræ Peloponnesi: Athenæ Atticæ: Thebæ Boeotiæ: Lacedæmon Laconiæ: quas omnes enumerat *Ordo dispositus per Imperatorem Leonem Sapientem*, quem locum & seriem habeant Throni Ecclesiarum, Patriarchæ Constantinopolitano subjectarum. Deest tamen Achaja in Notitia ejusdem Leonis Sapientis, uti & reliquæ Illyrici Provinciæ in ea desiderantur. In Concilio Chalcedonensi Achaja, & Hellas tamquam Provinciæ distinctæ seorsim describuntur; nam *Act.* 1. *sub Provincia* Helladis hi constituuntur Episcopi: *Nicia Megaræ: Domninus Plateærum: Peregrinus Phœnicicæ: Ophelimus Tegeæ: Irenæus Naupacti: Honoratus Thasi.* In Epistola vero Episcoporum Achajæ ad Leonem Augustum relata Act. 3. ii numerantur: *Petrus Episcopus Metropolis Corinthi: Athanasius Atheniensis: Rufinus Thespiensis: Alexander Patrenus: Agathemerus Megarensis: Alexander Elateæ: Architimus Thebarum: Cyriacus Carystenus: Thales Argi: Hosius Lacedæmonis: Constantinus Chalcidis: Isicius Tanagrensis: Joannes Alesienæ: Athanasius Proponti, seu Opuntis: Timotheus Megalopoleos: Aphobius Coronæ: Zoilus Carsiæ: Plutarchus Plateensis.* Hierocles vero sub una Helladis Provincia, omnes Achajæ partes complexus est, earumque urbes recensuit.

Provincia Helladis, nempe Achajæ sub Proconsule. Urbes LXXIX

Scarphia.
* Eleusina. *Elatina.*
Boe, &
Drimya.
Daulia.
Cheronea.
Naupactus.
Delphi.
Amphissa.
Tithora.
Ambrosus.
Anticyra.
Lebadia.
Coronia Boëtiæ.
Steraës.
Opus.
* Anastasiis. *Anastasius.*
Ecepsus.
Insula Euboea.
Anthedon.
Bumelita.
Thespiæ.
* Hyrii. *Hittes.*
Thystæ.
Thebæ Metropolis Boëtiæ.
Tanagra.
Chalce Insula Euboeæ.
Porthmus.
Caristus.
Plateæ.
Ægosthena.
Athenæ Metropolis Atticæ.
Megara.
Pagæ.
Emporium Crommyon.
Ægina Insula.
Poëteusa.
Cea. * Cytnus.
Delus.
Adelus.
Scyrus.
Talamene.
Thermopyla.
Corinthus, quæ aliquando Ephyra Metropolis totius Helladis.
Nova Sicyon.
Æge. * Ægeræ.
Ægion.

Methone.
Arizæna.
Pinaura.
Hiera mione.
Argus.
Tegea.
Mantinea.
Tharpusa.
Lacedæmon Metropolis Laconiæ, quæ prius Sparta.
Gerenthræ.
Pharæ.
Asopolis.
Acreæ.
Phialæa.
Mesene.

* Methana.
* Tryzena.
* Pilaura.

Coronia.
Asinæ.
Mothone.
Cyparisia.
Elis Metropolis Ætoliæ.
Insula Cephalenia.
Insula Panormus.
Insula Zacynthus.
Insula Cytheria.
Insula Mycon.
Insula Strophadia.
Insula Molus e regione Corinthi.
Insula Dorusa.
Insula Lemnus.
Insula Imbrus.

Nilus Doxapatrius in *Notitia Patriarchatuum* Metropoles distinguit, ac singulis proprios Episcopatus assignat.

Corinthus Peloponnesi habens Episcopatus VII.

1. Damalorum.
2. Argi.
3. Monembasiæ, * *sive* Tænarusiæ.
4. Cephaleniæ.
5. Zacynthi.
6. Zarneres.
7. Marnæ.

*Hinc Arsenius Archiepiscop. Monembasiæ, qui Scholia in Euripidem Paulo III. dicavit. *Venetiis apud Lucam Ant. Junctam* 1534.

Athenæ Graciæ habens Episcopatus XI.

1. Euripi.
2. Dauliæ.
3. Coroniæ.
4. Andri.
5. Ozæi.
6. Scyri.
7. Carysti.
8. Porthmi.
9. Aulonæ.
10. Syræ, & Seriphi.
11. Cei, & Thermiorum.

Patræ Peloponnesi habens Episcopatus V.

1. Lacedæmonis.
2. Methonæ.
3. Coronæ.
4. Bolænæ.
5. Olenæ.

Novæ Patræ Græciæ habens Episcopatus VI.
Thebæ Græciæ habens Episcopatus III.

VI. Creta tertiam Macedoniæ Diœcesis Provinciam constituit. Insula est in medio Ponto centum urbium fama quondam clara; quæ a Septemtrione Ægæo alluitur simul & Cretico pelago: ab Austro Libyco: ad Occidentem Ægylam, & Cytheram spectat: ad Orientem Carpaton; sicuti illam de-

descripsit Strabo. Hac in Insula Juppiter natus Opis, & Saturni filius, multam Poëtarum figmentis materiem præbuit. Nulli Eruditorum non nota Virgilii carmina: (1)

Creta Jovis magni medio jacet Insula Ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Romanorum armis florentissima hæc Insula domita est occasione Mithridatici belli, in suspicionem seu veram, seu falsam adducta, quod Mithridatis causæ faveret: *Creticum bellum*, inquit, Florus, (2) *si vera volumus noscere, nos fecimus sola vincendi nobilem Insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare*. Metellus Proconsul bello Cretico initium dedit, anno ab Urbe condita 686. cum prius M. Antonius irrito conatu, nec sine suorum strage Insulam aggressus esset; de quo hæc L. Florus: *Primus invasit Insulam M. Antonius, tum ingenti quidem victoriæ spe, atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. Nam plerasque naves intercepere hostes, captivaque corpora religata velis ac funibus pependere, ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portubus suis adremigaverunt*. Metellus vero rem prospere gessit, plurimas Cretæ urbes, atque in iis Cydoniam tunc gentis caput expugnavit, insulam igni ferroque populatus totam domuit, Creticus ob id appellatus. Frustra Pompejus Metelli gloriam minuere tentavit, misso in Insulam Legato, cui urbes se dediderunt. Metellus quippe de injuria apud Senatum conquestus, liberam Provinciam obtinuit, cui & ipse victor leges dedit. Rem persequitur Florus: *Metellus deinde totam Insulam igni, ferroque populatus, intra castella, & urbes redegit; Gnosson, & Erythræam, & (ut Græci dicere solent) urbium Matrem* * *Cydonam adeoque sæve in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent, alii deditionem suam ad Pompejam absentem mitterent. Et cum ille res in Asia gerens, eo quoque Præfectum misisset Antonium in aliena Provincia, irritus fuit eoque infestior Metellus in hostes jus victoris exercuit, victisque Lasthene, & Panare Cydonæ ducibus, victor redit, nec quidquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit*. Hoc idem Epitome Historiarum Livii refert: (3) *Q. Metellus Proconsul, bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit.... Gnoson, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas civitates expugnavit*. Mox commemorat epistolas Metelli, & Cn. Pompeii invicem ad Senatum missas, quibus *queritur Metellus gloriam rerum a se gestarum a Pompejo sublatam præteriri, qui in Cretam miserit Legatum suum ad accipiendas urbium deditiones, Pompejus Romæ rationem dedit, hoc se facere debuisse*. Nec dubium quin tum Creta Romanum jugum susceperit, atque in Provinciæ formam redacta fuerit: quandoquidem (4) *Q. Metellus domitis Cretensibus, liberæ in id tempus Insulæ legem tulit*. Siquidem in utraque Notitia, tum Augusti, tum Hadriani inter Imperii Provincias locum habuit.

* urbium Matrem, idest Metropolin (la Canéa)

Nobilissimam hanc Insulam doctrina & prædicatione Evangelica a Divo Paulo Apostolo decoratam, aperte demonstrat ejus epistola ad Titum, quem totius Cretæ Metropolitam consecraverat: (5) *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicuti & ego disposui tibi*. Si Titum in Creta reliquit Apo-

(1) Virgilius Æneid. 3.
(2) Florus lib. 3. cap. 7.
(3) L. Florus in Livii Histor. Epitome 98. & 99.
(4) Epitome 100.
(5) Epist. ad Titum cap. 1. v. 5.

Apostolus, profectò illum secum duxerat, cum eo adventavit: unde & conversationis experimento Cretensium mores perspectos habuit, & tamquam a recta ratione devios severe increpavit: (1) *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide.* Cretensium Propheta, cujus testimonio Apostolus improbos nefariosque ipsorum mores redarguit, plerisque Epimenides creditus est, Poëta Epicus, patria & ipse Cres, teste Apulejo *lib. 2. Floridor.* qui a Patre Agesiarcho in agrum custodiendi pecoris causa missus, in quodam antro (si fabulis credere fas est) annos septuaginta quinque obdormisse dicitur. Inde proverbium manavit, *Epimenidis somnum dormire*, ut Suidas meminit. Tandem a somno excitatus, cum omnia mutata cerneret, domum reversus a fratre causam didicit eorum, quæ sibi contigerant. Quamobrem a suis non modo divinis honoribus donatus, ac instar Vatis, seu Prophetæ habitus, sed etiam vulgata ipsius fama, ab Atheniensibus pestilentia laborantibus accersitus, civitatem purgari expiarique oportere dixit; atque hujusce rei gratia jussit oves albas nigrasque apud Areopagum immolari: ac in patriam reversurus adnavigans, oblatam ab eis pecuniam renuit. Quod Epimenidis factum celebrat Plato de legibus *lib. 1. & 3.* Prophetam idcirco eum vocat D. Paulus, quamvis Poëta ille potius fuerit, qui quasi præsenserit futura; proprium autem, quod Cretensis fuerit ipse, qui hæc de Cretensibus scripserit. Sive per ironiam Prophetam appellavit, quasi talibus Christianis, tales congruerent Prophetæ: sive quod Epimenidis liber, unde versiculus is sumptus creditur, titulum habeat, *de Oraculis;* & propterea a Cretensibus Poëta, Philosophus, Sacerdos, & Vates habebatur, uti affirmant Laërtius, & Cicero. Quamquam non desunt, qui testimonium hoc ad Callimachum Cyrenæum referant, apud quem initium ejusdem carminis reperitur. D. Hieronymus indicat proverbii loco jactatum apud Græcos illud carmen, Cretensium testans vanitatem, ac malam vivendi consuetudinem. Est porro versus ille in Græco apud Epimenidem heroicus, quem Tirinus sic latine reddidit:

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

In quo sane castiganda est Stapulensis versio, hoc ipsum carmen e Græco ita transferentis:

Gnosius usque loquax, mala bestia, viscera pigra.

Quis enim audivit unquam, *loquacem* idem esse ac *mendacem*? Nec etiam cum hominem cibo deditum *ventrem* dicimus, viscera dicimus; ut interim Stapulensi donemus, *Gnosium* recte positum pro Cretensi, a Gnoso, seu Cnoso urbe Cretæ clarissima, Minois Regia: & *usque* pro *semper;* quasi postea indicare voluerit, Cretenses assidue mentiri solitos. Ceterum præferenda omnino est versio nostræ vulgatæ, quæ ipsa carminis verba sincere transtulit: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri;* quæ tria erant Gentis istius vitia: Primum mentiri, & fallere: secundum mordere, & nocere aliis, quod bestiis veneno noxiis est proprium, vel etiam ob fœdam pæderastiam, quam Cretensibus fuisse familiarem notavit Strabo: tertium otio, ac ventri indulgere: nam ipsos *ventres* vocat homines abdomini deditos. Quemadmodum & Lucilius comessationibus & compotationibus nimium deditos, *ventres* appellat. Et Terentius *in Phormione*, dum ait: *Pugnos in ventrem ingere*, parasitum indi-

(1) Epist. ad Titum cap. 1. verf. 12. & 13.

indicat. Quocirca D. Paulus Titum admonet, quem Cretæ præposuerat, ut Cretenses tot vitiis implicatos, dure ac severe increparet.

VII. Sed ut e diverticulo in viam revertamur: Creta jam ab Apostolorum temporibus Christi fidem susceperat; atque in ea Insula Sanctus Paulus Ecclesias jam fundaverat, Gortynæ præsertim, quæ ab antiquis temporibus totius Cretæ Metropolis fuit, & urbs clarissima, ad Lethæum fluvium sita, quam describit Plinius *lib.* 4. *cap.* 12. Celebrata veteribus Gortynia spicula, sagittæ nimirum, quibus Cretenses plurimum valebant, ut videre est apud Virgilium *Æneidos XI.* & Statium 5. *Thebaid.* quia scilicet primariæ urbis nomine tota Insula designari solebat; unde & Lucanus *lib.* 6.

Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo,
Tenditur in Scævam . . . . . .

Maximam Cretæ civitatem eam vocat Auctor *Expositionis totius mundi, & Gentium, editæ a Jacobo Gothofredo*, in qua & *Circum insignem* fuisse tradit. Huic Civitati Titum Metropolitam ab Apostolo præfectum esse, non immerito docet Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. Sacerd. & Imperii, cap.* 8. §. 2. inde quippe *fluxit, ut Creta Provinciæ Ecclesiasticæ, & Gortyna civitas Metropoliticum privilegium illius Insulæ eximium semper habuerit*. Nec dubium quin hæc civitas Metropoleos jure semper potita sit, ut ex veterum Conciliorum subscriptionibus patet, præsertim Chalcedonensis. Desideratur tamen hæc Metropolis, uti & ipsa Provincia Cretæ in Notitia Leonis Sapientis. Nilus Doxapatrius paucis eam exhibet: *Cretæ habens Episcopos X.* Distinctam uberioremque urbium ejusdem Provinciæ descriptionem concinnavit Hierocles Grammaticus.

Provincia Cretæ sub Consulari. Urbes XXII.

Metropolis Gortyna.	Axius.	
Inatus.	*Eleuthera.*	* Eleuterna
Bienna.	Lampæ.	
Hiera pydna.	Aptera.	
Camara.	Cydonea.	
Allyngus.	Cisamus.	
Chersonesus.	Cantania.	
Lictus.	Elyrus.	
Arcadia.	*Lasius.*	* Lissus.
Cnosus.	Phænece, *seu* Aradena.	
Subritus.	Insula Claudus.	

VIII. Thessalia Macedonicæ Diœceseos quarta Provincia, regio est Græciæ, ex una parte Bœotiam, ex altera Macedoniam habens, ad mare inter Peneum amnem, & Thermopylas extensa. Prius Æmonia dicta ab Æmone Rege, & Pelasgicon Argos, & Hellas, & Dryopis, ut auctor est Plinius *lib.* 4. *cap.* 7. & 8. Olim etiam Pyrrhæa vocata est a Pyrrha Deucalionis uxore, teste Strabone *lib.* 10. Postea Thessalus Jasonis & Medeæ filius a suo nomine Thessaliam nuncupavit: quamvis id alteri cuidam nominis ejusdem Vellejus assignet. Homerus ejus populos tribus nominibus appellat, Myrmidonas, Hellenas, & Achæos. In hac regione viginti quatuor montes in altum assurgunt, quorum celebratissimi Olympus, Pierius

rius patria domusque Musarum, Pelion, & Ossa, gigantum bello memorati. Item Pindus, & Othrys Lapitharum Sedes. Eodem bello, iisdemque Ducibus subacta est Thessalia, ac Macedonia: immo una olim ex ambabus Provincia coaluit. Unde Cosmographia Æthico tributa Macedoniæ limites Meridionales usque ad Achajam extendens, omissa Thessalia, duas tantum Provincias in illis regionibus enumerat Macedoniam, & Achajam. Severi tamen temporibus Thessalia distinctam a Macedonia Provinciam constituebat.

Larissa Metropolis est Thessaliæ, Achillis patria, a qua Larissæus dictus est. Inter Metropoles eam enumerat Ordo Ecclesiarum Leoni Sapienti tributus. Ejus itidem meminit Nilus Doxapatrius: *Larisia Græciæ habens Episcopatus XVII.* Totidem urbes illi assignat Hierocles Grammaticus.

Provincia Thessaliæ sub Præside. Urbes XVII.

	Larissa.	Cæsarea.
	Demetrias.	Diocletianopolis.
	Thebæ.	Pharsala.
	Echionio.	Saltoburamisium.
	Lamia.	Saltosiobus.
	Hypata Metropolis.	Insula Scopelus.
* Tricæ.	*Troce.*	Insula Sciathus.
	Gamphi.	Insula Peparethus.

Male Hierocles Hypatam Metropolim vocat, nisi forsan de Metropoli civili sui temporis loquatur.

IX. Epirus regio Illyrici, a Græcia Pindo monte separata, primum Molossia dicta est, & a Chaone Heleni fratre Chaonia; postmodum a Pyrrho ejus Rege, ac Duce strenuo Epiri nomen obtinuit. Eam descripsit Strabo *lib.* 8. Ad Ortum Acheloo fluvio ab Achaja secernitur: ad Occasum Acroceraunis montibus, qua Mari Adriatico incumbunt: ad Septemtrionem Macedoniæ parte terminatur: ad Meridiem Jonio mari abluitur. Quondam urbibus, populisque fuit frequentissima; sed a Romanis subacta, cum sæpius deficeret, pæne in solitudinem redacta est. Ipsa prius Romanis bellum intulerat, cum Pyrrhus ejus Rex in Italiam veniens, junctis sibi Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, Brutiisque sexennio fere adversus Populum Romanum decertavit, primo congressu Victor. Tametsi non ipsi incruenta victoria fuerit; quippe qui vulnus acceperit, & magna pars militum ejus cæsa fuerit; majoremque gloriam ejus Victoriæ, quam lætitiam habuerit. Quare parta victoria titulum hunc in Templo Tarentini Jovis affixit: *Qui ante hac invicti fuere viri, Pater optime, hos ego in pugna vici, victusque sum ab iisdem.* Cujus & ea vox fuit, cum adverso vulnere, & truci vultu etiam mortuos milites Romanos cerneret: *O quam* (1) *facile erat Orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis!* At suprema Romanos, inter, & Pyrrhum pugna Lucaniæ in campis Arusinis commissa, Pyrrhus victus rediit in Epirum. Pulchrè admodum variam utriusque certaminis aleam, mox reportatam de Pyrrho victoriam descripsit Lucius Florus: *Victor primo prælio Pyrrhus, totam trementem Italiam, Campaniam, Li-*

(1) Florus lib. 1. cap. 18.

Lirim, Fregellasque populatur, prope captam Urbem a Prænestina arce prospexit, & a vigesimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo, ac pulvere implevit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam trans Mare, ac terras fugato, pax, & quies, & tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia, ut victoriam suam Roma non caperet. Postmodum vero occasione belli Macedonici in Epirum Philippo Regi tunc deditam, a Romanis bellum illatum fuit. Quinctius Acharnanas, & Leucadem, Epiri urbes expugnavit; uti narrant Polybius *in legat. Excerptis*; & Plutarchus *in Quinctio*. Tandem cum Paulus Æmilius Regem Perseum debellasset, Macedoniam, & Epirum in Provinciam redegit; Oppidorum, quæ Perseum juverant, in Epiro septuaginta muris dirutis. Hæc refert Livius *lib.* 44.

In Notitia Ecclesiastica Epirus Ætoliam comprehendit; immo a nonnullis Epirum pro Ætolia accipi, scribit Auctor *Expositionis totius Mundi, & Gentium: Post Achajam*, inquit, *occurrunt Epiri partes, & civitas, quæ vocatur Epirus. Provincia vero, quæ a quibusdam vocatur Epirus, ab aliis Ætolia vocatur.* Est enim Ætolia Epiro, Acarnaniæ, & Locris finitima, & quondam Pyrrho subjecta. Romanis aliquando fœdere juncta fuit; sed Thoas ejus Princeps, qui ab Romanis nequaquam meritum præmium consecutos suos caussabatur, Antiochum Asiæ Regem contra Græciam excitavit. Bellum propterea adversus Antiochum, & Ætolos a Romanis decretum est, ejusque gerendi Provincia Manio Acilio Glabrioni demandata, qui victum ad Thermopylas Antiochum, in Asiam secedere, Ætolisque Heraclea capta, pacem petere compulit. Fulvius deinde Consul Ambraciam gentis caput subegit, atque ita Ætolis perdomitis, de ipsis triumphavit: uti narrant Livius 37. & 39. Polybius *in Eclog.* & L. Florus *lib.* 2. *cap.* 9. ubi ait: *Syriaco bello successit, ut debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Populus Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, Regiam Pyrrhi, machinis quatit. Secuta deditio. Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii: sic placuit ignoscere.*

X. In duas Provincias secta est Epirus Veterem, & Novam: utraque obvia est, tum in Notitia Augusti, tum in altera Hadriani. Epirus Nova Nicopolim habet Metropolim, ad os sinus Ambracii sitam, a Victoria Augusti sic appellatam, quando Cleopatram, & Marcum Antonium apud Actium prœlio superavit: id prodit Suetonius *in Augusto cap.* 18. *Quo Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic Quinquennales constituit: & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.* Apud Actium urbem Nicopolim ab Augusto conditam affirmat Suetonius, idest, e regione: nam sinum Ambracium ingredientibus ad dextram est Actium, vetustissimum Apollinis templum ab Augusto restauratum, magnisque ditatum reditibus: ad sinistram Nicopolis, libera civitas, Augusti opus; ut in hunc Suetonii locum notavit Casaubonus. *Naupactum* eam vocat *Ordo Ecclesiarum* Leonis Sapientis; & Nilus Doxapatrius *Naupactum Nicopoleos*, eique novem Episcopatus subjicit. Verumtamen Naupactus longe distat a Nicopoli, nec Epiri, sed Ætoliæ urbs est, nomen sortita ab Heraclidarum navibus, quas ibi fabricabant, ut tradunt Stephanus, & Strabo *lib.* 9. Unde *Ordo Thronorum Metropolitanorum*, *ad*

ad calcem Codini de Histor. Byzant. n. 35. Episcopum *Naupacti Exarchum* appellat *totius Ætoliæ*. Utriusque Epiri mentio extat in Concilio Chalcedonensi, & Veteris quidem Metropolis assignatur Nicopolis, Novæ autem Dyrrhachium. Hujus Provinciæ urbes has onumerat Hierocles Grammaticus.

Provincia Veteris Epiri sub Præside. Urbes XII.

Metropolis Nicopolis.	Phœnice.	
Dodona.	Anchiasmus.	
Eurhœa.	Butritus.	
Ænii.	Photice.	
Adrianopolis.	Cercyra Insula.	* Thrace Insula, *vel ut corrigit Holstenius:* Ithaca Insula.
Appon.	*Thraconesus*.	

Emendandum arbitror Ænii nomen, ejusque loco substituendum *Actii*, quæ urbs est Epiri, hac tempestate tamen excisa, ad Os sinus Ambracii, ubi Augustus Antonium, & Cleopatram vicit; Nicopolis vero urbs non in ipso Actio promontorio, sed prope è regione oris sinus Ambracii, ab Actio M. P. in Arcton dissita.

Novæ Epiri Metropolis Dyrrhachium nuncupatur, cujus meminit Ordo Ecclesiarum Leonis Sapientis. Prius vocabatur Epidamnus, seu Epidamnū, sic dictum ab Epidamno Rege Barbarorum; sed, ut tradit Plinius *lib.* 4. *c.* 27. Romani eo Coloniam deducentes, Dyrrhachium dicere maluerunt, propter insauspicatum nomen Epidamni, tamquam a damno impositum, sit, quasi illuc nemo sine damno divertat. Appianus tamen sic habet: *Epidamnus Rex urbem condidit, quæ ab ipso nomen assumpsit. Hujus ex filia nepos Dyrrhachus portum urbi adjecit, qui Dyrrhachium appellatur.* Hæc civitas in ea parte Epiri constructa est, quæ Adriatico mari incumbit, tritissimo è Græcia in Italiam trajectu nulli non nota. Nilus Doxapatrius quatuor dumtaxat ei Episcopatus attribuit: *Dyrrhachium habens Episcopatus IV.* At Hierocles Grammaticus novem urbes in hac Provincia collocat.

Provincia novæ Epiri sub Consulari. Urbes IX.

Dyrrhachium, quæ alias Epidamnus.

* Scapta.	*Scappa*.	Aulon.
	Apollonia.	Aulinidos Metropolis.
* Bulis.	*Bulus*.	Listron, &
	Amantia.	Scepon.
	Pulcheriopolis.	

Perperam Hierocles Aulinidem Metropolim facit novæ Epiri, si præsertim de Metropoli Ecclesiastica sermo sit, sed neque de Civili, cum ignotum prorsus sit istius urbis nomen. Est quidem Aulon Plinio commemorata Corinthiorum colonia in Macedonia: & altera ejusdem nomi-

minis urbs Laconiæ, quæ Stephano una est ex centum. Strabo similiter Aulidem urbem describit juxta Chalcidem in Boeotia, cujus meminerunt Ovid. 12. *Metamorph.* Virgilius *Æneid.* 4. Lucanus, & Homerus *Iliad.* 2. At nullus Aulinidem in Epiro, aut alia Orbis parte memorat. Potius Aulonidi, quæ nunc vulgo *Valona* dicitur id tribuere debuisset. Aulon quippe urbs olim Episcopalis sub Atheniensi, postea sub Dyrrhachino, deinde & ipsa Metropolis est effecta. Istius urbis meminerunt Strabo, Plinius, & Ptolemæus; eamque ob vini, & lanæ copiam celebrat Martialis (1):

Nobilis, & Lanis, & felix vitibus Aulon,
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

CAPUT III.

Synopsis.

I. Dacia Illyrici Orientalis altera Diœcesis. Ea Getas, & Dacos complectebatur, a primaria Provincia nomen consecuta. In duas hæc dividitur, Mediterraneam, & Ripensem.

II. Veteris Daciæ limites describuntur. A Græcis Thraciæ, a Romanis Scythiæ Europeæ contributa est. Transylvania ad illam spectat. Ejus populi olim fuerunt Sarmatæ, Getæ, Basturnæ, & Jazyges.

III. Valachiam, & Moldaviam veteri Daciæ adscribit Zamoscius.

IV. Nemo ante Tiberium Daciam obtinuit. Ipse Romani Imperii Provinciam fecit. Gallienus partem Daciæ amisit ultra Danubium. Aurelianus traductis Daciæ populis, qui erant trans Danubium in Mœsiam duas Dacias fecit, Mediterraneam scilicet, ac Ripensem.

V. Pagius censet non ab Aureliano, sed a Diocletiano, vel potius a Constantino Daciam fuisse divisam; sed refellitur. Vopiscus singulari numero Daciam commemorat, ut eam discernat ab altera trans Danubium: quæ infra in duas ab Aureliano secta fuit.

VI. Quo tempore Dacia Evangelium susceperit incertum est. Verisimile videtur ab Apostolorum Discipulis Christi fidem ibi annuntiatam. Sub Constantino Sardica erat Daciæ Metropolis, cui plures suberant Episcopi. Post Constantinum S. Nicetas Dacorum, & finitimarum Gentium Apostolus creditus est.

VII. Trajanus urbem Sarmiz Daciæ caput, Ulpiam Trajanam appellavit.

VIII. Daciæ Mediterraneæ Metropolis est Sardica, cujus urbes describit Hierocles. Non solum Daciæ Mediterraneæ, sed etiam Ripensis, immo & Mœsiæ Metropolim constituunt Carolus a S. Paulo, & Schelstrates; sed hæc opinio rejicitur.

IX. Daciæ Ripensis Metropolis est Rhætiaria, seu Raziaria. Urbes a Hierocle recensitæ.

X. Mœsia ab Augusto subacta latius extendebatur. A Trajano in duas Provincias secta est Superiorem, & Inferiorem. Superioris Mœsiæ Metropolis Viminacium. Urbes illi subjectæ.

XI. Dardania a Mœsia distracta. Ejus Metropolis Scupon cum suis urbibus.

XII. Prævalis post Augusti tempora in Provinciam constituta. Antiquam ejus Metropolim fuisse Acridam putat Schelstrates; sed refellitur. Propria illius Metropolis videtur Scodra, quæ cum suis Urbibus a Hierocle exhibetur.

(1) Martialis lib. 13. Epigramm.

I. Rientalis Illyrici Dioecesim alteram hic exponere aggredimur, quam Notitia Imperii Daciam a primaria ejus Provincia appellat. Est vero Dacia regio Scythiæ Europeæ, quam aliqui Thraciæ partem, aliqui conterminam esse volunt. Eam ita metitur Ptolemæus *lib.* 3. *cap.* 8. Ad Septemtrionem Carpatho monte a Sarmatia dividitur; ad Occasum autem Tibisco fluvio ab Jazygibus Metanastis, ad Meridiem, & ad Ortum usque ad Danubium extenditur. Hujus regionis populi Daci dicuntur, olim etiam Davi, * & Dahæ, ut testis est Strabo *lib.* 17. Appianus Getas, eosdem esse putat, ac Dacos, quem sequutum est Onomasticon. Strabo Getas a Dacis distinguit, ita tamen, ut Daci Getis sint proximi. Getæ siquidem ad Pontum in Orientem vergunt; Daci autem in oppositum versus Germaniam, & ad Istri fontes. Ælius Spartianus scribit, Getas dictos fuisse, qui postea Gothi appellati sunt. De iis Ovidius de Ponto:

Nulla Getis toto gens est truculentior Orbe.

* Terentius: Davus sum non Oedipus.

Virgilio itidem 3. Georg. *Pharetrati Getæ* dicuntur. Getæ nunc vulgo *Moldavi* appellantur, quà mare Euxinum attingunt, inter ostia Istri, & Tyræ, populis Sarmatiæ Europeæ, Dacisque finitimi. Non abnuerim tamen in Notitia Imperii, apud Jornandem, aliosque Veteres, Dacia comprehendi etiam ex parte saltem Getarum regionem. Hodie tota hæc Illyrici portio Transylvaniæ, Vallacchiæ, & Moldaviæ nominibus cognita est. Notitia Imperii, sicuti & Jornandes Daciam in Mediterraneam, & Ripensem dividunt: Mediterranea est Transylvania, & Moldavia: Ripensis vero, quæ & Dacia Alpestris dicitur, inter Alpes, & Danubium posita, nunc Vallacchia nominatur.

II. Veteris Daciæ ampliores fuisse limites nos docent Sextus Rufus, Eutropius, & Jornandes, dum eam ultra Danubium latissime se protendentem describunt: qua de re paulo post agemus. Singulas ejus partes enumerat explicatque Stephanus Zamoscius(1) in *Analectis Lapidum vetustorum, & Antiquitatum Daciæ*. Complectebatur cum primis Transylvaniam, a Sylvarum ambitu cui est insinuata, sic dictam. Ea a Græcis, cum Monarchiam obtinerent, Thraciæ contributa fuit, a quibus etiam omnis illa ora nec solo, ut Pomponius Mela ait, tractabilis, & a reliquo Græciæ corpore montium, ac Sylvarum asperitate sequestrata, eo nomine donata est. A Romanis autem Scythiæ Europeæ pars habita, & Daciæ nomine celebrata fuit. Olim a Tibisco fluvio, ad Euxinum usque Pontum, a Sarmaticis montibus usque ad Danubium excurrebat; hodie vero, quæ Transylvania dicitur, vix trientem Daciæ implet. At Ptolemæus his limitibus minime contentus Carpaticis etiam montibus Daciam circumscribit, qui a Sarmaticis montibus orti, ultro citroque radicibus dispalatis, in Daciam descendunt, ubi divaricati, insulari pæne forma Transylvaniam regionem constituunt, atque hic jam Carpatum nomen obtinent, ex Ptolemæi descriptione. Itaque Transylvanici montes, quibus ipsa regio inhæret, non Carpatum radices, sed ipsi sunt Carpates; Sylvarum autem saltus, qui hos montes undique vestiunt, & regioni nomen imponunt, Hercyniæ Sylvæ appendices esse Veterum testimonia confirmare videntur. Nam Julius Cæsar *lib.* 6. *Commentar.* Herciniam Sylvam

(1) Zamoscius in Anaclectis Antiquit. Daciæ cap. 1.

vam in Europa omnium maximam, ait, in Germania oriri a recta fluminis Danubii regione, & ad fines Dacorum pertinere. Quod vero hac nostra ætate ejus Sylvæ magnitudo continua non sit, sed multis urbibus, longisque interrupta spatiis, populorum inhabitantium multitudo efficit, qui excisis Sylvis, superatisque montibus eam habitationi accommodam reddiderunt. Non soli Daci, sed & aliæ gentes olim veterem Daciam inhabitarunt, ut Sarmatæ, Getæ, Bastarnæ, Jazyges, aliique populi, quorum Ovidius exul toties meminit. Jazygum vix memoria superest amplius. Ptolemæus, qui Antonino imperante vixit, regionem Jazygum Tibisco fluvio, itemque Danubio, & Sarmaticis montibus comprehendit: quod terræ spatium non est aliud, quam mediterranea illa, & campestris Ungariæ pars Danubio, & Tibisco fluminibus interjecta. Quocirca falluntur nonnulli recentes Geographi, qui Jazygum regionem Septem Castra, seu Transylvaniam esse putant, cum hæc ipsa olim fuerit Veteris Daciæ, non Jazygæ pars. In Jazygum regione ponit Ptolemæus Gormannum, quod hodie Cassoviam vocant. In Mediterraneis Jazygum obsoletæ gentis oppidum adhuc remansit *Jazbrim*, idem Jazygum fons, Germanica nomenclatura: ad eamdem alii volunt pertinere regionem Varadinum, & Agriam. Dacos, quibus Getæ finitimi, olim & permixti Mediterranea occupasse ab Occidente Germaniam versus, & Istri fontes scripsit Strabo *lib. 7.* qua in re castigandus est: nam ad Istri fontes, qui in media Germania fere oriuntur, Daci numquam habitarunt, cum ea Europæ pars omni ævo Germaniæ fuerit attributa. Quare loco *Istri*, substitui debet, Tissi fontes: nascitur quippe Tissus in Montibus Carpaticis, quibus Daci, & Getæ terminantur.

III. Valachiam Veteris Daciæ olim portionem fuisse existimat Zamoscius laudatus: (1) ex veterum quandoquidem sepultis urbium ruderibus lapides plurimi Romanis characteribus notati eruuntur, ex quibus colligitur, loca illa coloniis Romanorum frequentata, atque in iis Dacorum, & Jassiorum nomina sunt conspicua. Partem nunc ejus regionis tenent Valachi. Alteram Veteris Daciæ partem esse Moldaviam, censet idem Auctor, qui & observat, a Mæotide Palude cui adhæret, quasi Mæotaviam dictam, quæ nunc corrupto vocabulo Moldavia nuncupatur. In pervetusto lapide marmoreo, quod idem Zamoscius transcripsit, (2) occurrit Provincia *Collia*, & ipsa Veteris Daciæ pars, quæ nunc Transalpina vocatur ab Alpium dorsis, quæ in colles & clivos desinunt, Collia appellata, adeo ut priscis temporibus pars illa Daciæ Montana aliam habuerit a reliqua appellationem.

IV. Nemo ante Tiberium Daciam obtinuit: (3) *Curio Daciam tenus venit, sed tenebras saltuum expavit*, inquit Florus. Julio Cæsari consilium insederat, (4) *Dacos, qui se in Pontum, & Thraciam effuderunt, coërcere: mox Parthis inferre bellum per Armeniam Minorem, nec nisi ante expertos aggredi prælio. Sed talia agentem, atque meditantem mors prævenit*, referente Suetonio. Octavianus Augustus *coërcuit* quidem *Dacorum incursiones, tribus eorum Ducibus cum magna copia cæsis*; sed nequaquam subjugavit: quod luculenter tradit L. Florus: (5) *Daci montibus inhærent. Cotisonis Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, discurrere solebant, & vicina populari. Vi-*

(1) Zamoscius in Analectis Antiquit. cap. 3.
(2) Ibid. cap. 5.
(3) L. Florus lib. 3. cap. 4.
(4) Suetonius in Julio Cæsare cap. 44.
(5) L. Florus lib. 4. cap. 12.

Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam, citra præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota, atque dilata est. Tentavit postea Flavius Domitianus Imperator Daciam debellare, sed frustra: cum enim contra Decebalum Dacorum Regem duxisset exercitum, belli partem attigit nullam. Tum paulo post victus a Marcomanis fugatusque, cum Decebalo pacem fecit: Tametsi Romam reversus ridiculum de Dacis triumphum egit. Hæc refert Dio Cassius *lib.* 67. Suetonius vero triumphi quidem meminit; (1) sed quæ sequuta sunt prœlia varia fuisse affirmat: *In Dacos duas expeditiones suscepit, primam Oppio Sabino Consulari oppresso: secundam, Cornelio Fusco Præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque post varia prœlia, duplicem triumphum egit.* Trajano Imperatori hæc palma reservata est, is quippe duas adversus Dacos expeditiones suscepit, quæ in Columna Trajana repræsentantur. Dio Cassius scripsit, hoc bellum *securè magis, quam celeriter gestum*, & Dacos *vix* tandem *subactos*: fere enim quinquennium huic bello adscripsisse videtur ipse Trajanus, apud Julianum Imperatorem lib. de Cæsaribus ita loquens: *Et hoc quidem tantum opus annis fere quinque confeci.* Quamobrem sub Trajano Dacia Imperio Romano accessit; nec tamen diu stetit. Gallieno quippe, Imperii habenas moderante, Dacia amissa est, ea saltem parte, qua ultra Danubium sese diffundit. Utrumque a Sexto Rufo memoriæ proditum est: (2) *Trajanus Dacos sub Rege Decibalo vicit, & Daciam trans Danubium in solo Barbarico Provinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum: sed sub Gallieno Imperatore amissa est, & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mæsiæ factæ sunt.* Magnum terræ tractum, cum cis, tum trans Danubium Daci incolebant: omnes vero, qui ultra Danubium habitabant, Trajanus debellavit. De hac gente Dio Cassius hæc refert: *Daci* (3) *ex utraque parte Danubii habitant, quorum qui circa id flumen sunt, Triballorum vicini Mysorum more vivunt, ac Mysi ab omnibus, nisi qui easdem regiones incolunt appellantur: qui ultra Danubium degunt, Daci vocantur.* Trajanus itaque etiam Dacos ultra Danubium degentes vicit, eorumque regionem in Provinciam redegit: quod æque ac Rufus testatur Eutropius, de Trajano ita loquens: *Daciam* (4) *Decibalo victo subegit, Provincia trans Danubium facta.* Partem tamen illam Daciæ trans Danubium constitutam, perdidit Gallienus, solaque illa mansit, quæ est infra hoc flumen. Quo autem facilius Romanis in Daciam pateret aditus, pontem illum mirabilem supra Danubium construxit, Trajanus, hac ei inscriptione apposita: *Providentia Augusti vere Pontificis, Virtus Romana quid non domat? Sub jugum ecce rapitur Danubius.* Verum ab Hadriano Trajani successore eversum fuisse, *ne Barbari oppressis custodibus Pontis in Mysiam facile transirent*, refert *Dio lib.* 68. Porro amissa, quæ ultra Danubium erat, Dacia sub Gallieno, Aurelianus translatis inde Romanis in Mœsiam, ibi duas Dacias instituit, ut Rufus supra laudatus commemorat; nec obscure insinuat Vopiscus, (5) Aurelianus *cum vastatum Illyricum, & Mæsiam deperditam videret, Provinciam trans Danubium a Trajano constitutam, sublato exercitu, Provincialibus reliquit, despe-*

(1) Suetonius in Domitiano cap. 6.
(2) Rufus in Breviario.
(3) Dio lib. 51.
(4) Eutropius lib. 8.
(5) Vopiscus in Aureliano.

desperans eam posse retineri: abductosque ex eo populos in Mœsiam collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit. Quamobrem a Gallieni temporibus sola Dacia, quæ cis Danubium est, ac Mœsiæ contermina, Romanis remansit, in duas secta Mediterraneam, & Ripensem.

V. Hic Vopisci locus occasionem præbuit Francisco Pagio existimandi, *divisionem* [1] Daciæ in Mediterraneam, & Ripensem, non Aurelianum, sed vel Diocletianum, vel potius Constantinum Magnum habere auctorem: Vopiscus enim unicam tantum memorat Daciam, quam Aurelianus suam vocabat. In libro itidem de *Mortibus Persecut. cap. 9.* quem Lactantio Firmiano adscribunt, unius Daciæ fit mentio: *cum Mater ejus Transdanubiana* (ex vetere nempe Dacia) *infestantibus Carpis in Daciam novam transfugerat*. Igitur hæc duarum Daciarum divisio a Constantino facta videtur. At Vopiscus singulari numero Daciam commemorat, ut ab altera, quæ ultra Danubium erat, quamque ipse reliquerat Provincialibus, distingueret: hanc vero cis Danubium sitam in duas postea discrevit, Ripensem videlicet, & Mediterraneam: priorem autem, nempe Ripensem suam appellavit, quia ejus erat Patria, ut testatur Eutropius: [2] *Aurelianus*, inquit, *suscepit Imperium Dacia Ripensi oriundus*. Consulto propterea Vopiscus dixit, *appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit*: Dacia enim Ripensis utramque Mœsiam disterminat. Pari modo Lactantius, sive quisquis est Auctor libri *de Mortibus Persecutorum*, *novam Daciam* vocat, non quod sua ætate una esset Provincia, sed ut eam a vetere Dacia discerneret, quæ longe amplior erat, & ingentem ultra Danubium terræ tractum comprehendebat. Alii sane Scriptores disertis verbis affirmant, duas Dacias, Mediterraneam nimirum, & Ripensem ab Aureliano institutas. Sic Sextus Rufus: [3] *Per Aurelianum*, ait, *translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ factæ sunt*. Et Jornandes: [4] *Daces autem post hæc jam sub Imperio suo Trajanus, Decibalo eorum Rege devicto, in terras ultra Danubium, quæ habent mille millia spatia, in Provinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit: Aurelianusque Imperator, evocatis exinde legionibus, in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam Mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam junxit*. Eutropius itidem de Aureliano, & Aurelius Victor de Galerio nequaquam dixissent, eos *Dacia Ripensi* oriundos esse, nisi tunc constituta fuisset divisio Daciæ Ripensis, & Mediterraneæ.

VI. Quo tempore Dacia Evangelium Christi susceperit incompertum habeo. A D. Paulo in eas regiones illatam Christi fidem, quispiam fortassis ex eo conjiciet, quod Origenes apud Eusebium *lib. 3. Hist. Eccl. cap. 1.* asserat de Paulo, eum *ab Jerusalem ad Illyricum usque prædicasse*: quod idem Paulus de se ipso scribit *in epist. ad Romanos, cap. 15. vers. 19.* Verum hæc, & ejusmodi testimonia de Illyrico, quod tunc Romanis parebat, intelligenda sunt; Dacia autem post D. Pauli Martyrium Trajano regnante Imperio accessit. Arbitror tamen ab ejusdem Pauli, & Apostolorum discipulis, postea quam regio illa Romani juris facta est, Christianam Religionem ibi propagatam Ecclesiasque erectas. Sardica enim sub Constantini Imperio Ecclesiastica Metropolis erat Daciæ, cui alii suberant Epi-

(1) Pagi ad ann. 396. num. 11.
(2) Eutropius lib. 9.
(3) Rufus in Breviar.
(4) Jornandes lib. 1. de Regn. ac Tempor. successi.

Episcopatus non recens constituti, sed diu antea fundati. Tametsi autem ante Constantini tempora Evangelii lux Dacis effulserit, hanc tamen gloriam sibi promuerit S. Nicetas, ut Dacorum, sicuti & finitimarum Gentium Apostolus habitus sit, & ipse ex Dacia ortus; cujus vitæ cum nulla extent Acta, nos latent tam multa, quæ Vir Sanctissimus in Evangelica prædicatione, & tot barbararum gentium conversione patravit. Unus Sanctus Paulinus Nolæ Episcopus, qui aliquando Nicetam hospitio excepit, illius Apostolatum eleganti Poëmate descripsit, ex quo discere possumus, quas ille gentes ad Christi fidem perduxerit. Paulinus quippe cum de S. Nicetæ Roma in Daciam reditu locutus est, *vers.* 196. *ait:* (1)

O quibus jam tunc resonabit illa
Gaudiis tellus, ubi tu rigentes
Edoces Christo fera colla miti
Subdere gentes!
Quaque Riphæis boreas in oris
Alligat densis fluvios pruinis,
Hic gelu mentes rigidas superno
Igne resolvis.
Nam simul terris animisque Divis,
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti, duce Te, gregantur
Pacis in aulam.
Quasque cervices dare servituti,
Semper a bello indomiti negarunt,
Nunc jugo veri Domini subactas
Sternere gaudent.
Nunc magis dives pretio laboris
Bessus exultat: quod humi manuque
Ante quærebat, modo mente cœlo
Colligit aurum.
O vices rerum! bene versa forma!
Invii montes prius, & cruenti
Nunc tegunt versos Monachis latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est,
Vertitur cœlo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum:
Et latet justus, quibus ipse latro
Vixit in antris.
Præda fit Sanctis vetus ille prædo,
Et gemit versis homicida damnis:
Jure nudatus, spoliante Christo,
Criminis armis.
Interit casu Satanæ vicissim
Invidus Cain, redivivus Abel
Pascit effusi pretio redemtos
Sanguinis agnos.
Euge Niceta, bone serve Christi,
Qui tibi donat lapides in astra
Vertere, & vivis sacra templa saxis
Ædificare.
Avios saltus, juga vasta lustras,
Dum viam quæris, sterilemque sylvam
Mentis incultæ superans, in agros
Vertit opimos.
Te patrem dicit plaga tota Borræ,
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera, Te magistro,
Pectora ponit.
Et Gethæ currunt, & uterque Dacus:
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pilleatus
Accola ripæ.
De Lupis hoc est vitulos creare,
Et bovi junctum palea Leonem
Pascere, & tutis cava viperarum
Pandere parvis.
Namque mansueto pecori coire
Bestias, pulsa feritate, suades
Qui feras mentes hominum polito
Imbuis ore.
Orbis in muta regione per Te
Barbari discunt resonare Christum
Corde Romano, placidamque casti
Vivere pacem.
Sic tuo mutus Lupus est ovili,
Pascitur concors vitulus Leoni,
Parvus extracto trucibus cavernis
Aspide ludit.
Callidos auri legulos in aurum
Vertis, & Bessos imitaris ipse,
Equibus vivum, fodiente verbo,
Eruis aurum.

Vi-

(1) Paulinus Poëmate 17. alias 30.

Varios hic populos enumerat Paulinus a S. Niceta ad Christifidem conversos; quos inter præcipui sunt Bessi, Getæ, & Daci. Bessi fere omnem montem Hæmum incolebant, a Dardaniæ finibus, usque ad Rhodopen montem, & usque ad Pangæum montem in Macedoniæ terminis, uti ex Strabone, (1) & Solino discimus: Prior enim ait: *Bessi majorem Hæmi partem tenent, & a latrociniis prædones appellantur, tuguria incolentes, vitamque degentes duram, attingentes Rhodopen*. Solinus vero inquit: (2) *Bessorum multa nomina ad usque Nestum amnem, qui radices Pangæi circumfluit*. Thraciæ erant populi a quibus Bessica regio dicta fuit: hos a M. Lucullo primum devictos, refert Sextus Rufus: (3) *M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus conflixit; ipsam caput gentis Thraciam vicit*. Idipsum Eutropius, qui & primariæ Bessorum urbis meminit: (4) *Alter Lucullus qui Macedoniam administrabat, Bessis Romanorum primus intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Æmo monte superavit: oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, vicit*. Uscudama olim Thraciæ Metropolis fuit, quæ postea Adrianopolis dicta est, uti observant Jornandes lib. 1. Ammianus Marcellinus, aliique Scriptores. De Getis antea vidimus, eos inter Daciæ populos quondam recensitos: hos autem eosdem fuisse ac Gothos multi credunt, post D. Hieronymum in *Quæstionibus Hebraicis* dicentem, omnes eruditos per Getas intellexisse Gothos. Alii autem Getas a Gothis quidem oriundos volunt, diversos tamen. Sed de hac re alibi. Inter Nicæni Concilii Patres subscriptus legitur *Theophilus Gothyæ* Metropolis. His Scythas, & utriusque Daciæ populos adjungit Paulinus, quos omnes a S. Niceta Christi fide imbutos fuisse affirmat. De Scythia Romana intelligendus est, cujus caput est Tomi, quam Lazius, Zamoscius, & alii volunt esse urbem illam in Transylvaniæ confinio, quæ nunc vulgo dicitur *Temes vuar*; eaque Provincia ad Diœcesim Thraciæ pertinebat. At Cluverius aliique Tomos collocant in littore Pontico. Ob tot gentes Sacro Baptismate a S. Niceta tinctas, merito Baronius *ad ann. 396.* eum vocat Apostolum Bessorum, Getarum, seu Gothorum, ac Dacorum, & Scytharum. Ejus diserta mentio habetur in Martyrologio Romano ad diem 7. Januarii: *In Dacia S. Nicetæ Episcopi, qui feras, & barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit, ac mansuetas*. Cujus urbis Daciæ fuerit Episcopus Niceta, dissident Scriptores, Baronius, (5) & Bollandus ad diem 7. Januarii eum in Veteri Dacia ultra Danubium posita Episcopum fuisse putant. At Lucas Holstenius *in Notis ad Martyrologium Rom. die 22. Junii*, & Franciscus Pagius *ad ann. 396. num. 6. & 7.* Episcopum Romatianæ in Nova Dacia fuisse contendunt, eumdemque esse volunt ac S. Niceam, cujus extat memoria in Martyrologiis Adonis, Usuardi, & Romano, & Romatianæ civitatis Episcopus appellatur; in antiquis enim Codicibus *Nicetas*, sæpe Niceas vocatur errore sine dubio Librariorum. Quod Holstenius probat ex *admirandæ antiquitatis* Codice Gennadii *in lib. de Script. Eccles.* ubi loco *Niceæ*, *legitur Nicetas* Romatianæ civitatis Episcopus, quam lectionem etiam conservat vetus MS. Sancti Germani. Est porro *Romatiana* non Aquileja, ut falso putat Baronius in notis *Martyrol. ad diem 22. Junii*, deceptus a Leandro, qui Aquilejam Romatianam nuncupa-

(1) Strabo lib. 7. pag. 318.
(2) Solinus cap. 10.
(3) Rufus in Breviar.
(4) Eutropius lib. 6.
(5) Baronius ad ann. 370. num. 116.

cupavit. Nemo quippe ex antiquis, aut recentioribus Geographis præter Leandrum hoc dixit. Meminerunt quidem nonnulli urbis Carnorum, quæ Romatiana dicebatur, sed ut Ortelius observat, non Aquileja, sed Concordia hæc fuit, quam, & Portum Romatianum appellarunt, a Romatiano fluvio, qui ex Alpibus Carnicis inter Liquentiam, & Tilaventum fluens, mare Adriaticum apud Concordiam subit. Romatiana igitur urbs est Daciæ ut volunt Holstenius, & Pagius, quam Hierocles in Dacia Mediterranea collocat, & ejus Latinus interpres perperam *Rhemesianam* vocat, cum tamen Romatiana dicenda sit, ut notat Carolus a S. Paulo *pag.* 25. Fateor tamen apud neminem Veterum hoc nomine indigitari, sed vel *Remesianam* apud Hieroclem, vel *Romasianam* in Itinerario Jerosolymitano apud Bertium *pag.* 41. vel *Remisianam* in Itinerario Antonini: vel tandem *Romessianam* nuncupari ab Anonymo Ravennatensi, & in Tabulis Peutingerianis *seg.* 5. & ubique in Nova Dacia ponitur. Modicum item fuit Daciæ Ripensis Oppidum Romulianum dictum, ad Tibiscum fluvium, apud Segedinum urbem, ubi Galerius Imperator sepultus est, eique nomen ex vocabulo Romulæ matris indidit, ut tradit Aurelius Victor in Epitome. At civitas non est, sed pagus, cui proinde tamquam Episcopus præesse non potuit Nicetas.

VII. Postquam Trajanus Daciam subjugavit, & Decebalum Regno, & vita exuit, Regiam illius *Sarmiz* prius dictam, Coloniam Ulpiam Trajanam de se cognominavit, cui etiam alterum nomen additum fuit *Æthusa*, ac postea *Ægethusa*: ac tandem coarcevatis nominibus priscis & recentibus, appellata est *Ulpia Trajana Sarmizægethusa*. Quæ omnia passim in pervetustis lapidibus apud eamdem urbem visuntur: necnon in Pandectis Justiniani *ff. de Censibus l.* 1. §. 9. quamquam ibi pro *Indicia*, *in Dacia* esse legendum, recte admonet Guidus Pancirollus. Inclytæ urbis vestigia extant in Castro, quod nunc dicitur *Zarmis* in Transylvania ad radices montium 6. leucis ab Aluta fluvio in Occasum distans. Olim civilem fuisse totius Daciæ Metropolim demonstrant veterum Lapidum inscriptiones, quas exhibent, Wolfangus Lazius *lib.* 2. *Reip. Romanæ cap.* 2. *p.* 105. Et Stephanus Zamoscius laudatus. Qua excisa, utrique Daciæ propria Metropolis attributa est.

VIII. Daciæ Mediterraneæ Metropolis est Sardica, urbs celebris Illyrici, ad quam sub Constantio Imperatore, Orientis atque Occidentis Episcopi convenerunt, ibique Synodum celebrarunt, ab hac urbe Sardicensem dictam. Ejus meminit Theodoretus *lib.* 2. *Histor. Ecclesiast. cap.* 4. *Est autem*, inquit, *Sardica urbs Illyrici Metropolis Provinciæ Daciæ*. Protogenes Sardicensis Nicæno Concilio subscripsit. Urbium hujus Provinciæ catalogum hunc exhibet Hierocles Grammaticus.

Provincia Daciæ Mediterraneæ sub Consulari. Urbes V.

Sardica Metropolis.	*Nænsus*.	* Naisus.
Pantalia.	Rhemesiana.	
Germe.		

Non

Non solum Mediterraneæ, sed etiam Ripensis Daciæ, immo etiam Mœsiæ Primæ Sardicam fuisse Metropolim Ecclesiasticam, observat Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis in Geographia sacra; idque ex eo conjicit, quod nulla nec in Conciliis, nec apud Auctores antiquos Historiæ Ecclesiasticæ, alia Metropolis trium harum Provinciarum, præter Sardicam adnotata sit. Hoc ipsum observatum fuit etiam Schelstrati *Tom. 2. Antiq. Eccles. Illust. dissert. 4. cap. 99. §. 3.* „ ubi hæc habet: (1) Secunda Illyrici „ Diœcesis est Dacia, cujus quinque „ Provincias Notitia Imperii enume- „ rat, duas nimirum Dacias, Mœ- „ siam Primam, Dardaniam, & Præ- „ valitanam, quarum tres priores in „ antiqua Mœsia, quæ a Macedonia „ ad Danubium pertingebat, con- „ stitutas fuisse ex Sexto Rufo intel- „ ligimus, affirmante, quod per Au- „ relianum *duæ Daciæ in regionibus* „ *Mœsiæ factæ sint*. Ex eo autem, „ quod usque ad Aureliani tempora „ omnis ille tractus, qui inter Mace- „ doniam, & Danubium interjacet, „ unam Provinciam constituerit, cu- „ jus Metropolis erat Sardica, fa- „ ctum est, quod Ecclesia Sardicensis „ in tribus illis Provinciis Metropo- „ litanam auctoritatem obtinuerit, „ testante Theodoreto *lib. 2. cap. 4.* „ quod sub Constantio, Orientis, & „ Occidentis Episcopi Sardicam con- „ venerint. Unde inter Metropoli- „ tas, ad quos litteras misit Leo Im- „ perator, reperitur Zosimus Sar- „ dicæ.

Verum multa sunt, quæ ab hac Sententia me retrahunt. Cum primis Innocentius I. qui longe ante Leonem Imperatorem floruit, in epistola ad Rufum Episcopum Thessalonicensem, quam V. Clar. Lucas Holstenius *in Collectione Romana pag.* 48. e tenebris erutam in lucem dedit, enumerans Provincias Thessalonicensi Metropolitæ, tamquam Vicario Apostolicæ Sedis, & Primati totius Illyrici subjectas, inter eas recenset *Daciam Mediterraneam, Daciam Ripensem, & Mœsiam*, earumque Ecclesiarum curam Rufo commendat, *salvo tamen earum Primatu*, hoc est jure Metropolitico; hoc enim nomine vocat Innocentius Provinciarum Illyrici Metropolitas, quibus nihilominus præsit Thessalonicensis, tamquam omnium Primas, ut ibidem ab Innocentio appellatur: *Inter ipsos Primates, Primus*. Proprius igitur singulis utriusque Daciæ, uti & Mœsiæ Provinciis præsidebat Metropolita: alioquin nihil necesse erat tres illas Provincias sigillatim exprimere, cum Innocentius non Civilem, sed Ecclesiasticam Provinciarum dispositionem spectaret. Præterea ipse Theodoretus Sardicam non Mœsiæ, sed Daciæ Metropolim vocat; erat vero Mœsiæ Metropolis *Viminacium*, antequam Mœsia in duas Provincias divideretur. Ut enim animadvertit V. C. Pagi in *Critica* Baronii, *ad ann.* 418. *num.* 76. anno 412. qua epistola illa Innocentii ad Rufum data est, Mœsia nondum divisa fuerat in Superiorem, seu Primam, & Inferiorem, seu Secundam, cujus Metropolis fuit Marcianopolis; sed hæc divisio a Theodosio Juniore facta est ante Concilium Ephesinum anno 431. celebratum; cum quædam contestatio ad illud directa fuerit, quæ extat *cap. 7. Synodici adversus Irenæum*; in qua legitur: *Dorotheus Episcopus Marcianopoleos Mœsiæ Secundæ subscripsi*. Neque necesse erat in Epistola Leonis Imperatoris omnes Metropolitas nominari sigilatim, sed dumtaxat præcipuos.

IX. Habet igitur Dacia Ripensis propriam Metropolim, nedum Civilem,

(1) Schelstrates Tom. 2. Antiquit. Eccles. Illustr. dissert. 4. cap. 9. §. 3.

lem, verum etiam Ecclesiasticam, eaque Rhætiaria, vel Razaria nuncupatur. Duæ tamen sunt ejusdem nominis urbes in hac Diœcesi Illyrii, una Ptolemæo est urbs Mœsiæ Superioris apud Istrum fluvium, & Nicopolim urbem: altera in Dacia Ripensi ad Aluram fluvium sita, a Tergovisto Valacchiæ urbe supra 4. L. in Austrum recedens: & hæc est Daciæ Ripensis Metropolis, cujus urbes ex sunt ex Notitia Hieroclis Grammatici.

Provincia, quæ est ad Ripam Danubii, estque Dacia Ripensis sub Consulari. Urbes V.

* Monopia.	Razaria Metropolis.	Castra Martis.
	Benopia.	*Idaus.* * Iscus.
	Acoenes.	

Aliis nominibus indigitantur Episcopatus Daciæ Ripensis in Concilio Sardicensi Editionis Romanæ Græco-Latinæ. *Vitalis de Aquis: Clavus de Castro Martis: Valens Scythopolis.*

X. Proxima Daciæ est Mœsia prima. Sub Augusto Mœsia jam erat Imperii Provincia, sed latius extensa; nam etiam Dardanos, Thraces, & Dacos, qui tamen citra Danubium sunt, complectebatur, ut ex Notitia ejusdem Augusti constat: *Mœsia, in qua Dardani, Thraces, & Daci.* Subactam sub Cæsare Augusto Mœsiam, non obscure indicat L. Florus, de bello contra ipsos ab illius exercitu inito, ita loquens: (1) *Mysi, quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum horribile dictu est. Unus Ducum ante aciem postulato silentio: Qui vos, inquit, estis? Responsum invicem: Romani gentium domini. Et ille, ita, inquit, fiet, si nos viceritis. Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæsorum extis Ducum & litarent, & vescerentur. Deos audisse crederim: nec tubam sustinere potuerunt.* Unde post hac Mœsia a Romanis legionibus possidebatur, cui eæ & præsidio erant. Nam Rhoxolanis Sarmatiæ populis, Othone regnante, in Mœsiam irrumpentibus, tertia Romanorum legio, adjunctis amicorum auxiliis, eos vagos, imparatosque aggrediens statim devicit. Rem narrat Tacitus: (2) *Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam irruperant. Novem millia equitum, ex ferocia, & successu, prædæ magis quam pugnæ intenta. Igitur vagos, & incuriosos, tertia legio adjunctis auxiliis, repente invasit. Apud Romanos omnia prælio apta: Sarmatæ dispersi aut cupidine prædæ, graves onere sarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur.* Et infra inter Provincias, quæ Othoni contra Vitellium parebant, (3) *Mœsiam* celebrat: uti etiam & *Mœsicas legiones*. Harum quoque meminit Suetonius in Vespasiano: *Mœsiaci*, (4) inquit, *exercitus bina e tribus legionibus millia missa auxilio Othoni.* Per id tamen tempus necdum in duas Provincias civiles Mœsia dissecta fuerat; quod tamen sub Trajano contigit, cum in Hadriani Imperatoris Notitia diserta mentio fiat Mœsiæ Primæ in Diœcesi Daciæ, & Mœsiæ Inferioris in Diœcesi Thraciæ. Consulto dixi in duas Provincias Civiles; Ecclesiasticæ siquidem non nisi Theo-

(1) L. Florus lib. 4. cap. 12.
(2) Tacitus lib. 1. Histor.
(3) Idem lib. 1. Histor.
(4) Suetonius in Vespasiano cap. 6.

Theodosio Juniore imperante discretæ fuerunt, ut paulo ante adnotavimus.

Hujus Provinciæ Metropolis Viminacium appellatur. Antonino urbs est ad Danubium ultra Singidunum, a Taurano supra 12. L. in Ortum, Sedes Præfecti Turcarum; quæ vulgo dicitur *Uvicczidern*. Aliis autem videtur *Bidena*, seu *Vidin*, alterius Præfecti Sedes, ultra Singidunum ad 20. L. in Ortum. Urbium ejus catalogum hunc exhibet Hierocles Grammaticus.

Provincia Mysiæ Primæ sub Præside. Urbes V.

Vimenacin Metropolis.
Singidonus.
Gratiana.
Pricornia.
Orthemarchus.

XI. Ex his, quæ de Mœsia hactenus diximus, facile innotescit, Dardaniam esse regionem Mœsiæ Superioris, quæ nunc *Serviam*, *Rasciam*, & *Bosniam* quoque ex parte comprehendit. Ab Augusto subactam ea suadent, quæ nuper attulimus Veterum monumenta, tametsi distincta Provincia a Mœsia tunc non fuerit, ut ejus Notitia declarat, immo nec etiam sub Hadriani Imperio, cujus Notitia nullam Dardaniæ mentionem facit, eo quod adhuc in una Mœsiæ Provincia clauderetur. Ex Mœsia nedum Superiori, verum etiam Inferiori hanc Provinciam abstractam reor; idque conjicio ex ejus Metropoli, quæ est Scupi, quam Ptolemæus, & Trebellius Pollio urbem Mœsiæ Inferioris esse volunt, in Macedoniæ & Thraciæ confinio, ad radices Montis Rhodopes sitam, quæ vulgo *Scopia* vocatur, hoc tempore præclara, & Præfecti Sedes, a Thessalonica ad 100. M. P. in Circium distans, Ulpianæ finitima. Ejus Episcopus Ursilius inter Metropolitanos a Leone Augusto nominatur; & in Epistola Synodica ad eumdem Leonem, se Episcopum Dardaniæ vocat. Synodo quoque Sardicensi ex Dardania subscripsit *Paregorius de Scupis*. Parva est hæc Provincia, cui tres tantum urbes adscripsit Hierocles.

Provincia Dardaniæ sub Præside. Urbes III.

Scupon Metropolis.
Merion.
Ulpiana.

XII. Prævalis, quæ & Prævalitana, ultima est inter Provincias Diœceseos Daciæ. Post Augusti tempora in Provinciam evasit, ejusque prima occurrit mentio in Hadriani Notitia; tum deinde in antiqua Imperii Notitia tempore Honorii edita; apud Sextum Rufum *in Breviario:* Innocentium I. *epist. ad Rufum Thessalonicensem:* & Justinianum in *Novella* 131. *cap.* 3. Undenam hoc nomen Prævalis huic Provinciæ obtigerit hucusque apud neminem reperire potui. Eam tamen partem esse Dalmatiæ ostendunt ejus urbes; Scodra quippe urbs est Mediterranea Dalmatiæ, in confinio Macedoniæ, quæ vulgo *Scutari* idest parvum scutum appellatur: ab Epidauro M.P. distans in Ortum, inter Anaibarum, & Drivastum posita. Lissa pariter, seu Lissum altera Prævalis civitas, ad Dalmatiam & ipsa pertinet,

tinet, apud ostia Drilonis fluvii, media inter Epidaurum Dalmatiæ urbem, & Aulonam Macedoniæ civitatem 100. M. P. utrinque, a Scodra 40. Dyrrhachium versus. Quare arbitror, eam Provinciam ex aliqua tum Dalmatiæ, tum Macedoniæ parte conflatam esse. Istius Provinciæ situm paucis descripsit Michaël Antonius Baudrand Parisinus in Additionibus ad Lexicon Geographicum Philippi Ferrarii: *Prævalis*, inquit, *& Prævalitana Regio pars fuit Illyrici, inter mare Adriaticum ad Occasum, Illyricum sinum ad Meridiem, & Scardum montem, ac Epidaurum ad Boream, ubi nunc pars Albaniæ*. Porro Scardus apud Strabonem mons est in confinio Macedoniæ, Dalmatiæ, & Mysiæ Superioris, ex quo Drinius amnis profluit. Mons hic Livio Scodrus dicitur.

De antiqua Metropoli Prævalitanæ Provinciæ usque ad Justiniani tempora eruditos ambigere, asserit V. C. Emanuel a Schelstrate, *Tom. 2. Antiq. Eccles. Illustr. dissert. 4. cap. 9. §. 3.* a tempore vero ejusdem Imperatoris nullum dubium superesse, cum extet ejus *Novella constitutio* 131. in qua *cap.* 3. legitur: (1) *Per tempus autem beatissimum Primæ Justinianæ nostræ Patriæ Archiepiscopum habere semper sub sua jurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, Prævalis, & Dardaniæ, & Mysiæ Superioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari; ipsum vero a proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apostolicæ Romæ secundum ea, quæ definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio*. Quibus verbis, inquit Schelstrates, significat Imperator, Acridam civitatem suam a Vigilio Papa Diœcesis Daciæ Vicariatum obtinuisse, nec ultra Metropolitanum Provinciæ Prævalitanæ, sed etiam Archiepiscopum, seu Primatem plurimarum Provinciarum creatum fuisse.

At ego nihil video, unde nam Vir eruditus ex hac Justiniani Novella inferre potuit, Primam Justinianam Metropolim Prævalin fuisse institutam, cum non hujus Provinciæ civitas, sed vel Daciæ Mediterraneæ fuerit, vel Dardaniæ. Et quidem Daciæ eam tribuere videtur idem Justinianus *Novella XI.* Procopius vero Dardaniæ Europeæ, dum eam ita descripsit: *Apud* (2) *Dardanos Europæ, qui jam post Epidamiorum terminos habitant, locus est Tauresia dictus: hinc Justinianus Rex Orbis reparator oriundus erat. Hunc locum muro circundans quadrangula figura, singulis angulis turrim imposuit, effecitque ut esset, & vocaretur Quadriturrita. Juxta hunc locum urbem nobilissimam condidit, quam Justinianam Latina voce appellavit; atque hoc modo nutricationis officium altrici patriæ rependit. Fabricavit etiam canales aquarum, ut urbs aquis abundaret: & multa alia narratu digna. Non est facile enumerare Deo sacrata templa, verbis comprehendere Principum habitacula, ingentes porticus, nitida fora, fontes, vias, balnea, loca ubi res venum exponuntur. Magna plane urbs est, & totius regionis Metropolis Illyricorum Archiepiscopum sortita, aliis urbibus ipsi tamquam magnitudine præstanti cedentibus: quo fit, ut etiam honorem Regi rependat.* (3) *Ut enim ipsa Urbs Rege honoratur tamquam alumno, ita e diverso Rex locum illum in urbem evehere curavit.* Novam urbem a Justiniano Imperatore conditam tradit Procopius, non tamen in Prævalitana Provincia, ut Schelstrates putat, sed in Dardania Europea. Ante id tempus Acridam fuisse nuncupatam fere omnes Auctores affirmant. Calepini tamen Dictionarium Venetiis

(1) Justinianus Novella 131. cap. 3.
(2) Procopius de Ædific. Justiniani Imperat. lib. 4.
(3) Rex idem ac Imperator Græcis, unde Basilica libri Imperatorii.

tiis editum ann. 1700. in Macedonia hanc urbem collocat: *Justiniana Prima*, inquit, *quæ & Acridus, & Ptolemæo Lychnidus urbs Macedoniæ, vulgo* Ocrida *& Turcis* (Giustandil) *urbs clara a Dyrrhachio 70. M. P. in Ortum ad lacum cognominem*. At libentius eam vel Daciæ Mediterraneæ, vel Dardaniæ adscriberem, quam Macedoniæ, quamquam, & huic proxima sit. Itaque prima Justiniana non est propria Metropolis Prævalitanæ Provinciæ, tametsi olim sub Justiniano Primatum Diœceseos Daciæ consequuta sit; sed Metropolis hujus Provinciæ est Scodra, quæ nunc Scutari appellatur; quod etiam adnotavit V. Cl. Franciscus Pagi *in Critica Baronii ad ann.* 418. *num.* 76. Modica est hæc Provincia, si tamen talis ea sit, qualem exhibet Hierocles Grammaticus.

Provincia Prævalis sub Præside. Urbes III.

Scodræ. Doracion Metropolis.
Lissus.

Hieroclis tempore fortassis Metropolitana Sedes Scodra Doracion translata fuit: aut quod verisimile est, Doracion erat Metropolis civilis, & Præsidis Sedes. Præterquamquod ignotum est prorsus, urbis nomen, quæ Doracion appelletur.

CAPUT IV.

Synopsis.

I. *Ex Illyrico Occidentali Provincias adscribit Notitia Imperii. Pannonia primo loco ponitur, quæ in Superiorem, & Inferiorem dividitur. Utriusque limites vestigantur.*

II. *Sub Augusto Pannoniæ subactæ. Eas rebellantes domuit Tiberius.*

III. *Hierocles unius tantum Pannoniæ meminit, in qua ponit Sirmium, & Basianam. Ante Attilam Sirmium Illyrici Occidentalis Metropolis fuit. Post everſum Sirmium in tres Metropoles divisum Illyricum Occidentale aliqui censent, nempe ejus partem Laureaco, aliam Salonæ, tertiam Aquilejæ concessam. Alii censent Pannonias ad Mediolanum pertinuisse. Aquileja non nisi occasione schismatis jus in Illyricum sibi usurpavit.*

IV. *Sub Stephano Rege Metropolis Hungariæ Strigonium, quæ est civitas Pannoniæ Superioris. Urbes recensitæ.*

V. *Inferioris Pannoniæ Metropolis Colocia, cum suis urbibus. Savia pars est Pannoniæ Superioris.*

VI. *Dalmatiam Augustus debellavit. Antiqua ejus Metropolis fuit Salona, inde in Spalatum translata. Milonis Notitia in tres partes Dalmatiam distrahit, Dalmatiam propriè dictam, Istriam, & Sclavoniam: Singulæ exponuntur: Quas Metropoles eis tribuat*

VII. *Noricum ubi situm sit. Divisum fuit in Noricum Mediterraneum, & Ripense. Utriusque limites explicantur. Ante Tiberium hæc Regio addita fuit Imperio. Laureacum olim utriusque Norici Metropolis, immo & Pannoniæ.*

VIII. Lau-

VIII. Laureaco ab Hunnis diruto, aliqui putant Metropolim Pataviam translatam, alii Saltzburgum. Lites hinc inde excitatæ. Utrique tandem jus Metropoliticum concessum.

IX. Septem olim Episcopatus Laureaco suberant. Fabianam Viennam Austriæ aliqui censent: sed rejiciuntur. Nunc Laureacensis Episcopatus Salzburgensi paret.

I. Uamquam post Illyricum Orientale Notitia Imperii statim subjiciat, tres Diœceses Præfecto Prætorio Italiæ attributas, quarum una est Illyrici Occidentalis; attamen ne contiguas sibi, eodemque communi etiam nomine affines regiones ab invicem secernamus, Iubet Orientali, Occidentale Illyricum hic adnectere. Sex hujus Diœcesis Provinciæ in Notitia Imperii obviæ sunt, Pannoniæ duæ Prima, & Secunda, Dalmatia, Savia, & utrumque Noricum, Mediterraneum scilicet, & Ripense. Pannonia satis ampla est Europæ regio, cujus ii sunt termini: ab Oriente Mœsia: ab Occidente Noricum: a Septemtrione Germania, a qua Danubio flumine disterminatur. Bipartito dividitur in Superiorem, & Inferiorem: Superior ab Occasu Norico, a Septemtrione Germania, & Istro terminatur; ab Oriente habet Pannoniam Inferiorem, a Meridie Illyrium. Inferior autem Pannonia, ad Ortum Mœsiam habet conterminam: ad Septemtrionem Jazyges Metenastas, quorum regio non illa est, quæ septem Castra, seu Transylvania vocatur, ut aliqui putant, sed Hungaria Transdanubiana: ab Occasu Pannoniam Superiorem: a Meridie Liburniam, quæ nunc dicitur Croatia, prospicit. Magna istius regionis pars hodie *Hungaria* appellatur, quæ tamen latius patet, Jazyges Metanastas complectens, quorum regio a Ptolemæo inter Germaniam ad Occasum, & Daciam ad Ortum, & inter Danubium ad Ausirum, & Carpatem Montem ad Septemtrionem ponitur, Tibisco eam a Dacia separante: quo in situ Hungaria trans Danubium jacet. Olim Pannoniæ partes fuerunt, *Austriæ* portio quædam, in qua Vienna urbs celeberrima, & Stiriæ pars inferior, quæ etiam Pannonia Valeria dicta est, atque ad Ortum spectat.

Dearticulatius Veteris Pannoniæ limites delineavit Philippus Cluverius *Introd. Geograph. lib. 4. cap.* 1. Limites ab Occasu ipsi assignat Cethium montem, qui nunc amplissimis jugis ab Savi, Dravique fontibus ad Danubium usque variis nominibus pertexitur; primum *Pleyss*, modo *Hengstberg*, mox *Demberg*, deinde *Herzberg*, *Schneeberg*, & *Kalenberg* dictus: a Septemtrione Danubium amnem: ab Ortu eumdem Danubium, & Aureum montem, nunc Hungaris *Machcek*: a Meridie lineam ductam ab Aureo monte per confluentes Timaci, & Drini ad fontes Unæ fluminis. Inde *Caravancas*, & Pannoniæ, Carniæque Alpes ad Savi usque fontes. Complectitur hodie Carniolam, Croatiam, Vindorum Marchiam, Carinthiam, Stiriam, majorem partem Austriæ, dimidium Hungariæ, Sclavoniam, Bosniam, partemque Serviæ. Mox eam & ipse dividit in Superiorem, & Inferiorem. Prior, quæ & Prima Consularis, versus Occidentem est, in qua nunc Carniola, Croatia, Vindorum Marchia, Carinthia, Stiria, Austriæque major pars. Inferior quæ & Secunda Consularis, in Orientem vergens, complectitur Bosniam, Sclavoniam, & quantum Hungariæ Danubium, Dravum, Arrhabonemque * amnes in-

* Fl. Raab.

interjacet. At ea utriusque Pannoniæ pars, quæ inter Dravum, Savumque fluvios porrecta, Valeria, seu Pannonia Interamnia, seu Ripensis dicta est. Sic igitur hodie Hungaria vix tertiam sui partem in veteri Pannonia habet; cum reliquum trans Danubium in Jazygibus, Dacisque obtineat. Urbium clarissimæ olim Segesta, quæ & Scisсia nunc *Sisеck* in Croatia: Æmona, nunc *Unterlaubach*: Nauportum, vulgo *Oberlaubach* in Carniola: Vindoniana, quæ & Vindobona, nunc Vienna in Austria: Scarabantia, nunc *Scarbingh*: Sirmium, nunc *Sirmisch* in Hungaria: Taurunum, hodie *Belgrad*. Primi, quos vetera monumenta tradunt, hanc regionem incoluerunt Pannonii, Celtica gens, quos Græci *Pæones* vocarunt, a quibus regio nomen accepit.

II. Ab Octaviano Augusto Pannonias subactas esse, tradit Suetonius in ejus Vita: (1) *Domuit*, inquit, *partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni*. Vibio Pannonicum bellum Augustum demandasse, scribit L. Florus: (2) *Pannonii duobus saltibus, ac tribus Fluviis Dravo, Savo, Histroque vallantur. Populati proximos, intra ripas se recipiebant. In hos domandos Vibium misit. Cæsi sunt in utrisque fluminibus: arma victorum non ex more belli cremata, sed capta sunt, & in profluentes data: ut ceteris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur*. Diu tractum fuit hoc bellum adversus Pannonias, & alias Illyrici Occidentalis Provincias. Initium ejus videtur referre in annum 735. ab urbe condita: *Subinde*, ait, *bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa M. Vinicio avo tuo Cos. magnum atroxque, & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est*. At Agrippa Consulatum minime gerebat eo anno; sed potius anno 725. aut saltem 26. inchoante, quo tempore Cæsar Augustus tres triumphos egit, de Dalmatia, Actiaco bello, & Ægypto subacta, ut refert Dio *lib.* 51. L. Florus Pannoniam prius, quam Dalmatiam ab Augusto domitam indicat. Non multo post, nimirum anno Urbis conditæ 742. Augusti vero 32. Pannonios rebellantes per Tiberium domuit, testibus Dione *lib.* 54. & Vellejo Paterculo *lib.* 2.

III. Exactam utriusque Pannoniæ Notitiam exhibere difficillimum est, cum nemo Veterum eam adornaverit. Hierocles Grammaticus unam dumtaxat Pannoniæ Provinciam agnovit, atque in ea duas tantum urbes collocat, *Sirmium*, & *Basianam*. Antequam Attila, Hunnorum Rex, in Illyricum penetraret, Sirmium non solius Pannoniæ, sed & Illyrici Occidentalis prima, ac præcipua Metropolis fuit, ut asserit Justinianus *Novella XI.* at deleto Attilæ temporibus Sirmio, Jus Metropoliticum inde translatum fuit, quo autem non plane constat. Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis in Geographia sacra censet, illud trifariam fuisse distributum, nempe partem Laureaco, partem Acridæ, & partem Salonæ concessam. Alii, quos inter est Schelstrates, conjiciunt post eversum Sirmium, partem Diœcesis Illyrici Occidentalis Aquilejensi Metropolitæ cessisse. Cum enim solius Dalmatiæ Metropolis fuerit Salona, ut variæ Sancti Gregorii Magni epistolæ indicant, & Noricum Ripense Laureacensi Metropolitæ subjectum fuerit, quemadmodum testatur Symmachus Papa in epistola ab eodem Carolo a S. Paolo edita: ex reliquis vero Illyrici Occidentalis Provinciis, pars secundæ Pannoniæ Acridæ pareret, ut ex *Novella XI.* Justiniani colligitur: restant Pannonia Prima

Pars Prima. Ee Prima

(1) Suetonius in Augusto cap. 21.

(2) Florus lib. 4. cap. 12.

Prima, Noricum Mediterraneum, & Savia, quæ Provinciæ non alteri Metropolitano contributæ videntur, nisi Aquilejensi. Unde Concilio Gradensi, quod celebratum fuit ab Elia tempore Pelagii II. interfuerunt Leonianus Tiburniensis Provinciæ Norici Mediterranei, & Virgilius Scaravasiensis Provinciæ Pannoniæ, qui Episcopi a Pelagio Papa vocantur Eliæ suffraganei: *Consentientibus in eis Suffraganeis tibi Episcopis*. In eamdem sententiam inclinat Eminentissimus Cardinalis Norisius *in Dissert. Histor. de Synodo Quinta cap.* 10. At vero doctissimi Viri Cardinalis Baronius, & Jacobus Sirmondus censent, Pannonias ad jurisdictionem Ecclesiasticam Archiepiscopi Mediolanensis pertinuisse. Non est hujus loci litem hanc dirimere. Hoc unum breviter assero, Aquilejensem Metropolitam, si quid juris in Pannonias, Noricum, & Saviam obtinuit, nonnisi post occupatum a Gothis Illyricum, & Pannoniam, & occasione Schismatis in causa trium Capitulorum, quo Ecclesia Aquilejensis implicata fuit, obtinuisse. Ab eo siquidem tempore crevit ejus auctoritas, & longe lateque in varias Illyrici partes diffusa est.

VI. Ceterum ante Gothorum incursionem, Sirmium utriusque Pannoniæ Metropolis fuit; quo ab Attila vastato, crediderim Acridam primum Justiniani tempore, deinceps vero ob varios bellorum eventus nihil certo nobis constare posse de Ecclesiastico utriusque Pannoniæ statu, præter ea, quæ de Laureacensi Metropoli inferius dicenda sunt; & usque ad S. Stephani Hungarorum Regis ætatem. Ejus quippe operâ, cum florentissimum illud Regnum Catholicæ Christi Fidei collum submisisset, Sanctissimus Princeps Strigoniensem Archiepiscopatum fundavit. Est autem Strigonium urbs Pannoniæ Superioris ad Danubium, sic ab amne dicta, nunc præcipua Hungariæ Metropolis. Hos illi Episcopatus subjicit *Notitia Ecclesiarum* tempore Cœlestini III. anno 1225. conscripta a Viro Religioso, & Milone ejus Abbate: quæ extat apud Schelstratem *tom. 2. Antiq. Eccles. Illus. Append.* 23.

In Hungaria.

Archiepiscopatus Strigoniensis hos habet Suffraganeos, Agriensem, Nutriensem, Variensem, Jariensem, Quinque ecclesiensem, Vespriminiensem. Eosdem Episcopatus recenset *Notitia Ecclesiarum Urbis, & Orbis* ab Episcopo Catharensi ante 370. annos scripta, apud eumdem Schelstratem *Appen.* 24. quæ tamen non Nutriensem, sed *Netriensem* Episcopatum nominat. Quamquam legendum potius foret *Nitriensem*, siquidem apud Scriptores Hungaros Nitria est urbs Jazygum in Boream distans.

V. Tractu temporis propria Metropolis Ecclesiastica etiam in Pannonia Inferiori instituta est, nempe urbs olim Antonino dicta Statuæ Colossæ, posterioribus autem Colocia, ad alteram Danubii ripam ultra Budam 12. L. apud Altinium, ab eo Colocia recedens 2. L. Notitia a Milone scripta hos illi Episcopatus assignat: *Archiepiscopatus Colocensis hos habet Suffraganeos, Ultrasilvanum, Bagabriensem, Waradiensem, Ceradiensem*: In margine hos additos legimus, *Cenadiensem, Clavadiensem*. Notitia tamen Milonis Abbatis paululum differt, uno vel altero addito, aut mutato: *Archiepiscopus Colosiensis hos habet Suffraganeos, Zagabriensem, Transilvanum, vel Albensem, Sirmiensem, Boznensem, Czaudiensem, vel Cenadiensem, Ullaradiensem.*

Savia pars est Pannoniæ Superioris juxta Savum fluvium, a quo nomen sortita est, eamque regionem esse putant

putant, ubi nunc est *Comitatus Zagabriensis, & Vuindismarch*. Hinc est quod Suetonius, L. Florus, Cornelius Tacitus, aliique Veteres, nullam hujus Provinciæ distinctam mentionem faciunt, quia scilicet olim Pannoniis comprehendebatur, atque cum iis ab Augusto, & Tiberio subacta fuit. Eidem propterea Metropolitæ olim contributam fuisse oportet, cui & Pannoniæ ipsæ parebant.

VI. Dalmatia regio est Illyrici, contermina Liburniæ, inter Titium fluvium ad Occasum, quo a Liburnia separatur, & Dilonem flumen ad Ortum, quo distinguitur a Macedonia. Ab Augusto Dalmatiam fuisse debellatam tradit Suetonius: (1) *Externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum, adolescens adhuc: & Antonio devicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit, una acie, dextrum genu lapide ictus: altera autem & crus, & utrumque brachium ruina pontis consauciatus*. Ante Augusti Imperium Romanos in Dalmatas bellum gessisse, sed tandem ab Augusto penitus domitos, scribit Eutropius in ejus vita: (2) *Dalmatiam sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam; Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, (Romano adjecit Imperio)*. Florus itidem affirmat, ante a Marcio, & Asinio Pollione Dalmatas victos, ac tandem ab Augusto domitos: nihilominus in hoc videtur Suetonio contradicere, quod non Augustus ipse bellum Dalmaticum direxerit, sed illud Vibio commiserit: (3) *Dalmatæ plerumque sub Sylvis agunt, inde ad latrocinia promptissimi. Hos jam pridem Marcius incensa urbe Delminio quasi detruncaverat. Postea Asinius Pollio gregibus, armis, agris multaverat. Sed Augustus perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumque venis repurgare, quod alioquin gens omnium cupidissima studiosa diligentia inquirit, ut illud in usus suos servare videatur*. Attamen inter se conciliari possunt, quod initio Augustus per se ipsum Dalmatas debellaverit; sed postea tumultuantes, per Vibium represserit: sicuti & postea 49. Imperii Augusti anno, cum Batone Duce a Romanis defecissent, contra eos Tiberium misit, qui anno 52. bellum Dalmaticum confecit, deditione a Batone facta; ut refert Dio Cassius *lib. 55. & 56.* & Suetonius *in Tiberio cap. 9.*

Apostolorum tempore Dalmatis Evangelium prædicatum fuisse, colligitur ex *epist. 2. ad Timoth. cap. 4. vers. 21.* ubi Titus D. Pauli Discipulus dicitur abiisse *in Dalmatiam*.

Metropolis totius Dalmatiæ olim Salona fuit, urbs quondam celebris, quam Asinius Pollio cum expugnasset, ab ea filium eodem anno susceptum Salonium appellavit, teste Servio. Antequam Archiepiscopus Aquilejensis Patriarchicam dignitatem nactus esset, Salonitanus Episcopus in tota Dalmatia jure Metropolitico potiebatur. Ejus propterea ordinationem non Aquilejensi, aut Thessalonicensi Metropolitæ, sed Apostolicæ Sedi reservatam esse, scripsit D. Gregorius Magnus *lib. 3. Epist. 16.* Salona eversa, jus Metropoleos ad Spalatum, cui proxima erat, transiit, sed nonnisi post multum temporis; recens quippe est Spalatensis Metropolis. Quot urbes Salonæ essent subjectæ incompertum est, cum Veteres Notitiæ eas non exprimant; recentes vero post seculum tertiumdecimum scriptæ Saloniam omnino prætereant. *Notitia Ecclesiarum* a Milone Abbate edita Dalmatiam in partes distrahit, nempe Dalmatiam proprie dictam, Istriam, &

(1) Suetonius in Augusto cap. 20.
(2) Eutropius lib. 7.
(3) Florus lib. 4. cap. 12.

& Sclavoniam. Dalmatiæ caput Aquilejam, & Patriarchatum Aquilejensem facit. Istria non Dalmatiæ, sed Italiæ est regio post flexum Adriatici sinus, Illyrico contermina, a Phormione, nunc Tisano fluvio incipiens, & ad Banoticum sinum usque pertingens, in quo Arsia flumen decurrens, Istriam ab Illyrico dirimit. Istriæ Metropolitam nominat Patriarcham Gradensem, qua in re fallitur, ut suo loco postea constabit. In Istria pariter supra mare Jaderam Metropolim collocat, quæ tamen civitas est nec Istriæ, nec Dalmatiæ, sed Liburniæ in Illyrico Metropolis, quæ nunc *Zara* vocatur. Hos illi Episcopatus adscribit: *Archiepiscopatus Jadrensis hos habet Suffraganeos, Signensem, Ausarensem, Veglensem, Arbensem, Nonensem:* addit, *Farensem, Croatensem, Berbanensem, Tiniensem*. Sed D. Emanuel a Schelstrate nonnullos eorum tribuit Spalatensi, aliosque adjicit: *Archiepiscopatus Spalatensis hos habet Suffraganeos, Traguriensem, Signensem, Scardonensem, Arbensem, Nonensem, Croatensem, Kerbanensem*. Sclavonia a Milone hic commemorata, vere pars est Dalmatiæ. Metropolis ejus est Epidaurus, urbs Dalmatiæ ad Illyricum mare sita, de qua Lucanus *lib.* 2.

Illyris Jonias vergens Epidaurus in undas.

Pausanias, & Strabo lib. 7. Limeram vocant, quasi Limeneram, quod sit portuosa. A Gothis excisa, ex ejus ruinis Ragusia juxta ædificata est, civitas nunc clarissima. Hos ei Suffraganeos attribuit: *Archiepiscopatus Ragusiæ hos habet Suffraganeos, Stagnensem, Bosienensem, Tribuniensem, Caterniensem, Rosæ, Biduanensem, Antivarensem, Dulchinensem, Suacinensem, Drivastensem, Polastensem, Scodrunensem, Arbanensem:* addit Schelstrates in margine: *Barensem, Rosensem, Buanensem*. Antivarensem vero Archiepiscopum vocat, eique partem subjicit Episcopatuum, quos Milonis Notitia Raguseo adscribit: *Archiepiscopus Antivariensis hos habet Suffraganeos, Dulchinensem, Drivastensem, Polastensem, Scodrinensem, Arbanensem, Scutarensem, Gardensem*. Antivarium, cujus hæc Notitia meminit, est Antibarum Dalmatiæ civitas, & ipsa nunc Metropolis. Episcopus Catharensis in sua Notitia eumdem ordinem secutus est, nisi quod Istriæ nullam mentionem habet, sed sub Dalmatia, Patriarchas Aquilejensem, & Gradensem, nec non Archiepiscopum Jadrensem ponit. Sub Sclavonia autem Archiepiscopos Spalatensem, Ragusinum, & Antivariensem.

VII. Noricum, Noricus ager Cæsari, & Solino, ampla Europæ regio, inter Vindeliciam ad Occasum Oeno fluvio separante, & Pannoniam ad Ortum Cetio Monte apud Viennam Austriæ dividente, ac inter Danubium ad Boream, qui eam a Germania disterminat, & Alpes Julias, Carnicasque illam a Carnis discernentes contenta: quondam Illyrici Occidentalis pars extra Germaniam, a qua dividebatur Danubio, nunc intra limites Germaniæ includitur, & plures complectitur regiones, Austriam pro majori parte, & versus Occidentem ea excepta, quæ est ultra Cetium montem, in qua Vienna est, ad Pannoniam spectante; Stiriæ etiam partem Occidentalem, seu Superiorem, Carinthiam, Carniolam Superiorem, ditionem Salisburgensem, partem modicam Bavariæ Superioris, & ad Ortum, uti & aliquot tantum loca Comitatus Tirolensis ad Boream. Hinc *Noricus ensis* Horatio *lib.* 1. *Carmin.* & *Norica Castella* Virgilio *lib.* 3. *Georg.*

Dividebatur in Noricum Mediterraneum, & Ripense, ut videre est in Notitia Imperii. Mediterraneum

neum pars erat Norici longius a Danubio in Austrum recedens, in quo Stiria, & Carinthia. Ripense pars erat Norici Borealis, inter Danubium ad Boream, & Noricum Mediterraneum ad Austrum; in quo erant Populi Alani, Ambidrani ex parte, Focuntes, & Sevaces. Nunc autem sunt in eo tractu Austria Superior, & Inferioris pars, & ditio Salisburgensis.

Hinc utriusque Norici limites dignosci possunt. Nonnulli Celejam, alii Pataviam, seu ut Lazius vocat, Petovionem, extra Noricum esse putant, & in Valeriæ tractu sitas. At Marcellinus *lib.* 14. Petovionem in Norico ponit: referens quippe, Gallum Cæsarem ad Petovionem Imperio fuisse exutum, id in Norico factum postea asserit: (1) *Nandum apud Noricum*, ait, *exuto penitus Gallo, Apodemius quoad vixerat, igneus turbarum incentor, raptos ejus calceos vehens, equorum permutatione veloci, ut nimietate cogendi quosdam extingueret, præcursoris index Mediolanum advenit*. Selovensem quoque Coloniam, & Celejam Stiriæ in confinibus Carniolæ, & Carinthiæ, intra Noricum Mediterraneum constitutas esse, testantur veteres inscriptiones, quas exhibet Wolfangus Lazius *lib.* 2. *Commentar. Reipub. Rom. cap.* 8. Noricum Rhæticis montibus conterminum indicat Tacitus: (2) *In Alpe Graja ipse paululum cunctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret*. Et infra. (3) *Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana, & octo cohortibus, ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Oeni fluminis, quod Rhætos, Noricosque interfluit, missus est*. Ex his omnibus liquet, intra fines Norici utriusque hodie has Provincias esse collocatas, nimirum Austriam supra Anasum cognominatam, ditionem Archiepiscopatus Saltzburgensis, & Ducatus Carinthiæ, & Stiriæ. Universus hic terræ tractus a duobus quondam Præsidibus Equestris Ordinis regebatur: Ripense quidem Noricum, quod Austriam hodie, & partem Episcopatuum Saltzburgensis, & Pataviensis comprehendit, a Præside Laureacensi, cujus erat Prætorium, ubi est hodie Ensium Austriæ Superioris. Mediterraneum vero Noricum Præsidem habebat suum, apud Solvensem coloniam habitantem, cujus jurisdictio fundebatur per universam Stiriæ, Carinthiæque ditionem, & partem reliquam Saltzburgensis Episcopatus, cujus partem meridionalem jam pridem Romani secus Dravum fluvium possidebant, ut patet ex Livio sub finem *lib.* 9. *Decad.* 4.

Inter Provincias Septemtrionales, quæ *sub Julio, & Octaviano Cæsaribus Romano Imperio accesserunt*, Sextus Rufus Noricum enumerat. At Vellejus Paterculus hanc gloriam Tiberio tribuit: (4) *Tiberius*, inquit, *Cæsar Rhætiam, & Vindelicos, ac Noricos . . . novas Imperio nostro subjunxit Provincias*. Et Tacitus *lib.* 1. *Histor. cap.* 11. *Rhætiam, & Noricum* recenset inter Provincias illas, quæ Procuratoribus tempore Tiberii cohibebantur. Ego tamen censeo Noricum ante Tiberii Principatum sub Cæsare Augusto Imperio additum. Id præter Sextum Rufum, eo antiquior L. Florus disertis verbis testatur: (5) *Ad Septemtrionem conversa ferme plaga ferocius agebat. Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysi, Thraces, & Daci, Sarmatæ, atque Germani. Noricis animos dabant Alpes, atque nives, quo bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones, atque Vindelicos, per privi-* gnum

(1) Marcellinus lib. 18.
(2) Tacitus lib. 1. hist.
(3) Idem lib. 3.
(4) Vellejus lib. 2.
(5) Florus lib. 4. cap. 12.

gnum suum Claudium Drusum perpacavit. Antequam Noricum a Tiberio, & Druso in Provinciæ formam fuisset redactum, Regnum extitisse, discimus ex Cæsare *lib.* 1. *Belli Civilis*, & Vellejo Paterculo.

Laureacum celeberrima olim Norici Ripensis civitas ad confluentes Danubii, & Anisi posita, Metropolis utriusque Provinciæ fuit. Eam mediam interfluebat amniculus, seu torrens *Laurus*, vulgo *Lorbach* dictus, a quo Lauriacum nomen accepit. Verum a Gothis excisa, hodie vicus est tantum Austriæ Superioris, uno milliario ab Aniso Oppido dissitus. Ante Justiniani Imperium Episcopus Lauriacensis jus Metropoliticum obtinuit etiam in Pannonias, idque ab antiquis temporibus, sicuti testatur Symmachus Papa in epistola ad Theodorum ejusdem urbis Episcopum scripta, quam Hundius in Metropoli Salisburgensi, aliisque recitat: [1] *Diebus vitæ tuæ Pallii usum, quem ad Sacerdotalis Officii decorem, & ad ostendendam unanimitatem, quam cum Beato Petro Apostolo universus Grex Dominicarum Ovium, quæ ei commissæ sunt, habere dubium non est, ab Apostolica Sede sicut decuit, poposcisti; quod ut pote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ majorum more libenter indulsimus, ad ostendendum, te Magistrum, & Archiepiscopum, tuamque Sanctam Lauriacensem Ecclesiam Provinciæ Pannoniorum Sedem fore Metropolitanam*. Cur autem nedum utriusque Norici, sed & Pannoniarum Metropolis fuerit Laureacum, causam aperit Agapitus II. in litteris ad Gerardum Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui ejus privilegia renovari postulaverat: *Hanc* [2] *etiam* (scilicet Ecclesiam Laureacensem) *in exordio nascentis Ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione a Doctoribus istius Sedis Catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse, & exinde a succedentibus Prædicatoribus in Superioris, atque Inferioris Pannoniæ Provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus Provinciis, illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunnorum non aliis, quam Sanctæ Lauriacensis præfuit Archiepiscopus; quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem Civitatem; verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit, atque funditus desolavit*. Hunni, quorum hic Agapitus meminit, post medium sexti seculi Pannonias, Noricumque invadentes, Laureacum ferro, & igne devastarunt, ut colligitur ex Paulo Diacono *lib.* 2. *cap.* 7. & diserte tradunt Hermannus Contractus in fusiori Chronico, *ad annum* 571. & Velserus *lib.* 4. *Rerum Boicarum*, *ad annum* 568.

VIII. Laureaco ab Hunnis diruto, ejus Episcopus *Batavam*, ut ait Velserus, seu Pataviam urbem Noricorum ad Oeni amnis cum Danubio confluentis ripam sitam, se contulit. Inde nonnulli contendunt, tunc Laureaco Pataviam Sedem Metropolitanam translatam esse: alii vero Juvaviam, quæ vulgo *Saltzburgum* appellatur. Qua de re videndi sunt Aventinus *lib.* 4. *Annalium Bojorum*, Brunnerus, *lib.* 6. Adlzreitterus *part.* 1. *lib.* 8. *Historiæ Bojorum*, & Cointius *ad ann.* 798. *num.* 46. Nobis hoc loco insinuare satis erit, Pataviensi Episcopatui unitam fuisse etiam Sedem Metropolitanam Laureacensem; sed postea Saltzburgum deportatam; iterumque Laureaco redditam. Nam ut refert Aventinus: *Archiepiscopus de Batavia Laureacoque Juvaviam anno restitutæ salutis septingentesimo nonagesimo octavo translatus est*. Quo anno Episcopatum Salisburgensem in Archiepiscopatum fuisse erectum Mabil-

(1) Symmachus in epist. ad Theodorum Laureacen.

(2) Agapitus II. in Epist. ad Gerardum Laureacensem.

billonius probat ex Annalibus Ratisponensibus *Tom. 4. Analect. pag. 477.* Postmodum tamen Laureacum a Metropoli Salisburgensi abscissum, in Metropolim rursum crevit, cui morem gererent Episcopi Hungariæ, Moraviæ, & circumjacentium Provinciarum, sive instituti jam essent illi Episcopi, sive postea instituendi. Quod contigit anno 818. ut colligitur ex Eugenii II. litteris ad Urolphum Laureacensem Archiepiscopum datis, quæ extant *Tom. VII. Concilior.* Jus illi Metropoliticum concessum fuit per Avariam, Moraviam, Pannoniam, & Mœsiam, ut eædem litteræ testantur: Noricorum autem cura inter ipsum, & Salisburgensem divisa fuit. Sed Urolpho e vita hac mortali erepto anno circiter 837. Laureacensis Archiepiscopi nomen suppressum est: Diœceses Laureacensis, & Pataviensis iterum simul, sicuti ante hanc novam erectionem fuerant, unitæ sunt, & in unam Provinciam coaluerunt Salisburgensis, & Laureacensis Metropoles, usque ad Leonis VII. Pontificatum. Is quippe Gerardum Laureacensem Episcopum Pallio ornavit, ac dignitatem Metropoliticam a Salisburgensi Ecclesia ad Laureacensem transtulit, sicuti fidem faciunt duæ epistolæ ejusdem Leonis VII. ad præfatum *Gerardum* scriptæ, quæ leguntur *tom. 9. Concil. pag. 595.* At non multo post iterum intentata lis est a Salisburgensi contra Laureacensem, ob susceptum in una Provincia ab utroque Pallium. Dissidium composuit Agapitus Papa hujus nominis II. *divisis duabus Noricæ regionis Provinciis, Occidentalis Pannoniæ cura* Juvavensi, seu Salisburgensi Archiepiscopo commissa est; Laureacensi vero *propter emeritam* ejus Ecclesiæ *antiquitatem, Orientalis Pannoniæ, regionisque Avarorum, & Moravorum* regimen Ecclesiasticum tributum; data insuper ei potestate instituendi novos Episcopos in illis Schlavoniæ partibus, quæ Christi fidem deinceps amplecterentur. Hæc omnia excerpta sunt ex Epistola Agapiti Papæ, data ad Gerardum Archiepiscopum Laureacensem, relata *tom. 9. Concil. pag. 618.* Quamquam eadem dissensio inter utrumque Archiepiscopum, secutis temporibus recruduerit, de qua tamen hic differere nihil interest.

IX. Laureacensi Metropolitæ olim septem Episcopos fuisse subjectos novimus ex litteris Eugenii II. quæ extant *tom. 7. Concilior.* & inscriptæ sunt, *Rathfredo Favianensis Ecclesiæ, & Methodio Ecclesiæ Speculi Juliens. Quæ & Soriguturensis Ecclesiæ, atque Alevuino Nitraviensis Ecclesiæ, parique modo Annoni Vetuariensis Ecclesiæ Episcopis;* simul etiam duobus *Ducibus, Optimatibus, exercitibusque plebis Huniæ, quæ & Avaria dicitur, & Moravia.* In ipsis litteris Eugenius de Urolpho Laureacensi Archiepiscopo, ejusque Ecclesia, inter cetera asserit, *In septem Episcoporum Parochias Antecessores suos jure Metropolitano obtinuisse Diœcesim.* Quatuor tantum sua ætate Eugenius commemorat Episcopatus Laureacensi Metropoli subditos, cum alii tres, Barbarorum incursione jam devastati, non amplius superessent. Primus eorum nominatur *Rathfredus* Episcopus *Favianensis Ecclesiæ.* Cointius *ad annum* 824. *num.* 37. Fabianam, seu Favianam interpretatur Viennam, hodie primariam Austriæ civitatem; quod etiam passim affirmant Germanici Scriptores. Sed opinionem hanc, vel potius vulgarem errorem evertit Lambecius *Tom. 2. Biblioth. Cæsar. cap. 1. num. 11. & seqq.* & post eum Pagius *ad ann.* 454. *num.* 11. Erroris causam sumpserunt ex mala interpretatione Vitæ Sancti Severini Noricorum Apostoli, ab Eugippio Scriptore coævo editæ, ubi Eugippius nominat

minat *Flaviana*, scilicet *Castra*, quod fuit Oppidum quoddam Norici Ripensis situm inter Comagenam, hodie *Langelember*, & Cetium Montem hodie *Kalenberg*, ibidemque præcipue fuit Sancti Severini Monasterium juxta muros Flavii, seu *Flavianorum Castrorum*; quod oppidum una cum aliis Norici Ripensis Civitatibus & Castellis non multo post Sancti Severini obitum hostili militum impetu periit. Porro Vienna numquam Flavia, seu Flaviana, aut Faviana ab antiquis appellata est, sed genuino nomine *Vindobona*, eaque in Pannonia ad Danubii ripam, sex millibus passuum infra montem Cetium, ubi nunc Vienna Austriæ ædificata est, non in Norico Ripensi posita fuit; quemadmodum Lambecius citatus *lib.* 2. *cap.* 2. ex Tabula Peutingeriana, Itinerario Antonini Augusti, Prolemæo *lib.* 2. *cap.* 15. variisque Inscriptionibus, ac veterum Scriptorum testimoniis probat. Certe Plinius *lib.* 3. *cap.* 24. Flavii meminit, atque inter Norici urbes enumerat; Eugippius vero eamdem urbem *Flaviana Castra* appellat. Tres alii Episcopatus, quos Laureacensi Metropolitæ Eugenius subiicit, nunc incogniti sunt, excisis jam civitatibus, in quibus eorum Sedes fixæ fuerant. Tametsi autem hos quatuor tantum Episcopos commemoret, tamen Laureacensi Antistiti jus Metropoliticum præterea impertiit per Avariam, Moraviam, Pannoniam, & Mœsiam.

Tandem postremis seculis, cum novæ Episcopatuum Sedes, ac Metropoles in Hungaria, & Germaniæ partibus fuerint institutæ, Laureacensis omnino extincta est, & Pataviensis, cui aliquando conjuncta fuerat, Salisburgensi subjecta, quæ etiamnum Metropolitico jure gaudet, eique hos Episcopatus tribuit *Notitia Ecclesiarum* a Milone scripta. *Archiepiscopatus Salzeburgensis hos habet Suffraganeos, Pataviensem, Ratisponensem, Frisingensem, Gurcensem, Brixinensem*: in margine addit Glossator, *Sequanensem, Seromosinensem, Lavendaiensem, Debemensem, Etbonensem, de novo creatos. Notitia Ecclesiarum Urbis, & Orbis*, ab Episcopo Catharensi edita, hos enumerat Episcopatus: *Archiepiscopus Salzeburgensis hos habet Suffraganeos, Pataviensem, Ratisponensem, Frisingensem, Cincensem, Brixiensem, Laventinum, Kymensem, Secbonensem*.

Quæ hactenus a nobis de antiqua Laureacensi Metropoli dicta sunt, aperte declarant, Aquilejensi Metropolitæ olim nihil juris obtigisse in Provincias utriusque Norici, & Pannoniarum. Nam litteræ Symmachi, Agapiti, Eugenii, & Leonis VII. Summorum Pontificum id juris Laureacensi tributum profitentur, idque ipsi a priscis quoque temporibus concessum. Quare si quæ forsan pro Aquilejensi exempla jurisdictionis proferuntur, ea non juris, sed facti censenda sunt, occasione præsertim schismatis in causa trium Capitulorum.



CAPUT

CAPUT V.

Synopsis.

I. *Carolus M. Saxones bello domuit, & Christo subjecit. Plures Episcopatus ibidem instituit. Horum aliqui Moguntiæ, alii Coloniæ Metropolibus subjecti. In Saxonia Hamburgi Sedes Metropolitica a Ludovico Imperatore erecta. Ecclesia Bremensis ei unita.*

II. *Hamburgensis Primatûs limites. Slavi, & Dani, eorumque Regiones illi additæ.*

III. *Suecia quo tempore fidem Christi amplexa sit. Tres in ea Episcopatus constituti, omnes Hamburgensi Metrop. obnoxii. Tandem Sueci, & Dani proprias Metropoles nacti sunt.*

IV. *Poloni quando fidem susceperint. A Mieslavo Rege duo Archiepiscopatus, & septem Episcopatus conditi. Gnesnensis Metropolis prima, & antiquior est.*

I. Antequam his, quæ ad Illyrici Diœcesim spectant, ultimam manum imponam, operæpretium arbitror nonulla breviter ac cursim attingere de quibusdam Provinciis olim Illyrico adjunctis, aut conterminis, quarum populi serius collum Evangelicæ legi submiserunt. Nunc plerique in Germaniæ partibus censentur: ejusmodi fuerunt Saxones, quos Christianissimi Principes Carolus Martellus, Pipinus, & Carolus Magnus nonnisi crebris, ac sævissimis præliis domare potuerunt. Triginta trium annorum spatio bellum contra Saxones gessit Carolus Magnus, ac tandem debellavit, ut testis est Eginhardus in ejus vita. Poëta Saxonicus, qui Eginhardi historiam versibus commendavit, Saxones in tres populos distinguit, *Ostphalos* in Orientali parte collocat, in Occidentali *Westphalos*, inter utrosque vero *Angarios*, atque ut Saxonum gentem Francis versus Meridiem conterminam agnoscit, sic & ei limitem versus Septemtrionem tribuit Mare Balthicum. De iisdem agit etiam Beda *lib. 5. cap. 11.* Sæpius a Carolo rebellarunt, quos ille demum ferro & igne domuit, totamque Saxoniam in Provinciam redegit; ac tum ferox natio, quæ a tot annis bello flagraverat, pace gaudere cœpit; præsertim cum abjectis Idolis, Christo cervicem flexit. Quo in opere plurimum elaboravit Carolus ipse. Hæc fusè narrant, Eginhardus laudatus, Spelmannus, Annalista Metensis, Chronographus Moissiacensis, ad ann. 785. aliique Francorum Scriptores. Præ ceteris, qui sacro Baptismate fuerunt initiati, fuit Witichindus, unus e Saxoniæ Principibus, quem Carolus Magnus e Sacro fonte levavit, eique Westphaliam Provinciam gubernandam concessit, Arces nonnullas restituit, alias præsidiis firmavit. De instituendis in Saxonia Ecclesiis, æque ac de Regno firmando sollicitus Carolus, idoneum a Witichindo obtinuit locum ad ripam Wisurgis, ubi Min-

Mindensis Episcopatûs fundatus est, & primus Episcopus ordinatus Herimbertus, Vir præcipua religione, inquit Krantzius *lib.* 2. *Saxoniæ cap.* 24 Præter hunc Episcopatum erectus Verdensis in Saxonia, ut ostendit Henschenius ad diem 1. Martii in vita Sancti Suiberti Episcopi, & Frisonum Apostoli, quem Carolus ipse Verdensi Ecclesiæ præficiendum curavit. Bremensem quoque Episcopatum erexit anno 788. dato regio Diplomate, quod refert Adamus *lib.* 2. *cap.* 9. Alios Carolus Magnus in Saxonia fundavit Episcopatus, qui omnes ita enumerantur a Nicolao Scateno: *Antiquissimus Osnabrugensis: Inde Paderbornensis, Halberstadiensis, Bremensis, Verdensis, Mindensis, Mimigardevordensis, seu Monasteriensis, Hildesiensis, fundati. His accessere Hamburgensis, & Schildrensis, cæpti, inchoatique a Carolo Magno; alterum Ludovicus Pius, alterum ceteri Imperatores dum postremo Magdenburgum transferretur, Otto Magnus absolvit.* Ex his Episcopatibus, qui trans Visurgim fluvium Moguntiacensi, qui vero cis eumdem amnem Coloniensi Metropolitæ subjecti fuerunt, ut ostendit Cointius *ad annum* 812. *num.* 66. Non diu tamen stetit hæc dispositio; cum enim jam Christi fides e Saxonia, etiam in partibus Danorum, atque Sueonum, seu Dacorum propagari cœpisset, Ludovicus Augustus anno 831. in Conventu Aquisgrani habito, cum Episcoporum consensu decrevit, in ultima Saxoniæ regione trans Albim fluvium Hamburgi Sedem Archiepiscopalem constituere. Huic vero primum Archiepiscopum præfecit Anscharium, cujus prædicatione, ac laboribus Dani, & Sueones Ecclesiæ Christi accesserant, eumque consecrari fecit per Drogonem Metensem Præsulem, adstantibus Ebone Remensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Moguntiacensi. Quia vero nulla nova Metropolis absque Romanæ Sedis auctoritate institui poterat, a qua jurisdictionem omnem nasciscatur necesse est, idcirco Ludovicus Augustus Sanctum Anscharium recens ordinatum Romam ad Summum Pontificem Gregor. IV. direxit, una cum Bernoldo Strasburgensi, Ratoldo Svessionensi Episcopis, & Geroldo Comite, quos hujus rei causa Legatos suos destinaverat. Anscharius a Gregorio benigne susceptus, nedum Pallio donatus fuit, quod erat Metropoliticæ dignitatis insigne; sed etiam Apostolica Legatione, ac Primatis honore auctus in omnes Septemtrionales Germaniæ partes, quæ recens Christianam Religionem susceperant. Rem narrat Rembertus in Actis Sancti Anscharii: (1) *Ludovicus Augustus Anscharium recens ordinatum honorabiliter ad Sedem direxit Apostolicam, & per Missos suos Venerabiles Bernoldum, & Ratoldum Episcopos, ac Geroldum Illustrissimum Comitem, omnem hanc rationem Sanctissimo Papæ Gregorio intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipse tam Decreti sui auctoritate, quam Pallii datione more Prædecessorum suorum roboravit, atque ipsum in præsentia constitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, Danorum, Farriæ, Gonlandon, Islandon, Scridelindon, Sclavorum, necnon Septemtrionalium atque Orientalium nationum quocumque modo nominatarum, una cum Ebone Remensi Episcopo, qui ipsam Legationem ante susceperat, delegavit.* Gregorii Rescriptum recitant Bollandus ad diem 3. Februarii, & Mabillonius *sæc.* 4. *Benedict. Part.* 2.

Antequam Hamburgum in Metropolim erigeretur, ejus Diœcesis, teste Remberto laudato, *admodum parva solum quatuor baptismales Ecclesias habebat*, eaque a Ludovico Impera-

(1) Rembertus in Vita Sancti Anscharii.

peratore commendata fuerat Episcopis vicinis Bremensi, & Ferdensi; quæ postmodum secutis seculis terminos suos longe lateque extendit, eosque descripsit Helmoldus: [1] *Præter honorem*, inquit, *Metropolitanæ Sedis, qua omnes nationes, seu Regna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenburgensis Ecclesia præscriptos terminos suæ Parochiæ, ultimam scilicet partem Saxoniæ, quæ est trans Albiam Nordalbingia, continens tres populos, Thetmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet, qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kycini, Circipani, & usque ad flumen Panim, & urbem Dimin*. Urbs hæc Demminum hodie limitem constituit Ducatus Pomeranici, ubi cum vicinis lacubus fluvioque Peni dirimitur a Mekelmburgica ditione, in cujus Orientali plaga, erant Kycini, & Circipani, in Occidentali autem Obotriti Wagirorum Regio, seu Wagria, Holsatiæ hodie adscripta. Sed & superstite adhuc Anschario Metropolis Hamburgensis majora accepit incrementa, quando ipsi unita fuit Ecclesia Bremensis, id procurante Ludovico Germaniæ Rege, ann. 849. ut tradunt Chronicum Saxonicum MS. Liber donationum ab Adamo citatus *lib*. 1. *cap*. 24. & Rembertus laudatus. Verum cum ea unio facta fuisset Sede Coloniensi vacante, cujus suffraganea erat Bremensis, Guntharius Coloniensis Archiepiscopus creatus de ista unione primum litem intentavit anno 857. in Synodo Wormatiensi, quam ut componeret Ludovicus Rex anno sequenti Moguntiæ Synodum celebrari jussit, cui Carolus Archiepiscopus præsedit. Omnes Synodi Patres unionem illam ratam habuerunt, Gunthario Coloniensi excepto, qui tandem Lothario, & Lodovico Regibus, & Episcopis omnibus rogantibus, ea lege consensit, si unio præfata Apostolicæ Sedis auctoritate firmaretur: æqua sane responsio; non enim effectum habere poterat hac de re Synodi sententia, nisi Romani Pontificis consensus accessisset, quem præstitit Nicolaus I. confirmatis Synodi Moguntinæ decretis. Id docet Chronicum Saxonicum MS. *Eodem* [2] *anno Bremensis, atque Hamburgensis Parochiæ coadunatio facta est ultimo tempore S. Anscharii ex auctoritate Nicolai Papæ, qui tam ipsum, quam ejus Successores Legatos, & Vicarios constituit in omnibus gentibus Sueonum, Danorum, & Sclavorum, quod & ante Gregorius Papa concessit*. Consentanea hæc sunt his, quæ tradunt, Annales Fuldenses, Rembertus, & Adamus *c*. 27. *lib*. 2. Tunc vero ac deinceps Hamburgi Archiepiscopus, etiam Bremensem Antistitem sese inscripsit.

II. Primatûs Hamburgensis ii fuerunt limites, quos explicat Cointius ex Adamo *ad ann*. 830. *num*. 7. Cum primis ad eum pertinebant nationes Slavorum trans Albim, & mare Balthicum in Germania positæ. Slavi, quos hodie Sclavos vocant, populi fuerunt Germaniæ, qui ab Hamburgo ad Albim fluvium, usque ad mare Scythicum varias regiones incoluerunt, quos inter Vandali, Vinuli, & Obotritæ celebriores extitere. Magnam quondam Illyrici partem occupaverant, nempe Dalmatiam, Croatiam, Bosniam, & Sclavoniam propriam, in qua dumtaxat nunc restricti sunt, quæ pars est Regni Hungariæ ad Meridiem, ubi alias Pannonia, Savia, inter fluvios Dravum, & Savum ab Ortu in Occasum extensa, a Danubio prope Taurunum, usque ad confinia Carniolæ, & Stiriæ. Olim autem magnam Germaniæ partem trans Albim incolebant, & promiscue appellabantur *Sclavi*, *Wandali*,

[1] Helmoldus lib. 1. Chronici Sclavorum cap. 6.

[2] Chronicon Saxonicum ad ann. 857.

dali, *& Winidi;* ex iis quoque fuerunt *Abodriti*, seu *Obotriti*, in ea Germaniæ parte siti, quæ Ducatum postea Megalopolitanum constituit. Eorum plurimi Christi fidem amplexi sunt, circa ann. 780. cum jam Carolus Magnus Saxones domuisset, sicuti ex Annalista Moisiacensi probat Franciscus Pagius *ibidem num. 6.* Ab Othone I. omnes postea subacti Baptismate sunt initiati, quibus Archiepiscopum Magdeburgensem præposuit.

Ad Danos præterea protendebatur Primatus Hamburgensis. Horum conversioni primum incubuit Ebo Archiepiscopus Remensis, eo Legatus Apostolicus missus a Paschali I. anno 822. de quo Eginhardus, Annalista Fuldensis ad eumdem annum, & Flodoardus *lib. 2. cap. 19.* Sed eam absolvit Sanctus Anscharius primus Archiepiscopus Hamburgensis, merito dictus Danorum, & Suecorum Apostolus, cujus vitam e tenebris eductam publicæ luci tradidit Bollandus *ad diem 3. Februarii;* ex qua præcipua desumpsimus, ad hanc S. Anscharii Apostolicam Legationem pertinentia. Quod S. Willibrordus, Heridagus, Ebo, & Hadligarius parvis initiis apud Nordalbingos tentaverunt, feliciter perfecit Anscharius, Slavos, Danos, Suecos, & omnes pæne Septemtrionales populos sacris Christianæ Religionis Mysteriis instituens, annis fere octo & triginta in id opus expensis. Ob Apostolicum munus adeo strenue peractum, vices suas Anschario, ejusque successoribus demandarunt Summi Pontifices Gregorius IV. & Nicolaus I. Primatûs dignitate Hamburgensi Ecclesiæ in Slavos, Daniam, Sueciam, Scrittefinniam, seu Scridivindiam, Halfingalandiam, sive Helsingiam, Nortmanniam, seu Norvegiam, Farriam, Islandiam, & Groelandiam. Dania comprehendit Jutiam pæninsulam olim Cimbricam cum Insulis Fionia, & Selandia, necnon Sconiam, quæ pars est veteris Scantiæ, seu Scandinaviæ. Postquam Otto Germaniæ Rex Danos subegit, Haroldo ipsorum Rege, cum uxore Gumild, & filio parvulo, cui nomen suum imposuit, baptizatis, tres in Dania cismarina, quam Jutlant incolæ appellant, Episcopatus fundavit, quos Hamburgensi Archiepiscopo subjegit, teste Adamo *lib. 2. cap. 2.* apud Baronium *ad ann. 949. num. 3.* ubi & primos Episcopos ibi ordinatos commemorat: [1] *Dania*, inquit, *Cismarina, quam Jutlant incolæ appellant, in tres divisa Episcopatus, Hamburgensi Archiepiscopo est subjecta . . . Igitur Beatissimus Archiepiscopus noster Adaldagus omnium primus ordinavit in Dania Episcopos, Haroldum ad Sliavuirch, Liafdegum ad Ripam, Reintbrandum ad Arhusam, quibus etiam illas commendavit Ecclesias, quæ trans mare in Finne, Seland, ac Scone, et in Sueonia.* De his etiam legendi sunt Helmoldus *lib. 1. Chronici Slavorum cap. 9.* & Chronographus Saxonicus MS. apud Mabillonium *sec. IV. Benedict. Part. 2. n. 8.* ex quibus historiam suam hauserunt Krantzius *lib. 3. Metrop. cap. 17.* & Pontanus *lib. 5. rerum Danicarum in Haraldo*. Episcopatus ab Ottone Rege donatos affirmat Chronographus Saxonicus, qui etiam addit: *Aldenburgh civitas magna Slavorum, qui Waigri dicuntur, sita est juxta mare quod Balthicum, vel Barbarum dicitur, itinere diei ab Hammamburgh; in qua Rex Otto fecit Episcopatum, subjiciens illum Hamburgensi Metropoli, eo quod vicinior illi Ecclesiæ esset, quam Magdaburgensi*. Hammaburgensi Metropoli postea duo Episcopatus adjecti, Mechlinburgensis scilicet, & Raceburgensis. Seculo sequenti, nimirum undecimo in Jutia quinque civitates

(1) Adamus lib. 2. cap. 2.

tates erant Episcopales *Slesvicum*, *Ripa*, *Arhusia*, *Wiberga*, & *Wendila*: *Farria* autem, & *Fionia*, quamvis non parum dissitæ uni suberant Episcopo; in Sconia Episcopali Sede ornata erat Dalboja civitas. Norvegia, quæ etiam ab Antiquis Normannia dicta est, quemadmodum in duas partes Australem, Borealemque, sic & in duos Episcopatus scindebatur; in Norvegia tamen Meridionali Sedes Episcopi fixa non erat, sed in Septemtrionali fixa erat Nidrosiæ. Adamus *in confinio Sueorum*, *vel Nortmannorum contra Boream* collocat Scritefinnos, quorum Episcopus Halsinodensis vocabatur, ejusque Sedes Helsingiæ posita erat, primaria urbe Halsingalandiæ. Idem Auctor Farriam *in ostio fluminis Albiæ* locat, ubi & Monasterium constructum fuerat ab Eilberto Fioniæ Episcopo: & hæc causa fuisse videtur, cur Insulæ Fionia, & Farria eidem subjectæ essent Episcopo. Non præteriit quoque Adamus in descriptione Gentium Septemtrionalium *Insulas Island & Gronland*, quibus similiter ab Adalberto Archiepiscopo Hamburgensi datus est Episcopus. In Islandia Sedes Episcopi fixa fuit Scalholti, primaria hujus insulæ civitate, unde nominatus est Episcopus Scalholtanus.

III. Per idem tempus Suecorum, seu Suedorum populi de suscipienda Christiana Religione cogitarunt. A Tacito *de moribus Germanorum cap.* 44. *Sujones* vocantur, ab antiquis Suevis oriundi, & a Germanis Mare Suevico, hodie Balthico sejuncti: temporibus autem Ludovici Augusti, & S. Anscharii, deinceps *Sueones*, teste Remberto, ac tandem *Sueci* sunt appellati. Ii cum accepissent, Danos ipsis proximos opera S. Anscharii Christi fide imbutos, ad Ludovicum Imperatorem Legatos miserunt, quibus sibi quoque concedi Sacerdotes postularunt. Missus idcirco ad eos Anscharius, una cum Vitmaro, Herioldo, aliisque sociis, anno 829. plurimos Suecorum etiam viros nobiles, & primarios divinis mysteriis, sacro præsertim Baptismate initiavit. Hæc narrant Rembertus in Vita S. Anscharii, & Adamus apud Baronium *ad ann.* 826. *n.* 40. Unus ex iis, quos Sanctus vir Baptismate tinxerat, fuit Herigarius Præfectus, & Consiliarius Regis, a quo fundatam statim Ecclesiam idem Rembertus asserit. Tres in Svecia Sedes Episcopales reperiebantur initio seculi XI. nimirum Scatæ, Sigdunæ, & Byrcæ. Byrca tunc erat Suecorum Regia, locus emporio nobilissimus inter Telgas, & Sictonam, seu Sigdunam, oppida etiam hodie nota. Omnes igitur Episcopatus Sueciæ, sicut & Daniæ Hamburgensis Metropolitæ, & Primatis suffraganei fuerunt: sed tandem jugum excusserunt; & quidem in Dania Urbanus II. Lundensem Metropolitam instituit, quem & Primatem Sueciæ, Norvegiæque creavit: duo tamen hæc Regna novum Primatem, & hunc Danum ægre ferentes, ipsi parere detrectarunt, suosque Metropolitas sibi delegerunt, auctoritate tamen Apostolica creatos, Suecia Upsalensem, Norvegia Nidrosiensem. Qua de re legendus est P. Ludovicus Thomassinus *de Vet. & Nova Eccles. Discipl. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 45. §. 9.

IV. Postremi Germaniæ populi, qui Christo nomen dederint, videntur Poloni, quondam antiqui Sarmatæ. Quamquam enim Tertullianus lib. adversus Judæos, Sarmatas inter eas gentes enumeret, quæ Christianam Religionem profitebantur; tamen necesse fuit paulo post ibi extinctam Christi fidem, cum nulla deinceps ejus rei mentio habeatur, usque ad finem seculi X. quo tempore consignari solet epocha conversionis Polono-

lonorum a Baronio, aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus, nempe *ad annum 965*. S. Adalberti prædicatione, & miraculis paulo ante Rex, & innumera populi multitudo Baptismi m susceperat. Ad hanc gentem Christianis ritibus imbuendam direxit Joannes XIII. Ægidium Tusculanum Episcopum Legatum a Latere, qui credentem Regem, ejusque subditos in fide stabilivit; plures ibidem erexit Episcopatus, atque in iis Antistites, aliosque ministros instituit, quibus erudiendæ plebis sacrisque mysteriis initiandæ cura incumberet. Descripsit hæc pluribus Kromerus lib. 3. aliique Rerum Polonicarum Scriptores. At Ditmarus, ab Ottone III. cum venerandi causa Reliquias Sancti Martyris Adalberti in Poloniam se contulit, Metropolim, ac Episcopatus aliquot designatos, qui ei Metropoli subessent, commemorat. Conjectat autem Baronius *ad annum 999*. tunc in comitatu Ottonis fuisse Legatum Apostolicum, qui Archiepiscopatus erectionem ratam haberet. At Longinus, seu Dlugossus Canonicus Cracoviensis, Historiæ Polonorum haud ignobilis Scriptor, refert, Mieslaum Poloniæ Principem, cum primus lustralibus Baptismi undis expiatus fuisset, statim duas condidisse Metropoles, Gnesnam, & Cracoviam, necnon Episcopatus septem; subdit vero: *Ægidius Tusculanus Cardinalis Episcopus a Joanne XIII. Summo Pontifice missus, Singulos Episcopatus Poloniæ, & duas Metropoles confirmavit, & singulis Diœcesibus terminos posuit, & distinxit*. Fateor tamen difficultatem non modicam nobis ingerere Gregorii VII. litteras ad Boleslaum Ducem, in quibus asserit, nullam adhuc certam Sedem in Polonia Metropolitæ designatam: (1) *Non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum*. Quare arbitror initio quidem Metropoles illas a Mieslao designatas fuisse, at nonnisi Gregorii ætate effectum habuisse, quo ad certam Metropolis Sedem, quæ postmodum Gnesnæ constituta fuit Romanorum Pontificum auctoritate, ut docet D. Petrus de Marca *lib. 2. Concord. cap. 9. §. 6.* Nec dubium, quin Gnesnensis Metropolis prima, & antiquior sit ex his, quæ in Poloniæ Regno reperiuntur, cui præterea Primatûs honor accessit in omnes ejusdem Regni Ecclesias, quo etiamnum potitur. Mitto alias Metropoles in ceteris Germaniæ Aquilonaris Provinciis ab Apostolica Sede conditas, ut in Livonia Rigam, Leopolim in Polonia, & alias de quibus agit Ludovicus Thomassinus *par. 1.* Veteris, & Novæ Ecclesiæ Disciplinæ; infra enim *part. 2.* propriis locis de iis erit differendum.



(1) Gregorius VII. lib. 2. epist. 73.



LIBER QUARTUS

Præter Illyricum Occidentale, de quo hactenus actum, duæ aliæ Diœceses peramplæ Italia nimirum, & Africa Præfecto Prætorio Italiæ fuerunt commissæ, quas hoc Libro expendimus.

CAPUT I.

Synopsis.

I. *Talia Europæ pars ab antiquis diversis nominibus appellata, eaque singula explicantur. Illius descriptio.*

II. *Variæ partes Italiæ recensentur, aliter apud recentes ordinatæ. Olim in plures Provincias secta non fuit. Sub Hadriano in duas partes divisa est: sub Constantino, ac deinceps usque ad Arcadium & Honorium in septemdecim Provincias, quæ omnes enumerantur.*

III. *Diœceses Italiæ, Illyrici Occidentalis, & Africæ Præfecto Prætorio Italiæ parebant, sub quo quatuor erant Vicarii constituti. In Vicariatu Romano decem erant Provinciæ: in altero Italiæ septem.*

IV. *Roma totius Italiæ, postea Imperii caput. Provinciarum Italiæ divisio non omnino accurata ad nos pervenit.*

V. *Plurium in Italia Provinciarum Metropolis olim Roma fuit. Istarum Provinciarum Notitia ex veteri Codice Vaticano exhibetur.*

VI. *Leonis Sapientis Notitia Provinciarum Urbicarum imperfecta est. Duæ aliæ proferuntur, una ex Codice Vaticano, altera ex Codice antiquo Reginæ Sueciæ.*

VII. *Prima ex Urbicariis Provinciis Campania describitur. In duas partes scinditur, quarum prior Latium vetus, & novum comprehendit. Roma totius Latii princeps effecta. Aliæ utriusque Latii præcipuæ Urbes exhibitæ.*

VIII. *Sabinorum regio unde dicta. Sancus Sabinorum numen. Cures eorum Metropolis. Servius a Sabo censet Sabinos vocatos. Ob Puellarum raptum ingens Romanorum cum Sabinis bellum.*

IX. *Ab Apostolis Petro, & Paulo Evangelii notitia in Latium Sabinosque invecta.*

X. *Volscorum regio, urbesque exponuntur. Ostia insignis Volscorum civitas.*

I. Omni-

I. Mnibus Europæ partibus etsi non amplior, nobilior tamen Italia est, quondam Orbis Domina, cum & ipsa Roma, cui & totus Orbis paruit, urbs ejus fuerit. Prius Hesperia dicta ab Hespero Atlantis fratre, qui a fratre ex Africa pulsus, in Hispaniam primum, deinde in Italiam sese recipiens, utramque a suo nomine Hesperiam appellavit. Aliam tamen istius nominis originem vestigavit Macrobius, ab Hespero stella sic vocatam existimans, quod Occasui subsit. Aliud quoque nomen antiquitus ei impositum fuit; Oenotria quippe nominabatur, seu a bonitate vini, quod in Italia nascitur (nam Græci *oenon* vinum vocant:) seu ab Oenotro Sabinorum Rege. Antiquum esse hoc nomen advertit Tertullianus, qui etiam addit Italiam *Saturniam* dictam: [1] *Tota denique Italia post Oenotriam, Saturnia cognominabatur*. Postmodum Italia ab Italo Siculorum Rege, qui agriculturam Italosdo cuit, legesque condidit, eamque partem, in qua postea Turnus regnavit a suo nomine Italiam dixit. Quibusdam tamen placet, a bobus sic fuisse nuncupatam; Græca enim veteri lingua, hæc vox *italos*, bovem seu vitulum significabat, quia scilicet boum pulchritudine, & copia floret Italia. Hoc nominis Etymon approbant Timæus, & Varro, qui [2] Vitulum prisca lingua *itulum* vocatum docent: *Vitulus, quod græce antiquitus itulos*. Omnibus hisce nominibus Italiam Virgilius nuncupatam ceninit: [3]

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ,
Oenotrii coluere viri, nunc fama, minores
Italiam dixisse, Ducis de nomine, gentem.

Siqui vero Latii, & Ausonii voces adhibent, ejusmodi nominibus non totam Italiam, sed aliquam ejus partem indicant: Latium quippe est ea pars Italiæ, quæ citeriori Tiberis Ripæ adjacet, ubi hodie est Roma; Ausonia vero dicta fuit Italiæ regio maritima inter eam agri Brutii partem, quæ Siciliæ objicitur, & Salentinos intercepta: unde etiam vicinum mare Ausonium appellatum fuit. Eam ita describit Siculus Flaccus in *lib. de conditionibus agrorum*: *Ab alpibus ad mare porrigitur, a tribus lateribus exteras gentes intuetur, a Sicilia usque ad Galliam omne litus Africum est contrarium; rursus a Leucopetra, pars, quæ ad mare attingit, Macedoniæ, & aliquam Epiri partem spectat; Adriaticum vero littus Illyricum contra se habet*. Italiæ figuram, longitudinem, latitudinemque dimensus est & Solinus: cruris figuram præsefert, inter Adriaticum, & Tuscum mare, a jugis Alpium, dorsoque Appennini porrigitur, paulatim sese attollens usque ad fretum Siculum. In ultimo sui scinditur in duo cornua, quorum alterum spectat Jonium mare, alterum Siculum, in extremitate Rhegium vetustissimam urbem habens. Ejus longitudo ab Augusta Prætoria, quæ in Alpino limite sita est, per Romam, Capuamque extensa ad Rhegium usque, decies centena & viginti millia passuum continet: latitudo vero quadra-

(1) Tertullianus in Apologetico cap. 10.
(2) Varro de lingua latina lib. 4.
(3) Virgilius lib. 1. Æneid.

draginta decem, ubi major, ubi autem minor, centum triginta sex, habetque umbilicum in agro Reatino.

II. Partes seu regiones Italiæ aliter Recentes, aliter Veteres enumerant: Recentes quidem sexdecim partiuntur, videlicet Liguriam, Hetruriam, Latium, Calabriam, Apuliam, Samnium, sive Aprutium, Picenum, Flaminiam, & Æmiliam, seu Romandiolam, Umbriam, nunc Ducatum Spoletanum, Galliam Cisalpinam, Venetiam, nunc Marcam Tarvisanam, Japidiam, & Carniam, nunc Forum Julium, & Istriam. Apud Veteres autem eæ ex ordine regiones recensentur, Liguria, Hetruria, Latium, Campania, Picentes, Lucania, Brutii, Magna Græcia, quæ nunc Calabria, Japidia, sive Salentini, Apulia gemina, Samnium, Picenum, Umbria cum Sabinis, Æmilia, seu Gallia Togata, Insubria, Venetia, Carni, & Istria. Quam vero Recentes Galliam Cisalpinam vocant, Antiqui in plures secabant regiones, Liguriam nimirum, Insubriam, Venetiam, & Æmiliam, seu Galliam Togatam; ut apud Polybium, & Strabonem videre licet. Japidiam prætermiserunt, quæ extra Italiam est, & in Noricorum, & Liburniæ confinio interseritur. Quamvis autem tot essent in Italia regiones, nulla tamen earum priscis temporibus Provincia dicebatur; sed ut Hegesippus scripsit: *Romani cum in jus suum vincendo redigerent procul positas regiones, appellavere Provincias*. Ob hanc causam in Notitia Augusti apud Dionem Cassium *lib.* 53. inter Provincias Romani Imperii non numeratur Italia; duas tamen ipsi adjacentes attribuit, Siciliam, & Sardiniam, cui & Corsica adnexa fuit. Prima sub Romano Imperio Italiæ divisio facta videtur, Hadriano Augusto regnante, cujus Notitia Italiam in duas partes sectam exhibet: Prima comprehendit Regiones a Piceno, quod in antiquis Notitiis Suburbicarium dicitur, usque ad Siciliam: Secunda comprehendit Regiones cis, & ultra Padum sitas, cum adjacentibus Provinciis, quæ ab Alpibus, usque ad Apenninos montes sese extendunt: suntque Liguria, Æmilia, Alpes Cottiæ, Rhætiæ duæ, Venetiæ, & Istria. Constantini ævo, ac deinceps usque ad Arcadium, & Honorium in plures Provincias Italia secta fuit. Septemdecim eas recenset Notitia Imperii circa Arcadii, & Honorii Principatum edita.

Sub Diœcesi Italiæ Provinciæ decem & septem.

Hæ septem Provinciæ parebant Vicario Italiæ.	Venetiæ. Æmilia. Liguria. Flaminia, & Picenum Annonarium. Alpes Cottiæ. Rhætia prima. Rhætia secunda.	Picenum Suburbicarium. Thuscia, & Umbria. Campania. Sicilia. Apulia, & Calabria. Lucania, & Brutii. Samnium. Valeria. Sardinia. Corsica.	*Hæ decem Provinciæ parebant Vicario Urbis.*

III. Tota Diœcesis Italiæ, sicut & Illyrici Occidentalis, de qua superius actum est, nec non Diœcesis Africæ parebant Præfecto Prætorio Italiæ. Ejus Præfectura licet in tres Diœceses discreta, quatuor tamen sub se Vicariatus comprehendebat, Romæ primum, Italiæ alterum, Africæ tertium, Illyrici Occidentalis quartum. In Vicariatu Romæ decem erant Provinciæ.

1. Campania.
2. Hetruria, & Umbria.
3. Picenum Suburbicarium.
4. Sicilia.
5. Apulia, & Calabria.
6. Lucania, & Brutii.
7. Samnium.
8. Sardinia.
9. Corsica.
10. Valeria.

Ex decem Provinciis recensitis, quatuor per viros Consulares regebantur, videlicet Campania, Thuscia, & Umbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia. Totidem per Præsides, scilicet Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria. Duæ reliquæ Apulia, & Calabria, Brutii, & Lucania per Correctores. Hæc ex Notitia Imperii constant.

Sub dispositione Vicarii Urbis Romæ Provinciæ infrascriptæ.

CONSULARES.

1. *Campaniæ*. 2. *Thusciæ*, *& Umbriæ*. 3. *Piceni Suburbicarii*. 4. *Siciliæ*.

CORRECTORES.

1. *Apuliæ*, *& Calabriæ*. 2. *Brutiorum*, *& Lucaniæ*.

PRÆSIDES.

1. *Samnii*. 2. *Sardiniæ*. 3. *Corsicæ*. 4. *Valeriæ*.

Præter Præfectum Prætorio Italiæ, Roma suum peculiarem habebat Præfectum ceteris omnibus Urbis Magistratibus præstantem; de cujus eximia dignitate potestateque extat *in Cod. Theodos.* singularis Titulus, *de Officio Præfecti Urbis*. Vicariatus Italiæ, cujus caput Mediolanum fuit, septem Provincias comprehendebat. In Notitia Imperii eæ sunt.

Sub dispositione Vicarii Italiæ Provinciæ infrascriptæ.

1. Liguria.
2. Æmilia.
3. Flaminia, seu Picenum Annonarium.
4. Venetiæ, quibus postea juncta est Istria.
5. Alpes Cottiæ.
6. Rhætia prima.
7. Rhætia secunda.

IV. Italiæ universæ, sicuti & totius Romani Orbis, illa ipsa Metropolis & caput, quæ & Imperii mater ac Domina Roma, non uno temporis momento, sed multorum annorum decursu in omnem prope terrarum Orbem Imperium dilatavit. Quatuor amplitudinis ejus gradus eleganter divisit L. Florus, ducta ab homine satis apta similitudine: (1) *Si quis ergo*, inquit, *populum Romanum quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quemdam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus, progressusque ejus inveniet. Prima ætas sub Regibus fuit, prope CCL. per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est*. Hæc fuit ejus Infantia. *Sequens a Bruto, Collatinoque Consulibus, in Appium Claudium, Quintumque Fulvium Consules, CCL. annos habet, quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris, armisque exercitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæsarem Augustum CCL. anni, quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipsa juventa Imperii, & quasi quædam robusta maturitas*. A Cæsare Augusto usque ad Trajanum Principem postremum produxit gradum, quo inertiâ Cæsarum, quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano movit lacertos, & præter spem omnium Senectus Imperii quasi reddita juventute refloruit. Nobis consilium non est hoc loco omnes hos Romani Imperii status percurrere, cum eorum aliqui jam ex ante actis magna ex parte pateant; sed secundum dumtaxat illius gradum, qui ad Italiæ Principatum spectat paucis perlustrabimus: ejusque investigandi occasionem nobis offert illa ipsa Provinciarum distinctio, de qua hic agimus. Quamquam dolendum sit, desse veteres ejusmodi Provinciarum Notitias, nec satis idcirco constare posse, quæ fuerit prisca illarum forma. Quæ res Eruditorum ingenia plurimum defatigavit, præsertim ubi de Urbicariis, & Suburbicariis regionibus, & Ecclesiis eis sermo fuit. Vestigium quoddam illarum apparet in Notitia Leonis Sapientis, quam edidit P. Goar, sed ita confusum, ac diminutum, ut merito Abbas Fuliensis ab edenda Notitia Provinciarum Italiæ, qualem Codex Regius continet, omnino abstinuerit: *Hic*, inquit, *in MS. Regio recensentur urbes Episcopales Italiæ, & Provinciarum Romanarum Africæ, sed adeo corrupte, ut vix aliquot verba integra remanserint, unde harum notitiam consulto omisimus*. Et vero nec Provinciarum numerus completus est, nec propria urbium nomina, interdum etiam ex una in aliam Provinciam translata. Quare Apum more cogimur ex variis cum veterum, tum recentium scriptis selectiora colligere, quæ nobis etsi non exactam, qualemcumque tamen Provinciarum Ecclesiasticarum Notitiam ob oculos ponant.

V. Quia tamen Roma, præter eximiam dignitatem capitis totius Ecclesiæ, id quoque obtinuit, ut in Italia plurium esset Provinciarum, peculiaris Metropolis, operæ pretium arbitror ante singularem cujusque Provinciæ, propriam ipsius Urbis Notitiam hoc loco transcribere; & quidem vetustissimam ex MS. Codice Vaticano Sacrorum Rituum ab Eminentissimo Cardinale Baronio editam *Tom. 11. Annalium, ad Annum* 1057.

Notitia Ecclesiarum Patriarchalium Urbis Romæ,

Et Ecclesiarum suffraganearum Romani Pontificis.

„ Sunt in Ecclesia Romana quinque
„ Ecclesiæ Patriarchales. Prima est Ec-

(1) L. Florus lib. 1. histor. in Prologo.

„ clesia Lateranensis, quæ & Constan-
„ tiniana, & Basilica Salvatoris di-
„ verso nomine nuncupatur. Hæc
„ habet septem Cardinales Episcopos,
„ hosque dictos *Episcopos Collaterales*,
„ itemque & *Hebdomadarios*, eo quod
„ singulis hebdomadibus per vices
„ expleant munus Pontificis.

„ Episcopi Cardinales erant hi.
„ Episcopus Ostiensis, Episcopus San-
„ ctæ Rufinæ, sive Silvæ candidæ, Epi-
„ scopus Albanensis, Episcopus Sabi-
„ nensis, Episcopus Tusculanus, Epi-
„ scopus Prænestinus.

„ Alia Patriarchalis est Sanctæ
„ Mariæ, *Major* dicta, & quæ habet
„ septem Cardinales Presbyteros, sci-
„ licet Cardinalem SS. Apostolorum
„ Philippi, & Jacobi, Sancti Cyriaci
„ in Thermis, Sancti Eusebii, San-
„ ctæ Pudentianæ, S. Vitalis, SS. Pe-
„ tri, & Marcellini, & Sancti Cle-
„ mentis.

„ Alia Patriarchalis Ecclesia San-
„ cti Petri, in qua item septem sunt
„ Presbyteri Cardinales, scilicet San-
„ ctæ Mariæ trans Tiberim, Sancti
„ Chrysogoni, S. Cæciliæ, S. Ana-
„ stasiæ, S. Laurentii in Damaso,
„ S. Marci, Ss. Martini, & Silvestri.

„ Alia Ecclesia Patriarchalis est
„ Basilica S. Pauli, in qua sunt Car-
„ dinales S. Sabinæ, S. Priscæ, San-
„ ctæ Balbinæ, Ss. Nerei, & Achillei,
„ S. Sixti, S. Marcelli, S. Susannæ.

„ Quinta Patriarchalis erat San-
„ ctus Laurentius extra muros, in
„ qua sunt hi Cardinales, S. Praxe-
„ dis, S. Petri ad Vincula, S. Lau-
„ rentii in Lucina, Ss. Joannis, &
„ Pauli, Ss. Quatuor Coronatorum,
„ S. Stephani in Monte Cœlio, San-
„ cti Quiriaci.

„ His autem Patriarchalibus Ec-
„ clesiis præfecti erant hi: Latera-
„ nensi primus Episcopus Collatera-
„ lis: S. Mariæ Majori Archipresby-
„ ter Cardinalis: Ecclesiæ S. Pauli
„ Abbas Cardinalis: Ecclesiæ Sancti
„ Laurentii Abbas Cardinalis.

„ Sunt præter titulos Diaconiæ,
„ iisque præfecti Diaconi Cardinales
„ dicti *Regionarii*, iidemque numero
„ duodecim. Diaconis Regionariis
„ præfecti item Diaconi Palatini sex.
„ Hi præsunt Diaconiis, quæ sunt:
„ Sancta Maria in Dominica, cui
„ præest Archidiaconus: S. Lucia ad
„ septem solia: S. Maria Nova: San-
„ cti Cosma, & Damianus: S. Hadria-
„ nus: Ss. Sergius, & Bacchus: San-
„ ctus Theodorus: S. Georgius: San-
„ cta Maria in Schola Græca: S. Maria
„ in Porticu: S. Nicolaus in Carcere:
„ S. Angelus in foro Piscario: S. Eu-
„ stachius; S. Maria in Aquiro: S. Ma-
„ ria in via lata; S. Agatha in Equo
„ marmoreo: S. Lucia in capite Su-
„ burræ: S. Vitus in Macello. Est mu-
„ nus Diaconorum Regionariorum
„ cantare Evangelium in stationibus:
„ Palatini cantant Evangelium in
„ Ecclesia Lateranensi.

„ Subdiaconi sunt omnes nu-
„ mero viginti & unus: septem Re-
„ gionarii, qui epistolas, & lectio-
„ nes cantant in stationibus: septem
„ Palatini, qui idem munus præstant
„ in Ecclesia Lateranensi: septem alii,
„ qui dicuntur *Schola Cantorum*, qui
„ cantant tantummodo, quando Sum-
„ mus Pontifex celebrare consuevit.

„ Sunt in Urbe Abbatiæ vigin-
„ ti duæ, videlicet S. Cæsarii in Pa-
„ latio: S. Gregorii in clivo Scauri:
„ S. Mariæ in Aventino: S. Sabini
„ Episcopi: Ss. Alexii, & Bonifacii,
„ Sanctarum Priscæ, & Aquilæ, San-
„ cti Sabæ: S. Tiburtii: Ss. Cosmæ,
„ & Damiani in Vico Aureo: San-
„ cti Silvestri inter duos hortos: San-
„ ctæ Mariæ in Capitolio: S. Blasii
„ juxta Palatium: S. Agathæ: Sancti
„ Laurentii in Panisperna: S. Thomæ
„ juxta Forum Claudii: S. Blasii in-
„ ter Tiberim & portam S. Petri:
Sancti

„ Sanctæ Trinitatis Scutorum: S. Valentini juxta Pontem: Sanctæ Mariæ in capite aureo: Sanctæ Mariæ in Pallaria: S. Mariæ juxta S. Petrum ad Vincula.

„ Insuper præter septem Collaterales Episcopos erant alii Episcopi, qui dicuntur *Suffraganei Romani Pontificis*, nulli alii Primati, vel Archiepiscopo subjecti, qui frequenter ad Synodos vocarentur.

Mox sexagintanovem Episcopatus enumerat, ex quibus Romana Provincia conflata erat, qui quidem Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem, Sinuessam, Marsos, seu Valeriam, Picenum, & Tusciam Suburbicariam, Tusciam Annonariam, Umbriam, & Picenum Annonarium complectebantur, quas regiones Notitia prædicta barbara voce Marchiam Umbriæ indigitat, Marchiæ nomine utrumque Picenum comprehendens. En Notitiæ verba.

„ In Campania, Tiburtinus, Anagninus, Signinus, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, Soranus, Fundanus, Cajetanus, Tarracinus.

„ In Marsis sunt hi: Furconensis, Marsicanus, Valvensis, Theatinus, Pennensis, Aprutinus.

„ In Thuscia sunt hi: Nepesinus, Sutrinus, Civitensis, Hortanus, Balneoregiensis, Urbevetanus, Viterbiensis, Castrensis, Suanensis, Clusinus, Perusinus, Castellanus, Aricinus, Grossetanus, Volaterranus, Senensis, Lucanus, Pistoriensis, Florentinus, Fesulanus, Lucensis.

„ In Umbria, & Marchia Spoletum, Assisium, Fulginas, Nucerinus, Eugubinus, Reatinus, Tudertinus, Amerinus, Narniensis, Interamnensis, Esculanus, Firmanus, Camerinensis, Auximanus, Humanus, Anconitanus, Æsinus, Senogalliensis, Fanensis, Pisaurensis, Forosempronienfis, Calliensis, Urbinas, Ariminensis, Ferentanus.

Ab hac veteri Notitia, suam magna ex parte mutuati sunt Milon Abbas, & Episcopus Catharensis; quas idcirco hic transcribere supervacaneum est. Fateor tamen alias vetustiores desiderari eo tempore scriptas, quo in decem Italiæ Provinciis, quas Urbicarias vocant, vel nullus erat Metropolita præter Romanum, ut aliqui censent, vel perpauci admodum.

VI. Leo Philosophus in *Ordine Præsidentiæ Patriarchatuum*, sex dumtaxat exhibet Provincias Italiæ, *Urbicariam* scilicet, *Provinciam Campaniæ*, *Siciliæ*, *Calabriæ*, *Annonariam*, & *Æmiliæ*, sed interdum urbium nomine Provincias comprehendit, nec suis aptat locis: præcipuas Italiæ proprie dictæ Provincias omittit, urbes nonnumquam corrupte nominat, & susdeque confundit. Lubet tamen hic eas referre.

Provincia Gloriosissimo Romæ, sive Italiæ Primati subjecta.

Provincia Urbicaria.

Roma Bruttiorum.
Nuceria.
Luna.
Neapolis.
Ferentium.
Albinimium.
Genua.
Sipontus.
Portus Romanus.
Insula Centumcellæ.
Ebolum.
Urbs Amalfitana.
Urbs Cajeta.
Urbs Tibur.
Urbs Nepe.
Insula Comacula.

Pu-

Puteoli vel Formiæ, nunc Mola.
Urbs Compſa, forſan Tempſa.
Urbs Soranorum.
Urbs Fundi.
Urbs Ilva.
Urbs Anagnia.

Provincia Campaniæ.

Neapolis.
Brettania.
Panonia.
Calabria.
Venotiæ.
Meſſuna.
Vicus Valerius.
Taurata.
Apulia.
Urbs Viterbium.
Urbs Samnium.
Urbs Sveſſa.
Urbs Rhegium.
Urbs Taurata.
Urbs Signia.
Urbs Gradus.
Urbs Patricum.
Urbs Scyllatium.
Murgantia.
Forſan Urbs vetus.
Urbs Crotona.
Urbs Opitergium.

Provincia Annonaria.

Ravenna.
Fortunæ Fanum.
Aſculum.
Fulginum.
Picenum.
Piſaurum.
Tergeſtum.
Auguſtopolis.
Tolentinum.
Urbs Ferentinum.
Urbs Salernum.
Urbs Tuder.
Urbs Ancona.
Forum novum.
Urbs Firmum.
Urbs Interamnia.
Forum Cornelii.
Urbs Nurſia.
Urbs Sora.
Urbinum.
Septempeda.
Sena Gallia, quæ & Senogallia.
Cæſena.
Forum populi, ſive Popolii.

Provincia Æmiliæ.

Brixellum.
Urbs Brinta.

Quiſque videt has Notitias mancas eſse, & ordinem urbium perturbatum.

Provincias Siciliæ, & Calabriæ prætermiſimus, quia propriis in locis ſingulæ erunt deſcribendæ.

Abſolutum perfectumque Provinciarum Italiæ numerum, ſed abſque civitatibus nobis exhibet Notitia Adriani Papæ, decerpta ex ſexcentorum & viginti annorum, Codice MS. Vaticano ſub num. 1338. (1) in quo habetur primo folio, Codicem hunc excriptum fuiſse ex altero authentico, quem Adrianus Papa dedit Carolo Magno; verumtamen ſolas Provincias exhibet, quas hic referemus.

In Italia ſunt Provinciæ numero XVII.

Campania, in qua eſt Capua.
Tuſcia, cum Umbria, Æmilia.
Flaminia, in qua eſt Ravenna.

Pi-

(1) Apud Schelſtratem Tom. 2. Antiq. Eccl. Append. 9.

Picenum in quo est Mediolanum.
Venetia cum Istris, in qua est Aquileja.
Alpes Cottiæ, Samnium, Apuliacum Calabria, in qua est Tarentum.
Brutia cum Lucania, Rhætia Prima, Rhætia Secunda, Sicilia, Sardinia, Corsica, Alpes Grajæ.

Exactior est tamen Notitia altera ejusdem temporis, ex MS. Codice Bibliothecæ Reginæ Sveciæ: (1) in qua Liguria exprimitur, quæ in præcedenti prætermissa est, itemque Roma.

In Italia sunt Provinciæ XVII.

Campania, in qua est Capua.
Tuscia cum Umbria, in qua est Roma,
Æmilia, Flaminia, in qua est Ravenna,
Picenum, Liguria, in qua est Mediolanum.
Venetia cum Istris, in qua est Aquileja.
Alpes Cottiæ, Samnium, Apulia cum Calabria, in qua est Tarentum.
Brutium cum Lucania, Rhætia Prima, Rhætia Secunda, Sicilia, Sardinia, Corsica, Alpes Grajæ.

VII. Ex decem Provinciis Urbicariis, quæ nimirum curæ Vicarii Urbis commissæ erant, primam omnium Campaniam vestigandam sumimus, quod in ea Imperii caput Roma sita fuerit, si veterem ejusdem Imperii dispositionem attendamus. Hæc siquidem Provincia in duas veluti partes secta est, quarum prior Latina regio, quæ Campania recentior, seu Romana dicitur, Latium comprehendit Vetus, Novumque. Latium Vetus, Plinio teste, ab ostiis Tiberis Circæos usque extendebatur: Novum usque ad Lyrim amnem. Dictum antem Latium, quod ibi Saturnus latuerit, cum Jovem fugit, Veteres prodiderunt. Jano quippe in Latio regnante, Saturnus a Jove filio pulsus ad Italiam appulit: ibique exceptus hospitio, haud procul Janiculo arcem condidit, quam de suo nomine Saturniam appellavit, uti referunt Dares, Phryx, Halicarnasseus *lib.* 1. Livius *Decad.* 1. *lib.* 1. & Eusebius *in Chron. & lib. de Origin. Roman.* Quod eleganter suis carminibus cecinit Ovidius: (2)

Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Cælitibus Regnis a Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen,
Dicta quoque est Latium terra latente Deo.

Idipsum & Virgilio observatum fuit. (3)

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens, & Regnis exul ademtis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Roma

(1) Apud Schelstratem Append. 10.
(2) Ovidius lib. 1. Fast.
(3) Virgilius lib. 8. Æneid.

Roma ex parvis initiis nata, non multo post Latio, mox Italiæ universæ, tandem fere toti Orbi imperavit. Romulus eam condidit, a suo nomine sic appellatam, sublato interim Remo fratre, non tam quod novos muros per saltum transiliisset; quam quod novi æmulum Regni præ invidia ferre non posset. Regibus primum, deinde Consulibus, & Tribunis militum consulari potestate, postremo Imperatoribus eam moderantibus, Roma eo potentiæ devenit, ut maxima mundi parte in ditionem suam accepta, nullam ante se, nec post se similem habuerit, virtute, ac fortuna simul confluentibus, ut illam ad tantum extollerent dignitatis fastigium; ut optime adnotavit Ammianus Marcellinus: (1) *Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, virtus concurrit atque fortuna, plerumque dissidentes, quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat sublimitatem*. Vix condita magnam vicinorum invidiam subiit, eam pæne in cunis opprimere tentantium; præsertim cum sublatis Regibus cura Reipublicæ in Consules translata est. Anno siquidem tertio a parta Romæ libertate, ab Etruscis primum, Porsenna Clusinorum Rege pro reducendis Tarquiniis aciem instruente, bellum illatum; quo feliciter acto, & pace cum Etruscis inita, aliud a Latinis vehemens increbuit, quos Octavius Mamilius, Tarquinii gener, Latinos ipse concitabat, contra quos Postumius Dictator a populo creatus, ad Regillum lacum eos insigni prœlio vicit, eisque reddidit societatem. Sed Latini sæpius Romanis infensi, sæpius etiam debellati, tandem L. Furio Camillo, & C. Mænio Consulibus penitus subacti sunt. Ita Livius *lib*, 2. 3. & 8. Dio 6. 10. Plinius *lib.* 34. aliique.

Veteris Latii post Romam præcipuæ urbes eæ fuerunt: In ora, Ostia, Antium, Circæi, solo æquatæ, Tarracina; Mediterraneæ vero, Tusculum, Tibur, Præneste, Sora, Aletrium, Aquinum, Verulum, Ferentinum, Signia, Anagnia, Alba jacens, Velitræ. Ex his Sora, & Aquinum hodie ad Regnum Neapolitanum pertinent. Novi itidem Latii urbes ad ipsum Regnum nunc spectantes sunt, Fundi, & Cajeta; Formiæ autem, & Minturna, & Sinvessa eversæ.

VIII. Latio adnexa est Sabinorum regio, de quorum appellationis origine non unus est Scriptorum sensus. A religione cultuque Deorum hoc nomen ipsis inditum censet Plinius: ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, pietatem colere. Festus vero Pompejus ex Varronis, Porciique Catonis sententia, Sabinos fuisse dictos contendit a Sabino filio Sanci, quem Deum Fidium plerique appellaverunt. Proxime ad hanc Sententiam accessit D. Augustinus *lib.* 18. *de Civ. Dei*, *cap.* 15. ubi refert, Regem Sabinorum Sangum, quem alii Sancum vocant, quidam Sabum, a quo Sabini populi, in Deorum numerum ab ipsis relatum fuisse, quod ejus gentis pater fuisset. Quo & allusit Silius Italicus hisce carminibus: (2)

Cunctis hasta decus, clypeusque refertur in orbem
Conique implumes, ac lævo, tegmine cruris
Ibant, & læti pars Sancum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas; qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Unus

(1) Marcellinus.

(2) Silius lib. 8.

Unus idemque apud Dionysium Halicarnasseum *lib.* 4. & Sancus & Deus Fidius nominatur; quem pariter imitatur Ovidius, addita insuper Semipatris nomenclatione: (1)

Quærebatur honos Sanco Fidione referrem,
An tibi Semipater; tunc mihi Sancus ait:
Cuicumque ex istis dederis, ego Sancus habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Cures quas hic Poëta commemorat, urbs erat Metropolis Sabinorum, unde Tatius, & Numa Pompilius prodierunt. Ab hac urbe Romanos Quirites dictos perspicuum est. Romulus enim inito federe cum Tatio Sabinorum Rege, eoque in partem Regni, Sabinisque in urbis portionem receptis, ut novorum incolarum benevolentiam aliqua sibi ratione conciliaret, mistam Romanorum, Sabinorumque gentem uno nomine Quirites appellavit, quasi Curites, a Curibus Sabinorum urbe, ut testatur Livius *lib.* 1.

Servius in Commentar. ad Virgil. Æneid. auctoritate Hygini nixus a Sabo censet Sabinos fuisse vocatos, qui de Perside ad Lacedæmonios transiens, in Italiam venit, ejectisque incolis, eam occupavit regionem, quam Sabini possident. At Gellio placet, hunc Sabum fuisse Ducem Lacedæmoniorum, a quibus proinde Sabini originem ducunt. Si quis veterum Sabinorum loca, Urbes, & oppida cognoscere cupiat, adire poterit Strabonem *lib.* 5. & Plinium *lib.* 3. *cap.* 12. Hic tamen præterire nequeo Virgilii carmina, quibus elegantissime Sabinorum regionem, locaque describit: (2)

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur, & tribus, & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ,
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, & Flumen Himellæ,
Qui Tyberim, Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini,
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

Ex tot locis Oppidisque a Virgilio commemoratis, nunc vix quorumdam restant reliquiæ, ac nuda nomina. Una tamen ex præcipuis Sabinorum civitatibus Reate adhuc superstes est, quam Dionysius *lib.* 1. *Romanar. Antiquit.* ante Trojanum bellum ædificatam fuisse affirmat; subactis vero Sabinis, hæc civitas Municipium fuit Romanorum, ut scribit

(1) Ovidius Fast. lib. 4. vers. 213.

(2) Virgilius Æneid. lib. 7. vers. 706.

bit Suetonius in *Vespasiano* eamdemque Cicero in Catilinam 3. Præfecturam nominat. Dissertam ejus mentionem faciunt Livius, Varro, Plinius, Strabo, Silius, aliique Scriptores.

Ob Puellarum raptum vehemens, ac diuturnum cum Romanis bellum gesserunt Sabini, qui arce Tarpeja potiti, cum Romanis formidolosi essent interventu raptarum Mulierum inter ambos populos convenit, uti Romæ communiter habitarent, ac duo simul regnarent, Romulus, & Tatius, auctoribus Dionysio Halicarnasseo, Dione, Floro, & Plutarcho. Verum sublatis Romæ Regibus, quodam contagio belli infecti se Latinis adjunxere: *Sed* (1) *Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus Mari igne ferroque vastavit: qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, nec ipse posset æstimare, qui vicerat.*

IX. Ab Apostolorum Principibus Petro, & Paulo, eorumque Discipulis, sicuti Romæ, ita & in Latio, ac Sabinorum terris satum fuisse Christi Evangelium, erectasque Ecclesias nullus ambigit; idque testatur tot Martyrum Sanguis in ipsis Christianæ Religionis primordiis ibidem fusus. Hinc a priscis temporibus Sabinus Antistes semper habitus est inter Episcopos nedum Suffraganeos, sed etiam Cardinales proxime assistentes Romano Pontifici. Dulcitius quippe Episcopus S. Euthymii, qui idem est ac Sabinus, subscripsit Synodo habitæ sub Symmacho Papa anno 504. Prænestinus, Tusculanus, Albanensis Episcopi, proxime & ipsi assistunt Romano Pontifici, cujus sunt Suffraganei, & Episcopi Cardinales.

X. Volsci & ipsi in Latio ultra Circejos, quorum meminit Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. & Virgilius 2. *Georg.*

Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos.

Sæpe adversus Romanos bellum instaurarunt Latinis sociis opem laturi; sed & ipsi sæpius victi a L. Quinctio, a Spurio Casio ter Consule, ac tandem a Camillo debellati fuerunt, uti Livius *lib.* 5. Dio, Florus, aliique tradunt. Volscorum urbes Tarracina, Privernum, & Setia: & præ ceteris illustres Velitræ, Provinciæ Metropolis, civitas Octaviæ Gentis origine nobilitata, ut in Augusto testatur Suetonius. Romani coloniam eo deduxerunt anno urbis conditæ 270. Virginio, & T. Vetustio Consulib. Quod Dionysius Halicarnasseus *lib.* 8. Livius, Suetonius, Dio, Plinius, Plutarchus, aliique referunt. Veliterni, ac Volscorum populi, perinde ac Sabini, & Latini ceteri a D. Petro, ejusque alumnis Christianæ fidei rudimentis imbuti fuerunt. Velitrarum Episcopus Romani Pontificis suffraganeus olim fuit; nunc vero posteaquam Ostia civibus destituta, Eugenius III. Ostiensi Antistiti Veliternos regendos commisit; idem ipse & Ostiensis, & Veliternus est Episcopus, primus a Romano Pontifice Collegii Cardinalium Decanus, ad quem pertinet electum Romanum Pontificem consecrare, & Pallio insignire: quo & ipse ex privilegio Apostolicæ Sedis decoratur. Etsi autem Cardinalium princeps Velitrarum Antistes sit, suam tamen nomenclationem retinet vetustissimæ Urbis Ostiæ, quam in ostiis Tyberis fluvii Ancus Marcius Romanorum Regum quartus condidit, de quo hæc L. Florus: (1) *Ancus Marcius, &c. & mœnia muro amplexus est, & interfluentem urbi Tyberim ponte commisit: Ostiamque in ipso maris, fluminisque confinio Coloniam posuit; jam tum videlicet præsagiens animo futurum, ut totius Mundi opes, & com-*

(1) Florus lib. 1. cap. 15.

(1) Florus lib. 1. cap. 4.

& commeatus illo velati maritimo Urbis hospitio reciperentur. Idipsum Eutropius, Sextus Rufus, ac ceteri Scriptores commemorant. Eleganter etiam Ovidius: (1)

Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Insignis quondam fuit hæc civitas, cum ædificiorum magnitudine, tum situs opportunitate, & incolarum potentia: nunc vero excisa jacet. At enim quod olim ejus Episcopus jam a primis seculis munus consecrandi, coronandique Summum Pontificem semper objerit, ab antiqua urbe licet deleta Ostiensis etiam num appellatur.

CAPUT II.

Synopsis.

I. Campania Felix unde dicta. Capua quondam ejus Metropolis, a quo originem & nomen traxerit.

II. Capua primum Romanis, dein Pœnis Sociam se dedidit. A Romanis subacta. Tandem post varios belli casus diruta nunc jacet.

III. Campania nunc plures complectitur urbes finitimarum Regionum. Quatuor præcipuæ ejus Metropoles.

IV. Capua Metropolis, eique subjectæ urbes. Quo tempore in Metropolim erecta sit.

V. Post Capuæ excidium Neapolis Regni caput. Unde repetenda ejus origo. Urbes ipsi additæ.

VI. Anxanum olim in Ferentanis, nunc in Campania. Recens Metropolis, sed fine Suffraganeis.

VII. Surrentum, vetus Picentinorum Metropolis civilis, nunc etiam Ecclesiastica. Quatuor ei subsunt urbes.

I. Hactenus Campaniam Romanam, seu Latium perlustravimus; nunc ad Campaniam Felicem stylus vertendus est. Vel ipsum nomen designat fertilissimam beatissimamque Italiæ regionem, in qua, ut venuste Plinius dixit, summum est Liberi patris, & Cereris certamen, a patentibus campis, & telluris amœnitate, in quibus sedet, nomen sortita, quasi campestris, quam etiam Veteres terram laboris nuncupaverunt, vel a Liberinis campis, quos Plinius Capuæ vicinos memorat, vel a bonitate, & fertilitate agrorum, utpote, qui ad culturam plurimum sint idonei. Merito quidem hæc regio felicis, immo, ut Straboni visum, felicissimæ encomium tulit, quo non Italiæ solum, sed ceteris totius Orbis Provinciis præstare videatur, ubertate agri, amœnitate collium, aëris salubritate, opportunitate marium, perenni aquarum affluentia, urbium pulchritudine, oppidorum, portuumque munimen-

(1) Ovidius lib. 4. Fast. verf. 291.

mentis, auri, argenti, ferri, metallorumque omnium fodinis, equorum, pecudumque gregibus, quin & ingeniorum felicitate longe felicior, quæ ad omnes liberales artes, ac disciplinas a Deo creata æstimetur. Variis idcirco laudibus eam celebrant Strabo, Plinius, Polybius, ac præ ceteris Lucius Florus sic illam extollit: (1) *Omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cælo, denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo; ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus, & Avernus, quædam maris ossia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.*

Jure ac merito Lucius Florus asserit, Capuam quondam inter tres maximas Orbis civitates Romam, Carthaginemque numeratam fuisse, ac totius Campaniæ caput; omnium quippe Urbium Italiæ pulcherrima, ac præstantissima, fertilissimo in agro ipsoque Italiæ meditullio posita Felicis Campaniæ Metropolis, aliquando Romani Imperii potentiam æmulata est. In assignanda ejus origine, ac nominis nuncupatione multum inter se Auctores discrepant. Ab Oscis conditam crediderunt Cato, & Sempronius: a quibus tamen Strabo in eo dissentit, quod primum ab Opicis, & Ausoniis constructam velit; dein vero ab Oscis Tuscorum gente occupatam, a quibus Osca dicta sit. Dionysius Halicarnasseus ab Ænea, sociisque Trojanis ædificatam contendit, eique nomen inditum a Capy uno ex Æneæ Ducibus: quod & Virgilio creditum est *lib. 10. Æneid.*

Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbis.

Isidorus vero Silvio Capy Albanorum Regi, Capuæ originem, nomenque tribuit. Alii a capacitate, quod omnem suæ terræ fructum capiat, quidam a camporum planitie; nonnulli ab urbe cui nomen campus esset, sic appellatam censent, atque in iis Eusthathius, & Isidorus. Plinius *lib. 3. cap. 5.* Capuam ait, ab undecimo campo dictam, qua ratione Maro Campanam urbem nominat, & Tullius, Liviusque ejus cives, & incolas Campanos appellant. At Strabo, quod esset duodecim urbium caput, hoc est ipsa duodecima reliquis undecim præesset, vocatam existimat. Antea quidem Etrusci Cumanis pulsis, qui inde Tuscos ejecerant, eam ædificiis ampliatam, caput undecim aliarum urbium instituerunt; non tamen Capuam, sed Vulturnum Etruscorum dixere a proximo Vulturno flumine quod eam interfluit, ad radices Tifati montis, teste Livio. Quamquam aliis visum sit, sic appellatam a Fallone, sub cujus augurio a Tuscis condita fuit, qui prisca Tuscorum lingua Capys vocabatur, ut ait Servius. Ceterum Livius a Capy Samnitum Duce, Capuam dictam arbitratur, licet verius censeat, a campestri agro appellatam: (1) *Vulturnum Hetruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque ab Duce eorum Capy, vel (quod propius vero est) a campestri agro appellatam.* Livio assentitur Suetonius Tranquillus, urbis hujus nomenclationem ad Capym conditorem referens, tam etsi nihil exprimat, an is fuerit Samnitum Imperator, an Æneæ socius, aut Albanorum Rex. Narrat siquidem

(1) Florus lib. 1. cap. 16.

(1) Livius Decad. 1. lib. 4.

dem in vita Cæsaris Dictatoris, in Capys sepulchro, æneam tabulam repertam, quæ Cæsari necem vaticinabatur: (1) *Sed Cæsari*, inquit, *futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata est: paucos ante menses cum in Colonia Capua deducti lege Julia coloni, ad extruendas villas sepulcra vetustissima disjicerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inventa est, conscripta litteris, verbisque Græcis, hac Sententia: Quandoque Ossa Capys detecta essent, fore ut Julo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur*. Mox in rei confirmationem subdit Suetonius: *Cujus rei, ne quis fabulosam, aut commentitiam putet, auctor est Cornelius Balbus familiarissimus Cæsaris*. Ut ut sit de origine, & nomenclatione hujus civitatis, id unum apud omnes certum est, eam olim præstantissimam urbem totius Campaniæ caput, ac Metropolim extitisse.

II. Primum Capua non bello a Romanis capta, sed sponte se dedidit sociam, ut adversus Samnites, importunos hostes præsidium haberet. Samnitibus quippe Sidicinos aggredientibus, cum hi ad Campanos confugissent, victi Campani Legatos Romam miserunt, a Senatu amicitiam in perpetuum, ac præsens auxilium postulantes. Itaque susceptum a Romanis pro sociis Samniticum bellum, Capua in coloniam recepta est: præsidia militum Romanorum adversus Samnites Capuanis data; sed Capuanæ deliciæ, locique voluptates Militum hibernantium animos ita invaserunt, ut de occupanda Capua cogitarent, & facile obtinuissent, nisi M. Valerii Corvini Consulis eloquentia impetum eorum fregisset. Hæc refert Livius *Decad.* 1. *lib.* 7. ubi de noxia Disciplinæ militari Campaniæ voluptate hæc præmiserat: (2) *Jam tum minime salubris militari disciplinæ Capua instrumento omnium voluptatum delinitos militum animos avertit a memoria patriæ, inibanturque consilia in hybernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent, neque immerito suum ipsorum exemplum in eos versurum*. Eadem hæc, quæ Romanorum militum corda titillarunt, Capuæ oblectamenta, postmodum insuperabilem Annibalis fortitudinem fregerunt; atque Pœnorum exercitus, post toties fractas Romanas vires, post deletas victricis Reipublicæ copias, post vicinum Romanæ gloriæ excidium, post Italiam subactam, solis deliciis consumserunt. Ea occasione Capua Romanis tradita: (3) Senatores securi percussi: urbs in Præfecturam *redacta*: & quæ prius Campania in societatem Romani nominis ascita propriis vivebat legibus, subdita facta est. Nunc post varios bellorum casus diruta jacet Capua, ac veteris ejus gloriæ vix tenuis umbra manet. Quæ enim nunc eodem nuncupata nomine cernitur civitas, nihil cum antiqua illa præter nomen commune habet: anno circiter 856. condita fuit, ad Casulini pontem, ulterioremque Vulturni ripam, alteroque lapide a veteris Capuæ ruinis, quæ ingentes adhuc prostant, subobscura priscæ magnitudinis vestigia.

III. Geographicam veteris Campaniæ descriptionem exornare nobis in animo non est, cum quod instituti nostri ratio id minime exposcat, tum quod ampliato Provinciæ tractu plu-

(1) Suetonius in Julio Cæsare cap. 81.
(2) Livius Decad. 1. lib. 7.
(3) Livius Decad. 3. l. 5. & 6.

plurimas nunc Campania Felix complectatur urbes, quæ olim Latii, Marsorum, Samnitum, aliarumque vicinarum regionum finibus circumscriptæ erant. Præsertim cum antiquis Ecclesiarum Notitiis destituti, ad recentes confugere compellamur. Quare nihil mireris, optime Lector, si in recensendis hujus Provinciæ Civitatibus, nonnullas interdum memorare mihi necesse sit, quæ olim ad alias Provincias pertinebant. Quod mihi non in una Campania Felici, sed in ceteris quoque indulgeas precor, in quibus rerum vicissitudines, bella, & invidiosa vetustas pristinam illarum formam ab oculis eripuerunt.

D. Ferdinandus Ughellus Abbas Ss. Vincentii, & Anastasii ad Aquas Salvias Ordinis Cistercienfis, Vir citra ullius invidiam nulli Eruditorum fecundus. *Tom. 6. Italiæ Sacræ*, in Provincia Campaniæ Felicis sex Archiepiscopatus collocat, *Ansanensem*, *Capuanum*, *Compsanum*, *Neapolitanum*, *Surrentinum*, & *Teatinum*. Verum cum Compsanus, Teatinusque ad alias Provincias spectent, quatuor tantum Campaniæ proprios hoc loco vestigare aggredimur.

IV. A Capuano exordiri nos admonet dignitas hujus Sedis, primis Ecclesiæ seculis totius Campaniæ princeps. Priscus ab Apostolorum Principe Petro, cum quo Antiochia Romam profectus fuerat, primus omnium Christi fidem Capuam invexisse perhibetur. Unum ex Septuaginta duobus Christi Discipulis Priscum extitisse, testantur Breviarium Capuanum, & Petrus Natalis *lib.*8. *c.* 17. Ejus meminerunt, Martyrologium Romanum die 1. Septembris, Baronius in Notis, & *Tom.* 1. *Annal.*, Ado, Usuardus, Galesinus, Michaël Monachus aliique Scriptores Ecclesiastici. Novem Episcopos Suffraganeos habet Capuanus Archiepiscopus.

Capua Metropolis.

1. Æsernia.
2. Atina.
3. Calatia.
4. Calina, vulgo Carinola.
5. Calvum.
6. Caserta.
7. Svessa.
8. Theanum Sidicinum.
9. Venafrum.

Notitia Milonis Abbatis Capuano Metropolitæ hos Suffraganeos subjicit, *Tianensem*, *Calvensem*, *Calinulensem*, *Casertanum*, *Suessanum*, *Venafranum*, *Aquinatem*, *Soranum*. Addit quidem Aquinatem, & Soranum, sed prætermittit Æsernienſem, Atinum, & Calatiensem. Ampliores olim hæc Provincia habuit limites, incipiebat enim a Sinvessa ad Salarim Lucaniæ fluvium. Capuam totius Provinciæ caput Metropolis nomine donat Athanasius *in Epistola ad Solitarios:* quod ille de civili Metropoli intellexit, D. Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 7. §. 4. ad Ecclesiasticam extendit; sed huic sententiæ obstant, quæ alibi docuimus de Synodis Romanæ Provinciæ, ad quas prioribus sex, septemve Ecclesiæ seculis Capuani Antistites veluti Suffraganei a Summis Pontificibus vo-

ca-

cabantur. Hujus ergo Metropolis originem refert Ughell. *Ital. Sacr. Tom.6.* in Joannem XIII. Rom. Pont. qui Capuæ cum degeret ann. 968. Joannem Landulphi filium, primum istius urbis Archiepiscopum creavit, quod referunt Leo Ostiensis *lib.* 2. *Chronic. Casinensis cap.* 9. Baronius *Tom.* 10. *Annal.* aliique. Sed emendandus est Ughellus quo ad Annum, non enim Ann. 968. sed 966. Capua Metropolis Ecclesiastica evasit. Qua de re fusius agendum *part.* 2. *lib.* 1.

V. Altera Campaniæ Felicis Metropolis est Neapolis, quæ præsertim post Capuæ excidium ita crevit, ut omnium sit totius Italiæ frequentissima, atque jam a multis seculis Regni florentissimi, quod ab ipsa nomen obtinet, ac duodecim Provinciarum caput. De illius situ, loci amœnitate, populi frequentia aëris temperie, telluris felicitate, civium nobilitate plurimi scripserunt, ac præ ceteris Ferdinandus Ughellus ita præfatur: [1] Neapolis caput urbium Campaniæ, ac Regni totius Metropolis, una est ex primariis Italiæ urbibus, sive antiquitatem nobilitatemque suam, sive amœnitatem, pulchritudinem, frequentiamque, sive civilem gentis cultum & humanitatem spectes: sita enim est loco amœnissimo, nullius rei idoneæ egens, armis, mercibus, virisque opulenta, lætissima ejus cœli, solique facies, hyems egelida, æstas temperata flatibus maris, tanta rerum copia, civium, ædificiorumque elegantia, ut patriæ oblivionem advenis inducere opinio sit. Quales Elysios campos beatorum Sedes antiquitas finxit, talis terræ, urbisque facies Neapolis cœlo data est, ut non immerito Paradisus Italiæ, naturæque miraculum dici possit: tantæque celebritatis, ut non Regno solum, sed Regibus etiam titulum dederit. Lunam corniculatam refert, spatium amplectitur magnum, colliumque amœnissimorum radices: ad Septemtrionem, & Orientem magnifice ædificata, e cujus portu Misenus, Minervæque promontoria, celebresque antiquitus Insulæ Capreæ, Ischia, & Prochyta fereno cœlo conspicuæ sunt. Parva quidem suis initiis, in dies opibus aucta, & ædificiis, murisque fortissimis, propugnaculis, castellisque præsertim munita inexpugnabilis est. Circuitus olim ejus trium, nunc prolato pomœrio quinque milliarium. Nunc quidem temporis civium, & incolarum nobilitate, magnificentiaque non minus, quam structuræ sumtibus, atque ædificiorum omnis generis splendore celebris. Fidelium intra mœnia, & in suburbiis degentium animæ censebantur super quingenta millia. Cœlum nullum est mollius, aut clementius in Italia, bis floribus annue vernat, ager undecumque fertilissimus & varietate nobilium fructuum, fontium, aquarumque salubrium copia, necnon naturæ multiplicibus miraculis abundans.

Quamquam vero non una omnium sententia sit, quinam fuerint nobilissimæ hujus civitatis conditores; recepta tamen ea magis est apud eruditos, a Chalcidensibus Attica ortis, Cumanisque eam fuisse constructam, ab iis scilicet, qui profecti Chalcide Eubœæ insulæ illustri civitate, Cumas Campaniæ primi condiderunt. Quam sententiam & nos libenter amplectimur, quod in eam conspirasse noverimus Livium *lib.* 8. Vellejum Paterculum *lib.* 1. Plinium *lib.* 3. *c.* 5. Stra-

(1) Ughellus Italiæ Sacr. Tom. 6. pag. 9. & 10.

Strabonem *lib.* 5. *Geographiæ;* & Dionysium Halicarnasseum *lib.* 5. Primum quidem *Parthenope a tumulo Sirenis appellata fuit*, teste Plinio: nimirum Chalcidenses, qui eam ædificarunt, eo loci ubi nunc Neapolis sita est, Parthenopes sepulchrum repe-rientes, ab ejus nomine urbem vocaverunt. Verum cum de Parthenope diruenda Cumani consilium iniissent, immani pestilentia correpti urbem restituerunt, quam Neapolim, hoc est, novam urbem, nominavere. Præ ceteris civitatibus, quas Græci in Italia condiderunt, Neapolis Pythagoricæ Philosophiæ professoribus in pretio olim fuit: in hac siquidem urbe, ut Strabo auctor est, studiorum causa juventus, aut ætate confecti Seniores, quietis otiique causa plerumque Roma secedere consueverunt, uti & nunc etiam solent, ut Musis liberius indulgeant. Quod & Silio Italico sua ætate observatum fuit:

Nunc molles urbi ritus, atque hospita Musis

Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.

Prima Evangelii semina in hac felicissima Urbe ab Apostolorum Principibus Petro, & Paulo jacta, ex Sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis late probat Antonius Caracciolus *cap.* 3. *&* 4. primumque istius civitatis Episcopum fuisse S. Asprenum, seu, ut alii vocant, Asprenem, forte Asprenatem, ut Baronius ait in Martyrologium, a D. Petro consecratum, Gesta ejusdem Sancti in MSS. Codicibus vetustissimis, in majoris Ecclesiæ Thesauri Sacello asservata testantur. Quo tempore Neapolitana Sedes ad Metropolitanæ fastigium provecta sit, non omnino constat, variasque hac de re Auctorum opiniones videri possunt apud Ughellum *Tom.* 6. *Italiæ Sacræ*. Quatuor ei subsunt Episcopales Ecclesiæ; si Cumanam excipiamus, quæ antea peculiaris Episcopi Sedes, nunc cum ipsa Metropoli unita est.

Neapolis Metropolis.

1. Ischia.
2. Nola.
3. Puteoli.
4. Acerræ.

VI. Anxanum nunc inter Campaniæ civitates locum habet, cum olim Frentanorum in regione numeraretur, sic dictâ a Frentone Fluvio, eos ab Apulis quibus proximi erant, separante. Ab hoc siquidem flumine Frentanam regionem vocat Plinius *lib.* 3. *cap.* 11. Regionis caput quondam simili nomine Frentanum, seu Ferentanum dicebatur, urbs Teano Apulorum finitima: qua diruta, nunc regionis Metropolis est Anxanum, seu Ansanum, quod vulgo Lancianum appellatur. Apud oram littoream jacet inter Theate, & Histonium, parum ab aspero, gelidoque Majellæ monte distans, salubri tamen Cœlo. Ejus meminere, ne dum Plinius laudatus, sed etiam Strabo, & Ptolemæus. Quæ tamen hodie cernitur Ansani civitas, prius nonnisi Oppidum, nobile quidem fuit, ante annum 1399. Teatino Episcopo obnoxium; sed illud Leo X. Episcopali dignitate, ac urbis titulo cohonestavit V. Kalend. Julii ann. 1515. ac tandem Pius IV. Philippi II. Hispaniarum, & Neapolis Catholici Regis votis annuens ad Archiepiscopatus apicem exaltavit, ut videre est apud

apud Ughellum Tom. 6. Italiæ Sacræ, *Tit. Anfanenfes*, feu *Lancianenfes Archiepifcopi*, *pag.* 977. *& feqq.* Nullis tamen Epifcopis Suffraganeis præeft.

VII. Quamquam Surrentum Sarno flumine a Campania divulfum fit; hodie tamen inter Campaniæ urbes cenfetur. Olim Metropolis fuit Picentinorum, qui ad mare Tyrrhenum, Lucanis proximi, regionem inter Surrentinum Promontorium, & Silarum amnem incolebant. A Picentibus Maris Adriatici accolis originem nomenque traxerunt, teftibus Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. & Strabone *lib.* 6. Horum itaque primaria Sedes fuit Surrentum, urbs in amœniffimo Tyrrheni maris littore ad Sinum Crateris, inter oftia Sarni fluminis, & Promontorium Minervæ; modica quidem, & in colle fita, a Neapoli in Auftrum 25. M. P. a Salerno in Africum fere totidem, ab Amalphi ad Occafum vix 10. abeft. Veteribus creditum fuiffe ibi Sirenum Sedem conftitutam, tradunt Plinius *loc. cit.* & Pontanus; atque ab iis nomen accepiffe docet Papinius hifce carminibus, de Surrento loquens:

Eft inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis ornata Minervæ.

Circum urbem Surrentinam colles vitibus ornati, ex quibus Surrentina vina, quorum non fine laude meminit Columella *lib.* 3. *cap.* 2. Primum Epifcopali Sede, tum deinde Metropolitica jam a multis feculis donata eft hæc civitas, cui hi fubfunt Epifcopi Suffraganei.

Surrentum Metropolis.

1. Vicus Æquenfis.
2. Maffa Lubrenfis.
3. Stabienfe Caftrum, feu Caftrum Maris.

CAPUT III.

Synopfis.

I. *Valeria antiqua Marforum Regio. A Marfis initium duxit bellum fociale. Præcipuæ Marforum urbes exhibentur.*

II. *Samnites quando a Romanis devicti. Samnitum Metropolis Beneventum. Quæ urbes illi fubjectæ.*

III. *Compfa altera Samnitum Metropolis, eique adfcriptæ civitates.*

IV. *Aprutii regio: ejus nunc Metropolis Teate.*

V. *Lucania nunc Bafilicata. Metropolis Acheruntia cum fuis urbibus. Melphis altera Metropolis in veteris Lucaniæ finibus, & urbes illi addictæ.*

VI. *Salernum quondam Picentinorum Metropolis, nunc Principatûs caput: quas urbes fubjectas habeat.*

VII. *Apulia Duplex Daunia, & Peucetia. Peucetiæ Metropolis Barium, & ejus urbes. Dauniæ Sipontum.*

VIII. *Tranum Japygiæ Metropolis, illique adfcripti Epifcopatus.*

IX. *Salentinorum regio tres habet Metropoles Brundufium, Hydrunta, & Tarentum. Singulæ cum fuis civitatibus exhibentur.*

X. Vetus Salentinorum terra Calabriam complectebatur. Brutios & magnam Græciam continet.

XI. Quæ nunc Calabria dicitur, quondam in duas Provincias divisa fuit, una Brutium, altera Calabria vocabatur. Innovatio a Græcis in illis Provinciis facta. Leo Sapiens unam dumtaxat Metropolim Calabriæ Rhegium cum suis urbibus descripsit.

XII. Notitia Calabriæ a Nilo Doxapatrio adornata, sed imperfecta.

XIII. Recentes Calabriam in duas partes distrahunt, una Citerior dicitur in qua est Consentia Metropolis; altera Ulterior, in qua est Rhegium. Quatuor tamen Metropoles nunc habet Calabria; duas Citerior, Consentiam, & Roscianum; totidem Ulterior, Rhegium, & Sanctam Severinam, quarum urbes recensentur.

I. Atio proxima versus Campaniam Felicem est Provincia Valeriæ, cujus extat mentio in veteri Notitia Imperii sub Arcadio, & Honorio scripta, necnon apud D. Gregorium, & Paulum Diaconum. Nonnulli regionem Latii esse volunt, per quam Via Valeria erat, & urbs ejusdem nominis nunc excisa; sed ea potius Latio finitima est, quam ejus pars: neque alia fuisse videtur, quam antiqua Marsorum regio, ut præ aliis docet D. Petrus de Marca *lib. 1. Concord. cap. 3. §. 12.* Fuerunt autem Marsi Picentibus, Æquicolis, & Samnitibus proximi, quorum regionem Fucinus lacus nobilitat, hodie Celani dictus. Si Plinio fides est, (1) Marsi ita sunt appellati a Marso Circes, & Ulyssis filio. At Silius Italicus originem eos, nomenque traxisse putat a Marsya Tibicine Phrygio, qui illic aliquando inhabitasse fertur. Quibusdam visum est, Marsyam Lydorum Ducem regioni imposuisse nomen. Fuerunt etiam, qui hos populos Angitios dixere, quod vel salivæ tactu morsibus serpentum mederentur: vel cantu Serpentes constringerent, ab Angitia Medeæ, Circæve sorore, Oëtæ filia, quæ circa lacum Fucinum degens, eam artem loci incolas edocuit: de qua Virgilius. (2)

. . . . . *& Marsis quæsita in Montibus herbæ:*
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda.

Hinc nata apud Veteres opinio, ad Marsorum carmina obstupuisse Serpentes: quod refert Julius Capitolinus in Heliogabalo, & Silius lib. 8.

A Marsis cruentum illud bellum initium sumpsit, quod Sociale, & Marsicum appellatum est, quia a Marsis primum fuerat concitatum. Etenim plerique Italiæ populi, Latini cum primis, Etrusci que indigne, ferentes se laborum omnium, ac periculorum participes, a consortio imperii & honoris excludi, maxime, postquam latam a Druso legem de sociis civitate donandis, quam ille promiserat, irritam fieri viderunt, quod jure non poterant, armis consequi tentarunt. Antequam tamen consilia in apertum proderent, Latinis feriis Consules ambos Philippum, & Cæsarem interficere frustra conati sunt. Re igitur detecta palam defecerunt, & Q. Servilium Proconsulem, Fonteium Legatum, ac Romanos omnes Asculi peremerunt. Post hæc vario eventu cum illis dimicatum est: primum fusæ Romanorum copiæ; sed postea Pompeii Strabonis virtute vi-cti

(1) Plinius lib. 7. cap. 11.

(2) Virgilius Æneid. lib. 7.

cti hostes, captis eorum urbibus, deditionem fecerunt, non sine maxima cæde ac sanguine. Rem ita refert L. Florus: [1] *Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Julius Cæsar, & Martius Philippus Consules inter Sacra, & aras immolarentur. Postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. Hoc fuit impii belli sacramentum, inde jam passim ab omni parte Italiæ, duce, & auctore belli discursante Popedio, diversa per populos, & urbes signa cecinere. Nec Hannibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vastatio. Ecce Otriculum, ecce Grumentum, ecce Fesulæ, Carseoli, reseratæ Nuceria, & Picenta, cædibus, ferro, & igne vastantur. Fusæ Rutilii copiæ, fusæ Cæpionis. Nam ipse Julius Cæsar exercitu amisso, cum in urbe cruentus referretur miserabili funere mediam etiam urbem pervium fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & semper in malis major, totis denuo viribus insurrexit, aggressique singuli populos, Cato discutit Etruscos, Gabinius Marsos Carbo Lucanos, Sylla Samnites, Strabo vero Pompejus omnia flammis, ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Asculi eversione, Manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium diis litaretur.* Tandem Lucius Sulla, multis maximisque præliis egregia cum laude confectis, belli Socialis reliquias omnes est prosecutus. Hæc eadem tradunt, Livii Epitoma *lib.* 71. 72. 73. 74. 75. 76. Appianus 1. & 2. *Civil.* & Plutarchus *in Sulla*.

Quatuor olim fuerunt præcipuæ istius regionis urbes: prima dicta fuit Valeria in planitie posita, quæ post Constantini tempora toti Provinciæ nomen dedit, quo eam quoque passim compellat S. Gregorius in Dialogo. Nunc excisa jacet, ejusque ad hanc diem partim in lacu, partim ad littus cernuntur vestigia. Alterius pariter dirutæ, quæ Penna vocabatur, vix circa lacum extant ruinæ. Causam incolæ ex Majorum traditione proferunt, quod Serpentum multitudo inde demigrare coëgerit urbis colonos: nam & hodieque non tementam Serpentum copiam in lacunosis illis locis constat insidiari. Tertia civitas fuit Alba, Marsorum dicta, ut ab alia ejusdem nominis in Monte Albano sita distingueretur. In montibus Sexto a lacu milliario abest: olim Romanorum Colonia, nunc omnino corruit, ejusque in Apenninis Montibus ruinæ apparent. Ejus meminit Silius *lib.* 8. In hanc urbem Quintus Cassius ex Senatus censura Regem Perseum cum Alexandro filio relegavit, ut scribit Livius *lib.* 45. Quarta Marsorum urbs Marruvium Silio, & Marrubium Virgilio dicitur, apud lacum Fucinum, non longe a Celano Oppido ad duo M.P. distans, sed hodie excisum est. [1]

Quin & Marrubia venit de gente Sacerdos.

Tametsi autem nulla ex his quatuor, aliisque Marsorum urbibus nostris temporibus superstes sit; perseverat tamen Episcopatus Sedes, quæ a regione ipsa, non ab urbe aliqua Marsorum appellatur. Longe tamen plures in Provincia Valeriæ, seu Marsorum regione fuisse urbes, ac subinde illarum Episcopos, inde conjicio, quod in veteri Notitia Vaticana apud Baronium, *ad annum* 1057. sex in Marsis Episcopi numerantur. Verisimile est, quatuor urbibus recensitis singulos præfuisse Antistites.

II. Marsis, Campanisque proximi fuerunt Samnites, eorumque regio Samnium dicebatur. Eosdem & Sabellos nuncupatos, nomine per diminutionem a Sabinis deducto, quasi

(1) Florus lib. 3. cap. 18.

(1) Virgilius Æneid. lib. 7.

quasi Sabinorum sobolem, observat Strabo *lib.* 5. Nullum diuturnius ac formidolosius Romanis bellum extitit, quam cum Samnitibus, vario & ancipiti eventu. Primum Valerius eos ingenti prælio cecidit ad Gaurum montem anno U. C. 411. At Cornelius ad Satriculam Castris positis pæne oppressus est, cum se in angustias conjecisset. Victi nihilominus sæpius Samnites, victoresque interdum, diuturno 70. & amplius annorum tractu, quo illud inter utrumque populum exarsit, nempe ab anno 411. U. C. usque ad 480. Quo spatio Caudinæ furcæ Romanorum dedecore nobiles factæ sunt anno U. C. 433. quarto post Alexandri M. obitum, quando Romanorum exercitus, cum utroque Consule Veturio Calvino, & Postumio, deditionem hostibus fecit, & sub jugum missus est, Duce Samnitum Pontio. Sed eam infamiam sequente anno majori Samnitum clade, ac pari ignominia, Samnitibus vicissim sub jugum missis, rependit Papyrius, imperator illa ætate fortissimus. Præter quem & plures alii a Livio [1] percensentur, qui Alexandro, si in Italiam, ut fama erat, venisset, pares esse potuerunt. Postea vero cum sæpius rebellassent, tandem a L. Sylla Dictatore, cum nec sic quidem jugum ferre possent, funditus sunt deleti; & ita deleti, ut Floro auctore, [2] *Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum.*

Sunt qui existiment, Samnium nunc esse illam Aprutii partem, quam vocant *Aprutium* citra; & quidem magna Samnii portio in citeriore Aprutio continetur: quamquam & plures ejus Urbes in Campania sint. Marruccinorum, & Frentanorum regiones Samnio attribuit Ughellus *Tom.* 8. *Italiæ Sacræ*, quæ tamen potius finitimæ fuerunt, quam in Samnio positæ. Samnitum caput, ac Metropolis est Beneventum, præclara Hirpinorum civitas, quorum regio Plinio, Livio, & Strabone auctoribus in Samnio sita est: quam ipsi Hirpinorum vocant. Inter Sabathum, & Calorem flumina non procul confluentia, mitique colle, a Neapoli 32. M. P. a Capua 28. distans, situ admodum opportuno amœnoque jacet. Olim una fuit ex præcipuis Italiæ Urbibus apud Ptolemæum, sub Longobardis Beneventani Ducatus, nunc Principatus ultra, Metropolis. A Diomede Ætolorum Principe post Trojanum incendium conditam tradit Plinius *lib.* 3. *cap.* 11. cum quo Solinus, & Servius consentiunt. At Marius Vipera Beneventi conditores facit Sabellos, tribus ante Romæ exordium seculis, quibus inde pulsis, ac solo æquata civitate, a Diomede eo loci ubi prius ædificata fuerat, restitutam commemorat, ac Milesiam primum, & Samnium, deinde Maleventum, quod malo vento obnoxia sit, dictam, sicuti & Procopius de bello Gothorum scribit; tandem a Romanis, eo deducta colonia, boni ominis gratia, Beneventum fuisse appellatam. Marii Viperæ sententiam confirmat disertissimus Livii locus: [3] *Tota deinde jam vincere acie Romanos, & omisso certamine cædi capique Samnites, nisi qui Maleventum* (*cui nunc urbi Beneventum nomen est*) *perfugerunt*. Uno eodemque tempore Ariminum, & Beneventum colonias deductas refert Livii *Epitome lib.* 5. *Coloniæ deductæ Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio*. Id contigit anno U. C. 485. vel

(1) Livius 8. 9. 31.
(2) Florus lib. 1. cap. 16.
(3) Livius Decad. 1. l. 9.

vel, ut aliis placet, ann. 423. Alia postmodum sub Claudio eo deducta fuit Colonia, & Concordia nuncupata, de qua Frontinus: *Beneventum muro deducta Colonia, Concordia dicta: deduxit Nero Claudius Cæsar.*

Christianæ fidei fundamenta Beneventi jecisse Sanctum Potinum, a D. Petro Apostolo consecratum illius urbis Episcopum, ferunt: quam postea Sanctus Januarius sæviente Diocletiani, & Maximiani persecutione, suo sociorumque suorum sanguine confirmavit. Metropolitica dignitate decorata fuit Beneventana Sedes a Joanne XIII. Summo Pontifice circa ann. 969. variisque ab Apostolica Sede eximiis privilegiis ditata, quæ videri possunt apud Ughellum Tom. 8. *Italiæ Sacræ*. Amplissima est hujus Metropolitæ jurisdictio, eique subsunt.

Beneventum Metropolis.

1. Abellinum.
2. Allifium.
3. Arianum.
4. Asculum Satrianum.
5. Bojanum.
6. Bovinum alias Bivinum.
7. Guardia, seu Alferia.
8. Larinum.
9. Luceria.
10. Mons Marranus.
11. Sancta Agatha.
12. Sanctus Severus.
13. Telesia.
14. Termulum.
15. Trivicum.
16. Vultura.

Alias urbes prætermisimus olim Beneventanæ Metropoli subjectas, quæ nunc excisæ sunt, earumque Episcopales Sedes aliis unitæ. Neque omnes nuper recensitæ ad Samnium, sed aliæ ad Marsos, quædam ad Apuliam, nonnullæ ad Hirpinos, Frentanos, & Campaniam pertinent. Quæ urbium translatio in aliis quoque cum præcedentium, tum sequentium Provinciarum civitatibus contigit.

III. Compsam in regione Samnitum percensemus, antiquissimam Hirpinorum urbem, haud procul ab Aufidi amnis fontibus positam. Ptolemæus quidem in Lucaniam rejicit; sed satius Plinius cum Livio, & Vellejo in Hirpinis commemorat. Cossam eam vocat Vellejus, itemque Livius. At Sigonius ex antiquis Livii exemplaribus pro *Cossa Compsam* legit. Vetus Codex Venetiis impressus per Melchiorem Sessam, & Petrum de Ravanis, ann. 1520. *Decad.* 3. *lib.* 3. *pag.* 120. sub initio, *Consam* retinet. Plinius *lib.* 3. *cap.* 11. *Compsanos* inter Hirpinorum populos numerat. Eo coloniam deduxerunt Romani anno U. C. 479. testibus Livio, & Vellejo. Hac ætate Metropolis est Principatûs ulterioris.

Com-

Compsa Metropolis:

1. Sanctus Angelus vulgo de Lombardis.
2. Bisaccia.
3. Laquedonia.
4. Murum.
5. Mons viridis.

IV. In Aprutio nonnulli Samnites perperam collocant: tametsi enim exigua pars Samnii nunc in Aprutio contineatur, Samnium tamen longe ab Aprutio differt. Est vero Aprutium regio Italiæ inter Picenum ad Occasum, Truento fluvio dividente, & Apuliam Dauniam ad Ortum Phiterno amne, sive Frentone separante, sita, ac Mari Adriatico ad Septemtrionem apposita, ad Meridiem Sabinis, & Samnitibus, Apennino monte interjecto, contermina. Complectitur veteres populos, Prægutios, Vestinos, Marrucinos, Frentanos, Characenos, & Pelignos. Notitia Imperii hanc Provinciam vocat Brutium, ejusque populos Brutios; cum tamen Brutii, sæpe Livio commemorati, fuerint populi Italiæ in eo tractu, qui hodie Calabria dicitur, post Laum fluvium incipientes, & in fretum Siculum inmodum Pæninsulæ percurrentes: Bretii Græcis dicti, ut Græci nummi testantur. Fuerunt Brutii Servi Pastoresque Lucanorum, qui inde aufugerunt, & furtim in regione consederunt, ubi Consentia est. Contigit hoc ann. U. C. 398. cum promiscua multitudo in Lucania Brutiorum nomine regionem occupavit, quæ Brutia dicta est, ut notat Petavius Tom. 2. Doct. Temp. ad ann. Mundi 4358. Hinc Brutium Promontorium Italiæ extimum, ubi olim Sicilia Italiæ annexa fuisse putatur, sed postmodum maris sævitia abscissa. Plinius lib. 3. & Ptolemæus Scylleum appellant. Et quidem Livius *Decad.* 3. *lib.* 5. inter Brutiorum populos, Consentinos, & Thurinos Calabriæ numerat. Nos igitur hoc loco non Brutios Calabros intelligimus, sed Aprutii regionem, quam Notitia Imperii Brutium appellat.

Teate olim primaria Marrucinorum Sedes, nunc Aprutii Metropolis est, quam Silius magnum vocat Teate. Urbs est vetustissima ante Romam condita, in edito amœnoque colle posita, inter Anxanum ad Ortum, & Atriam, seu Hadriam ad Occasum 10. M. P. Teateam nominat Ptolemæus. Quintius istius Urbis Episcopus interfuit Synodo Romanæ a Symmacho celebratæ anno 499. Olim ejus Antistes unus fuit ex Suffraganeis Romani Pontificis, usque ad annum 1527. quo tempore a Clemente VII. Ecclesia Teatina Metropolis facta est, eidem pro Suffraganeis attributis, Pennensi, Adriensi, & Ansano Episcopis; sed cum ii novo Metropolitæ subesse detrectasent, ac tandem jugum excussissent, novus Ortonæ Episcopatus ei datus est Suffraganeus. Ortonæ Episcopalem Sedem concessit S. Pius V. Pontifex Maximus anno 1570. die 20. Octobris. Ex aliis Aprutii civitatibus nonnullæ Romano Pontifici immediate subsunt, ceteræ ad alias Metropoles spectant.

V. Lucania, quam hodie *Principatum citra*, *& Basilicatam* dicunt, partem Picentinorum, Hirpinorumque comprehendit; ab Occasu Silaro amne

amne a Campania Felici, ad Orientem Leo flumine a Brutiis magnæ Græciæ populis dividitur: a Septemtrione Peucetiis in Apulia finitima est: ad Meridiem Mari Tyrrheno finitur. Lucanis proximi erant Picentes, quos nunc pariter continet totus ille Regni Neapolitani tractus, quem vocant Principatum citra. Sæpe fallax fuit Lucanorum fides erga Romanos; cumque haud raro defecissent, tandem fine certamine in ditionem Populi Romani redierunt, ut prodit Livius *Decad.* 3. *lib.* 8. Omnes fere hos populos, prius bellum Tarentinum cum Pyrrho, dein Punicum cum Hannibale implicaverat; quibus tandem feliciter gestis, omnis mox Italia pacem habuit. Tunc etiam domiti Picentes P. Sempronio Duce, ut refert L. Florus *lib.* 1. *cap.* 19.

Insignis Lucaniæ Metropolis est Acherontia, Archiepiscopali Sede ornata: urbs pervetus ex eminentiori Apennini colle utrumque mare prospectans, cujus meminit Horatius *lib.* 3. *ode* 4. Quicumque celsæ nidum Acherontiæ: si diptichis hujus Ecclesiæ ulla fides sit, Marcellini Papæ temporibus Acherontia Episcopali dignitate potiebatur: tametsi olim Salernitano subesset Metropolitæ; postea tamen circa medium undecimi Seculi Metropoliticam dignitatem obtinuit: cui quinque Episcopi Suffraganei sunt attributi. Insuper & illi juncta Materæ civitas, ubi nunc Archiepiscopus residet, ex Decreto Innocenti III. ann. 1203. ut videre est apud Ughellum Tom. 7.

Acherontia Metropolis.

1. Tursium.
2. Gravina.
3. Potentia.
4. Tricaricum.
5. Venusium.

Melphis, quæ Melphia, & Amalphia vocatur, in veteris Lucaniæ limitibus posita juxta Tyrrhenum mare, a Neapoli 30. M. P. distans, urbs est circa Constantini Magni ætatem condita, ut illius Chronicon testatur. Metropolis est Ducatus Amalphitani. D. Gregorii Magni temporibus eam Episcopatus honore, tum deinde labente seculo decimo Metropolitica dignitate ornatam, tradit idem Ughellus. Quatuor Episcopis Suffraganeis præsidet Metropolita Amalphitanus; quorum hæ sunt urbes.

Melphis Metropolis.

1. Caprearum Insula.
2. Urbs Litterarum.
3. Minor.
4. Scala.

VI. Salernum illustris olim Picentinorum Metropolis, citerioris, ut vocant, Principatus etiamnum caput, vetusta civitas a Neapoli in Eurum 30. M. P. quot a Benevento in Austrum; ab Amalphi in Ortum 15. a Nola Meridiem 22. recedens. Romanorum Coloniam ibi deductam narrat Livius *Decad.* 4. *lib.* 4. Celebris est tota Italia Salernitana Medicinæ Academia. Non minus illustris a primis Ecclesiæ seculis evasit ejus Episco-

ſcopalis Sedes; ad Metropolis faſtigium poſtmodum evecta, ſeculo decimo deſinente. Octo Epiſcopos Suffraganeos habet: horum urbes hic damus.

Salernum Metropolis.

1. Acernum. 2. Campania.
3. Caput Aqueum. 4. Marſicum novum.
5. Nuceria. 6. Nuſcum.
7. Policaſtrum. 8. Sarnus.

VII. Apulia regio eſt Italiæ, finium amplitudine, maris opportunitate, ſoli fertilitate, ac nominis fama nulli non nota. Quidquid terrarum eſt a Tarantino, ſeu Brunduſino agro, ad Fiternum amnem, & ab Adriatico, ſeu Jonio Mari, uſque ad Apenninum, & Mediterraneos Lucanorum, Hirpinorum, & Samnitum fines, hæc regio complectitur. Quare ab Oriente Salentinos, ſeu terram Hydruntis, a Meridie Lucanos, atque Samnites, ab Occaſu Frentanos, ſeu Aprutium, a Septemtrione Adriaticum mare, limites habet. Hos intra fines duas continet regiones Veteribus celebratas, Dauniam, & Peucetiam. Ea pars, quæ ad Occaſum, ac Septemtrionem vergit, a Dauno Rege Diomedis Socero, Daunia dicta eſt; poſtmodum a Catapano Magiſtratu, quem ſummo cum imperio Baſilius, & Conſtantinus Orientis Imperatores huic regioni præfecerunt, Catapannata, nunc autem corrupto vocabulo Capitanata dicta eſt, atque Apulia plana. A Peucetia Aufido fluvio dividitur. In ea ſunt Mons Garganus, Sipontum, nunc Manfredonia Metropolis. Pars altera, quæ in Orientem, atque Auſtrum tendit, a Peucetio, qui una cum Oenotro fratre e Græcia in Italiam adnavigans, huc colonias deduxit, Peucetia eſt appellata. Ab Aufido amne initium ſumit, & in Salentinos uſque ad paludem Cannenſem in agro Oſtunenſi ſitam porrigitur. Nunc a Barenſi Metropoli Terra Barii vocatur.

Fuit olim hæc regio Græcorum coloniis frequentata: Romanis vero innotuit, cum ab illis bellum in Samnites ſuſceptum eſt: (1) tunc quippe *Lucani, Apulique, quibus gentibus nihil, ad eam diem cum Romano Populo fuerat, in fidem venerunt, arma, viroſque ad bellum pollicentes, fœdere ergo in amicitiam accepti*, ait Livius; ſed non multo poſt a Romanis Apuli deficientes, ac Samnitibus juncti bellum ipſi ſenſerunt: (2) Apuliæ ager a Romanis vaſtatus, inde Publius Conſul in Apuliam profectus, aliquot præliis populos aut vi ſubegit, aut conditionibus datis in ſocietatem accepit. Deinde C. Junio Bubulco, & Q. Æmilio Barbula Conſulibus, tota domita eſt. Tandem cum Tarentinis adjuncti, Pyrrhi Regis Epiri caſtra ſecuti bellum Romanis intuliſent, tertio prælio devicti, una cum Picentibus, & Salentinis Romano Imperio colla ſubjicere coacti ſunt, ut auctor eſt L. Florus *lib.* 1. *capp.* 18. 19. 20.

Apuliæ Peucetiæ Metropolis eſt Barium, vetuſtiſſima civitas, quam Strabo *lib.* 5. Barin, nunc Veretum vocat; & Plinius *lib.* 3. *cap.* 11. a Japyge Dædali filio conditam, ejuſque nomine prius Japygiam dictam commemorat: poſtmodum a Barione Peucetiorum, ſeu Pe-

(1) Livius Decad. 1. lib. 8.

(2) Idem lib. 9.

Pediculorum militum Duce Barium nuncupatam ferunt. Celebrem ejus mentionem faciunt, Pomponius Mela, Ptolemæus, & Horatius. Ipso Christianæ religionis exordio Evangelii lumen Bario, & finitimis civitatibus affulxisse, antiqua ejusdem urbis traditio est. Et certe Barensis Ecclesiæ Episcopalis Sedes vetustissima est; ejusque Antistes Gervasius Sardicensi interfuit Synodo. Circa ann. 530. Metropolitica dignitate ornata fuit ab Epiphanio Patriarcha C. P. sedente Felice IV. cujus auctoritate Epiphanius hanc Metropolim instituit; quemadmodum ex Beatillo in Historia Barensi docet Ughellus, *Tom. 7. Italiæ Sacræ;* cui 12. Episcopi Suffraganei subjecti sunt, e quibus decursu temporis tribus sublatis, nempe Salpensi, qui extinctus est, Cannensi, qui Nazareno Archiepiscopatui attributus est, & Melfetensi nunc exempto, novem supersunt.

Barium Metropolis.

1. Bitectum alias Bitentum.
2. Bituntum.
3. Catharum.
4. Cupersanum.
5. Juvenacum.
6. Lavellum.
7. Minervinum.
8. Polymnianum.
9. Rudiæ, seu Rubum.

Post ereptam Christianis Palæstinam, cum Archiepiscopus Nazarenus propria Sede careret, ne tantæ Urbis, in qua Christus Dominus carnem ex utero Virginis sumere voluit, memoria interiret, placuit Romanis Pontificibus, huic Archiepiscopo honorariam Sedem in Italia tribuere. In nobili idcirco Apuliæ Oppido, quod Barulum, seu Barlettam dicunt, Ecclesia B. Mariæ de Nazareth dedicata est, & una cum titulo, ac dignitate Archiepiscopali in Metropolitanam erecta. Qui huic Ecclesiæ præest Antistes, non solum Archiepiscopus Nazarenus, sed etiam Episcopus Cannensis, & Montis Viridis appellatur, ob geminum Episcopatum ipsi unitum.

Cannæ, quondam vetustissima Apulorum civitas Romanorum strage ab Hannibale accepta memorabiles, ad annum usque 1083. permansere; quo tempore a Roberto Guiscardo Duce obsessæ, mox & captæ, funditus deletæ sunt, ut tradit Guill. Apul. *lib.* 4. ex quarum ruinis Canusium, indeque Barulum *Barletta* ædificata sunt. Nihilominus Cannarum Episcopatus, cujus primordia seculum sextum antevertunt, stetit usque ad ann. 1425. quo tempore a Martino V. Tranensi Ecclesiæ primum, deinde a Callisto III. ann. 1455. Nazarenæ huic Sedi adjunctus est.

Montis Viridis exiguæ in Apulia urbis, nec Geographis notæ, Sedes Episcopalis, ad ann. usque 1531. Compsanæ Metropolis Suffraganea fuit; post id temporis Clemens VII. eam perpetuo cum Nazarena conjunxit.

Dauniæ, seu Dauniorum Apuliæ antiquissima Metropolis Sipontum, ad Gargani Montis radices in ora littorali a Diomede ædificata dicitur, inter Salapiam ad Ortum, & Apeneste ad Boream. Sipio a Pomponio Mela, & Ptolemæo, Sipus vero a Strabone, nominatur ob multitudinem Sepiarum, quæ ibi capiuntur. A Romanis deducta colonia

Ionia fuit, cujus diserta mentio habetur apud Livium *Decad.* 4. *lib.* 9. ubi eam instauratam narrat. A Saracenis postmodum diruta, seu, ut aliis placet, terræmotibus concussa, ac devastata est: cui Manfredonia, seu novum Sipontum successit, a Manfredo Rege, qui eam condidit, nomen consecuta. Primis Ecclesiæ seculis celebris fuit Sipontina Sedes, cujus Episcopus sub Maximiliani sævissima persecutione floruit. Metropolitica dignitate aucta fuit a Leone IX. Unum dumtaxat habet Episcopum suffraganeum, scilicet Vestanum, Vestæ urbis exiguæ ad radices Gargani Montis ad Orientem positæ Antistitem.

VIII. Tranum maritima Japygiæ civitas Metropolis titulo decoratur. Tranium ab aliis vocatur: Ejus Incolæ a Trajano Imperatore instauratam, & Trajanopolim dictam referunt. Inter Barulum ad ostia Aufidi, & Vigilias, ad 6. M. P. sita, a Bario in Occasum 25. a Manfredonia in Ortum 40. distat. Episcopatus Tranensis origo vetustissima est, ad Metropoliticam postea dignitatem translatus ab Innocentio II. cui duo subsunt Episcopi Suffraganei. Salpensis quippe illi conjunctus est. Salapiæ Plinio *lib.* 3. *cap.* 1. & Salpiæ Ptolemæo, urbis Maritimæ Apuliæ Dauniorum prope Sipontum, antiqua Sedes Episcopalis ante Silvestri I. Papæ tempora. Appianus hanc urbem Salapiam nominat, eamque Varro a Diomede conditam scribit. M. Ostilianus, Senatu Romano permittente, ab ora maritima ob cœli gravitatem in Mediterranea transtulit ad 4. M. P. Nunc Salpensis Ecclesia fere ad nihilum redacta, jam a Martini V. temporibus Tranensi Metropoli unita est. Primus inter Suffraganeos est Episcopus Andriæ, Peucetiorum urbis in Provincia Terræ Barii, quæ proxima est Tranio Metropoli, a quo 9. M. P. in Austrum abest, inter Canusium ad Occidentem, & Rubos in Ortum: hinc 10. inde 12. M. Andriensis Episcopatus exordium rejici solet in Gelasii I. tempora.

Alter ejus Suffraganeus est Vigiliarum Antistes. Urbs ista altis imposita rupibus eminet in ora littorali inter Tranium, & Morphitum in Ortu ad 5. M. P. Ab ipsis Apostolorum temporibus Vigiliis disseminatam ferunt Christi fidem. Attamen Episcopalis Sedes istius Urbis ante seculum octavum non innotuit.

IX. Salentinorum regio proxima Apuliæ pæninsulam efficit, a Salentino Promontorio in ejus finibus sito nomen habens. Alii tamen, quos inter Festus, Salentinos a salo dictos volunt, quod eorum terra pæne circumquaque mari ambiatur, tenui tantum Isthmo continenti annexa. Non desunt qui contendant, Salentinos sic appellatos a federe, quod inter Idomeneum, & Cretenses in Salo, idest, Mari initum fuit: quoniam in hanc oram Lyctium Idomeneum commigrasse testis est Virgilius *lib.* 3. *Æneid.* A Cretensibus, & Illyricis ortos putat Festus, qui societate cum Locrensibus inita, iis in locis consederunt. Horum regio primum Messapia, & Japygia dicta est; quam ita descripsit Strabo, *lib.* 5. Japygia regio est in finibus Italiæ, in Cherrhonesi formam coacta, cujus Isthmus a Tarento Brundusium usque extenditur: alio nomine Messapia dicitur. Latius Japygiæ fines videtur dilatare Virgilius, de Diomede loquens: (1)

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Japygis arvis.

Quæ Carmina Servius sic interpretatur: *Japygia pars est Apuliæ, in qua mons est Garganus, qui usque ad Mare Adria-*

(1) Virgilius 11. Æneid.

Adriaticum extenditur. Sed in errorem labitur Servius, non enim Garganus Mons est in Japygia, sed ab illa multis passuum millibus abest: nec Japygia proprie pars est Apuliæ, sed Salentinorum regio, illi contigua quidem, ab ea tamen distincta. A Japyge Dædali filio Japygia cognominata fuit, quæ postmodum Salentinorum Provincia, teste Solino *in Polyhistore*. Salentinos aliis nominibus etiam appellat Plinius *l.* 3. *c.* 11. nempe Aletinos, Basterbinos, Neritinos, Valentinos, Veretinos. Hodie ab Hydrunte, Terra Hydruntina, *Terra d'Otranto* nuncupatur. Habet illa versus Meridiem Tarentum, & mare ad Promontorium usque Salentinum: ab Oriente Brundusium cum mari Jonio, quod & Adriatico, qua parte Septemtrionem spectat, adluitur Hydrunte Brondusium usque: qua vero Occidentem respicit, Apulia ei adjacet Peucetia, cum magnæ Græciæ portione. Ab Apostolorum ætate regionem hanc Christi fide imbutam volunt ejus incolæ. Tres Metropoliticas Sedes habet, Brundusium, Hydruntem, & Tarentum.

Brundusium olim ex primis Italiæ urbibus Salentinorum Cherrhonesum, quæ a Tarento ad Mare Jonium incipit, in Mari Adriatico claudit. Ab Hydrunte 50. M. P. in Occasum, a Tarento 36. in Boream recedit. A Brento quodam Herculis filio conditum scribit Stephanus, atque ita appellatum a cervini capitis similitudine, quod Brundusium Messapii sua lingua nominabant: Brentesion Græci vocant. Portum habet celeberrimum, cui parem nullibi reperiri ferunt, ex quo Romanis tritissimus olim erat in Græciam, & Asiam transitus, ut fatentur Cicero *in Philippica I.* Cæsar, Strabo *lib. 6.* Plinius *lib.* 3. *cap.* 11. aliique. Horatius, Lucanus, Silius suis carminibus Brundusium celebrant. Coloniam a Romanis eo deductam testantur, Livii Epitome *lib.* 19. Cicero *ad Atticum lib.* 4. *Epist.* 1. & Vellejus Paterculus *lib.* 1. Episcopalis Brundusii Sedes antiqua est, sed quo cœperit tempore incertum. In Metropolim erecta est circa medium seculi undecimi. Unicum habet Suffraganeum Hastunii, seu Hostunii Episcopum, quæ est Salentinorum civitas, a Brundusio Metropoli 16. M. P. Monopolim versus, in Occasum 24. Qui innotuerunt ejus Episcopi non transiliunt undecimum seculum.

Hydruntum extrema est agri Salentinorum civitas: a Plinio Hydruntum, a Pomponio Mela Hydrûs, a Cassiodoro Hydron appellatur. Ad fluvium ejusdem nominis, juxta Adriaticum mare contra Dyrrhachium saxosæ rupi incumbit. A Promontorio Japygiæ, seu Salentino IV. M. P. a Brundusio in Ortum 50. M. ab Aletio 25. M. discedit. Urbs sane vetustissima, & nobilis a Livio, Appiano, Strabone, Lucano, Plinio, & Pomponio celebrata: hodie totius regionis caput, cui Terræ Hydruntinæ dat nomen. Ab Apostolicis viris Evangelii notitiam hausit, & Episcopatus honorem obtinuit. Undecimo seculo Metropolitica ei dignitas accessit. Quinque Suffraganeis Episcopis præest.

Hydruntum Metropolis.

1. Aletium.
2. Alexanum.
3. Castrum.
4. Callipolis.
5. Uxentum.

rum Italiæ postrema hæc est, utpote maxime omnium in Austrum porrecta. Brutios, & Magnam Græciam continet, vel ob frequentes Græcorum colonias huc deductas, urbesque crebras, & magnas ab iis hoc in tractu conditas, vel ut Jamblicho placet, ob celeberrimum Pythagoræ gymnasium, sic appellatam. Merito autem Magnæ Græciæ nomen adepta est, eo quod præ ceteris regionibus bonarum artium disciplinis, Scientiarum institutis, Philosophiæ cum primis præceptis summopere floruerit, atque in omni fere disciplinarum genere insignes viros creaverit, in quibus fuerunt, Pythagoras Samius, Philolaus, Alcmæon, Hipparchus, Timæus, Orpheus Crotoniata, Stesichorus Taurianensis, Menander Sybarita, Herodotus Thurius, Græcæ Historiæ pater, Callisthenes, aliique innumeri. Jugi ac beata cœli temperie, solique ubertate ac amœnitate fruitur, deliciarum præterea omnium incredibili copia omnibus fere terrarum orbis regionibus præstat. Calabriæ nomen ipsi inditum esse circa Constantini Magni tempora existimat V. Clariss. Ferdinandus Ughellus *Italiæ Sacræ Tom.* 9. in descriptione Calabriæ. Verum ab ejus Sententia discedere nos cogit Veterum auctoritas, qui hanc regionem Calabriam vocant: Livius *Decad.* 3. *lib.* 4. *Calabriæ littora* commemorat. Horatius I. *Carm. Ode* 31. ait: *Non æstuosæ grata Calabriæ Armenta*. Ovidius *lib.* 5. *de Arte*, cecinit: *Ennius emeruit Calabris in montibus hortos*. *Et Columellæ lib.* 12. *cap.* 49. *Calabrica olea* commendantur.

XI. Ex veteri Notitia Imperii discimus, tractum illum, quem uno nomine nunc Calabriam appellamus, olim in duas Provincias sectum fuisse, quarum una Brutium, altera Calabria dicebatur. Siquidem Calabria cum Apulia uni suberat Correctori; Brutia autem cum Lucania, alteri Correctori parebat. In Nicæna Synodo Provinciæ Calabriæ fit mentio, eique subscriptus legitur *Marcus Episcopus Calabriæ*. Brutiorum Metropolis fuit Rhegium, urbs vetustissima; veteris vero Calabriæ urbem primariam existimo fuisse Locros. Perseverabat adhuc Agathonis Papæ temporibus Provinciarum Calabriæ, & Brutiæ antiqua distinctio: nam in subscriptionibus Epistolæ Synodicæ Concilii Romani anno 680. celebrati, recensentur inter Episcopos Provinciæ Calabriæ Locrensis, Tarentinus, Thurinus, Taurianus, Tropejanus, Vibonensis, & Hydruntinus: Posterior iste in contextu Latino Provinciæ Brutiorum; at in Græco Act. 4. Sextæ Synodi melius Calabriæ adscribitur. Inter Episcopos autem Provinciæ Brutiorum annumerantur Consentinus, Crotonensis, Scyllaciensis, & Tempsanus. Ceterum quadraginta sex post annis, videlicet ann. 726. pars illa Italiæ, quæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis retenta est, Calabriæ nomen obtinuit, quo deinceps Brutia, & Calabria proprie dicta, uno Calabriæ vocabulo comprehensæ fuerunt: Id probat D. Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 7. §. 4. testimonio Eginhardi referentis, Carolum Magnum subjugasse: (1) *Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria, usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum, & Beneventanorum constat esse confinia*. Porro Beneventum, inquit Petrus de Marca, est urbs primaria Samnii, cujus Ducatui portio quædam Apuliæ, & Lucaniæ fortasse erat adjuncta. At vero Calabriæ nomine tunc Brutia, Lucania Apulia, & Calabria specialiter dicta significa-

caba-

(1) Eginhardus in Carolo.

...antur. Addit & Hadriani Papæ locum huic similem, ad Carolum Magnum scribentis, [1] Adalgisum Ducem *accessisse ad Missos Imperatoris* (scilicet Orientis) *in partibus Calabriæ, juxta confinium Ducatus Beneventani*. Inde colligit eruditissimus Archipræsul, ex nova hac denominatione factum, ut in Diatyposi, seu Notitia Græca Provinciarum a Leone Philosopho adornata, Rhegium dicatur Metropolis Calabriæ, quamvis pertineat ad Provinciam Brutiæ, non autem ad Calabriam specialiter dictam. Ex quo vero tempore Imperatores Græci Siciliam, & magnam Italiæ partem illi adjacentem, Brutiam præcipue, & Calabriam stricte acceptam, e Patriarchatu Romano absciderunt, Syracusæ, & Rhegium inter Metropoles a Romana Diœcesi avulsas, & Constantinopolitano Patriarchatui contributas, recensentur. Et quidem in *Diatyposi* prædicta *Leonis Philosophi*, Metropolita Rhegiensis ordine est trigesimus secundus Metropolitarum, qui a Sede CP. pendent, inscribiturque Calabriæ Metropolita. Ex duodecim Episcopatibus huic Metropoli adscriptis in illa Diatyposi, aliquot in Brutia siti sunt, ut Consentiæ, Crotone, Scyllacii, qui Provinciæ Brutiorum accensentur in Synodica laudata Concilii Romani sub Agathone: alii in Calabria proprie dicta sunt constituti, ut Locrensis, Vibonensis, Taurianus, & Tropejanus, qui inter Calabriæ Episcopos describuntur in eadem epistola: in veteri Calabria, & in Apulia duæ Metropoles excitatæ videntur a Græcis post tempora Leonis Isaurici, nimirum Hydruntina, & Sanctæ Severinæ, quarum meminit *Diatyposis Leonis Philosophi*, sed nupero Græcorum invento nullum Episcopatum Hydruntinæ subjicit; Sanctæ Severinæ vero Metropoli, quæ Calabriæ quoque dicitur, quatuor Episcopatus submittit, quorum unus est Acheruntinus in Apulia. Ceterum Barensis, Brundusinus, aliique in Apulia Episcopatus distracti erant ab Imperio CP. per Ludovicum II. Imperatorem Lotharii filium. *Ordo Præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum* ejusdem Leonis Philosophi apud Schelstratem *tom. 2. Antiq. Eccl. Illustr. Appen. XVII.* unicam tantum Calabriæ Metropolim constituit Rhegium, cui septem hos Episcopatus subjicit.

Provincia Calabriæ.

Rhegium.	Consentia.
Locri.	Tropia.
Scyllacis.	Tauriana.
Croton.	Sæpinum.

XII. Nilus Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum reticet Metropolim Hydruntinam: alteram vero Sanctæ Severinæ commemorat, eique obnoxios facit quinque Episcopatus; attamen antiquitus unum fuisse totius Calabriæ Metropolitanum affirmat: *Calabria*, inquit, *unum Metropolitanum Rhegium, reliquas vero Ecclesias Episcopatus sibi vendicabat, Taurianam, in qua S. Fantini Monasterium est. Bibonem, cujus locum occupavit Miletum: Constantiam, quæ Cosentia nunc dicitur, & reliquas omnes Calabriæ subjectas. Erat & Sancta Severina Metropolis, habens & ipsa sub*

(1) Hadrianus I. epist. 90. in Codice Carolino.

sub se varios Episcopatus, Callipolim, Asyla, Acherontiam, & reliquas, & sunt hæ Ecclesiæ descriptæ in Tacticis Nomocanonis sub Throno Constantinopolitano. Et inferius ait: *Sancta Severina Calabriæ habens Episcopatus V.*

XIII. Apud Recentes in duas partes hæc regio dividitur, quarum una Citerior dicitur, cujus Metropolis est Consentia, altera Ulterior, in qua Rhegium Metropolis est. In universum vero quatuor principes Sedes, seu Metropoles habet Calabria.

Consentia Livio, & Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. quæ aliis Cosentia dicitur, nunc Citerioris Calabriæ, olim ut auctor est Strabo, Brutiorum fuit Metropolis. Inter duos amnes Crathim, & Basentium declivi loco sita Septemtrionem versus a Tyrrheno mari 12. M. P. ab Jonio 40. distat. Antiquissima est, ac nobilis, septem collibus cincta. Post captam Petiliam ab Annibale expugnata, ante annum in fidem Populi Romani rediit; teste Livio *Decad.* 3. *lib.* 5. & 9. Consentinam Ecclesiam inter antiquiores Regni Siciliæ (quo nomine etiam Neapolitanum Regnum comprehendit) Innocentius III. reponit in epist. ad Archiepiscopum Consentinum. Seculo circiter undecimo Metropolis creata fuit. Unicum habet Episcopum Suffraganeum urbis Mamerti, quod vulgo *Martoranum* dicitur.

Secunda Calabriæ Citerioris Metropolis Roscianum ab Antonino appellatur, a Procopio autem *lib.* 3. *de Bello Goth.* Russia, nunc Rossanum dicitur. A Consentia 35. M. P. in Ortum, tribus tantum a littore sinus Tarentini distat. Antiqua est Episcopalis Sedes hujus urbis, licet quo tempore instituta fuerit nos lateat. Postmodum ad Metropoleos dignitatem evecta est, non tamen ante seculum duodecimum. Plures olim Suffraganeos habuit Episcopos; sed illis Summorum Pontificum auctoritate jampridem exemptis a Metropolitani jurisdictione, nunc sola sine Suffraganeis Ecclesiis Metropolis remanet.

Ulterioris Calabriæ Metropolis est Rhegium, in extremo Brutiorum, quin & totius Italiæ littore positum, contra Messanam Siciliæ urbem 12. M. P. distans, intercurrente freto, sive Euripo angusto, quo Tyrrheni, ac Jonii maris undæ, inter Scyllam, & Charibdim perpetuo depugnant. Græci huic urbi dedere nomen a fractura, quod ibi Sicilia ab Italia credatur esse avulsa. Rhegium Julium cognominatur a Ptolemæo, aliisque antiquis Scriptoribus, ad Rhegii Lepidi differentiam, quæ est Cisalpinæ Galliæ civitas. De illius origine diversa ab Auctoribus scripta reperio. A Chalcidensibus conditum refert Solinus *cap.* 8. At Josephus Hebræus *lib.* 1. *Antiquit. Judaic. cap.* 7. ejus conditorem facit Aschenazium, Noemi Patriarchæ ex Gomero pronepotem: *Gomaris*, inquit, *trium liberorum parentis, unus filius Aschanaxes originem Aschanaxis dedit, qui nunc Rhegines a Græcis nominantur*. Josephum sequitur etiam D. Hieronymus, quibus & nos assentimur. Neque enim a Chalcidensibus, & Messeniis primum constructa fuit hæc civitas; sed huc coloniæ deductæ, & Respublica constituta. Rhegini bello Pyrrhi Regis implicati Tarentinis auxilium miserunt contra Romanos; sed postea Romanorum fidem secuti, in summo belli Punici terrore amicitiam Populi Romani, usque ad extremum coluerunt, teste Livio *Decad.* 3. *lib.* 3. Unde & Romana civitate donati sunt; atque ut Nonius Marcellus, & Festus scribunt, Rhegium evasit Romanorum colonia, municipiumque nobilissimum. Quod spectat ad Episcopalem

palem istius urbis Sedem, vetustissima ea est, & ab Apostolo fundata tunc temporis, quando e Judæa Romam pergens Rhegium divertit, ut *Apostolorum Acta cap. ult.* testantur, ibi Stephano Nicæno, qui ipsum ex Oriente fuerat comitatus, Episcopo constituto. A primis Ecclesiæ seculis Metropoleos jure potita est, cui non solum Calabriæ, sed etiam Lucaniæ suberant Ecclesiæ. Hodie vero decem Episcopis præest, quorum urbes, seu Sedes eæ sunt.

1. Bova.
2. Cassanum, olim Cosa.
3. Catacium, seu Catanzarium.
4. Croto.
5. Hieracium, quod ex Locrorum ruinis ædificatum est.
6. Neocastrum, olim Sicania.
7. Nicotera, olim Medama.
8. Opidum, seu Opedum.
9. Scyllacium, seu Scyllaceum.
10. Tropæa.

Syberena, quæ hodie Sancta Severina vocatur, altera Ulterioris Calabriæ civitas Metropolis est, quam vetustissimam facit Stephanus, atque ab Oenotriis fundatam. Abest a Mari Jonio 10. M. P. Si vera sunt, quæ incolæ ejus tradunt, Christianam fidem a D. Dionysio Areopagita suscepit. Quo ævo Metropolis facta sit, non omnino constat: a Græcis ad hoc dignitatis fastigium evectam antea insinuavimus. Hos illa Episcopatus complectitur, qui ab Ughello ita enumerantur.

1. Bellicastrum.
2. Gerentia, seu Geruntum, olim Pumentum: cui & Cariatum adjunctum est.
3. Insula.
4. Strongylis, olim Macalla, seu Macella: nonnullis etiam vetus Petilia creditur.
5. Umbriaticum, olim Brystacia.
6. Urbs Sancti Leonis.

Sed postremam hanc Sanctus Pius V. Pontifex Maximus una cum Diœcesi univit Metropoli Sanctæ Severinæ.



CAPUT

CAPUT IV.

Synopsis.

I. *Ntiqui Etruriae fines. Ante Romanum Imperium ea late protendebatur, sed a Gallis intra recentes limites redacta est. In sacris faciendis olim haec regio conspicua.*

II. Primum bellum Romanis ab Etruria imminuit, Porsena Rege illud inferente. Inde fuit periculis Romana res crevit, Etrusca corruit, tandem Romae subdita facta est.

III. Nunc Etruria in duas partes secta, altera ad patrimonium R. E. spectat, altera, quae nunc proprie Tuscia dicitur, Magno Duci Mediceo subest. Portus Tusciae Romanae insignis olim civitas: nunc omnino diruta; sed tamen Episcopi Cardinalis Sedes.

IV. Portuensis Ecclesia a D. Petro fundata creditur. Vetus S. Hyppolyti Martyris ibi constructa Basilica, erectumque a Pammachio nobile Xenodochium.

V. Tuscia proprie dicta tres habet Metropoles. Florentia nunc ejus caput, & Magni Ducis Sedes. Illius primordia, progressusque. Sub D. Petro Christi fidem suscepit. In Metropolim Ecclesiasticam quando erecta, & quae urbes illi adscriptae.

VI. Pisae altera Tusciae vetustissima Metropolis. De illius amoenitate Veterum elogia. Istius urbis origo vestigatur, & antiquitas.

VII. Insignis Pisarum Basilica, Turris, & Coemeterium breviter delineantur.

VIII. Egregia antiquae Pisanae Reipublicae facinora recensentur.

IX. Magni Duces Etruriae variis aedificiis Pisas exornarunt. Templum Sancti Stephani Papae, & Martyris ab ipsis constructum. Ordinis Equitum Divo huic dicati Sedes ibi constituta.

X. Florentissima Pisarum Academia illustribus Scriptoribus florens.

XI. Pisanae Metropolis antiquitas. A D. Petro Ecclesia Pisana exordium duxit. Templum D. Petro Sacrum a Clemente Papa ibi dedicatum.

XII. Gregorius VII. Corsicam Pisanae Metropoli subjecit. Primatum in Corsica, & Sardinia Summi Pontifices Archiepiscopo Pisano impertierunt.

XIII. Omnes Corsicae Episcopi olim huic Metropoli subjecti: in Sardinia Gartellanensis, & Civitatensis: in Tuscia Episcopi Populoniae, & Massae. Nunc tres tantum in Corsica Suffraganei. Gaudet tamen Primatus jure etiamnum in Corsica, & Sardinia.

XIV. Senarum Civitas Tusciae perillustris. De illius origine variae Scriptorum opiniones. Litterarum & Sanctitatis gloria urbs haec celebris. Ejus Ecclesia a S. Martiale fundata creditur. A Pio II. in Metropolim erecta. Episcopatus ei additi.

XV. Umbria unde dicta. Praecipuae illius urbes. A Romanis quando subacta. Non aliam olim habuit Metropolim Ecclesiasticam, quam Romam.

XVI. Pars Umbriae ad Senones quondam spectans nunc Metropolim habet Urbinum. Civitates illi obnoxiae numerantur.

XVII. Picenum in duas partes sectum, quarum altera ad Vicarium Urbis, altera ad Vicarium Italiae pertinebat. Piceni limites descripti. Unde id nominis habuerit. Postquam haec Regio a Longobardis subacta est Marchia vocari coepit.

XVIII. Post bellum Tarentinum Picenum in Romanorum ditionem venit. Divisum illud fuit in Suburbicarium, & Annonarium.

XIX. Quod tamen spectat ad Ecclesiasticam administrationem, Picenum semper una Provincia fuit, ejusque Metropolis Roma. Sirmondi, & Lupi opinio exploditur. Ravennatensis Metropolis olim in Picenum nihil juris obtinebat. Ariminum nonnisi postremis temporibus Ravennæ additum.

XX. Firmum recens Piceni, seu Marchæ Metropolis a Xixto V. erecta, Urbes illi attributæ.

I. Nter Provincias Italiæ, quas Hadrianus Imperator distinxit, illustris famaq; celebris semper fuit Etruria, ad primam usque Tiberis ripam protensa, Macra fluvio a Liguria discreta. Tametsi ante Romanum Imperium longe lateque in Italia, ultra Apenninum a Mari Tyrrheno, usque ad Adriaticum fines suos protenderet; quousque postmodum a Gallis in Italiam irruentibus ejecti fugatique Etrusci, eam tantum, quam nunc inter Tiberim, & Macram tenent regionem, incolere coacti sint. Præclara sunt, quæ de tam amplo Etruscorum Imperio scripsit Livius: *Tuscorum*, ait, *ante* (1) *Romanorum Imperium late terra marique opes patuere, mari supero, inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur: quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriacum mare ab Adria Tuscorum colonia vocavere Italicæ Gentes, Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant. In utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis missis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circum colunt maris, usque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo, est, maxime Rhætiis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent.* Paulo post autem subdit, Gallos in Italiam delapsos, fusis acie Tuscis haud procul Ticino flumine, eam Italiæ partem occupasse, quæ trans Apenninum olim ab Etruscis habitabatur. Itaque Etruria regio Italiæ clarissima, & amplissima, nunc inter ostia Macræ ad Occasum, & Tiberis ad Ortum in longitudinem extensa, ac inter Apenninum montem, quo Æmilia ad Arctos discluditur, & Mare Tyrrhenum ad Meridiem perstricta est. A Græcis Tyrrhenia dicta fuit, a Tyrrheno quodam Atyos filio, qui relicta Mæonia in Italiam se contulit, & in ora maris inferi consedit, populosque Tyrrhenos, & Mare ipsum Tyrrhenum de nomine suo appellavit. Latini vero Etruriam, & Tusciam sive Tusciam promiscue nominant: sive a Tusco quodam Herculis filio, qui Regionis hujus imperium dicitur tenuisse, ut Festo placet: sive, ut Græco verbo respondet, a Sacrificiis: sive a thure, quo maxime in sacrificiis utimur. Fuerunt siquidem Etrusci præ ceteris Italiæ populis eorum, quæ ad religionem & Sacrificia pertinent, ad superstitionem usque studiosi. Haruspicinæ olim peritissimi, ac scrutandorum Syderum scientia apprime instructi, cœlum in sexdecim partes diviserunt, ut facilius cognoscerent, qua ex parte fulmen venisset, uti observat Tullius *lib. 2. de Divi-*

(1) Livius Decad. 1. lib. 5.

Divinatione. In ea ſcientia, ſicuti etiam faciendorum ſacrificiorum, ita floruerunt, ut, Romani qui non ſervandæ tantum, ſed etiam amplificandæ religionis cupiditate incendebantur, ſex ut Tullius tradit, vel duodecim Principum filios, ut Valerio Maximo viſum eſt, Senatus conſulto ſingulis Tuſciæ populis percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderent: (1) *Etruria autem*, inquit Cicero, *de cœlo tacta ſcientiſsime animadvertit: eademque interpretatur, quid quibuſque oſtendatur monſtris atque portentis. Quocirca bene apud Majores noſtros Senatus tum, cum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis ſex ſinguli: Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne res tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quæſtum*. Idipſum teſtatur etiam Livius *Decad*. 1. *lib*. 1. & 5. qui etiam *lib*. 9. ait: *Habeo auctores: vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Etruſcis literis erudiri ſolitos*.

II. Primum Romanis bellum ab Etruria imminere cœpit, Porſena Etruſcorum Rege Urbem vix ſibi tum imperantem, ac intra pomœria ſua dominatum coarctantem, ingentibus copiis obſidente, ut pulſos inde Tarquinios manu reduceret. Tunc prima pro libertate arma corripuere Romani: tunc illa Romana pericula atque miracula, Horatius, Mutius, Cloelia videri cœpta, quæ niſi in Annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles ingruentes per pontem hoſtes ſuſtinuit unus, ac reciſo ponte, iiſdem quibus indutus erat armis, Tiberim tranſnatavit. Mutius Scævola Regem aggreſſus, & conatu ſuo fruſtratus, ardentem in focum injecta manu, his verbis increpatum, *ut ſcias, quem virum effugeris, idem trecenti juravimus*, ita deterruit, ut pacem ultro a Romanis expeteret. Cloelia obſes data Regi, ſexus inbecillitatem ſuperans, eluſa cuſtodia, trans flumen ad ſuos equitavit. Hæc Livius *lib*. 2. Florus *lib*. 1. *cap*. 10. Dion, Plutarchus, aliique referunt. Initia hæc fuerunt Romanæ amplitudinis, & Etruſcorum jacturæ. A potentiſſimis quandoquidem Etruriæ populis ſæpe vexata Romana Reſpublica periculis ſuis crevit, nec magis dilatavit Imperii fines, quam cum exteris armis premeretur. (2) Vejentes aſſidui, & anniverſarii Romani nominis hoſtes poſt multa, ac varia prælia deleti ſunt, & Veii nobiliſſima tunc Etruriæ civitas decenni obſidione a Camillo capta, ſolo æquata eſt: univerſuſque populus Romanus ad ejus direptionem vocatus nullo vetuſtiſſimæ, & inclytæ urbis veſtigio relicto, adeo ut laboret Annalium fides, ut Vejos fuiſſe credamus. Fidenates, & Faliſci domiti. Ac tandem cum univerſi Etruſcorum duodecim Populi una cum Samnitibus in excidium Romanæ Reipublicæ conjuraſſent, a Conſule Fabio anno U. C. 444. ingenti prælio devicti ſunt, in quo cæſa, aut capta hoſtium millia ad ſexaginta. Ac tum primum Fabius Maximus Ciminium ſaltum in medio, ante invium plane, quaſi Caledonium, vel Hercynium, penetravit: (3) licet tunc *tanto terrori eſſet, ut Senatus Conſuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmiſſo exploraret acceſſus. Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia, refert tutum iter. Sic Fabius Maximus periculoſiſſimum bellum, ſine periculo explicavit. Nam ſubito*

(1) Cicero lib. 1. de Divinatione.
(2) Livius lib. 4. & Florus lib. 1. cap. 12. Eutropius lib. 1.

(3) Florus lib. 1. cap. 17. Livius lib. 9.

bito inconditos, atque palantes aggressus est, captisque superioribus jugis, in subjectos suo more detonuit. Ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas e cælo, ac nubibus tela mitterentur. Deinceps igitur Romano Imperio adjecta est Etruria, quam merito Livius, Cicero, Diodorus, Plinius, Dion, aliique Scriptores opulentissimam, ac nobilissimam Provinciam appellant, utpote quæ opibus, armis, religionis cultu, bonarum artium disciplinis, virisque scientia ac pietate clarissimis semper floruerit. Quemadmodum autem olim, necdum Evangelii luce in orbem diffusa, impensius Idola colebat; sic posteaquam spargi illa cœpit, sub ipsis Apostolorum temporibus felix hæc regio Christi nomen amplexa, ferventius ceteris uni Deo se totam devovit.

III. Non id nobis consilii est hoc loco singulas recensere Episcopales Sedes Etruriæ, sed illas tantum quæ nunc ad Tusciam proprie dictam, quæque felici beatoque regitur Magni Ducis imperio, pertinent. Enimvero Tuscia in duas regiones hodie secatur: quarum una proprium hoc nomen retinet, Magno Duci tota ferme parens, cujus caput est Florentia optimi Principis digna Sedes; altera Glani, Pelia, & Ossa amnibus divisa Patrimonium Ecclesiæ, sive Sancti Petri nominatur, Summo Pontifici subjecta. Posterioris hujus civitates cum Romam Metropolim habeant, partim supra recensitæ sunt, partim inferius exponentur cum reliquis Italiæ sedibus, quæ immediate Romano Pontifici subsunt. De Portuensi tantum Sede, quæ ad hanc spectat Tusciæ partem pauca hic disserere peropportunum arbitror. Portus antiqua olim fuit Tusciæ civitas, ad Ostia Tiberis e regione Urbis Ostiæ posita, Roma 18. M. P. distans, in theatri speciem constructa eodem in loco situque, quo Julius Cæsar ejusmodi opus ædificandum decreverat, sed ob rei difficultatem omisit, Claudius tandem Imperator substruxit, quod non immerito Suetonius opus magnum vocat: (1) *Portum*, inquit, *Ostiæ extruxit circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægipto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Mendum hic esse optime admonet Isaacus Casaubonus, & pro *solo*, legendum esse *salo*, docet: nam portum intelligit, cui proprium est profundum salum. (2) Similia refert Plinius, qui & Portuense opus enumerat inter digniora, magisque ardua opera, quæ unquam Claudius Imperator molitus sit: Dion Cassius illud ipsum ita celebrat, ut *una potentia Romana dignum fuisse opus prædicet*. Varia ei nomina a Veteribus indita fuerunt, Dion, Procopius, Plutarchus, & Cassiodorus Portum Romæ, & Portum Romanum nominant. Juvenalis alicubi Portum Trajani vocat. A quibusdam etiam Portus Augusti dicitur, quod scilicet Augustus, uti & Julius Cæsar ejusmodi opus meditati sint, at conficere nequaquam potuerint. Et vero pars ejus exterior, & primum intuentibus obvia appellatur Augusti Portus: quia tamen Trajanus eumdem Portum interius munimentis adauxit, Juvenalis, & quidam alii Portum Trajani vocant. Urbs sane præclara fuit, nobilissimis quondam ædibus, ædificiis ornata, insigni præsertim Xenodochio,

quod

(1) Suetonius in Claudio cap. 20.

(2) Horatius: *Jactis in altum molibus*; vulgo il Molo.

quod Pammachius vir Consularis Paulinæ Conjux ibidem condidit. Corrigendus hic est lapsus Ferdinandi Ughelli, viri alioquin diligentissimi, *Tom. 1. Italiæ Sacræ, Tit. Episcopi Portuenses*, hæc scribentis: *Symmachus Papa, ut S. Hieronymus narrat, nobile in Romano Portu construxit Xenodochium, quo, qui ad limina Apostolorum pietatis ergo proficiscebantur, exciperentur*. Hieronymus quippe octoginta circiter annis ante Symmachi Pontificatum jam vita functus nihil de Symmacho Papa scribere potuit. Xenodochium vero in Portu Romano conditum, cujus ipse meminit, Pammachii opus fuit.

IV. Per idem tempus, quo D. Petrus Romam, etiam in Portum Romanum Christi fidem invexit; quam in eadem urbe plures Martyres, atque in iis Sanctus Hypolitus Portuensis Episcopus fuso sanguine consecraverunt. In eorum honorem Hypoliti præsertim, amplissimæ Sacræ ædes extructæ urbem hanc præ ceteris, quæ Imperatores condiderant, ædificiis, illustrarunt. Verum ille ipse Romanus Portus, clarissima illa Regum monumenta, nunc penitus demolita jacent, atque a mari relicta sunt, rerum humanarum incostantiæ testes. Amplissimæ Sancti Hypoliti Basilicæ vix superstes est altissima sacra turris, veteris gloriæ triste vestigium, & juxta eam celebris ille puteus olim ipsius Martyrio illustratus, jam modo usque ad summum terra repletus. Nulla restant vestigia nobilissimi Xenodochii, quod Pammachius in eodem Portu Romano construxerat, ut e navi peregrinis descendentibus, ipse eos parato suscepturus hospitio, primus occurreret, cibo eos aleret, atque eorum pedibus provolutus, eos ablueret, Christiana humilitate, quam Consulari Purpura clarior. Una egregii operis, ejusque conditoris memoria adhuc vivit ejusmodi immortalitatis elogio: *Audio* (1) *te Xenodochium in Portu fecisse Romano, & virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse littore. Quasi Æneas nova Castra metaris, & super undam Tiberis, ubi ille cogente quondam penuria crustis fatalibus, & quadris patulis non pepercit; tu vinculum nostrum, idest, domum panis ædificas, & diuturnam famem repentina saturitate compensas*. Quamquam tamen jam a tot seculis excisa jaceat nobilis hæc civitas, Portuensis tamen Sedes adhuc stat, cujus Antistes pæne ab immemorabili inter Cardinales Episcopos secundum locum tenet, &, ut ajunt, Vice Decani est Sacri Collegii Cardinalium. Huic porro Ecclesiæ Portuensi Callistus II. anno 1120. Sedem Sylvæ Candidæ, seu Sanctarum Rufinæ, & Secundæ conjunxit, quod ex crebris Barbarorum incursionibus Incolæ antiquas suas ædes deseruissent; atque ex duabus unam effecit Sedem, unius Ecclesiæ privilegiis alteri communicatis. Eam olim moderatus est Eminentissimus Cardinalis F. Vincentius Maria Ursinus, vir nobilitate generis, morum sanctitate, zelo Ecclesiasticæ Disciplinæ toti terrarum orbi celebris, qui sanctissimorum veteris Ecclesiæ Præsulum virtutes ad vivum in se expressit. Beneventanam quoque Metropolim jam a multis annis summa prudentia rexit, claritate erga pauperes insignis, inclytæ illius urbis terræ-motibus semel, & iterum dirutæ instaurator, non fine miraculo inter ruentes Domus Archiepiscopalis parietes Dei ope, & Sancti Philippi Nerii præsidio illæsus servatus. Domini Caroli Borromæi vestigiis insistens quotannis amplissimam Diœcesim, in locis etiam rupibusque acces-

(1) S. Hieronymus epist. 26. ad Pammachium.

accessu difficillimis perlustrans, gregem suum exemplo virtutum, verbi Dei prædicatione, Sacramentorum pabulo, & assidua optimi Pastoris vigilantia pascens, omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucretur. Nunc singulari Dei nutu ac beneficio ad Summum Pontificatum evectus die 29. Maii ann. 1724. Benedictus XIII, appellatur.

V. Ut vero ad Tusciam proprie dictam revertamur: tres illa habet Archiepiscopales Sedes. Prima est Florentia Etruriæ caput, & Metropolis, Magnorum Ducum Sedes: cui hac nostra ætate feliciter præest Joannes Gasto Magnus Dux, ex Regia Medicæorum stirpe, inclyta Proles Cosmi III. pietate, ac probitate morum, zelo Catholicæ Fidei, Christianæ Religionis studio, vitæ sanctimonia, admirabilis prudentiæ, comitatis, castimoniæ, ac virtutum omnium splendore clarissimi, cum optimis quibusque & nostri, & veteris ævi Principibus facile comparandi, quem nuper mortalitatis vinculo exutum, ad superos evolasse speramus. Utinam ad Regni ipsius felicitatem, tranquillitatemque totius Europæ, Deus optimum Filium diu incolumem servet. Hanc itaque urbem olim Fluentiam fuisse dictam vulgo creditur, quod sita sit ad fluentem Arni fluminis, & populi ipsi Fluentini, quorum meminit Pseudo-Cato *in Originibus*. Postmodum vero pulchrum Florentiæ nomen adepta est: sive a Floro, Florinove Romanorum Duce, ut aliqui putant: sive quod in florido Etruriæ solo condita sit: sive tandem quod huic urbi a Romanis semel fundatæ, eorumdem ex flore coloniarum plurimum opum, ac fortunarum accesserit. Amplissima sane ac pulcherrima civitas, in explicata lataque planitie posita, cui & nomen congruit, & ipsa nomini. Mœnium quippe ambitu vasta, viarum compitis decora, silice quadrato lapide strata, latis ornata plateis, ædificiis superba, collibus cincta amœnissimis, summo invisentibus oblectamento est. Qamobrem non incongrue omnium fere gentium unanimi consensu ac voce appellatur: *Florentia pulchra, totius flos Italiæ*. Latet ejus origo: quod enim Annius scripsit, Janum diluvio superstitem Florentiam ædificasse, merito inter fabulas recensetur. Nec minus commentitia videtur eorum opinio, qui eam a L. Sullæ Dictatoris Militibus conditam volunt, & Coloniam ab eo effectam, perinde ac Fæsulas. Enimvero Triumviri M. Antonius, Lepidus, atque Octavianus Augustus illuc veteranos, & emeritos milites deducendos, recreandosque curarunt, Fæsulano agro eis viritim distributo, qui a patria urbe haud dissimile solum fortiti, quasi alteram Romam ædificare cœperunt. Hac de re fusius infra *p. 2. lib. 1.* Ex Fæsularum, vetustissimæ Etruriæ civitatis, ruinis Florentiam mirum in modum crevisse antiqua traditio est: cum scilicet uterque populus consociatis opibus & regno, in unum coivere Senatum, quem duo Consules, ac centum Patres explebant. Excellentes in omni fere disciplinarum genere viros protulit; quos inter illustres sunt, Dantes Aligerus, Franciscus Petrarcha, Joannes Boccaccius, Guido Cavalcantes, Marsilius Ficinus, Accursius uterque, parens nimirum, & filius stupendi Juris Cæsarei Interpres, Jottus Artis pingendi reductor, divinus ille Michaël Angelus Bonarotus naturæ miraculum; & celeberrimus Mathematicus, ac syderum perspicacissimus contemplator Galilæus. Pauca hæc de nobilissima urbe attigisse satis: qui enim exactam ejus notitiam assequi cupiat, consulat necesse est Leonardum Aretinum, Cristopho-

rum

rum Landinum, Recordanum Malespinam, Leandrum Albertum, Boninsignium, Joannem, Matthæum, & Philippum Villanos, Raphaëlem Volaterranum, Marcum Poggium, Nicolaum Machiavellum, Jovium, Pontanum, Natalem Comitem, Paulum Minium, Silvanum Razium, Scipiones Ammiratos, Jacobum Nardum, Borghinum, Flavium Blondum, Angelum Politianum, Æneam Silvium, & innumeros alios, qui res Etruscas, & Florentinæ Reipublicæ gesta eruditis commentariis ad posteros transmiserunt.

Sed nihil illustrius de inclyta hac civitate dici potest, quam quod in ipsis prope suis primordiis felicius Evangelii lumen, quam temporalem gloriam hauserit, Nerone imperante. Nam Paulinum, Frontinumque, a D. Petro Florentiam directos, ut ibi Christianæ Religionis semina plantarent, immo Frontinum ab eodem Apostolorum Principe primum ejus urbis Episcopum consecratum, ex Veterum memoria, & traditione quidam rerum Etruscarum Scriptores testantur. Sanctum Romulum itidem Fæsularum Antistitem in Tuscia ab ipso Petro Episcopum institutum, Florentinis, Fæsulanis, ac Volaterranis Christi fidem enuntiasse, ac tandem Martyrio apud Fæsulas coronatum S. Antoninus, Raphaël Volaterranus, Ferrarius, Franciscus Cataneus a Diacceto quondam Episcopus Fæsulanus, aliique tradunt. Hanc Sedem Episcopalem deinceps rexerunt Præsules sanctitate, ac doctrina illustres, usque ad ann. 1411. Quo tempore Martinus V. absoluto Concilio Constantiensi Florentiam divertens, ratus, ut ait Cardinalis Ægidius *in Hist. 20. secul.* civitatem, quæ alias pietate ac religione præcelleret, nullis aliis prærogativa Episcopatus inferiorem esse oportere, Metropolim Ecclesiasticam esse voluit, decrevitque. Huic vero eæ sunt addictæ Episcopales Sedes.

Florentia Metropolis.

Burgum Sancti Sepulchri.
Colles.
Fæsulæ.
Sancti Miniatis civitas.
Pistorium.

VI. Pisæ vetustissima æque ac clarissima urbs Etruriæ, altera est hujus Provinciæ Metropolis, summorum virorum elogiis numquam satis commendata: Virgilii, Lucani, Claudiani, Rutilii Numatiani, Nathanis Chytræi, Petri Angeli Bargæi, Julii Cæsaris Scaligeri, aliorumque illustrium Poëtarum florentissima ingenia ad sui laudes decantandas dulci quadam admiratione traxit. Civium pulcherrimæ & inclytæ civitatis heroica gesta occuparunt animos, stylumque nobilium Scriptorum, Livii, Ciceronis, Dionysii Halicarnassei, Pomponii Melæ, Justini, Eustathii, Pompeii Festi, Solini, atque aliorum Veterum, qui ea suis scriptis commendarunt. Ex recentioribus vero prope innumeris, unus hac nostra ætate antiqua Pisarum monumenta aureo plane calamo elegantissime descripsit, Vir æterna memoria dignus, quondam Pisanæ Academiæ fulgentissimum sydus Cardinalis Henricus Norisius in suis Cenotaphiis Pisanis. Post tot insignes viros hanc eamdem Spartam exornare quid ausim absque audacis censura? Attamen secundam hanc (si mihi ita loqui concessum est) patriam

triam meam, quam unum & triginta annos incolo, qua, post patrios lares, nihil dulcius amore prosequor, sine aliqua commendatione prætergredi non finit grati animi obsequium, quo erga illam obstringor. Quare de illius situ, origine, rebus præclare gestis, deque veteris hujus Metropolis Ecclesiastica dignitate, quidpiam paucis disserere aggrediar, vel potius, quæ ab eruditis Scriptoribus memoriæ tradita sunt, colligere summa brevitate conabor.

In amœna planitie inter Florentiam Lucamque ad Arni fluenta Pisæ conditæ sunt, trium millium passuum brevi tractu a Mari Tyrrheno distantes. Qua parte Ortum, & Septemptrionem urbs spectat, Montes eam ambiunt, ad Meridiem vero, & Occasum lata planities sese expandit, quam in Meridionali plaga peramœni colles, in Occidua vero mare definit. Fluvius Arnus nobili alveo mediam urbem interluit, semilunarem pæne circulum obliquo, sed leni flexu efficiens, atque hinc inde ad dextram, lævamque ripam venustissimis circumdatus ædificiis, jucundissimam theatri speciem exhibet intuentibus. Inter Arnum, & Auserem amnes sitam fuisse olim Rutilius hisce carminibus cecinit; (1)

Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus, & Auser aquis.
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontem solus scilicet Arnus adit.

Verum fluvius Auser, qui vulgo dicitur *il Serchio*, & Strabo *lib.* 5. Æsarem vocat, Pisas minime cingit, cum ab ipsis longius prope mare fluat: nec Arnus ipse urbem ambit, sed in ejus medio præterfluens dividit.

Quamquam ut verum fatear, Rutilius, & Strabo veterem Pisarum situm, qualis eorum ætate erat spectasse videantur. Tunc quippe civitas tota citra Arnum versus Lucam sese protendebat: Auser vero non eo olim decurrebat, ubi nunc effluit, sed ad Septemptrionem alteram ambiebat urbis partem. Sed cum præ nimia aquarum affluentia Lucæ, ac Lucensi agro interdum gravior immineret, ac pæne excidium minitaretur, S. Frigidiani precibus cursum suum direxit, quo nunc in Mare dilabitur, ut antiqua traditio, & ipsius S. Frigidiani Acta testantur.

De Pisarum origine licet variæ sint Auctorum opiniones, duæ tamen præcipuæ circumferuntur: prima a Pisæis, Elidis in Peloponneso populis conditas asserit. Vetus quippe in Elide Peloponnesi regione urbs fuit, cui nomen Pisa, ad Alpheum flumen posita, juxta quod celebrabantur certamina Jovi sacra, quæ Olympia, a Jove Olympio dicebantur. Nam ibi vetustissimum Jovis fanum erat, ut Pausanias scribit, opere Dorico factum, ab ima area ad summum fastigium octo & sexaginta pedibus altum, latum nonaginta quinque, longum vero 330. cujus Architectus Libo fuit. Hujus tectum pro tegulis, Pentelico stratum erat marmore: Ara Jovi dicata, cujus crepido pedum in circuitu 125. altitudo 25. fuit. Memorabile ibidem extitit Jovis simulacrum, quod a Phidia elaboratum, Pa-

(1) Rutilius lib. 1. Itinerarii.

Panænus Pictor coloribus pinxit, ut refert Strabo *lib.* 8. (1) Non longe a Jovis Olympii Templo erat oleastris consitum nemus, e quibus eorum, qui in Olympico certamine victores fuissent, coronæ texebantur. Ejus igitur regionis populi una cum Nestore ad Ilium oppugnandum e Peloponneso profecti, eo jam debellato, cum in patriam redirent, sævissima tempestate jactati, hanc Etruriæ oram appulerunt, ubi Arnus in Tyrrhenum mare dilabitur; cumque loci amœnitate, ac fertilitate soli summopere delectarentur, novam condidere urbem, quam a Patria relicta Pisas nominarunt. Eo allusit Virgilius: (2)

Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo.

Quæ carmina sic interpretatur Servius: *Alpheus Fluvius est inter Pisam, & Elidem civitates Achajæ, ubi est Templum Jovis Olympii, ex quibus locis venerunt, qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas a civitate pristina.* Ejusdem opinionis est Strabo: neque ab his discedunt Plinius, & Solinus, si recte inter se intelligantur, dum affirmant, Pisas a Pelope, Pisanisque, qui a Pisa Achajæ civitate juxta Alpheum sita progressi fuerant, originem traxisse. Ceterum Cato apud Dionysium Halicarnasseum docet, hanc urbem fuisse conditam a Pisis, Alpheis, & Pelasgis. Fieri tamen potuit una cum Pisæis, & alios e Græcia populos in Italiam contendisse, ac novæ civitatis jecisse fundamenta. Id unum extra controversiam est, quod & Justinus lib. 20. asserit, Pisas Græcos habuisse auctores, atque ante conditam Romam, Trojamque incensam, fuisse constructas, ut eleganter in suo Itinerario Rutilius Numatianus significavit: (3)

Pars Prima.

Ante diu quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum Regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.

Ab ipsis pæne primordiis hæc civitas potentia ac nominis celebritate clarere cœpit: nam inter populos quos e Tuscia Æneas in sui præsidium suisque copiis adjunxit, ut novum in Latio Regnum fundaret, Virgilius 10. *Æneid.* Pisanos recenset. Gliscente postmodum Romani Imperii felicitate inter primarias Etruriæ civitates Pisas reponit Livius *Decad.* 4. *lib.* 3. & 5. quæ Romanis adversus Ligures præsidio fuerunt. Unde & jus Coloniæ a Senatu huic Urbi concessum fuit: (4) *Pisanis agrum pollicentibus, quo Latina Colonia deduceretur, gratiæ ab Senatu actæ, triumviri creati ad eam rem. Q. Fabius Buteo M. & P. Porcii Lenates.* Cum vero urbs hæc Juliæ Familiæ addictissima esset, *Colonia Julia* meruit appellari: huic rei fidem astruunt duæ Inscriptiones vetustissimæ, quas D. Antonius Puteus Archiepiscopus, velut pretiosa monumenta in Campum Sanctum adhibitis ornamentis posteritati exposuit: in quarum prima Senatus consultum a Pisanis in morte Lucii Cæsaris filii Augusti editum legitur: in altera idipsum a Pisanis factum narratur post Caii Cæsaris, Lucii germani obitum.

VII. Longe amplior olim fuit tam præclara civitas, quam modo sit, tametsi hodieque magna ex parte pristinum splendorem servat. Beniaminus, qui ante quingentos & quadraginta annos floruit, quo tempore Pisarum Respublica vigebat, hæc in suo Itinerario memoriæ prodidit: *Distant a Genua Pisæ duorum dierum itinere,*

Mm *ingens*

(1) Pausanias Eliac. 1. p. 100. Strabo lib. 8.
(2) Virgilius Æneid. 10.
(3) Rutilius lib. 1. Itiner.
(4) Livius Decad. 4. lib. 10.

ingens urbs, in cujus domibus fere decem mille turres numerantur, ad pugnam tum aptæ & instructæ, siquando dissidium, aut pugnæ necessitas exigat. Cives ipsi omnes strenui, neque Regi, neque Principi alicui parentes, sed Magistratui ab ipsis creato. Ecclesia Metropolitana Deiparæ Virgini dicata, si Romanam Sancti Petri Basilicam excipias, vix in toto Orbe, etsi non amplitudine, venustate saltem, ac ædificii structura, magnificentia, & ornatu, similem habet: candido, parioque marmore constructa est; ejus longitudo cubitis 156. latitudo vero IXI. mensuratur. Totam molem plures porphyreticæ, atque e Serpentino marmore Columnæ, tam ad decus, quam ad fulcimentum sustentant, ita ut 88. erectæ videantur in facie, quæ vero ædificium circumstant 148. numerum expleant. Transversum atrium, medium directumque interfecans Templi Corpus, 52. cubitorum latitudine extenditur. Quinque atriis distinguitur: sex portæ in Ecclesiam aditum pandunt, quarum postes, quatuor æneæ mirabili arte ac Sculptura conflatæ, reliquæ autem ferreæ. In Principe ara fulget porphyretica prægrandis tabula. Templum e Sarracenorum spoliis ædificatum fuit, cum Pisani illis expulsis Panormum recuperarunt: cique dotem reliquit Comitissa Mathilda, & Deiparæ Virgini in Cœlum Assumptæ consecravit. Haud longe ab ipsa Basilica, in posteriori ejus parte eminet Sacra Turris, unde perstrepunt æra ad fidelium pietatem excitandam: eaque in longum procurrit per cubitos 78. in latera vero per 80. pario marmore candidoque incrustata est, fulciturque 225. columnis, indeque octo perstrepentia æra dependent; quodque non satis mireris, septem cubitis ex artificio Architecti Joannis ab Oeniponte Germani, tamquam ex temporum vitio minitatura ruinam, recta declinat a linea. Juxta summam ædem ab anteriorii parte, rotundum Templum Sancto Joanni Baptistæ sacrum invisitur: ubi divina baptismatis unda pueri recens nati solent lustrari, quod ex marmore totum constructum, per 151. cubitos decenter recurrit, ac miræ magnitudinis columnis e Serpentino marmore fulcitur. Non minorem admirationem parit Campus Sanctus, & ipse marmoreus, cubitis 213. protensus, in latitudinem vero 61. extensus cubitis: quod ædificium, sive latitudinem & longitudinem, sive altitudinem spectes, instar Noemicæ Arcæ dicitur extructum. Picturas habet intus undequaque per circuitum, ab antiquis Pictoribus excellenti arte ac venustate delineatas. Spatium terræ, quod in ejus medio est nullo silice tegitur, nec terra illa communis est, sed Jerosolymis a Pisanorum classe deportata, cui ea vis inest, ut 24. horarum spatio mortuorum cadavera depascat atque exiccet. Eo in Campo Sancto quamplura illustrium virorum sepulchra inspiciuntur, qui virtutis ac doctrinæ fama claruerunt. Opus sane egregium, & cum maximis veterum Imperatorum ædificiis conferendum: quod Nathanis Chytræi Poësim in sui, sicut & Sacræ Turris, & Templi maximi, laudes adegit:

Antiqui splendoris adhuc monumenta supersunt
Inclyta: marmoreis fulgentia tecta columnis:
Turris & inclinata foris, minitansque ruinam
Pendula recta intus, si videris: area longa,
Gloria Romani Decius qua maxima juris

Con-

Conditus est, ubi vicenis & quattuor horis
Corpora consumi memorant his obruta terris.
Quin Nicodeme tui monstrant monimenta sepulchri.

VIII. Eximia sane sunt hæc nobilissimæ urbis ornamenta, quibus illa reliquis antecellit: sed quid dignum effari potero de Pisanæ Reipublicæ armis, potentia, virtute? Ingenti classe Tyrrheno mari dominabatur, sibi secura, vicinis conspicua, exteris, maxime barbaris formidolosa. Terra marique victricia contulit arma, Musato Sardiniæ Rege devicto captoque, Insulam illam omnem subegit, cui deinceps haud parvo tempore imperavit. Carthaginem, & Baleares Insulas e Maurorum tyrannide eripuit, earum Regibus in Triumphum abductis. Friderico Ænobarbo Imperatori Orientem expugnare meditanti, quinquaginta Triremium classem, armis, ac militibus onustam suppeditavit. Tum deinde Christianis Principibus in Palæstina adversus fidei hostes bellantibus multoties suppetias tulit, atque in Jerosolymorum expugnatione Pisani milites omnium primi mœnia superarunt, sacro crucis vexillo sub hostium oculis muris admoto infixoque. Panormum vi ac dolo a Sarracenis occupatum, prospera pugna recuperaverunt. Profugos aliquando Romanos Pontifices hospitio recrearunt, auxilio a peregrinis armis, aut Romani populi rebellione tutati sunt; atque in iis Gelasium II. Callistum II. & Innocentium II. Utinam pari obsequio Pisana Respublica semper Summos Pontifices prosecuta fuisset: secundis rebus, quin & feliciore fortuna adhuc floreret. Verum experimento novimus, Urbes, Regna, Imperia etiam potentissima corruisse, cum Supremi Pastoris jugum excutere, & contra Ecclesiam bella ciere tentarunt. Id infortunii Pisarum Reipublicæ accidit, quæ cum Friderico II. Imperatore adversus Gregorium IX. Pontificem Maximum inito fœdere, captis ad Lomellum duobus Cardinalibus, multisque Præsulibus ad Concilium Oecumenicum Lugdunense proficiscentibus, haud seram divini numinis in se provocavit vindictam. Paulo enim post eodem loco, quo Cardinales, Prælatosque captivos fecerant, victi a Genuensibus Pisani Navali prœlio, quadraginta novem Triremium, ac duodecim millium selectorum civium jacturam passi, præteritarum victoriarum gloriam maximo dedecore obliterarunt, amissa tandem Patriæ libertate. Flevit eleganti carmine inclytæ urbis infortunium Julius Cæsar Scaliger, cujus hîc versus excribere non incongruum duximus: (1)

Pisa vetus victi spoliis Orientis onusta,
Invidiæ armavit lucida tela trucis.
Sic nocuit vicisse, aliis sic vicimus ergo:
Sic res est humili tutior arcta loco.
Mortales sperate vices, nec credite fatis,
Nam quod nos aliis, illa dedere mihi.

IX. Reparavere nihilominus amissa Pisarum decora Regales Principes Magni Etruriæ Duces, urbem hanc multis beneficentiæ argumentis pristinæ

(1) Scaliger.

ſtinæ gloriæ reſtituere ſatagentes. Coſmus Medices Primus Magnus Dux Etruriæ Illuſtriſſimum Ordinem Equitum Sancti Stephani Papæ & Martyris ad Turcarum cohibendos procurſus inſtituit ſub Regula Sancti Benedicti Abbatis, eumdemque Magnus primus Magiſter, Terror Turcici nominis, feliciter adminiſtravit. Eum deinceps ceteri Magni Duces mirifice auxerunt. Navale conſtruendis Triremibus ſatis aptum prope Arnum in ipſa Urbe conditum inſtauravit, ampliavitque laudatus Coſmus I. Eccleſiam Conventualem D. Stephano Papæ & Martyri dicavit, in qua ejusdem Sancti Lipſana quieſcunt, eo translata Regali opera ac pietate Coſmi III. Magni Ducis, a quo & Ara maxima regiis ſumptibus ædificata eſt: opus hercle egregium, pretioſo marmore, præſertim Porphyrite, columniſque ejusdem generis eleganti ſtructura fabrefactum. Medium columnæ excipiunt Simulachrum marmoreum D. Stephano ſacrum, ad cujus pedes jacet Cathedra, in qua ille Martyrium paſſus eſt, ejus adhuc ſanguine perfuſa, quæ Roma e Cœmeterio Calliſti Innocentii XII. Pontificis Maximi dono conceſsa Regiæ Celſitudini ejusdem Coſmi III. huc ingenti pompa translata eſt. Pendent undique e parietibus hujus Templi vexilla navalibus prœliis ab Equitum iſtius Ordinis claſſe Turcis erepta, gratum intuentibus ſpectaculum exhibentia.

X. Litteris non minus ac armis floret Piſarum civitas: ibi ſiquidem celeberrima omnium diſciplinarum Academia viget, quam Clemens Papa VI. anno 1343. Piſanorum precibus indulgens, magno totius Eccleſiæ commodo inſtituit, ad quam non ex Etruria tantum; ſed etiam ex aliis Italiæ partibus ingenui adoleſcentes ſtudiorum cauſa confluunt. In ea ſumma nominis celebritate docuerunt viri præclariſsimi, cum primis Bartolus, Philippus Decius, Franciſcus Accoltus Aretinus. Cum vero adverſa urbis fortuna pæne collapſa eſſent hujus Academiæ ſtudia, ad priſtinum ſplendorem revocavit Coſmus Medices Magnus Dux Etruriæ Primus, vocatis eo ad Juris prudentiam edocendam Andrea Alciato, ad Medicinam Matthæo Curtio, atque ad alias ſcientias viris maxima eruditione præditis. Pari beneficentia ac ſollicitudine eam proſecuti ſunt ceteri Magni Duces, præcipue Coſmus III. accitis undique viris doctiſsimis, quos Regia liberalitate magnis ſtipendiis, annuiſque reditibus conducit. In immenſum creſceret volumen, ſi clariores inſignis hujus Lycei Magiſtros, qui Rempublicam Litterariam in omni Diſciplinarum genere illuſtrarunt, hic recenſere vellem; quorum alii licet vita functi, vivunt adhuc immortalitati, alii etiamnum ſuperſtites iter ad immortalitatem ſibi parant. Quam grata meæ recordationi ſunt Excellentiſsimorum virorum nomina, Henrici Cardinalis Norifii eruditione, quam purpura clarioris, Bellini, Benedicti Averani, Lazari Migliorucci, quibuſcum aliquando converſari mihi licuit? Verum equidem eſt, eos duro fato e vivis ereptos; attamen nobis ſolatio eſt, vel reminiſci, egregios Doctores in ſuis ſcriptis viveſe, atque fama numquam intermoritura ſuperſtites eſſe. Quam dulcis animo conſpectus Joſephi Averanii, P. Guidonis Grandi, quibus Noëmicos annos precor, ut eruditis lucubrationibus Piſanam Academiam, totumque mundum illuſtrent? Sed me tempus, & charta deficerent, inque volumen paragraphus iſte excreſceret, ſi inſignium Piſani Athenæi Doctorum nomina proferrem, quamquam digna hac in parte proferri.

Sive

Sive enim Divinæ Theologiæ studia, sive naturalis Philosophiæ, Matheseos, Medicinæque documenta, sive Juris sacri, Cæsareique digesta, spectemus, laus illa Prioris Ævi, & ferme nobis incognita hic efflorescit, nobiles has disciplinas cum Eloquentia conciliari: earumque præcepta, methodo, ac ordine faciliori, parique facundia ac viribus, studiosis ingenuisque Adolescentibus exponi.

XI. Sed jam ad altiora nos revocat ipsa instituti nostri ratio, ad ea nimirum quæ divina sunt & sacra, fidem scilicet Christi, Ecclesiamque Vetustissimam Pisis fundatam. Antiquior enim cunctis Etruriæ Sedibus videtur Metropolis Pisana, cum ex veterum traditione constet, hujusce civitatis populos sacra Baptismatis unda fuisse tinctos, dum adhuc Petrus Apostolus in vivis ageret. Ejus traditionis meminit Cardinalis Baronius in hæc verba: (1) *Tradunt insuper, ipsum* (Petrum) *Neapoli solventem, vi ventorum delatum esse Liburnum, indeque Pisas proxime positas contendisse, ibique ex more incruentum sacrificium obtulisse: quem locum tantæ rei memoria celebrem, a posteris summo honore habitum esse constat: inde vero Romam venisse.* Ad littus maris jacet locus ille, ubi Apostolorum Princeps sacrum celebravit, in cujus honorem recens baptizati fideles sacellum construxerunt, quod paulo post a D. Clemente Papa consecratum ita referunt. Romæ litabat Clemens, interque litandum ad tres horas, quasi gravissimo oppressus somno mente excessit: quo tempore elapso sibi redditus edixit populo, nemini ejus excessum admirationi esse debere, quippe jussu Apostolorum Principis se Pisas adiisse, ac ibidem Templum dedicasse, quod ejusdem urbis cives ipsius Apostoli nomini sacrum destinaverant: atque in tanti prodigii certam fidem, tribus sanguinis guttis marmoream tabulam conspersam. Ad hæc usque tempora marmorea hæc tabula sanguineis guttis obsignata cernitur, atque honorifice asservatur: Sacellum vero illud Pisani postea amplificaverunt, indito ei nomine Sancti Petri ad Gradus, quod nunc a Mari aliquantulum distat, aquis ab ea littoris parte recedentibus. Insignis facti memoriam prodit vetus Chronicon: *Beatus Apostolus Petrus primum altare lapideum in Italia erexit statutum, cum transfretavit circa littora Pisanorum, ubi hodie dicitur Ecclesia Sancti Petri ad Gradus, consecravit Papa Clemens primus, qui dum altare marmoreum ibi chrismate illiniret, tunc de ipsius Papæ naribus aliquot guttæ sanguinis distillaverunt super ipsam altaris mensam marmoream. Ille sanguis in eodem marmore usque hodie ita recens apparet, sicut hodie vobis videntibus ibi cecidisset, & habetur in magna veneratione.* Nec dubium quin superstite Apostolorum Principe lux Evangelii Pisis effulxerit, cum ibi sub Neronis Imperio illustre fuerit Sancti Torpetis Martyrium. Sunt qui referunt, Sanctum Perinum a D. Petro consecratum primum ejusdem Urbis Episcopum. Perierunt tamen cum ipsius, tum aliorum Antistitum acta usque ad annum 313. quo tempore Gaudentius Pisanus Episcopus interfuit Concilio sub Melchiade Papa Romæ celebrato.

XII. Seculo undecimo, nimirum anno 1077. Landulpho Mediolanense Pisanam Ecclesiam moderante, Gregorius VII. Pontifex Maximus Corsicam ei subjecit; ac deinceps Pisani Antistites ea in insula Legatione Apostolica fungi cœperunt, portione redituum, qui ex causarum, quas Nuntius Apostolicus præsens diremis-

(1) Baronius Tom. 1. Annal. ad ann. 44. num. 28.

remisset, decisione consurgerent, ipsis concessa. Qua de re extant ejusdem Pontificis litteræ *lib. 6. Regest.* earumque mentionem faciunt Baronius ad ann. 1077. Azorius, Augustinus Barbosa, Vivianus Episcopus Insulanus, aliique Scriptores. Et hæc initia fuerunt Pisani Primatus, ac veluti quædam semina, quæ postmodum aucta, hanc Sedem ad summum dignitatis fastigium provexerunt. Nam Gelasius II. eam Metropoleos jure, ac honore decoravit, datis ei Suffraganeis Corsicæ Episcopis, ann. 1118. ut testatur Auctor Anonymus *in Chronico de Gestis Pisanorum*. Immo Legationem Apostolicam in Sardinia, & Corsica eidem tributam ab Urbano II. fatetur Innocentius II. in Diplomate, quo Pisanos Archiepiscopos Sardiniæ, & Corsicæ Primates inauguravit anno 1138. quod ex Romano Archivio Castri Sancti Angeli extractum descripsit D. Ferdinandus Ughellus Italiæ sacræ *Tom.* 3. Confirmatum deinceps Pisanæ Ecclesiæ Primatum, novisque auctum privilegiis ab Innocentio III. refert Augustinus Oldoinus in Addition. ad Alphonsum Ciaconium in Vita Innocentii III. *Tom.* 2. *fol.* 12. Innocentius III. Archiepisco-
„ pi Pisani Primatum, non in Tur-
„ ritanam modo Provinciam Sardiniæ
„ ab Hadriano, Alexandro, Clemen-
„ te, & Cœlestino Romanis Ponti-
„ ficibus concessum confirmavit, ve-
„ rum etiam ad Caralitanam, atque
„ Arborensem Provincias exporrexit;
„ tum ut nonnulla insignia ad Pisa-
„ num augendum decus, cujus cives
„ profligandis infidelibus egregiam
„ operam sæpius locassent, præfer-
„ ret, indulsit. *Denique ut Pisana*, ait in Diplomate hac de re edito, *Civitas, quæ favore cœlestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, equo albo cum nacho albo* (1) *in processionibus utendi, & Crucem, vexillum scilicet Dominicum per subjectas vobis Provincias portandi, & per spatium illud Vulterrani Episcopatus, quo de Pisano Episcopatu ad Populonensem transitur, tibi, tuisque successoribus licentiam damus. Pallii quoque usum Fraternitati tuæ concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisanæ Ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Alerien. videlicet Ajacen. & Sagonen. ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populieni Episcopi, quorum Metropolitanus existis, &c.* De Pisano Primatu, necnon Apostolica Legatione in Insulis Sardiniæ, & Corsicæ plura scripserunt veteres Juris Canonici Interpretes, & alii viri doctissimi, quos laudat Augustinus Barbosa *de Officio & Potestate Episcopi*, *Tit.* 3. *cap.* 7. Plura itidem videri possunt apud Baronium *Tom.* 12. *Annal. Eccles. ad ann.* 1132. Julianum Vivianum *in Tract. de Jure Patronatus part.* 1. *lib.* 3. *&* 12. Ughellum loco citato, & Ludovicum Thomassinum de Veteri, & Nova Eccles. Disciplina *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 37. *&* 45.

XIII. Metropolitanæ huic Sedi olim Romani Pontifices subjecerunt omnes Corsicæ Episcopos, in Sardinia vero Gartellanensem, & Civitatensem; in Tuscia Episcopos Populoniæ, & Massæ. At jure Primatus, & Legati Nati præerant Pisani Metropolitæ non solum Episcopis Corsicæ; verum etiam Archiepiscopis Caralitano, Turritano, & Arborensi, omnibusque Sardiniæ Episcopis, ut laudati Scriptores commemorant. Nunc & jam ab aliquot seculis, detruncata est Pisanæ Metropolis jurisdictio, tametsi Primatis, ac Legati Nati in utraque Insula ipsi integra consistat. Tres quippe dumtaxat Episco-

(1) V. Dufresnium in Voce *Nachum*. Græca vox *νάκος Pelliccia*, Stragulum, quia equi olim pellibus insternebantur.

ſcopatus Corſicæ ei ſunt obnoxii: Sardiniæ vero omnes ſuis Metropolitis ſubſunt. Maſſæ Antiſtes hodie Suffraganeus eſt Archiepiſcopi Senenſis. Populoniæ civitas, quæ a Virgilio *Æneid.* 10. vocatur *Populonia mater*, cujus meminere Ariſtoteles, Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. & 6. Ptolemæus *lib.* 3. Pomponius Mela *lib.* 2. *cap.* 4. Livius, Strabo, Servius, aliique, olim potentiſſima fuit, & unde antiqui Etruſci claſſibus exornandis, inſtaurandiſque armamenta promebant; hinc Livius *Decad.* 4. *lib.* 9. ſcribit: *Populonienſes ferrum* ſubminiſtraſſe Romanis ad conſtruendas naves. Sylla ſic eam vaſtavit, ut vix illius veſtigium appareat. Inſtaurata deinceps uſque ad tempora Nicetæ Patricii CP. Cæſarum Ducis, aliquam priſtinæ dignitatis imaginem recuperavit, donec Caroli Magni ævo penitus exciſa fuit. Nonnulli exiſtimant, Plumbinum eodem in ſitu poſitum, ubi quondam Populonia extitit; ſed falluntur. Vetus quippe hæc civitas ibi extructa erat, ubi nunc in Tyrrheni maris littore portus eſt, qui vulgo appellatur, *Porto Baratto*. Verum tamen eſt, ſub exciſæ Populoniæ Promontorium, ex ejus forſitan ruinis Plumbinum ædificatum. Epiſcopatus Populoniæ dignitas Maſſam demigraſſe dicitur; tametſi pluribus annis Maſſenſes Antiſtites Populoniæ titulum conſervarent. Qui ergo nunc ſubjacent in Corſica huic Metropoli ii ſunt Epiſcopi:

Adjacenſis.	Urbs Adjacium.
Alerienſis.	Urbs Aleria.
Sagonenſis.	Urbs Sagona.

Præter has urbes parvæ quædam Inſulæ per Mare Tyrrhenum ſparſæ ditioni Piſani Metropolitæ ſuberant: atque in iis Gorgonia, Capraria, & Ilva, aliis Ilba dicta. Gorgonia, quæ & Gorgo Plinio, & Melæ, media fere inter oſtia Macræ, ubi Luna urbs quondam fuit, & Corſicam ad 60. M. P. occurrit. Gorgon Rutilio nominatur in ſuo Itinerario: (1)

Aſſurgit Ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Piſanum, Cyrniacumque latus.

Capraria a Liburno 60. M. P. Corſicam verſus, & ab hac 21. M. P. abeſt. Utraque Sanctorum Monachorum domicilium fuit, Gorgonienſis Cœnobii, cui Eudoſius Abbas, celebriſque Anachoreta præfuit, mentionem facit D. Auguſtinus epiſt. 81. ubi inter ceteros Euſtathium, & Andream Monachos vitæ Sanctimonia inſignes anno 398. commemorat; de quibus etiam Baronius ad eumdem annum. Cœnobium illud Sanctæ Mariæ dicatum, in quo Divi Gorgonii corpus quieſcit, nobili privilegio ditavit Leo IX. Pontifex Maximus. Piſanorum Antiſtitum ſecurum aſylum, refugiumque ad declinandam Imperatorum iram, fuit hæc Inſula, uti & Capraria. Ambæ, quemadmodum & reliquæ Maris Tyrrheni Inſulæ, Sanctiſſimis Anachoretis, Monachiſque excultæ eximios pietate viros protulerunt: in quos Rutilius Ethnicus Poëta ſtulte debacchatur:

Proceſſu Pelagi jam ſe Capraria tollit,
Squalet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe Monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.

Verum

(1) Rutilius in Itinerario lib. 1.

Verum invidiosa vetustas, quæ omnia consumit, celeberrima æque ac vetustissima Cœnobia hisce Insulis condita ita contrivit, ut nihil memoria dignum, præter rudera appareat, nec sine lacrymis inter squallentia loca spectentur Sanctorum Monachorum vestigia.

XV. Diutius in grati animi argumentum Pisarum originem, gloriam, dignitatemque, quantum ingenii nostri tenuitas sinit, exornavimus. Nunc Senas tertiam Etruriæ Metropolim lubet inspicere. Senarum elegantissimæ urbis originem non satis perspectam habent Auctores, qui de illa scripserunt. Missis tamen quorumdam opinionibus, qui res a nostra memoria procul positas Græcorum more fabulis miscent, eas quæ vero propius accedunt in medium proferemus. A Gallis Senonibus sub Duce Brenno Senas originem nomenque traxisse, nonnulli affirmant. Fracti siquidem fugatique a Romanis, in Etruriam sese recipientes, loci amœnitate illecti, prima ejus, etsi parva posuere fundamenta, quæ deinceps tractu temporis extensa in magnam creverunt urbem. Alii vero a Romanis Senas conditas volunt, ideoque illarum cives Lupam Romuli, Remique altricem publico Schemate in scuto gestasse. Attamen in eorum sententiam ire non possum, qui sub Furio Camillo Senas sumpsisse vires putant: quippe Furii Camilli ævo nondum Romani Ciminium saltum penetraverant, armaque in Etruriam invexerant; sed postea Fabius Maximus tam grande facinus admisit, teste L. Floro *lib.* 1. *cap.* 17. At omnium fere consensu receptum videtur, Senas a Gallis Senonensibus nomen sumpsisse: a Romanis autem coloniam eo deductam, quam Coloniam Juliam, Senamque Juliam appellaverunt. Quisquis de Senarum origine plura disserere cupit, consulat Æneam Silvium, Volaterranum, Natalem Comitem, Jugurtam Thomasium *Historiarum Senensium lib.* 1. & 2. Cæsarem Orlandum, Jordanum *in Chronicis*, Landulphum Columnam, Joannem Salesburiensem, Joannem Bisdominum, Jovium, Pontanum, Franciscum, & Augustinum Patritios, Orlandum Malavoltam, & alios celebres Scriptores. Ex veteribus istius urbis meminerunt Livius *Decad.* 4. *lib.* 6. Ptolemæus *lib.* 3. *cap.* 6. Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. Apollodorus *lib.* 2. *cap.* 10. Edito sita est loco hæc civitas cis Arbiam amnem, flexu tortuoso propter montis dorsum lateribus angustior, & declivior, in tria velut cornua protendens, e quibus illud quod Meridiem spectat latius est iis, quæ Ortum, Occasumque respiciunt. Pars vero urbis Septentrioni obversa, præ ceteris exigua est & plana. Benigno salubrique gaudet cœlo: aëre temperatissimo fruitur, nisi quod noxiis interdum infestatur ventis. Italiæ delicias multi Poëtarum eam vocant. Uberrimum habet solum, amœnos colles, salubribus scatet aquis, quibus non ad oblectamentum modo ac commodum utuntur incolæ, sed eæ præterea intestinis morbis curandis sunt aptissimæ. Pulcherrimis nitet ædificiis, supra quam credi potest de urbe, quam colles extollunt. Platea satis ampla ac venusta, in cujus medio turris elegantissima assurgit, Theatri speciem exhibet. Nobilium disciplinarum insignis Academia illustriorem reddit, nec amœniores desunt litteræ, quas cives elegantissimis moribus, & ingenii acumine ad miraculum usque ditati summopere excolunt. Præceteris Tusciæ populis, Senensium pronuntiatio elegans, auditque grata, exteras Nationes invitat, ut Etruscæ linguæ facundia ibi erudiantur:

tur: tametsi Florentia hac in re Senis se præstare gestiat.

Quo tempore Evangelii lumen Senis affulserit, non plane constat. A Martiale D. Petri discipulo Christi præceptis edoctos fuisse Senenses nonnulli tradunt. Id unum certum est, Diocletiano in Christianos sæviente, hanc urbem jam Christo nomen dedisse. Ansanus quippe nobilis Romanus Tranquilli filius, cum ibi multos ad veram fidem convertisset, ac sacra Baptismatis unda lustrasset, a Lysia Præside detentus, & carceri mancipatus, tandem ad Ripam Arbiæ Martyr occubuit. Statim vero ac Constantinus Magnus Imperii habenas moderandas suscepit, Templa vero Deo, Virgini Deiparæ, & Apostolorum Principi a Senensibus dicata fuerunt. Quinimmo tanta deinceps pietate, ac veneratione Populus Senensis B. Virginem Christi Matrem prosecutus est, ut merito præ omnibus hæc civitas insigni titulo fuerit decorata: *Sena vetus civitas Virginis*. Urbs sane multorum Sanctorum parens, quos inter toto Orbe celebris est Diva Catharina Senensis Ordinis Sancti Dominici, Virgo tanto erga Christum ardore succensa, ut sacratissimis vulnerum Christi stigmatibus meruerit insigniri.

Quonam tempore Episcopatus Sedes Senis erecta sit, discutiendum erit infra *Part. 2. lib.* 1. A Pio II. Patricio Senensi e nobilissima stirpe Piccolominea Metropolis dignitate donata fuit anno 1459. cui eæ urbes subsunt:

Clusium.
Grossetum, olim Russella Rosellæ.
Massa, cui Populonia adjuncta est.
Suana.

XV. Tusciæ Umbriam adnectit Notitia Imperii, unamque Provinciam facit ex iis, quæ Vicario Urbis parebant. Ab imbre Græce ὄμβρῳ sic dictam aliqui putant, quod Umbri omnium Italiæ populorum antiquissimi, inundationi terrarum, imbribusque superfuisse credantur, teste Plinio *lib.* 3. *cap.* 14. Seu ut aliis placet, Umbria ab umbra nomen sortita fuit, quod ea regio propter altitudinem montium, quodque Apennino adjaceat, umbrosa sit: de qua Lucanus: (1)

Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.

Nonnulli hanc regionem definiunt inter Apenninum, & Mare Adriaticum, eamque esse volunt, quæ nunc Ducatus Spoletinus dicitur. Verum falluntur: Ducatus quippe Spoletinus Apenninum montem minime transgreditur; Umbria vero Apenninum transgressa, usque ad oram maris Adriatici extenditur, ubi erant Senones populi e Galliis eo profecti. Olim trecenta Oppida habuisse fertur, quæ postea Etrusci deleverunt. Præcipuæ nunc ejus urbes sunt, Spoletum, Reate, Fulgineum, Æsium, Interamna, Narnia, Ameria, Tudertum, Nursia, Tifernum, Trebia, Hispellum, Camerinum, Assisium, Eugubium, Nuceria, Urbinum, Callium, Mons Feretranus, Senogallia, Fanum, Pisaurum, Forum Sempronii, hodie *Fossombrone*.

Hujus regionis populi Etruscorum partibus implicati bellum Romanis intulerunt. A L. Papyrio Dictatore Umbri primum fusi, cum paulo post defecissent, atque cum Samnitibus, & Etruscis inito rursum fede-

(1) Lucanus lib. 1.

fœdere pugnam instaurassent; subacti tandem a Romanis eorum Imperio fasces submiserunt, ut refert Livius *Decad.* 1. *lib.* 9. *&* 10. sub ipsis rei Christianæ primordiis, ab urbe Imperii Principe, & Ecclesiarum Magistra, Evangelii lumen in Umbriam dilapsum esse creditur, & uniuscujusque ejus Urbis testantur monumenta. Non aliam a priscis temporibus Ecclesiasticam Metropolim agnovit Umbria præter ipsam totius Orbis caput Romam, cui immediate subsunt, Æsium, Assisium, Camertes, seu Camerinum, Eugubium, Fanum, Fulginium, Interamna, Narnia, Nuceria, Spoletum olim totius Provinciæ caput, Tiphernum, & Tudertum.

XVI. Pars illa Umbriæ, quæ ad Senonensem, & Galliam Togatam, quondam pertinebat, in peculiarem Provinciam erecta est, cujus Metropolis Urbinum, inter Sepim, & Foliam amnes sita, in eminentiori montem muros extollit. Diu Sedes fuit Ducum, a qua & Ducatus nomen habet: nunc vero Romanæ Ecclesiæ subest. Antiquissima fuit hæc civitas, cujus meminerunt Plinius, Procopius, Paulus Diaconus, aliique veterum. Illius situm, locumque describit Procopius his verbis: (1) *Sita est Urbinum in colle rotundo, & admodum sublimi, & collis ipse neque præruptus, neque accessu incisus, sed difficilis tantum prorsus est, quia admodum acclivis sub ipsa urbe, unum vero solum aditum in plano habet Septemtrionem versus.* Paucisque interjectis subdit: *Fons erat Urbini unus, ex quo omnes Incolæ aquabantur.* Municipium haud ignobile fuit Romanorum. Vetus est ejus Episcopalis Sedes; nam Evandes Episcopus Urbinas Romano interfuit Concilio anno 313. postmodum a Pio IV. Metropolitica dignitate aucta est, anno 1563. die nona mensis Junii, eaque sex urbibus præest.

Provintia Umbriæ Senonensium.

Urbinum Metropolis.
Callium.
Forum Sempronii.
Leopolis, seu Sancti Leonis civitas: quæ & Mons Feretranus dicta est.
Pisaurum.
Senogallia.
Castrum Durantis, quod Urbanus VIII. a suo nomine Urbaniam vocavit: cui & adnexum Oppidum Sancti Angeli in Vado, urbis nomine insignitum.

XVII. Tametsi vetus Imperii Notitia Piceno suburbicario primum inter Provincias Vicario Urbis subjectas locum deferat; quia tamen Picenum in duas partes sectum est, quarum altera ad Vicarium Urbis, altera ad Vicarium Italiæ pertinet, huc illius descriptionem transferendam duximus. Est vero Picenum Provincia Italiæ trans Apenninum, ab ipsis montibus usque ad mare Adriaticum se se protendens, oblonga magis, quam lata. Ejus limites antiqui Geographi non pari consensu definiunt: nam Plinius inter fluvium Aternum, Anconamque coarctat:

(1) Procopius lib. 2. Rerum Gothicarum.

ctat: Ptolemæus inter Matrinum, & Anconam: Strabo lib. 5. inter Athesim, & Leustrum fluvios: alii demum ejus initium ducunt a Truento amne, & usque ad Isaurum fluvium confinia rejiciunt: & hinc Apennino, hinc Mari supero terminant. Hanc regionem primum Pelasgi, mox & veteres Sabini incoluerunt, quos Picenos, seu Picentes vocatos tradit Strabo a Pici Martii omine, qui in vexillis eorum Asculum commigrantium dicitur insedisse. Nonnulli ejus nominis auctorem faciunt Picum Latinorum Regem: alii Picum Saturni filium: quidam vero id nominis derivatum credunt a civitate Piceno, olim ad ostia Ascontis fluminis condita. Undecumque tamen hæc Provincia eam appellationem traxerit, hoc unum certum est, Picenos a Picentibus illis diversos fuisse, qui ad Mare Tyrrhenum inter Campanos, Lucanosque habitabant. Hæc supra quam credi posse fertilissima regio, tam uberrimæ quondam fuit multitudinis, ut trecenta, & sexaginta millia Picentium in fidem Romani populi venerint. A Longobardis subacta, ipsorum legibus vivere, Principibus parere, ac patrio relicto nomine, novum accipere coacta, non amplius Picenum, sed Marchia vocitari deinceps cœpit, quod & nunc retinet nomen, a primaria urbe Ancona, Anconitana dicta. Quæ omnia eleganti carmine complexus Franciscus Pamphylius, ita cecinit: (1)

Hinc sibi Picentes habuere exordia primum
Montibus Adriaces incola verrit aquas.
Martia Picus avis populos comitata Sabinos
Omine Piceno nomina fecit agro.
Sed postquam Italiæ cœpit Rodoaldus habenas,
Et Longobardos terra, fretumque tremit:
Marchio Picentum turres, populosque regebat,
Marchia de cujus nomine, nomen habet.
Innumeræ gentis tellus uberrima quondam,
Inque solum cunctis fructibus aptus Ager.

XVIII. Post Tarentinum bellum, & victoriam de Pyrrho Rege reportatam, Picenum Romanorum armis cessit, capto Asculo totius gentis tunc Metropoli. Paucis rem narrat L. Florus: (1) *Omnis mox Italia pacem habuit. Qui enim post Tarentum auderent, nisi quod ultro persequi hostium socios placuit. Domiti hinc Picentes, & caput gentis Asculum, P. Sempronio duce, qui tremente inter prælium campo, Tellurem deam promissa æde placavit.* Exinde Picenum agrum Livio, Tacito, aliisque veteribus memoratum discimus. In duas Provincias hæc regio divisa fuit, nempe in Picenum Suburbicarium, & Annonarium: illud a Vicario Urbis, hoc vero a Vicario Italiæ regebatur; sed qui essent utrique præfixi limites non satis constat. Nonnulli Picenum Suburbicarium intra centesimum ab Urbe lapidem claudunt: quidquid reliquum est ad Picenum Annonarium spectasse putant. Sed incerta res est, & ubique apud Auctores offusæ vel silentii, vel levium conjecturarum tenebræ nihil lucis nobis afferre possunt. Hoc unum affirmare possumus, partem ejus Romæ proximiorem Piceno Suburbicario, reliquam Annonario tributam: quota

(1) Franciscus Pamphilus lib. 1. de laudibus Piceni.

(1) L. Florus lib. 1. cap. 19.

quota autem utraque esset, adhuc mihi incompertum est. Nunc tota hæc Regio post excussum Longobardorum jugum, post Tyrannos exactos, fidem Romano Pontifici servat. Insigne hujus rei argumentum extat in celeberrimo Palatii Pontificii ambulacro Romæ, ubi hæc de Piceno leguntur: *Picenum Apostolicæ Sedi fida Provincia, ut Summum Pontificem, & Sacrosanctam Urbem a teterrimo hoste tutaretur XV. millia Militum sua sponte misit M. D. XXVII.*

XIX. Quamquam autem quoad civilem administrationem, Picenum in duas Provincias sectum fuisset, in rebus tamen Ecclesiasticis una tantum Provincia olim extitisse videtur, cui peculiari jure Metropolitani Romanus Pontifex præerat. Neque enim assentiri possum Doctissimis viris Jacobo Sirmondo *in Propemptico*, & Christiano Lupo, *in Scholiis ad cap.* 8. *Synodi VII.* existimantibus, eosdem fuisse limites Diœcesis civilis Vicarii Urbis, & Metropolitæ Romani, atque ex regiminis civilis forma, Ecclesiasticam etiam jurisdictionem præsignatam. Non enim ubique eadem hæc forma in rebus Ecclesiasticis obtinuit, præsertim in Piceno Annonario. Nam ante Annum quadringentesimum Ravennam Piceno Annonario fuisse adjectam, ejusque Metropolim civilem, Vir Clarissimus Cardinalis Norisius *Dissert. Histor. de Synodo Quinta cap.* 10. colligit ex inscriptione, quam ex Mazochio recitat Hieronymus Rubeus *lib.* 1. *Histor. Ravenn.* correctioremque exhibet Gruterus pag. 399. in qua *Ravennatensium Civitas Piceni caput Provinciæ* dicitur sub *Vicario Italiæ*. Postmodum ab Arcadio, & Honorio Imperatoribus Æmiliæ conjuncta fuit, circa annum 399. quo Manlius Theodorus cum Fl. Eutropio Consulatum iniit. Leo quoque Augustus, vulgo Sapiens, in Notitia Episcopatuum ad Andronicum filium, Ravennam Metropolim Piceni Annonarii constituit. At vero nondum per id tempus Ecclesiastica Metropolis evaserat Piceni Annonarii, sed illud spectabat ad Metropolitam Romanum. Id probat Norisius ex *epistola* 50. *lib.* 7. Sancti Gregorii Magni, ubi Mariniano Ravennati mandat, ut inquirat in mores cujusdam in Ariminensem Episcopum designandi, & si quidem probus visus fuerit: (1) *Ad nos*, ait, *cum decreti pagina, vestræ quoque addita testificationis Epistola destinate, quatenus ejusdem a nobis Ecclesiæ disponente Domino, consecretur Antistes*. Idem etiam *lib.* 2. *Epistola* 9. Castorio Ariminensi facultatem impertiit consecrandi Oratorii, quam postea etiam dedit *lib.* 5. *epist.* 45. Leontio ejusdem Urbis Episcopo. Porro explorata res est, jus consecrandi Suffraganeos Episcopos Metropolitis olim concessum, quemadmodum ipse Gregorius Magnus *lib.* 6. *epist.* 39. id juris agnovit in eodem Mariniano Ravennate Archiepiscopo, qui Fori Cornelii Antistitem, aliosque suæ Provinciæ consecrabat. Cum itaque Gregorius Papa Mariniano nequaquam permiserit consecrare Ariminensem Episcopum, liquido constat, Picenum Annonarium, cujus urbs erat Ariminum non ad Ravennatem, sed ad Romanum Metropolitam spectasse. Ob eamdem causam idem Gregorius Castorio Ariminensi facultatem dedit consecrandi Oratorium: designavit præterea visitatores Ecclesiæ Ariminensis *lib.* 1. *epist.* 55. & *lib.* 2. *epist.* 434. quæ duo sunt propria Metropolitæ munia; ut liquet ex Synodo Toletana II. apud Binium *Tom.* 2. *Concil. pag.* 401. & *ex epist.* 19. S. Ambrosii ad Constantium. Quare fru-

(1) S. Gregorius lib. 7. epist. 50.

frustra contendit Rubeus *lib.* 5. Picenum Annonarium subjicere Archiepiscopo Ravennati: nec minus fallitur, dum asserit Pisaurensem Ecclesiam Ravennatis auctoritati antiquitus obnoxiam: enimvero S. Gregorius *lib.* 5. *epist.* 4. scribit a Pelagio decessore suo traditam fuisse Felici Episcopo Pisaurensi potestatem Monasterii consecrandi. Præterquam quod Ariminum, Pisaurum, uti & Fanum Fortunæ, & vicina oppida, non Piceni Annonarii, sed Umbriæ Senonum olim urbes fuerunt: nusquam vero Umbriæ hæc pars Ravennati Metropolitæ paruit.

Quare utrumque Picenum olim non alteri quam Romano suberat Metropolitæ. Ariminum quippe licet nunc Ravennati Archiepiscopo obtemperet, recens tamen est hæc subjectio. Quandoquidem in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. Jocellinus Ariminensis Antistes inter Episcopos Romanæ Provinciæ reponitur, non inter Ravennates Suffraganeos. Clemens VIII. eam Ecclesiam Ravennati subditam esse voluit. Reliquæ Piceni urbes vel antiquam Politiam servant, vel ad Firmanam Metropolim spectant. Est vero Firmum antiqua civitas, ad fauces Ascontis fluminis jam olim constructa, vel certe ex ejusdem ruinis nata, quam nonnulli arbitrantur a Romanis hoc nomen accepisse, quod illuc ab iisdem deducta Colonia egregiam sive pace, sive bello auctoribus suis præstitit fidelitatem: quod Franciscus Pamphilus hisce carminibus celebrat:

Stat vetus excelso munitum vertice Firmum,
Urbem Romani jam coluere Patres.
Dicta quod hæc fuerit Romana Colonia firma,
Et tenuit stabilem semper amica fidem.

XX. Imperatoribus semper in pretio fuit, quam ædificiis auctam, ornatamque, Coloniam Augustam Firmam appellavere. Inter octodecim colonias, quæ in secundo bello Punico suppetias tulerunt Romanis, (1) *quarum subsidio tum Imperium Populi Romani stetit*, iisque gratiæ & in Senatu, & ad populum actæ, *Firmanam* coloniam Livius commemorat: de qua etiam celebrem mentionem faciunt Strabo *lib.* 5. Plinius *lib.* 6. *epist. ad Sabinum*, Cicero, Vellejus Paterculus, Pomponius Mela, Procopius, aliique. Ab Adriatico Mari tribus mill. pass. abest, totius Piceni media, caput Provinciæ habetur, dicta idcirco *Marcha Firmana*, cum altera Piceni pars Marcha Anconitana vocetur. Christiana sacra primis Ecclesiæ seculis amplexa est hæc civitas: Decio siquidem imperante, & in Christianos sæviente, septuaginta Martyres ibi occubuerunt; ut proinde necesse sit, veterem esse illius Episcopalem Sedem. At Metropoleos dignitatem sero suscepit, ad tantum fastigium evecta a Xysto V. Pontifice Maximo anno 1589. die 17. Mensis Maii: cui hæ sunt urbes adscriptæ.

Firmum Metropolis.

Macerata.	Sanctus Severinus, olim Septempeda.
Mons Altus.	Tolentinum.
Ripa Transonis.	

Re-

(1) Livius Decad. 3. lib. 7.

Reliquæ utriusque Piceni urbes vetustum morem servant, Romanoque subsunt Metropolitæ: sunt vero Ancona, Asculum, Auximum, Lauretum, Castrum Recanati, olim Colonia Ricinia. Præter has civitates Picenum pluribus, iisque conspicuis Oppidis affluit.

CAPUT V.

Synopsis.

I. *Sicilia variis nominibus appellata. Ejus situs ac partes describuntur. Olim Calabriæ creditur adhæsisse, ac postea interfuso mari evulsa.*

II. Ob Rerum antiquitatem ac soli ubertatem a veteribus hæc insula plurimum commendatur.

III. Ea Romani potiuntur pulsis inde Carthaginensibus. Prima fuit Populi Romani Provincia.

IV. Syracusæ olim totius Insulæ caput. Quatuor in se urbes continebant. Opibus ac civium splendore insignes fuerunt Syracusæ. A Marcello captæ. Nunc veteris gloriæ nihil retinent postquam a Saracenis devastatæ vix parvam referunt urbem.

V. A Divo Paulo Christifidem in Sicilia primum prædicatam verisimile videtur. Syracusas totius Insulæ Metropolim fuisse etiam ante Nicænam Synodum aliqui censent. Sed hæc opinio refellitur.

VI. Quo tempore Syracusæ fuerint Metropolis Siciliæ non omnino constat. Variæ de hac re opiniones. Probabile videtur hanc Metropolim debere primordia sua Gregorio Magno.

VII. Notitia Episcopatuum Siciliæ a Leone Sapiente, & Nilo Doxapatrio confecta. Plures in ea Episcopatus recensentur, quam modo sint. Nunc sublata Syracusarum Metropoli, quæ una olim fuit totius Insulæ, tres aliæ sunt institutæ, Panormum, Messana, & Mons Regalis.

VIII. Post Siciliam subactam, in Sardiniam, & Corsicam a Romanis bellum illatum. Sardiniæ descriptio.

IX. Quandonam Sardinia Romanorum armis devicta. Vetustissima totius Insulæ Metropolis Civilis est Caralis. Ad Ecclesiasticæ tamen Metropolis dignitatem non videtur provecta nisi a S. Gregorio: nunc tres recensentur Sardiniæ Metropoles, Caralis, Arborea, & Sassaris.

X. Corsica Sardiniæ contigua ejusque gentis origo. Sæpe a Romanis deficiens, sæpe ab iisdem debellata. Nullum unquam habuit proprium Metropolitam in rebus Ecclesiasticis, sed partim Pisano, partim Genuensi Archiepiscopo paret.

I. Quæ Italiæ adjacent Insulæ, eique accensentur, Sicilia, Sardinia, & Corsica, reliquæ sunt ex decem Provinciis Vicario Urbis subjectæ. Trans angustum illud Fretum, quod vulgo Messanæ Pharum vocant, & Italiæ constituit limites, Sicilia Tyrrheni maris Insula cernitur, a Thucydide *Sicania*, a Græcis *Sicelia* dicta, unde & *Sicelides Musæ* Virgilio: a multis Trinacria, & Triquetra nuncupata, ob tria quæ habet Promontoria, quasi trianguli formam præseferens. A Siculo

culo Rege Neptuni filio, & Itali fratre sic nominatam putant. Sicaniam vero prius appellatam censent a Sicanis Hispaniæ populis, qui duce Sicano primum in Italiam venisse perhibentur. Insula est Maris Mediterranei omnium maxima, inter Mare Tyrrhenum ad Boream, mare Siculum ab ea dictum ad Ortum, & mare Libycum seu Africum ad Meridiem. Major ejus pars, quæ nimirum ad Orientem, & Occidentem, & Septemtrionem posita est, Tyrrheno mari, quæ vero Meridiem prospicit, Africo alluitur. Tribus Promontoriis terminatur, Peloro contra Italiam, a qua mille & quingentis passibus distat; Pachyno contra Græciam; & Lilybæo contra Africam, quod Carthaginem respicit ex adverso. Ipsius latus Boreale a Lilybæo Promontorio ad Pelorum est 255. mill. pass. Australe a Lilybæo ad Pachynum 190. mill. pass. Orientale vero a Pachyno ad Pelorum 155. mill. pass. Circuitus autem totius Insulæ est 600. mill. pass. ut multis refert Cluverius, qui totam Insulam dimensus est. Paucis eam descripsit Strabo: (1) *Sicilia figuram habet triquetram, itaque & Trinacria a tribus extremitatibus quondam, & postea sono vocis concinniore Trinacis denominata fuit*. Quemadmodum olim a Promontoriis in tres partes, ita & hodie in tres Provincias, quas Valles vocant, distributa est. Prima dicitur Vallis Nemorensis, ad Ortum & Boream jacens, ubi Messana, Catana, Pactæ, & Cephalodium, cum Monte Æthna. Altera est Vallis Neetina ad Austrum, versus Pachynum Promontorium, ubi Syracusæ, Neetum, & Terra nova. Tertia Vallis Mazaræ nominatur, ad Occasum extensa, ubi Panormus, Mons Regalis, Mazara, Agrigentum, & Drepanum. Qua parte Septemtrionem spectat, ubi Pelorus exurgit, ab Italia mille quingentorum passuum angusto freto dirimitur. Olim Calabriæ creditur adhæsisse, ac postea interfuso Mari evulsa tam brevi freto juxta columnam Rhegiam; a quo dehiscendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere Oppido in adverso & extremo Calabriæ angulo constituto; quod etiam num Rhegium nuncupatur. Quin & Insula ipsa inde nomen traxisse dicitur, quasi Sicilia, idest, Scissa, & resecta: quod Virgilius fama traditum narrat: (2)

Hæc loca vi quondam, & vasta convulsa ruina
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, dum protinus utraque tellus
Una foret. . . . . .

II. Eam Insularum omnium optimam vocat Diodorus Siculus, utpote quæ rerum antiquitate, & affluentia ceteris antecellat, soli præsertim ubertate, frumenti, ac rerum pæne omnium copia reliquis præstare videtur; adeout non immerito ex sententia Catonis, immo & propria scripserit Cicero: (3) *Ille M. Cato Sapiens cellam penariam Reipublicæ nostræ, nutricem plebis Romanæ, Siciliam nominavit. Nos vero experti sumus, Italico maximo difficillimoque bello Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario illo majorum vetere, ac referto fuisse; nam sine ullo sumptu nostro, coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit*. Qui & alibi asserit, Siciliam ob frugum abundantiam Cereri, & Libero consecratam: *Vetus* (4) *est hæc opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum litteris, atque monumentis, Insulam Siciliam totam*

(1) Strabo lib. 6.
(2) Virgilius lib. 3. Æneid.
(3) Cicero lib. 2. in Verrem Orat. 7.
(4) Idem lib. 4. in Verrem Orat. 9.

tam esse Cereri, & Liberæ consecratam: hoc ut ceteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum, atque innatum esse videatur. In ejus quoque commendationem antiquus Auctor *Expositionis totius Mundi, & Gentium* a nobis sæpe laudatus, qui Constantii Imperatoris tempore creditur floruisse, cum alias Insulas descripsisset, hæc de Sicilia subdit: (1) Post „ has Insulas omnes, beatissima & „ maxima Sicilia Insula, quæ conti„ nentem dividit: multa sane bona „ scilicet producit, & ubique emit„ tit merces utiles magna copia, la„ nam infinitam pariter, & jumen„ ta. Habet autem & viros divites „ & doctos omni eruditione tum „ Græca, tum Latina. Civitates au„ tem habet claras Syracusam, & „ Catanam, in quibus spectaculum „ Circensium bene peragitur, siqui„ dem bonos, & fortes equos ha„ bet: quare voluptatibus servien„ tes equorum vi contendere amant. „ In hac Insula est & mons, qui „ vocatur Æthna: in quo monte, si „ qua fides, divinitas est, quando„ quidem die noctuque in vertice „ montis ignis est, unde etiam fu„ mus ascendere videtur. Hic mons „ in circuitum vineta multa habet, „ & præstantia vina generat.

III. Hujus Insulæ obtinendæ desiderio acti duo populi omnium tunc potentissimi, Romanus scilicet, & Carthaginensis, arduum in se bellum susceperunt: (2) *Affectabat enim* (inquit Florus) *ut Romanus, ita Poenus Siciliam: & eodem tempore paribus uterque votis ac viribus Imperium Orbis agitabat. Populus Romanus Appio Claudio Consule primum fretum ingressus est, fabulosis infame monstris æstuque violentum; sed adeo non est exterritus, quin ipsam illam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronem Syracusarum Regem tanta celeritate vicit, ut ipse ille se prius victum, quam hostem videret, fateretur*. Primus itaque Romanorum Appius Claudius in Siciliam trajecit, Hieronem Regem prœlio vicit, ac Syracusis obsedit: quod etiam referunt Frontinus, & Eutropius. Post varios belli eventus, Romani pulsis e Sicilia Carthaginensibus, sibi extra Italiam acquisivere novam Provinciam, quæ deinceps (3) *Populo Romano pace, & Bello fidissimum annonæ subsidium fuit*, auctore Livio. Prima hæc omnium extitit Romanorum Provincia: quod eleganter significavit Cicero: *Omnium nationum* (4) *exterarum princeps Sicilia, se ad amicitiam fidemque Populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum Imperii est, Provincia est appellata: prima docuit majores nostros, quam præclarum esset exteris Gentibus imperare*. Hoc ipsum ex Historicis affirmat Sextus Rufus: *Prima* (5) *Provinciarum facta est Sicilia: eam victo Hierone Siculorum Rege Marcellus Consul obtinuit. Deinde a Prætoribus recta est; postea est commissa Præsidibus: nunc a Consularibus administratur*. Eam L. Florus vocat *suburbanam Populi Romani Provinciam*. Carolus Sigonius docet, anno Urbis Conditæ 512. Siciliam primam Populi Romani Provinciam factam esse, Regno Hieronis Syracusani excepto: universam vero tunc in unam Provinciam redactam, cum Marcelli, deinde Lævini victoria captis Syracusis, tota in potestatem Populi Romani venit bello secundo Punico.

IV. Totius Insulæ caput fuerunt Syracusæ, urbs olim amplissima, & inter claras Italiæ urbes, teste, Auso-

(1) Expositio totius Mundi, & Gentium.
(2) Florus lib. 2. cap. 2.
(3) Livius Decad. 3. lib. 7.
(4) Cicero lib. 2. in Verrem Orat. 7.
(5) Rufus in Breviar.

fonio, seu ait Livius *Decad. 3. lib. 5. Urbs fere omnium illa tempestate Pulcherrima*. Ab Archia Corinthio conditam tradunt, Strabo *lib. 6.* & Stephanus. Olim Syracusas quinque urbibus constasse refert laudatus Strabo; Cicero, Diodorus, & Livius quatuor constasse affirmant, Neapoli videlicet, Achradina, Tyche, & Insula. Eam describit Cicero, ejusque situm, partes & amplitudinem: (1) *Urbem Syracusas maximam esse Graecarum urbium, pulcherrimamque omnium saepe audistis. Est, Judices, ita ut dicitur; nam & situ est cum munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari praeclaro ad adspectum: & portus habet prope in aedificatione, adspectuque urbis inclusos: qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quae appellatur insula, mari disjuncta angusto, ponte rursus adjungitur, & continetur. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, insula: quae duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque projecta est: in qua Domus est, quae Regis Hieronis fuit, qua Praetores uti solent ..... Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrima porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima est curia, templumque egregium Jovis Olympii ... Tertia est urbs, quae quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tyche nominata est: in qua & Gymnasium amplissimum est, & complures aedes sacrae: coliturque ea pars, & habitatur frequentissime. Quarta autem est urbs, quae quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum: praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae: signumque Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcherrimum, & maximum*. Ambitu suo tota civitas 22. millibus passuum mensurabatur: quo alluserat Silius: (2)

Ipsa Syracusae patulos urbis inclyta muros,
Milite collecto, variisque impleverat armis.

Propter urbis magnitudinem, opes, & potentiam, ejus cives *viros principes* vocat Strabo. Eo autem divitiarum pervenerant, ut eodem Strabone auctore, cum de divite aliquo insigni, aut de ingentibus divitiis esset sermo, proverbio diceretur: *Ne decima quidem Syracusanorum pars*, in eos qui se divites ventitarent. Quemadmodum vero Syracusani quondam opibus florentissimi, ita & voluptatibus fuerunt addictissimi, ut propterea proverbio satis vulgato apud Aristophanem, Athenaeum, & alios, *Mensa Syracusana*, de mensa lautissima diceretur. A Marcello obsessae Syracusae vix anno demum tertio capi potuerunt: (3) qui *illacrymasse partim gaudio dicitur tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis*, ut tradit Livius. Hanc urbem Pompejus cum male tractasset, *Augustus Caesar missa colonia magnam veteris structurae partem restituit*, ait Strabo. Nunc parva est civitas, & fere deficit in dies, ab eo nimirum tempore, quo a Saracenis Africae Siciliam aggressis capta, ac desolata fuit; quod contigisse ann. 878. docet Franciscus Pagius *ad eundem annum, num. 14. & seq.* ex Niceta. Ejus cladem ita descripsit Constantinus Porphyrogenneta in Vita Basilii Imperatoris num. 69. *Dum Agareni acrius obsidendo urgent, nullumque non movent lapidem, ut antequam obsessis auxilia veniant, opus hoc coeptum perficiant*

(1) Cicero lib. 4. in Verrem Orat. 9.
(2) Silius lib. 14.
(3) Livius Decad. 3. lib. 5.

ficiant, contigit civitatem vi armisque capi, multaque præsidiariorum facta strage, Oppidanorum multitudo omnis in servitutem abducta est. Ejus multæ divitiæ, hostibus spolia cessere: urbs funditus eversa, sacræ in ea ædes igne succensæ. Civitas ad ea tempora præclara ac nobilis, & quæ plerasque sæpius tum Græcas, tum Barbaricas copias ipsam aggressas debellaverat, parietinis tantummodo claret. Inter tot mala, quæ post Sancti Ignatii Constantinopolitani mortem, & impii Photii in Sede Patriarchali Regiæ urbis restitutionem, Imperio Orientis acciderunt, Nicetas in vita ejusdem Ignatii Syracusarum excidium collocat: *deinde*, inquit, *etiam magna Syracusanorum civitas horrenda clade periit*.

V. Sub ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis Evangelii lumen in Siciliam fuisse invectum credere par est, cum D. Paulus Apostolus Italiam versus iter arripiens a Melita Insula Syracusas appulit, quemadmodum Apostolorum Acta referunt: (1) *A Melita solventes, cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo*. Et certe Syracusana Ecclesia vetustissima semper habita est, ejusque Antistes Chrestus a Constantino Magno accitus interfuit Concilio Arelatensi primo. Hinc D. Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 7. §. 4. aliique conjiciunt, Syracusanum Antistitem ante Nicæna tempora fuisse totius Siciliæ Metropolitam. Nam Constantinus ad ipsum singillatim tamquam Metropolitam scripsit, jussitque ut duos alios ejusdem Provinciæ Episcopos secum duceret *ex Secunda Sede*; quo indicare voluit, Chrestum Primæ Sedis, hoc est Metropolis, reliquos autem Secundæ Sedis, nimirum Suffraganeos Episcopos esse. En epistolæ Constantini verba apud Eusebium juxta versionem *Joannis Cristophorsoni*: (2) *Quoniam plurimos Episcopos ex locis diversis, & prope infinitis in urbem Arelatensium ad Calendas Augusti convenire mandavimus, tibi etiam per litteras significandum putavimus, ut accepta rheda publica a clarissimo viro Latroniano Siciliæ conductore, duobus item aliis Episcopis ex secunda Sede, quos tu ipse tibi maxime deligendos judicaveris, tibi in societatem ascitis, quin etiam tribus famulis, qui vobis inter vias ministrent, assumptis, ad eum diem in loco præscripto aliis occurras*. Christophorsoni versio sicuti plures alios, ita & me aliquando traxit, ut existimarem tam apertis Constantini verbis a nullo negari posse, Chrestum Syracusanum Antistitem totius Siciliæ Metropolitanum fuisse; quem propterea Imperator veluti Primæ Sedis, nempe Metropolis Archipræsulem, a reliquis Secundæ Sedis Episcopis discernit. Verum postquam accuratiorem Eusebii versionem a Clarissimo viro Henrico Valesio adornatam legi, manifestum antiquæ versionis errorem deprehendi. Non enim Constantini epistola Secundæ Sedis Episcopos nominat, sed secundi Ordinis Sacerdotes, simplices nimirum Presbyteros, quos Chrestus Syracusanus secum ducere debebat. Explorata sunt Constantinianæ epistolæ verba ex versione sincera Valesi: *Adjunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris*: Episcopi sane Sacerdotes secundi Ordinis dici nequeunt, cum ad primum Hierarchicum ordinem spectent: quocirca reliquum est, ut hic locus de simplicibus Presbyteris intelligatur. In hanc nostram sententiam concedit D. Emanuel a Schelstrate *Tom.* 2. *Antiq. Eccl. Illustr. dissert.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. ubi advertit, in Græco poni *duobus secundi throni*, quibus verbis respicit Con-

(1) Act. Ap. cap. ult. (2) Epist. Constantini M. ad Chrestum apud Eusch. lib. 10. Hist. Eccles. cap. 5.

Constantinus *ad Synthronum* Ecclesiæ Syracusanæ, in qua sicut & in aliis Ecclesiis, erant plures ordines pro Clero. Quare dum jussit duos ex secundo throno eligi, non de Episcopis locutus est, sed de Presbyteris, de quibus Optatus Milevitanus *lib.* 1. ait: *Quid commemorem Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos?* Et Sidonius Apollinaris de Mamerto Presbytero *lib.* 4. *epist.* 11. *Antistes fuit ordine in secundo*. Ubi vides Presbyteros, secundi ordinis vocatos fuisse. Quod forsan dici potuit de Diaconis, qui illis temporibus Conciliis Provincialibus aderant, & subscribebant: sicque Concilio Arelatensi I. interfuit non solum Chrestus; sed Florus quoque ejus Diaconus, qui una cum Chresto eidem subscripsit Concilio. Et quidem in Catalogo Episcoporum, qui huic interfuerunt Concilio, nullus alius ex Provincia Siciliæ legitur Episcopus præter Chrestum, ejusque Comitem Florum Diaconum: *Ex Provinciæ Siciliæ, civitate Syracusana, Chrestus Episcopus, & Florus Diaconus*. Recte idcirco Valesius *in notis ad cap.* 5. *lib.* 10. *Hist. Eccles. Eusebii; & de Schismate Donatistarum cap.* 9. Baronii sententiam refellit existimantis, desiderari nomina multorum Episcoporum, qui Arelatensi Concilio interfuerunt: atque inter hos nomina duorum ex Sicilia Episcoporum, quos juxta mandatum Constantini Chrestus secum perduxit ad Synodum. Quasi vero Imperator Constantinus præceperit Chresto, ut duos secum Episcopos adduceret. Extat certe Epistola Constantini ad Chrestum, qua ei permittit, ut duos secundi ordinis sibi comites adsumat: quod de Presbyteris intelligendum esse jam admonuimus. Nec tamen Chrestus facultate ab Imperatore sibi concessa uti voluit, sed unum dumtaxat Diaconum sibi comitem elegit; seu quod Presbyterorum præsentia ac ministerio carere Ecclesiam suam nollet, seu ob aliam quampiam causam.

VI. Quo tempore Syracusarum civitas Metropoleos dignitatem adepta sit, latet viros eruditos; qui idcirco in varias abiere sententias: aliqui volunt, Syracusas ante nonum seculum Metropolim fuisse; sed eos refellit Cantelius *in Histor. Metropolit. Urbium Part.* 3. *dissert.* 5. *c.* 4. *Franciscus Pagius ad ann.* 892. *n.* 12. hanc istius Metropolis originem statuit: *Patriarcha Constantinopolitanus, cui Sicilia a Saracenis invasa, Episcopi Siciliæ paruere, ut Siculos sibi magis devinciret, ex iis duos Metropolitanos, nempe Catanensem, & Syracusanum, duosque alios Archiepiscopos, Messanensem scilicet, & Tauromenitanum esse jussit; sed anno incerto*. At Nilus Doxapatrius Auctor Græcus in Notitia Patriarchatuum, quam edidit anno 1043. Syracusas unam fuisse totius Siciliæ Metropolim asserit: *Sicilia*, inquit, *universa unum Metropolitam habet Syracusanum; reliquæ vero Siciliæ Ecclesiæ Syracusani erant Episcopatus, etiam ipsa Panormus, & Therma, & Cephalundium, & reliquæ*. De Catana hæc subdit: *Sed & Catanea ipsa antiquitus, cum esset Episcopatus, propter Sanctum Leonem ejusdem Episcopum ab Imperatoribus ad Archiepiscopatum evecta est: quapropter nullum ipsa sub se Episcopatum habet, licet eadem in Tacticis inter Sedes Constantinopolitano subjectas adnumeretur*. Mihi tamen arridet magis sententia eruditissimi P. Ludovici Thomassini *de Vet. & Nov. Eccles. Discip. Par.* 2. *lib.* 40. *num.* 9. asserentis, a D. Gregorio Magno Syracusanum Metropolitica dignitate fuisse auctum; ei quippe primus omnium Romanorum Pontificum Pallii usum concessit, *lib.* 5. *Indict.* 14. *epist.* 118. *alias* 18. quod

solis Metropolitis concedebatur. Immo ex eadem epistola ego conjicio, etiam ante id tempus Syracusano Antistiti hanc prærogativam fuisse concessam, cum eam Gregorius ad antiquam consuetudinem referat: *Apostolicæ Sedis benevolentia, & antiquæ consuetudinis ordine provocati, Fraternitati tuæ quam in Syracusana Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, Pallii usum providimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, quibus decessorem tuum usum esse non ambigis*. Hæc Joanni Syracusano scripsit Gregorius, cui etiam *lib.* 2. *Indict.* 11. *epist.* 92. *alias* 53. *& lib.* 7. *indict.* 1. *epist.* 28. *Indict.* 2. *epist.* 62. & alibi passim, ceu Metropolitæ auctoritatem in Liparensem, & alias Siciliæ Ecclesias impertitur: quod utique proprium est Metropolitani munus. Quamquam non ita per id tempus perspicua sint, sicuti postmodum fuerunt hujusmodi auctoritatis argumenta. Neque nobis negotium facessit, quod Schelstrates antea laudatus, & Auctor libri de Metropolitanarum urbium Historia obiiciunt ex *epist.* 11. *lib.* 7. *Indict.* 1. in qua Gregorius ad omnes Metropolitanos, qui ex Patriarchatu Romano Imperatori Græco suberant, scribit cum hac Epigraphe: *Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Urbitio Dirracitano, Constantio Mediolanensi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Jo: Primæ Justinianæ, Joanni Cretensi Coortano, Joanni Larissæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralitano Sardiniæ, & omnibus Episcopis Siciliæ*. Hic enim Gregorius Metropolitarum omnium nomina, urbesque prodit, nulla tamen Syracusani mentione facta. Id utique fateor, sed tamen nihil necesse erat expressam Metropolitani Syracusæ mentionem fieri, si ad omnes Siciliæ Episcopos epistola inscribitur, cum ex adverso ad aliarum Provinciarum Metropolitas directo inscribatur. Aliunde vero nobis innotescit Syracusana Metropolis, ex eo nimirum, quod ejus Episcopum S. Gregorius Pallio exornaverit: quod ex locis antea laudatis, præsertim *lib.* 7. *Indict.* 1. *epist.* 28. *& Indict.* 2. *epist.* 62. pateat, Syracusanum ceu Metropolitanum, auctoritate sua usum fuisse in Liparensem, Melitensem, Catanensem, & alias Siciliæ Ecclesias. Unde Leo Sapiens in Notitia non asserit, Syracusanam Metropolim fuisse institutam a Patriarcha CP. quando Sicilia a Patriarchatu Romano abscissa, Constantinopolitano aggregata fuit, sed antea sub Romano Pontifice Metropolim extitisse: *Sunt*, inquit, *& alii Metropolitæ avulsi a Romana Diæcesi, nunc subjecti Throno Constantinopolitano, & qui sub ipsis sunt Episcopi: Thessalonicæ: Syracusæ: Corinthi: Rhegii: Nicopolis: Athenarum: Patrarum: Novarum Patrarum*. Quemadmodum igitur Thessalonica, Corinthus, Athenæ, Nicopolis, Patræ, non a Græcis Metropoles sunt erectæ, sed antea id obtinebant, ita & Syracusæ antequam ad Græcos pervenissent Metropoleos jure gaudebant.

VII. Episcopatus subjicit Notitia Leonis Sapientis, itemque altera Nili Doxapatrii:



In-

Insula Siciliæ.

Syracusæ.
Catana.
Tauronemium: *idest* Taurominium: *Taormina*.
Messana.
Cephaloedis: *idest* Cephaledium.
Thermæ.
Panormus.
Lilybæum.
Trocalis: *sive* Triocala.
Agragas: *idest* Agrigentum.
Tyndarium.
Camarina: *seu* Charinum.
Leontium.
Aletæ, *sive* Alæsa.
Gaudos.
Melita.
Lipara.
Vulcani Insula.
Didyme.
Ustica.
Onarea.
Basiludium.

Non tamen omnia hæc oppida urbesque nunc Sedes Episcopales sunt; quamquam cum Græci Siciliam occuparunt, eamque Patriarchæ CP. subegerunt, is Imperatorum jussu novos Episcopatus, arbitrio magis suo, quam necessitate deposcente, instituerit. Quinimmo & inusitata illa Metropoleon, & Episcopatuum multitudo, quæ in Regno Neapolitano nunc cernitur, magna ex parte profecta est ab illa Græcorum æmulatione, qua certabant totidem quasi vinculis opulentas has florentissimasque tum civitates, tum Provincias Ecclesiæ suæ, Imperioque Orientis arctius adstringere. Quæ vero a tot seculis Siciliæ Metropolis fuit Syracusa, nunc ea dignitate caret, quæ Apostolica auctoritate in tres modo divisa est Sedes, Messanæ scilicet, Panormi, & Montis Regalis: eæ siquidem nunc sunt in Sicilia Metropoles. Vetus Syracusarum gloria & amplitudo jam excidit, ejusque splendoris portio transiisse videtur Panormum, Messanamque, clariores nunc Siciliæ civitates. Ex tot urbibus a Leone Sapiente, & Nilo Doxapatrio recensitis, Syracusæ, & Catana, hodie Sedes tantum Episcopales sunt aliis Metropolibus obnoxiæ: Tauromenium, Leontini, Lilybæum, Drepanum, & duæ Thermæ sine Sedibus durant: Charinum, Halæsa, Tyndaris, Triocala, Basiludim, Onarea, Ustica, Didyme, Vulcanus, Gaudos, quæque post Leonem Sapientem additæ sunt, Gela nova, Myle, & Trajanopolis, partim excisæ, partim in oppida redactæ aliis unitæ sunt Sedibus. Accessere postmodum Mazara, Pactæ, & Mons Regalis. Melita hodie exempta est, nec ulli subest Metropoli.

Panormus præcipua est Siciliæ Metropolis, & Regni caput, urbs am-

amplissima & amœnissima, a Phœnicibus condita circa Græcorum in Siciliam adventum. A Veteribus *littus pulchrum* appellata est: in littore enim maris sita pulcherrimum gratumque sui conspectum navigantibus exhibet. De illa Silius *lib.* 14.

Tergemino venit numero fecunda Panormus.

Panormitani Populi Ciceroni, aliisque antiquis Scriptoribus commemorantur. Sub Rogerio Comite Sicilia Saracenis erepta, Panormum Metropolis facta est, cui subsunt Agrigentum, & Mazara.

Altera Siciliæ Metropolis Messana, urbs Insulæ præcipua, emporium celebre, & Portus tota Italia insignis, apud Fretum Mamertinum, & Pelorum promontorium, a quo 12. M. P. quot a Rhegio urbe Brutiorum abest. Macrobius *lib.* 1. *Saturnal.* illam ab Anaxilao Rheginorum tyranno conditam scribit: alii vero a Messeniis populis Peloponnesi ædificatam volunt, a quibus & nomen habuerit. Ob montes quibus illa premitur in longum protensa est. Suburbia habet perampla pagorum in modum. Munita est quatuor castris & 14. Aggeribus. Portu peramplo, & pulcherrimis undique ædificiis exornato, instar cujusdam theatri venustissimi cincta, mari adjacet, jucundam intuentibus sui admirationem insinuans. Ejus meminit Ovidius *Metamorph. lib.* 14.

Littore in Italico Messenia mœnia contra
Scylla mihi . . . . . .

Post pulsos Sicilia Saracenos Messana Metropoleos dignitatem obtinuit, sed quo tempore non mihi plane constat. Ei parent, Cephalodium, Lipara Insula, & Pactæ.

Mons Regalis tertia est Siciliæ Metropolis, urbs a monte cui insidet nomen adepta. Prope Panormum sita est, a quo vix 4. M. P. abest. A Guilielmo II. Siciliæ Rege augustissima ibi Basilica constructa fuit, & amplissimis ditata reditibus. Eodem Principe curante Metropolitica Sede exornata est a Lucio III. Pontifice Maximo, eique subjectæ Catana, & Syracusæ.

VIII. Cum jam Sicilia Suburbana esset Populi Romani Provincia, serpente latius bello in Sardiniam, annexamque illi Corsicam penetravit. Sardinia Insula ingens Italiæ, inter Mare Tyrrhenum, & Balearicum, sic dicta a Sardo Herculis filio, qui e Libya veniens, multis colonis secum ductis, Insulam occupavit, suoque ex nomine Sardiniam appellari voluit, quæ antea *Sandaliotis* Platoni a figura Soleæ, & *Ichnusa* a similitudine vestigii vocabatur, sicuti tradunt Strabo, & Solinus. Ejus longitudo est 170. M. P. latitudo, ubi major est, 80. circuitus autem 450. Distat a Corsica freto 6. M. P. In duas dividitur partes fluviis Cedro, & Tirso, nempe in Borealem partem, seu Lugodorinam, & in Australem, seu Caralitanam. Habet a Septemptrione montes editissimos, qui prohibent, quo minus a Borea possit perflari; inde contingit aëris pestilentiæ plurimum eam esse obnoxiam. Eo propterea nomine tam male audivit apud veteres, ut Cicero moneat Quintum fratrem, etiam tunc cum optime valeret, meminisse eum debere, in Sardinia se esse: & alibi Tigellium quemdam Sardum, hominem esse affirmat patria sua pestilentiorem. Sardiniæ descriptionem ita adornavit Strabo: *Sardiniæ* (1) *magna pars aspera est, & parum pacata: magna etiam solum habet omnium rerum copia, excellenter autem frumenti, beatum. Urbes habet plures, quarum præcipuæ Caralis, & Sal-*

(1) Strabo lib. 5. pag. 155.

Sulchi. Bonitati soli oppositum est vitium, quod per æstatem Insula morbosa est, ibi præcipue ubi feracissima est. Eamdem continenter etiam populantur montani, Diagebres, quondam Jolaenses dicti: fertur enim Jolaus eo adduxisse quosdam filiorum Herculis, & inter barbaros (erant autem Tyrrheni) ejus Insulæ cultores habitasse. Postea Pœni Carthaginenses Insulam obtinuerunt, adjutique ab incolis bellum contra Romanos gesserunt. Quatuor sunt montanæ gentes, Tarati, Sossinati, Balari, Aconites, in speluncis habitantes: & quamquam agrum habent sementi aptum, tamen negligenter eum colunt, & aliorum opera diripiunt partim in ipsa Insula, partim, & quidem frequentius in opposita continente, Pisanis maxime infesti.

IX. Primus omnium Sardiniam debellavit T. Manlius Torquatus auctore Livio *Decad.* 3. *& lib.* 34. *& lib.* 24. *T. Manlius in Consulatu subegit Sardos*. Idipsum Vellejus Paterculus: *Sardinia inter primum, & secundum bellum Punicum ductu T. Manlii Consulis certum accepit imperium*. Consentiunt etiam Orosius, & Zonaras in Annalibus. Deinde Carvilius Maximus, & M. Pomponius, ut Fasti Capitolini commemorant. Inter Sardiniæ urbes *antiquissimam esse Caralim*, refert Pomponius Mela, ubi coralliorum piscatio est: Portu capacissimo instructa in Mari Africo sita est, quondam totius Insulæ, & etiam num Metropolis, & Proregis Sedes. Olim septemdecim urbes ei subjectæ erant, pari in rebus sacris, ac politicis præditæ potestate. Vetustissimam esse illius Ecclesiam, Martyrum ibi coronatorum gloriosa certamina indicant. Episcopalis ejus Sedis antiquitati fidem astruit Lucifer Caralitanus Osio Cordubensi, & Athanasio Alexandrino quondam amicissimus, & catholica confessione adversus Arii impietatem illustris. Sed utinam infausto schismate illam minime deturpasset. Illius mentionem facit S. Athanasius *in epist. ad Solitarios*, ubi etiam Caralim Metropolim vocat, tametsi de civili Metropoli intelligendus sit, non Ecclesiastica, cui eamdem cum Syracusana originem tribuit Ludovicus Thomassinus *de Vet. & Nov. Eccles. Discip. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. *num.* 9. utramque enim a D. Gregorio Magno institutam censet; quoniam, ut ex ejus epistolis liquet, Caralitano in Sardinia, æque ac Syracusano in Sicilia Pallium concessit Metropoliticæ dignitatis insigne: quo deinceps utriusque Ecclesiæ Antistites semper exornati fuerunt. Non diffiteor tamen Luciferum Caralitanum in Epistola Sancti Athanasii ad Solitarios in textu Græco *Metropolitanum* vocari: *Et Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ*. Hinc nonnulli conjiciunt, tempore D. Athanasii Caralim fuisse Metropolim; sed aliter Theodoretus *lib.* 2. *Hist. cap.* 12. & Valesius ibid. verba Athanasii vertunt: *Lucifer Metropolis Sardiniæ Episcopus*; Metropolis utique civilis, non adhuc Ecclesiasticæ, ut Valesius, Pagius, aliique observant. Una olim fuit totius Sardiniæ Metropolis Caralis, sed nunc tres enumerantur. Prima est ipsa Caralitana, cui adjuncti sunt Episcopatus Galtellinensis, Olienensis, & Suellensis. Arborea altera est Metropolis, cui Sedes Sanctæ Justæ juncta fuit; eidemque contributa est Turris Alba, & Usellis urbs Episcopalis. Tertia Metropolis aliquando fuit Turris Libyssonis, quæ & Turris Bissonis Ptolemæo, & Antonino dicitur; sed nunc excisa jacet in ora Occidua, ejusque Sedes Archiepiscopalis Sassarim translata est, cujus Antistes etiamnum Archiepiscopus Turritanus inscribitur. Huic subsunt, Algarium, cum adjuncta ei Bisariensi Sede, Bosa, &

Ca-

Castrum Aragonense, quod & Emporiæ dicitur, cui copulata est Phausania. Notitia Ecclesiarum scripta a Milone Abbate, alia itidem ab Episcopo Catharensi edita, hos Sardiniæ Episcopos singulis Metropolitis subjectos recenset.

Archiepiscopus Caralitanus hos habet Suffraganeos.

Sulcitanum. *Urbs Sulci.*
Doliensem.
Svellensem. *Urbs Suellis.*

Archiepiscopus Turritanus hos habet Suffraganeos.

Sorrensem. *Urbs Sorris.*
Planacensem.
Ampuriensem. *Urbs Ampuriæ, seu Emporiæ, cui Phausaniæ nunc dirutæ Episcopatus accessit.*
Gisacensem, vel Gravellensem.
Castrensem.
Othanensem.
Sisardensem.
Bosanum.

Archiepiscopus Arborensis hos habet Suffraganeos.

Usellenum.
Sanctæ Justæ.
Terræ Albæ.
Civitatensem exemptum.
Galtelinensem. *Urbs Galtelinum. Huic Episcopatus Galtolmensis est copulatus.*

X. Sardinia subacta, etiam proxima illi Corsica haud difficili negotio domita est, cum ab illa in sui extrema parte freto *Taphros* dicto sex mille passuum dirempta sit. Cyrnus ab antiquis, uti etiam a Ptolemæo, & Strabone appellatur, a Cyrno Herculis filio id nominis consecuta, teste S. Isidoro *lib.* 14. *Etymol.* Insula est Italiæ in Mari Tyrrheno, cujus longitudo est 106. M. P. latitudo 50. ambitus 300. Tota fere maligne colitur, quod aspera sit, multisque in locis inaccessibilis. Hinc fit ut minus frequens sit incolis, quamquam olim, non secus ac Sardinia, suos habuerit Reges; quos inter numerant Phorcum, quem Naumachia ab Atlante Rege ad Sardiniam superatum, & magna cum exercitus parte undis obrutum socii inter Marinos Deos retulerunt. Eam gentisque mores ita describit Strabo: (1) *Corsicam Romani nominant, quæ Cyrnus est Græcis. Male ea habitatur, aspera, ac plerisque locis plane invia: quo fit ut Montana colentes, qui latrociniis vitam sustentant, ipsis sint inhumaniores bestiis. Itaque cum Romani Duces in insulam hanc incursionem faciant, ac manci-*

(1) Strabo lib. 5. pag. 255.

piorum numerum afferunt, videre Romæ cum admiratione licet quantum in eis feritatis ac indolis plane sit belluinæ: nam aut vitam fugiunt, aut impatientia ac stupiditate dominos obtundunt: ut impensæ pæniteat etiam si quis minimo emerit. Habet tamen quædam oppida habitabilia, ut sunt Blesino, Charax, Eniconiæ, & Vapanes.

In hanc Insulam a Phocæensibus deductam fuisse coloniam, Aleriam dictam, tradit Herodotus *lib.* 1. Eo pariter allusit Seneca his versibus: (1)

Corsica Phocaico tellus habitata colono:
Corsica, quæ Grajo nomine Cyrnus erat.

Qui & addit, eamdem Aleriam a Sylla deinceps Romanorum coloniam constitutam, de qua videndus est Plinius *lib.* 3. *cap.* 6. ubi & refert, alteram a Mario deductam, ac de suo nomine Marianam nuncupatam. Præter has duas colonias, & triginta aliæ civitates in hac Insula fuerunt, ut *ibidem cap.* 4. idem Plinius commemorat.

Cum haud semel Sardinia & Corsica rebellasent, & hæc Ligures, illa Pœnos fœdere sibi conjunxisset, pluries etiam, atque a variis Romanorum Ducibus debellatæ fuerunt. Hinc contigit, ut Scriptores inter se dissentire videantur, dum varios utriusque Insulæ domitores fuisse tradunt. Sardos, & Corsos a Papirio subactos scribit Valerius Maximus *lib.* 3. a L. Cornelio Scipione L. Flor. *lib.* 2. *cap.* 2. *& Epitome lib.* 17. Sed ejusmodi Auctorum dissensio in diversa bellorum tempora rejici debet: sæpe etenim Sardi, Corsique rebellantes compressi, ac domiti a variis Consulibus fuerunt: primus tamen qui Corsicam subegerit fuisse videtur Licinius Varus de quo Sigonius *ad annum U. C.* 517. hæc ex probatis Scriptoribus narrat: (2) *Varus Corsicam petiturus, cum propter navigiorum penuriam trajicere non posset, Claudium Cliniam cum copiis præmisit: qui terrore Corsis injecto, in colloquium venit; & quasi Imperator esset, fœdus cum iis fecit. At Licinius Varus eo neglecto, Corsicos nihilominus oppugnare non destitit, donec eos subegit. Romani vero, ut a se violati fœderis crimen removerent, Claudium eis dediderunt, atque ab iis non receptum expulerunt. Hunc M. Claudium vocat Valerius, atque eumdem ob infamem pacem Corsis a Senatu deditum, nec exceptum ab hostibus, jussu Senatus in carcere necatum scribit. Quod idem est etiam apud Marcellinum lib.* 15. *atque Arnobium. Cum deinde Corsica, & Sardinia rebellasent, a Metello domitæ, & in Provinciam redactæ sunt:* qua de re hæc habet Sextus Rufus: (3) *Sardiniam, & Corsicam Metellus vicit: qui & triumphavit de Sardis, qui rebellavere sæpe. Juncta administratio harum Insularum fuerat: post quælibet suos Prætores habuit: nunc singulæ a suis Præsidibus reguntur.* Nullam unquam Ecclesiasticam Metropolim habuit Corsica, sed ejus Episcopi partim Pisano Metropolitæ ac Primati, partim Genuensi Archiepiscopo subsunt. Pisano quidem tres adscribit *Notitia Ecclesiar. Urbis, & Orbis*, ab Episcopo Catharensi edita, scilicet *Ajacensem*, *Aleriensem*, *Sagonensem*; quos etiamnum retinet. Genuensi vero quinque hos tribuit, *Maranensem*, *Acciensem*, *Nubiensem*, *Brumacensem*, *Apramacensem*. Verum ex his quinque postremis duo tantum supersunt Maranensis, & Nubiensis, iique Genuensi Archiepiscopo parent.

(1) Seneca de Consolat. ad Helviam & cap. 8.
(2) Sigonius ann. U. C. 517.
(3) Rufus in Breviar. Histor. Roman.

CAPUT VI.

Synopsis.

I. *Reliquæ Vicario Italiæ subjectæ Provinciæ exponuntur. Flaminia unde nomen traxerit incertum est. Quidam cum Æmilia eam confundunt: sed nos seorsim ab Æmilia ejus limites vestigamus.*

II. *Ravenna vetus Flaminiæ Metropolis. Ejus origo. Gotthorum aliquando fuit Sedes; quibus pulsis Exarchi ab Imperatore Græco missi eam regebant. Varios deinde fortunæ casus experata: tandem R. Pontificis imperio paruit.*

III. *S. Apollinaris D. Petri discipulus Ravennatem fundavit Ecclesiam. Hieronymus Rubeus putat Ravennam fuisse Metropolim Ecclesiasticam initio Christianæ Religionis; sed confutatur. Norisius censet hanc dignitatem huic Sedi accessisse, cum in ea sederet S. Petrus Chrysologus. Urbes Ravennæ Metropoli subjectæ.*

IV. *Æmilia a Flaminia distinguitur. Ejus caput Bononia ab antiquis Etruscis condita. Olim Ravennæ suberat, nunc Metropolis est Ecclesiastica, cui addictæ urbes recensentur.*

V. *Insubriam prætermisit Notitia Imperii, quod olim Liguria, & Æmilia comprehenderetur. Veteribus Gallia Cisalpina dicta est, utpote a Gallis occupata, pulsis inde Etruscis. Gallia Togata ubi olim sita fuerit.*

VI. *Polybius Galliam Cisalpinam ejusque partes eleganter descripsit.*

VII. *Galli Senones Romam capiunt incenduntque. A Camillo paulo post deleti omnes. Varia deinceps Romanorum cum Gallis Cisalpinis prælia. Tandem a Romanis devicti tota Gallia Cisalpina R. Reipublicæ accessit.*

VIII. *Insubria pars Galliæ Cisalpinæ. Antiqua ejus Metropolis Mediolanum, cujus origo, & nominis etymon vestigatur. Præfecti Italiæ olim Sedes, interdum etiam Imperatorum. Jus eligendi coronandique Reges aliquando Mediolanensi Archiepiscopo concessum.*

IX. *A Barnaba Mediolanensem Ecclesiam fundatam ferunt. Post Romam antiquior est Italiæ Metropolis. Ipsi quondam suberant Æmilia, Liguria, Insubria, Alpes Cottiæ, & Rhætia.*

X. *Baronius, & Sirmondus censent ante institutam Aquilejæ Metropolim Venetiarum Provinciam, & Pannonias Mediolanensi fuisse subjectas. Hæc sententia præsertim de Venetiis contra Norisium defenditur.*

XI. *Norisii argumentis fit satis. Sanctus Ambrosius non ut Damasi Legatus, sed ut Italiæ Metropolita præfuit Synodo Aquilejensi. Magna tunc temporis erat apud omnes Mediolanensis Ecclesiæ dignitas. Istria, Noricum, & Dalmatia olim ipsi parebant.*

XII. *Ambrosii ætate Pannoniæ, immo & Illyricum Occidentale pertinuisse videntur ad Mediolanensem Metropolim. Contraria Norisii fundamenta evertuntur, usque ad XVII.*

XVII. *Seculo quinto ac deinceps subtractæ sunt Metropoli Mediolanensi, Venetiæ, Istria, pars Illyrici Occidentalis, Flaminia, Æmilia, Liguria, & Alpes Cottiæ. Quæ urbes nunc ei subsint?*

XVIII. *Liguriæ fines expositi. Varios quondam populos comprehendebat. In duas partes divisa est, Litto-*

ream & Mediterraneam: nunc in Orientalem, & Occidentalem.

XIX. Ligures diuturnum, & asperum cum Romanis gessere bellum. Tandem a C. Flaminio, & M. Æmilio subacti.

XX. Genua Metropolis Liguriæ. A quo id nominis ipsi inditum fuerit. A Magone Pœnorum Duce diruta, rursum a Lucretio ædificatur, ac deinceps Romanorum municipium evasit. Olim Mediolano subjecta, postmodum ab Innocentio II. in Metropolim Liguriæ erecta est. Quæ urbes illi addictæ.

XXI. Gallia Subalpina nunc Pedemontium dicta. Salasios, Taurinos, & Liguriæ partem complectitur. Augusta Taurinorum ejus Metropolis. Antiqua est Taurinensis Ecclesia, sed non nisi a Leone X. Metropolis facta.

I. Ametsi Picenum Annonarium una fuerit ex septem Provinciis Vicario Italiæ commissis, illud tamen Piceno Suburbicario adnexuimus, quod alia in hac Provincia fuerit civilis, alia Ecclesiastici regiminis forma. Nunc itaque ad sex alias Italiæ Provincias singulatim vestigandas progredimur. Proximior Piceno, & Umbriæ Flaminia occurrit; a quo tamen illa traxerit nomen incompertum est. A nullo quippe veterum ante Arcadii, & Honorii Imperium eo nomine memoratur. Celebris quidem fuit via Flaminia, quæ per portam Flaminiam ad Tiberim sitam Ariminum usque ducit, quam T. Flaminius Consul stravit. Hæc Utriculo, Narnia, Interamna, Spoleto, Foro Flaminii, Heluillo, Calle, Forosempronii, Fano Fortunæ, & Pisauro, ex Antonini Imperatoris Itinerario, Ariminum usque deducebat. Sed nulla istarum urbium ad Flaminiæ Provinciam pertinebat: *M. Æmilius Consul*, Auctore Livio, (1) *pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Porro pars hæc Italiæ a Placentia Ariminum usque, immo, ut alii volunt, usque Anconam, Gallia Togata veteribus dicebatur: postmodum Æmilia vocata est, quæ tamen latius patebat, atque hanc Italiæ portionem, quæ deinceps Flaminia dicta est, complectebatur. Qui cum Æmilia illam comprehendunt, a Pisauro flumine, ad Placentiam usque ejus confinia proferunt, latitudinemque definiunt ab Apennino usque ad mare Adriaticum, adeo ut Etruriæ contermina, paludes concludat Veronenses, & Patavinas, usque ad Padi fauces, quas Fornaces appellant. Nos vero ab Æmilia eam discernentes, intra solos Flaminiæ limites arctamus, inter Ariminum, & Mutinam, Apenninum Montem, & Mare Adriaticum. Ejus urbes in littore Adriatico sunt, Ariminum, Cervia, & Ravenna: interiores, seu Mediterraneæ, Bononia, Ferraria, Comaclum, Forum Cornelii, Faventia, Forum Livii, Petra Honorii, Cæsena, & intra Montes, Sarsina. Eodem tempore in ditionem Populi Romani venit, quo & aliæ Galliæ Cisalpinæ regiones. A Romanis Imperatoribus magno semper in pretio habita fuit, translatoque in Orientem Imperio, per Exarchos eam gubernabant. Exarchorum vero potentia exolescente, ac tandem extincta, Longobardorum jugum ferre coacta est, donec a Pipino Gallorum Rege, mox a Carolo Magno ejus filio devictis Longobardis, Romani Pontifi-

(1) Livius Decad. 4. lib. 9.

cis imperium suscepit. Tunc pristino Flaminiæ nomine ei sublato, Romandiola a Carolo Magno vocari cœpit, quod nomen etiamnum retinet.

II. Flaminiæ caput ac Metropolis Ravenna semper fuit, inclyta ac vetustissima civitas, olim sub Romano imperio maxime florens, inter primarias Italiæ urbes recensita. De illius origine quædam fabulis similia comminiscuntur: post confusas quippe hominum linguas in Babylone constructam dictitant: alii a Nembrothi filio fuisse ædificatam contendunt, atque a navibus Navennam, Pentapolimque dictam. Quidam censent, post ducentos viginti quinque annos a Noëmico Diluvio fuisse conditam a septem Ducibus, septem aliarum urbium auctoribus, cum illac prope Padum, ac mare transirent, atque a navibus, quibus eo transvecti fuerant, Navennam appellatam, deinde prima littera mutata in R vulgo applaudente facile in Ravennam transiisse. Nonnullis creditum est, eam a Noëmi Pronepotibus suam traxisse originem, duobus mille ac quadringentis annis ante reparatam humani generis salutem. Nec desunt qui asserant, sed falso, a Pentapoli Trojano e fundamentis erectam, Pentapolis nomen primum accepisse. * At Strabo relictis fabulis, a Thessalis conditam perhibet, in ora littoris Adriatici, quem plures alii sequuntur. Eo a Sabinis postea coloniam deductam, scribit Plinius *lib.* 3. *cap.* 15. Umbris contra Etruscorum potentiam in auxilium ascitis, partem civitatis concessit: inde contigit aliquando eam inter Umbriæ civitates reponi: Ptolemæus tamen in Galliis Boiis locavit. Ab Augusto, sive Tiberio muris circumdata fuit, ut vetus testatur inscriptio ad Portam Auream posita: protensis postea ejus finibus a Valeriano Augusto. Municipium Romanorum fuit, & quidem summa fidelitate illis obstrictum. Variam tamen belli fortunam experta, sæpius Barbarorum jugum tulit, vel invita. Odoacre Herulorum Regi Italiam invadenti collum subjecit: eo autem a Theodorico Gotthorum Rege superato, Gotthis, eorumque Principibus, septuaginta duobus annis paruit. Ibi Theodoricus Regiam Sedem fixit, ac triginta & octo annis rexit; quo tempore eam magnificentius exornavit, ingentibus Palatiis substructis, Templisque fundatis. At diu non stetit Gotthorum Regnum in Italia; eos etenim fudit Narses Justiniani Imperatoris Dux egregius, Ravenna expulit, ibique Supremum instituit Magistratum, cujus munere fungebantur Exarchi, illuc ab Imperatoribus Græcis missi. Stetit hæc Exarchorum potestas usque ad Leonis III. Imperatoris ætatem: tunc siquidem labente in Italia Imperii Orientalis potentia, Astulphus Longobardorum Rex Ravennam, ejusque Exarchatum invasit: quamquam paulo post, compellente Pipino Gallorum Rege invictissimo, Ravennam, totamque Flaminiam, Romano Pontifici tradere coactus sit, cœpitque ea civitas Summorum Pontificum jussu per Ravennatem Archiepiscopum gubernari. Ceterum a Longobardis arreptum iterum Ravennæ Imperium, rursus eo exactis a Carolo Magno, ad pristina Romani Pontificis jura rediit. Post Caroli Magni obitum turbatis denuo Italiæ rebus, cum Pontificia auctoritas sustinendis tot bellorum incommodis impar esset, civilesque discordiæ omnia pessum darent, toleravit aliquando Apostolica Sedes, Ravennam, & alias Flaminiæ urbes, nunc a Traversaria, nunc a Polentana potentissimis Familiis administrari. Interdum & Veneti civilium tumul-

tuum

* *Pentapolis nihil aliud est quam civitas a quatuor civitatibus constans.*

tuum occasione capta, Ravennatibus frænum injecerunt. Tandem anno 1530. hæc civitas summis Pontificibus reddita ipsorum imperio ad hanc usque diem fideliter obtemperat. Consulendi de hac re sunt, Anastasius Bibliothecarius, Leander Albertus, Suetonius, Pomponius Mela, Dionysius Halicarnasseus, Appianus, Alexandrinus, Sidonius Apollinaris, Vegetius, Silius, Zosimus, Procopius, Paulus Diaconus, Carolus Sigonius, Cluverius, & alii plurimi celebres Scriptores.

III. Quam Romano Imperio integram Ravenna præstitit fidem, eamdem intemeratam castamque exhibuit Christo, sub ipsis Christianæ rei primordiis sacris Evangelii mysteriis imbuta. Enimvero a D. Apollinare uno e septuaginta duobus Christi Discipulis, a D. Petro Apostolorum Principe illuc misso, & Episcopo ordinato, non Ravennatum modo, sed & totius Flaminiæ Apostolo, veræ fidei lumen hausit, quam sub Vespasiano Imperatore proprio consecravit sanguine. Haud procul a Ravenna ad Classem vetustissimo in Templo sacra ejus Ossa asservantur, atque a Fidelibus coluntur; deque illius sepulchro, ac juramento illic præstari solito agit S. Gregorius in *Regest. lib. 5. epist.* 33. De quo plura scripserunt, Petrus Chrysologus, Petrus Damiani, Venantius Fortunatus, Beda, Usuardus, Ado in Martyrologio, ad diem 23. Jul. Surius, & Petrus de Natal. in Catal. *lib. 6. c.* 128. & Baronius *ad ann. 46. & 74.* Quo ex tempore hæc Civitas Christianæ Religioni se devovit, plures Martyres Deo peperit, Monachorum instituta mirifice coluit, sacra Templa dicavit, inter quæ Metropolitana Ecclesia Sancto Anastasio consecrata maxime fulget, quam perpulchræ columnæ ad æternitatem fulcire videntur. Rotundum Templum Sancti Vitalis singulari structura illic visendum exhibetur. Ecclesiam Sanctorum Gervasii, & Protasii Galla Placidia fundavit, perduxitque ad fastigium, ubi sepulta cum filiis conquiescit. Sanctorum Andreæ, & Joannis Evangelistæ Templa venustissima sunt, nec minoris elegantiæ est illud, quod Theodoricus Rex in honorem Sancti Apollinaris munificentissime extruxit.

Etsi autem Ravenna jam a priscis temporibus civilis Metropolis fuerit totius Flaminiæ, non tamen ita facile concesserim in sententiam Hieronymi Rubei *lib. 2. & 5. Histor. Ravenn.* contendentis, Ravennam vel ab ipsis Christianæ Rei primordiis dignitatem Metropoleos etiam in rebus Ecclesiasticis fuisse indeptam, & caput Æmiliæ, æque ac Flaminiæ constitutam. Quod ille probat ex Anacleti Papæ decreto, quo statuit eas urbes, quæ civiles Metropoles essent, Provinciæ Præfecto ab Imperatoribus imposito ibidem residente, Ecclesiasticas quoque Metropoles esse habendas, in quibus Episcopi Metropolitani ceteris Provinciarum Episcopis jus dicentes residerent. Certum proinde putat, Ravennam antiquitus fuisse Metropolim Æmiliæ, ac Sedem viri Consularis, illuc ab Imperatoribus missi. Favet huic sententiæ Petrus Morinus *lib. 1. Exercit.* 30. scribens, Ravennam imperante Constantino fuisse Metropolim. Verum doctissimi Cardinales Cæsar Baronius ad *ann.* 451. Henricus Norisius *Dissert. Histor. de Synodo Quinta cap.* 10. Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 1. Concord. Sacerd. & Imper. cap. 7. & lib. 6. cap. 6. §.* 11. aliique plures merito illam rejiciunt, nec nisi levissimis conjecturis fultam observant. Cum primis etenim Anacleti epistola ex illis est Decretalibus ante Siricium scriptis, quæ non nisi post quintum

tum

tum seculum lucem aspexerunt. Deinde vero etiamsi sua ei sit auctoritas, antiquitus tamen non ubique obtinuit, ut eadem civitas & civilis, & Ecclesiastica esset Provinciæ Metropolis. In Oriente quidem mos ille tenuit in Patriarchatu Alexandrino, & Antiocheno, & in Autocephalis Diœcesibus, & forsan quibusdam aliis, ut ubicumque Rector Provinciæ resideret, ibidem quoque Metropolitanus præesset Episcopus. Ceterum in Occidente longe aliter res se habuit. In Italia siquidem ea Ecclesiastica politia nequaquam viguit: nam Metropolitica Romani Præsulis Diœcesis amplissima fuit, plures complectens Provincias, quarum aliæ a Consularibus, nonnullæ a Correctoribus, quædam a Præsidibus regebantur; in quibus tamen nullus alius præter Romanum Metropolita fuit. Id videre est in Provinciis Vicario Urbis *subjectis*, quæ omnes intra Metropolitanam Diœcesim Romani Pontificis claudebantur. Immo Picenum Annonarium etsi a Vicario Italiæ regeretur, tamen Romano Metropolitæ suberat. Accedit, Ravennam sub Arcadio, & Honorio Æmiliæ fuisse conjunctam circa ann. 399. quo Manlius Theodorus cum Fl. Eutropio Consulatum iniit. Quare uti Picenum Annonarium, ita & Ravenna ad Diœcesim Romani Episcopi pertinebat. Neque ex eo quod civilis fuerit Metropolis, inde recte colligitur, eamdem Ecclesiasticam quoque Metropolim fuisse. Quandoquidem Capua Campaniæ, Syracusæ Siciliæ civiles erant Metropoles, non item Ecclesiasticæ, quemadmodum ex variis Sancti Gregorii epistolis probat Cardinalis Norisius laudatus. Scio aliter visum esse D. Petro de Marca *lib.* 1. *cap.* 7. §. 4. ubi docet, Syracusanum Antistitem Siciliæ, Capuanum Campaniæ, Rhegiensem Brutiorum fuisse Metropolitas: de Syracusano id deducit *ex Epistola Constantini Magni ad Chrestum*, de qua alibi actum est: de Capuano *ex epistola S. Athanasii ad Solitarios*: qui tamen ibi tantum loquitur de civili Metropoli. Quæ autem de Rhegio, aliisque Brutiorum, Calabriæ, Lucaniæ, & Apuliæ Metropolibus asserit, recentiora sunt exempla; nec nisi post divulsam a Græcis e Romano Patriarchatu illam Italiæ partem, Metropoles istæ fuerunt a Patriarcha C. P. institutæ.

Hieronymus Rubeus *lib.* 2. *Hist. Ravenn.* edidit Rescriptum quoddam sub nomine Imperatoris Valentiniani tertii, ea ætate in Occidente imperantis; quo Princeps ille anno 432. Joannem Episcopum Ravennatem Metropolitica dignitate exornat, ipsi usum Pallii concedit, ac plurimas subiicit civitates. Illud etiam Diploma recitant Baronius ad eumdem annum, & Ughellus *Tom.* 2. *Italiæ Sacræ*. Verum Rescriptum hujusmodi omnino suppositum est, ejusque falsitatem ostendit idem Baronius; primum ex ipsa Latini Sermonis spurcitie omnem ejus auctoritatem elevante apud eruditos. Præterea quod ibidem Regium Lepidi, Brixellum ad Padum, & Placentia Metropolitæ Ravennati, quod ad sacra pertinet, subjectæ urbes dicuntur; cum tamen illarum Episcopi cum Eusebio Mediolanensi, utpote ejusdem Suffraganei, Synodo interfuerint sub Leone Magno circa annum 451. Valentiniano adhuc imperante, ut patet ex epistolis Synodalibus post epistolam 52. Leonis. Addit eruditissimus Cardinalis Norisius, Ecclesiam Forocornelii subjectam fuisse Archiepiscopo Mediolanensi; quod liquet ex *epistola* 19. *Sancti Ambrosii ad Constantium*, & *epistola* 46. *ad Syagrium Veronensem*. Quocirca cum Ravenna media sit

fit inter Ariminum, & Forum Cornelii, quæ sane urbes ad alios Metropolitas spectabant, vetustas Metropolitani Primatus Ravennatis Ecclesiæ, qualem Rubeus adstruit, omnino corruit.

Existimat ergo idem Norisius, hanc dignitatem Ravennati Ecclesiæ accessisse, Sancto Petro Chrysologo Sedem illam regente, qui anno 450. decessit. Nam Placidia Augusta, ejusque Filius Valentinianus, cum Ravennæ Imperii Sedem post Honorium fixissent, eamdem Ecclesiasticæ Metropoleos dignitate per Romanos Pontifices decorandam curarunt, ea prorsus ratione, qua Sedis CP. quod ibi esset Imperii solium Patriarchalia jura usurpavit, ac tandem pacifice tenuit. Hac idcirco Metropolitica auctoritate donatus Petrus Chrysologus Marcellinum Episcopum Vicohabentiæ consecravit: est autem Vicohabentia in agro Ferrariensi vulgo Viguentia nuncupata, unde Episcopalis Sedes postea Ferrariam translata est. De Marcellini Ordinatione hæc Chrysologus effatur: (1) *Omnium quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis. Sancta Eccles. Ravenn. ut primum pareret, viam fecit, angores pertulit, sensit dolores. . . . Habeat modo natus, qui primum natus est, primogeniti reverentiam, teneat honorem . . . . Lætantur, quia videre oculis, suscipere manibus hodie primum Sanctæ genitricis partum, sobolemque meruerunt.* Sunt autem Ravennæ Metropoli subjectæ urbes infrascriptæ.

Flaminiæ Metropolis Ravenna.

Hadria.
Ariminum.
Bertinorum, olim Petra Honorii, quæ urbs Foro Popilii in Episcopali Sede suffecta est.
Cervia, olim Phycocle.
Cæsena.
Comachium, seu Comaclium.
Faventia.
Ferraria.
Imola, seu Forum Cornelii.
Forum Livii.
Sarsina.

IV. Nonnulli Scriptores Æmiliam cum Flaminia confundunt, & pro Romandiola accipiunt. Verum hæc Provincia nedum Romandiolam, sed etiam Longobardiam Cispadanam olim complectebatur, inter Bononiam, & Placentiam. Via enim Æmilia, a qua regio nomen habet, ab Arimino, unde Romandiola incipit, Placentiam usque proceditur intervallo 155. M.P. auctore Livio, qui viam hanc a M. Æmilio constructam narrat: (1) *M. Æmilius*, inquit, *pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Ubi igitur Flaminia via desinit, inde Æmilia incipit; nec a veterum aliquo Æmilia unquam Flaminia dicta est; quin potius ante inditum Romandiolæ Flaminiæ nomen, uno Æmiliæ vocabulo appellabatur.

Æmi-

(1) Petrus Chrysologus Serm. 175.

(1) Livius Decad. 4. lib. 9.

Æmiliæ caput Bononia urbium totius Italiæ nobilissima, a Priscis etiam Felsina nuncupata, ad Apennini radices media via Æmilia sita est, prope Rhenum, fossa etiam in urbem deductum, a qua 2. M. P. fluens per agrum Bononiensem in Padum apud Ferrariam prius deferebatur; nunc autem vetere alveo oppleto in planitiem sese effundit maximo incolarum detrimento. Ad Meridiem Apenninum prospectat, ab Oriente Savenna alluitur ad Septemtrionem illi adjacet explicata lataque planities Occidentem versus haud procul ab urbe memoratus Rhenus fluvius præterlabitur, eamdemque rursus torrens Sapina mediam jucunde partitur. Ptolemæus in Sexto climate eam collocat, ad longitudinis gradum 33. cum dimidio, latitudinis vero 43. & 30. Ad Galliam Togatam pertinere putat: Plinius vero ad octavam regionem: Zosimus Æmiliæ attribuit. Ab antiquis Etruscis primum condita, ipsorum Colonia fuit: quos deinde, cum Galli Boii expulissent, ab ipsorum nomine Bojona dicta fuit, quæ prius Felsina dicebatur, ut Volaterranus tradit in Commentariis Urbanis, & Petrus Marsus super Silium Italicum. Verum Boiis a L. Furio Purpurione, & M. Marcello devictis fugatisque, Bononia Romanorum Imperio cessit, teste Livio: (1) *L. Furius Purpurio alter Cos. per tribum Sappiniam in Bojos venit: jam Castro Mutilo appropinquabat, quum veritus ne intercluderetur simul a Boiis Liguribusque, eadem via, qua adduxerat, reduxit, & magno circuitu peraperta, eaque tuta loca ad collegam pervenit, dein junctis exercitibus, primum Bojorum agrum usque ad Felsinam oppidum populantes peragraverunt: ea urbs, ceteraque castella, & Boii fere omnes, præter juventutem, quæ prædandi causa in armis erat, tunc in devias Sylvas recesserat, in deditionem venerunt.* Exinde Romanis cura fuit inclytam urbem tueri, ab hostium armis defendere, ædificiis ampliare: (2) Hinc *Flaminius Cos.* post *translatum ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum, Bononiensemque ita incursaverant, ut coli non posset: his quoque perdomitis pacem dedit finitimis. Et quia a bello quieta ut esset Provincia effecerat, ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit Arretium.* Usque ad Gratiani Imperatoris tempora fidem Romanis servavit, qua cum deinde libertatis desiderio excidisset, Æsculapius Cæsaris Præfectus ad officium compulit, arce prævalida in urbe constructa, qua rebellantibus frænum injecit. Sed paulo post novarum rerum cupida Theodosii imperium detrectans, ejus jussu deleta est: mox ab eodem restaurata, venustiorem in formam surrexit; omnium disciplinarum domicilio aucta, ad preces Sancti Petronii ejusdem civitatis Episcopi. Variam postmodum bellorum vicissitudinem passa nunc Longobardorum subiit jugum, nunc iterum a Cæsaribus in libertatem ascita, Romanorum Pontificum dominationi cessit. Sæpe a propriis civibus tyrannidem experta est: nonnumquam Mediolanensium Ducum armis domita. Tandem sub Julio II. Pontificiæ jurisdictioni collum subjecit, a quo quadraginta Senatores creati fuerunt, qui imaginem quamdam libertatis referrent, populoque exemplo essent levius tolerandi Ecclesiasticum jugum. Quamplures celeberrimi Scriptores insignem hanc urbem commendant, præ ceteris, Livius, Cicero, Plinius, Tacitus, Dion, Strabo, Appianus, Suetonius, Pomponius Mela, Trebellius Pol-

(1) Livius Decad. 4. lib. 3.

(2) Idem lib. 9.

Pollio, Silius Italicus, Vellejus Paterculus, Procopius, & Paulus Diaconus.

Apostolorum Principe adhuc in vivis degente, Evangelii luce illustrior facta, Christi fidem a Sancto Apollinari suscepit, cum is universam Æmiliam sua prædicatione a falso Idolorum cultu, ad veram unius Dei ac Redentoris nostri Religionem perduxit; quemadmodum refert Sigonius *lib. 1. de Episcopis Bononiensibus*. Multos deinceps Martyres Ecclesiæ peperit, ac celebres sanctitate viros: cives Christianæ pietatis cultores habuit; cujus testes sunt tot templa in honorem Sanctorum insigni magnificentia ædificata, & amplissimis aucta reditibus: tot Religiosorum hominum Cœnobia, quibus vix paria nobilitate ac amplitudine in aliis Terræ partibus reperire est. Præ omnibus visendum se exhibet Sancti Dominici Templum, ubi ejusdem Sanctissimi Patriarchæ Sacrum corpus, candidi marmoris tumulo eleganti ac excellenti opere constructo quiescit. Celeberrima hic viget Academia omnium Italiæ vetustissima, utpote quæ a Theodosio Imperatore fuerit instituta. Legum ac Juris Schola olim una fuit ac sola Bononia, extatque de ea Chalcocondylæ illud honorificum testimonium: *Bononia opibus, & reliqua felicitate præcipuis Italiæ urbibus non cedit, litterarum vero studiis superat*. Unde & Mater studiorum meruit appellari.

Bononiensis Antistes usque ad tempora Gregorii XIII. Ravennatis Metropolitæ Suffraganeus fuit. At Gregorius & ipse Bononiensis, Patriam eximio amore prosequutus, eam totius Æmiliæ Metropolim constituit; cui tum subjecit Cerviam, Imolam, Mutinam, Parmam, Placentiam, Regium. Sed Ravennate Archiepiscopo litem Bononiensi intentante, quod sibi Provinciæ suæ partem ademisset, a Clemente VIII. ea moderatio adhibita est, ut Cervia, & Imola pristinæ Metropoli restituerentur, Bononiensi vero recens institutæ, sequentes civitates subjectæ essent:

Bononia Æmiliæ Metropolis.

Crema.
Julia, seu Burgum Sancti Domnini.
Mutina.
Parma.
Placentia.
Regium Lepidi.

V. Cum Notitia Imperii ceteras Italiæ Provincias singulatim enumeret, mirum est, cur Insubriam præterierit. Crediderim proinde eam sub Liguria, & Æmilia post Augusti tempora collocatam: Augustus quippe totam Italiam a freto Siculo ad Alpes unicam Provinciam esse voluit: Hadrianus vero distributa in duas partes Italia primæ adscripsit regiones a Piceno suburbicario, usque ad Siciliam: secundæ autem regiones ultra, & cis Padum sitas, cum adjacentibus Provinciis, quæ ab Alpibus, usque ad Apenninos montes sese extendunt; suntque Liguria, Æmilia, Alpes Cottiæ, Rhætiæ duæ, Venetiæ, & Histria. Quam partitionem postmodum secuta est Notitia Imperii sub Arcadio, & Honorio con-

concinnata, additis Piceno Annonario, & Flaminia. Quare oportet Insubriam, Liguria, & Æmilia comprehendi. Paulinus enim de Divo Ambrosio tradit, eum a Probo Præfecto Liguriæ, & Æmiliæ præpositum, cum potestate Mediolanum venisse: quæ urbs erat Insubriæ caput, & Vicarii Italiæ Sedes. Nos itaque distinctam hic Insubriæ notitiam dabimus; ita tamen ut prius de Gallia Cisalpina, cujus pars præcipua quondam Insubria fuit, pauca dicamus. Peramœna illa Italiæ planities, quæ inter Apenninum, Alpesque sese extendit, Galliam Cisalpinam antiqui dixerunt, quod a Celtis Galliæ populis Alpes transgressis occupata, ab iisdem nomen deduxerit, ut a Gallia proprie dicta discerneretur. Antea siquidem Etrusci principes duodecim urbes in Etruria possidentes, cum exuberante gentis multitudine intra fines suos contineri non possent, superato Apennini jugo, campestrem hanc regionem ad ejus radices positam incoluerunt. Mox loci amœnitate summopere delectati, totidem colonias ibi deduxerunt, quot urbes cis Apenninum reliquerant: quarum clarissimæ tunc fuerunt, Felsina, & Adria, quæ Supero mari nomen dedit; productoque ultra Padum imperio, regionem omnem usque ad Alpes obtinuerunt, uno excepto angulo Venetorum intimos maris recessus jam tunc incolentium, ut ex Livio antea vidimus.

Haud diu tamen Etruscis concessum fuit potiri tam felici Italiæ imperio. Nam Galli Transalpini, Celtæ etiam nuncupati, cum præ multitudine gentis angustiores se fines habere arbitrarentur, Alpes prætergressi in Italiam magno exercitu irrumpunt, novas ibi Sedes quæsituri, armisque Tuscos impetentes, veteri possessione deturbant, pulsosque compellunt in Rhætios montes se se abdere. Novum Regnum adepti, novas condidere urbes, quique proprias, a variis Galliarum populis Italiam invadentibus erectas. Historiam persequitur Livius: (1) *De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa Imperii fuit: ii Regem Celtico dabant, Ambigatus is fuit virtute fortunaque tum sua, tum publica præpollens, quod imperio ejus Gallia adeo frugum, hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam exonerare prægravante turba regnum cupiens, Bellovesum, & Sigovesum, Sororis filios, impigros juvenes, missurum se esse, in quas Dii dedissent auguriis Sedes, ostendit, quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, nequa gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynei saltus, Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam Dii dabant. Is quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit, profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit. Alpes inde oppositæ erant, quas inexpugnabiles visas haud equidem miror nulla dum via, quod quidem continens memoria sit (nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum velut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentque quanam per juncta cœlo juga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit, quod allatum est, advenas quærentes agrum ab Saluviorum gente oppugnari. Massilienses erant in navibus a Phocide profecti, id Galli fortunæ suæ omen rati adjuvere, ut quem primum in terram egressi occupaverant locum, pa-*

(1) Livius Dec. 1. lib. 5.

patentibus sylvis communirent, ipsi per Taurinos, saltusque Juliæ alpis transcederunt, fusisque acie Thuscis, haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant agrum Insubrium appellari audissent cognomine Insubribus Heduorum, ibi omen sequentes loci condidere urbem, Mediolanum appellarunt. Alia subinde manus Germanorum Elitovio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu (favente Belloveso) quum transcendissent Alpes, ubi nunc Brixia, ac Verona urbes sunt, locos tenuere Libui, considunt, post hos Salvii, qui prope antiquam gentem Levos Ligures incolentes circa Ticinum amnem petiere Penninum: deinde Boii, Liguresque transgressi, quum jam inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellant, intra Apenninum tamen se se tenuere. Tum Senones recentissimi advenarum ab Usente flumine usque ad Athesim fines habuere. Itaque Celtarum populi florentissimam hanc Italiæ partem occupantes, de communi gentis nomine Cisalpinam seu Citeriorem Galliam vocaverunt; & quoniam varii erant populi, singuli singulas sibi Sedes statuerunt: Insubres Mediolanum, Novariam, Comum, Ticinum, ac finitima possederunt: Cenomani Bergomum, Brixiam, Cremonam, Mantuam, Veronam, Tridentum: Boii inter Padum & Apenninum eum Italiæ tractum occuparunt, qui ab hoc flumine Bononiam usque protenditur, indeque Ravennam, ac aliquas Flaminiæ civitates comprehendit: extremi Gallorum omnium Senones reliquam Romandiolæ partem, Urbinatium Ducatum, Senogalliam, Aesim usque tenuerunt. Hinc videre est, varias fuisse Galliæ Cisalpinæ partes, quas inter celebris extitit Gallia Togata, quæ nimirum intra Alpes, & Rubiconem fluvium, antiquum Italiæ limitem, arctatur. Immo neque totum hunc terræ spatium occupat, sed illud dumtaxat quod a Rubicone fluvio incipiens, Placentiam usque desinit. Togatæ nomen illi impositum fuit, postquam in Romanorum potestatem venit eo quod populi illi Romanorum more toga uterentur: cumque in ea multa essent municipia, multæ Romanorum coloniæ jura possidebant Civium Romanorum: unde Cicero *in epist. ad Atticum* scripsit: *Videtur in Suffragiis multum posse Gallia*. Extensum hoc nomen apud plures reperio, ad illam etiam Galliæ Cisalpinæ partem, quæ inter Apenninum, & oram maris Adriatici, ab Ancona ad ostia Timavi continetur.

VI. Polybius pervetus Scriptor amœnissimam hanc Italiæ regionem describens „ triangulari forma delineavit, cujus trianguli vertex ad Occidentem est supra Nicæam Massiliensium, ubi Apenninus, & Alpes copulantur: latus Septemtrionale Alpes faciunt, quæ ad mille passus ducentos & septuaginta quinque procurrunt: latus vero Meridionale efficit Apenninus, qui ad milliaria octoginta tria supra trecenta extenditur; basim trianguli facit ora littoralis Maris Adriatici, quæ a Senogallia usque ad intimum ejusdem maris sinum porrigitur septuaginta quinque milliaribus. Ita omnis camporum Galliæ Cisalpinæ circuitus Scipionis, & Annibalis temporibus, cum Aesinus amnis, non autem Rubicon ejus, & Italiæ terminus censeretur, milliaribus mille ducentis quinquaginta claudebatur. Padus fluvius, quem Poëtæ Eridanum vocant, ortum habens in radicibus Alpium, ubi quasi apicem trianguli esse docuimus, „ in

„ in hanc planitiem versus Meridiem „ defluit; hinc sese ad Orientem flectens duobus ostiis prorumpit in „ Adriaticum sinum: aquarum multitudine præ ceteris Italiæ amnibus abundat, quippe omnes fluvii, qui ab Apennino, Alpibusque descendunt, ad numerum duorum & quadraginta in unum coëunt Padi alveum. Æstivo quam hyemali tempore major fluit ob liquescentium nivium copiam. Navigari incipit a suo fonte milliario 20. atque hinc usque ad ostia navigatur duo fere millia stadiorum. Ita fluvius iste ceterorum amnium tributis onustus, quasi triumphali curru superbus incedens, Cisalpinam Galliam, ab Alpibus nomen sumere dedignatus, in partes duas Cispadanam, & Transpadanam arbitrio suo dispertit. „ De regionis vero hujus fertililate idem Auctor differens „ hos campos extremos totius Italiæ, omnis vero „ Europæ maximos atque uberrimos „ esse ait, ita enim in omnia frugum genera fecunda est hæc regio, ut sæpenumero nostra ætate, hoc est tempore belli Punici secundi, modius frumenti Siculi, „ non amplius quatuor obolis venum „ ierit; hordei vero non amplius „ duobus, dolium vini tantumdem. Milii præterea, & farris tanta copia est, ut opinionem hominum superet. Quare cum hæc omnis regio adeo sit & cœli clementia, & soli ubertate, ac rerum omnium affluentia felix, quid mirum est, si tot in eam finitimæ non solum, sed & longinquæ nationes superatis Apennini, & Alpium jugis, huc certatim comigraverint perpetuas sibi Sedes collocaturæ? Galli præ ceteris diutius ea potiti sunt, quoad usque Romanorum Imperium toti Italiæ frænum imposuit.

VII. Primi omnium Galli Senones rapidissimum procurrentis Imperii Romani cursum parumper supprimere tentarunt; fuso quippe ad Alliam flumen Romanorum exercitu, Fabio Consule ductore, urbem ingressi, plebem, patricios, Senatores ad unum omnes trucidant, paucis Duce Manlio arcem Capitolini montis insidentibus: faces tectis injiciunt, totamque urbem igne, ferro, manibus, solo exæquant. Septem mensium spatio Capitolinam arcem diu noctuque obsederunt: (1) *Novissime cum jam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe, væ victis increparent, subito aggressus a tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Igitur post assertam a Manlio, restitutam a Camillo Urbem, acrius etiam vehementiusque in finitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persecutus est Duce Camillo, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, cum singulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter spolia detraxit: inde Torquatus dictus. Iterum in Pomtino agro, cum in simili pugna M. Valerius, insidente galeæ sacra alite adjutus retulit spolia, dictusque est ipse Corvinus. Nec non tamen post aliquot annos omnes reliquias eorum in Etruria ad Latum Vadimonis Dolabella delevit, ne quis extaret in ea gente, qui intensam a se Romanam urbem gloriaretur.* Quæ deinceps secuta fuit Romanorum in Gallos reliquos certamina, Polybius, & Titus Livius narrant. Cum enim Galli Cisalpini ob Le-

(1) L. Florus lib. 1. cap. 13.

Legem Agrariam Flaminii Tribuni Plebis de Agro Piceno Senonibus erepto tumultum concitassent, ac Transalpinos Gallos Gesatas, Rhodani accolas arcessissent, Romani militaris ætatis peditum septingentis millibus, equitum vero septuaginta millibus conscriptis, C. Attilio, & L. Æmilio Consulibus, hostium copias in agro Pisano aggressi, prospero certamine quadraginta Gallorum millia interfecerunt, decem millibus ex his qui supererant in captivitatem abductis. Romanorum vero Consulum alter peremtus, alter L. Æmilius victoria usus, cum omnibus copiis in Bojorum terras profectus omnia vastavit. His rebus prospere gestis Romani spe concepta pellendi ex Italia Gallorum nomen, novos Consules creant T. Manlium Torquatum, & Q. Fulvium Flaccum. Ii in Gallorum fines irrumpentes Bojos expugnant, & Insubres; ac tum primum trans Padum Romani exercitum duxerunt, anno ab urbe condita 530. Tandem M. Claudius Marcellus, & C. Cornelius Consules dicti, adversus eosdem Insubres Gesatarum auxiliaribus copiis instructos prœlio commisso, Gallos profligarunt, ac Mediolano principe Insubrum civitate per vim capta, universam Galliam Cisalpinam suo adjunxerunt Imperio, finem bello Gallico imponentes, quo, ut Polybius ait, nullum ante id tempus, vel obstinatione animorum, vel atrocitate certaminum, vel militum audacia, vel numero copiarum, vel multitudine interfectorum majus, aut auditum est, aut lectum.

VIII. Ex hucusque assertis constat Galliam Cisalpinam, nunc vulgo Longobardiam dictam, latius patere Insubria: illa siquidem Veronam usque, Bononiam, & Taurinum protenditur, in Cispadanam, & Transpadanam divisa; hæc vero inter Sesitem, & Adduam, Padum, & Alpes continetur. Urbes Insubriæ, Mediolanum caput, Ticinum, Laus Pompeja, Comum, Novaria, Viglebanum urbs recens: nonnulli Placentiam, Vercellas, & Cremonam enumerant; sed potius Placentia ad Galliam Togatam, Vercellæ ad Transpadanam, Cremona ad Cenomanos, extra antiquos Insubriæ fines, pertinent. Hic tamen Insubriæ nomine comprehendimus eas omnes civitates, quæ Mediolanensi Metropolitæ subsunt. Christianam Religionem in Galliam Cispadanam, præcipue in Insubriam transvexit S. Barnabas Apostolus, uti antiquissima Mediolanensis Ecclesiæ monumenta testantur.

Insubriæ Metropolis est Mediolanum urbs omnium Italiæ clarissima atque amplissima, in planitie trans Padum inter Ticinum, & Lambrum fluvios sita. De illius origine hæc habet Livius: *Galli* (1) *fusis acie Thuscis haud procul Ticino fluvio, cum, in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, ibi omen sequentes loci, condidere urbem, quam Mediolanum appellarunt*. De imposito huic civitati nomine non eadem est omnium sententia. Aliqui enim censent, id nomen illi datum a media lanosa sue, quam auctor in fundamentis reperisse dicitur, ac etiam nunc in Foro Mercatorum marmoream ejus effigiem, antiquæ originis munumentum prostare. Quod insinuasse visus est Claudianus in Nuptiali Carmine Honorii, & Mariæ: (1)

Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassosque fretis ostenderat orbes:
Continuo sublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri suis ostentantia pellem
Pervenit . . . . . .

Ex-

(1) Livius Decad. 1. lib. 5.

(1) Claudianus de Nuptiis Honor. & Mar.

Expreſſe vero ſignificavit Sidonius Apollinaris *lib. 7. Epiſt.*

Et quæ lanigero de ſue nomen habet.

Alii autem Mediolanum ideo vocatum volunt, quod inter duo flumina Lambrum, Ticinumque medium teneret locum. At Volaterranus exiſtimat, hanc urbem a Gallis Inſubribus conditam, a nomine relicti ab eis Mediolani, ita appellatam; præſertim cum Ptolemæus Mediolanum oppidum in Gallia Lugdunenſi recenſeat inter Ligerim, & Sequanam fluvios.

A M. Claudio Marcello ſubacta hæc civitas, Romanis rerum potientibus nihil priſtinæ dignitatis amiſit: quo enim tempore viguit Reſpublica, Prætor Galliæ forum ibi agebat: re vero ad Imperatores translata, ibidem Vicarius Præfecti Italiæ Sedem ſuam fixit; quin & ipſi Romani Cæſares in ea Urbe aliquando thronum ſuum habuerunt, quemadmodum Philippus, Maximianus, Conſtantius, Theodoſius, Valentinianus, Honorius, Ludovicus, & alii his recentiores. Inde contigit, Mediolanum ſub Romanorum Imperio eam nobilitatem, opulentiam, civium multitudinem, & operum magnificentiam adeptum eſſe, ut facile primum a Roma dignitatis atque amplitudinis gradum teneret: ſeu ut Procopius *Rer. Gotthic. lib. 2.* loquitur: *Princeps inter Occidentis urbes poſt Romam, tam magnitudine, quam incolarum frequentia, & ceteris fortunæ bonis,* unde & circum, & theatrum, & templa, palatium, porticus, thermas Romanam magnificentiam æmulantes, habuit. Eleganti carmine hanc urbem deſcripſit Auſonius Poëta:

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, fecunda virorum
Ingenia, antiqui mores, tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populique voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata theatri.
Templa, Palatinæque arces, opulenſque moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata periſtyla ſignis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo;
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec juncta premit vicinia Romæ.

Plurimum ejus gloriæ detraxerunt Longobardi conſtituta Ticini Regni Sede: verum priſtina ei decora reſtituit Carolus Magnus, poſteaquam ablato Longobardis Italiæ Regno, ſancivit, ut Archiepiſcopus Mediolanenſis ex vetere Gregorii Papæ decreto jus coronandi Reges obtineret, ac Modoetiæ corona ferrea redimiret. A quo & ipſe Carolus Magnus corona ferrea redimitus fuit, necnon ſacro chriſmate, ut Reges ſolent, ſolemni ritu Modoetiæ conſecratus. Quod privilegium Archiepiſcopis Mediolanenſibus, petente Theodelinda Regina, a D. Gregorio Pontifice tributum, ex Paulo Diacono, & Carolo Sigonio refert Ughellus *Tom. 4. Italiæ Sacræ*. A Caroli Magni ætate, ac deinceps non pauco tempore Urbs Mediolanenſis libera Reſpublica fuit, in qua Principatum Præſul obtinebat, penes quem una cum delectis duodecim Patricii ordinis viris ſummum erat civitatis imperium. Quæ regiminis forma obtinuit uſque ad

ad Fridericum Ænobarbum: tum deinde electi Duces, quibus suprema inerat potestas. Iis vero sublatis multas vicissitudines experta, nunc Galliarum, nunc Hispaniarum Regibus, tandem hac nostra ætate clementissimo Imperatori Carolo VI. fasces suos submisit.

Floret etiamnum inclyta civitas, populi multitudine refertissima, agrique bonitate felicissima, inter primarias Italiæ urbes procul dubio computanda. Templis, Basilicis, ac Cœnobiis magnificentissimis exornata, vix similem habet. Metropolitanum Templum instar prodigii est, Deiparæ Virgini dicatum. Patet in longitudinem palmos nongentos, in latitudinem quadringentos triginta quinque, summa altitudo, absoluto opere, futura palmorum quingentorum quadraginta duorum, columnæ in ambitu 160. ingentis magnitudinis, statuæ marmoreæ sexcentæ, quibus ad quatuor millia quadringenta adhuc addendæ sunt; ut hinc quisque possit conjicere, nullum hoc opere, posteaquam perfectum fuerit, excellentius ac nobilius in toto orbe reperiri. Præter Metropolitanam Ecclesiam, septem invisuntur insignes Basilicæ: innumeras prope alias utriusque Cleri Secularis, ac Regularis, nec non Sanctimonialium Ecclesias, & Xenodochia omittam.

IX. A D. Barnaba Apostolo S. Pauli comite Mediolanum, æque ac aliæ Insubriæ civitates sacris Christianæ Religionis mysteriis fuerunt institutæ. Ab ipsis vero suis incunabulis Christi fides altas usque adeo radices fixit, ut si Romanam excipias Ecclesiam, nulla habeatur Mediolanensi fecundior, vel Martyrum palmis, vel Confessorum gloria, vel Pontificum dignitate, singulari sanctimonia vitæ conjuncta. Ex ipsius Archiepiscopis, quadraginta & amplius Divorum fastis adscripti sunt, quos inter eminet Sanctus Ambrosius, doctrina, sanctitate, & Ecclesiasticæ libertatis studio nulli comparandus. Post Romanam, nullam aliam in Italia vetustiorem Metropolim fuisse arbitror Mediolanensi. Ejus quidem originem Constantini ævo recentiorem facit Doctissimus P. Ludovicus Thomassinus *De Veter. & Nova Eccles. Discip. Par. 2. lib.* 3. *cap.* 40. §. 9. At Constantini Imperium ea antevertit: nam Aureliano imperante Romæ, & in Italia Synodos fuisse habitas in causa Pauli Samosateni in Concilio Antiocheno damnati, refert Eusebius *lib.* 7. *Histor. Eccles. cap.* 30. Hieronymus quoque *lib. de Scriptor. Ecclesiast. in Cornelio*, scribit, Cornelium Papam ad Fabium Antiochenum litteras dedisse *De Synodo Romana, Italica, & Africana*, in quibus Novatianus damnatus fuerat. At Synodos cogere ad Metropolitas spectabat, quo munere in Italia nullus alter tunc fungi poterat, nisi Mediolanensis Episcopus: Mediolanum quippe Sedes erat viri Consularis, qui septem Italiæ Provinciis præsidebat, & Galliæ Cisalpinæ vocabulo indigitabantur. Morem secutus Melchiades Papa, Constantino poscente, Romam ad Concilium ascivit tres Episcopos ex Galliis, quindecim ex Italia, quorum princeps ab Optato *lib.* 1. *de Schismate Donatistarum*, enumeratur *Merocles a Mediolano*, quod scilicet esset Italiæ Metropolita. Hoc sane titulo Episcopum Mediolanensem exornavit S. Athanasius *in Epistola ad Solitarios*, scribens: *Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Metropolis Italiæ*. Hæc auctoritas maxime enituit tempore D. Ambrosii, quo latius se se porrigebat in Æmiliam, Liguriam, Insubriam, Alpes Cottias, & Rhætiam primam. De Æmilia id significat ejus *epistola* 19. *ad Constantium*, ubi

ubi de Ordinatione Antiſtitis Fori Cornelii hæc habet: (1) *Commendo tibi, fili, Eccleſiam quæ eſt ad Forum Cornelii, quo eam de proximo interviſas frequentius, donec ei ordinetur Epiſcopus . . . . Occupatus diebus ingruentibus Quadrageſimæ tam longe non poſſum excurrere*. Ad ſe pertinere affirmat ordinationem Epiſcopi Fori Cornelii, ſed cum Quadrageſimæ diebus occupatus longum iter arripere nequiret, vices ſuas hac in parte committit Conſtantio. De Liguria, immo & Gallia Tranſpadana explorata res eſt: nam Genua, & Taurinum, receptes Metropoles ſunt a Mediolanenſi avulſæ.

Ad Alpes Cottias ſeſe ſundebat Archiepiſcopi Mediolanenſis auctoritas. Sunt vero Alpes Cottiæ, Pars Alpium Graiis, & Salaſſis proxima, inter Taurinos, & Allobroges poſita, qua primum Annibal in Italiam pervaſit, ubi nunc *Monſenis*, quaque poſtea Gn. Pompejus cum Sertorio conflixit. De his Plinius major *lib.* 3. *cap.* 20. Ammianus Marcellinus *lib.* 15. & Sigonius *De Antiq. Jur. Ital. lib.* 3. *c.* 6. Montana hæc regio nomen obtinuit a Cottio Rege, qui ceteris perdomitis Gallis, ſolus in amicitiam Octaviani Auguſti receptus, tractum illum, alias prope invium, ſtructis molibus tranſitu commodiorem reddidit. Ejus ſepulchrum, manesque Seguſione, (quæ hodie *Suſa* vocatur) gemino religionis titulo colebantur, teſte Marcellino, quod ſcilicet juſto imperio ſuos rexerit, & ſocietate cum Romanis inita, quietem genti paraverit ſempiternam. Cottius hujus filius regio honore decoratus fuit a Claudio Imperatore, ut tradit Dio *lib.* 60. mortuus eſt Nerone imperante, ac tum primum Alpes Cottiæ in Provinciæ formam redactæ ſunt, uti Suetonius narrat: (2) *Ponti Regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio in Provinciæ formam redegit*. Hæc Provincia duodecim olim Civitatibus inſignis erat, quæ Cottianæ dicebantur. Romani autem ea potiti colonias deduxerunt Auguſtam Taurinorum ſub Alpium radicibus, Auguſtam Prætoriam, & Eporediam. Meminit Plinius Auguſtæ Vanienorum apud Alpes Cottias, quæ tamen urbs modo non extat. Seguſium ejusdem regionis oppidum adhuc perſiſtit, natura, & arte permunitum. Quiſquis accuratiſſimum iſtius Provinciæ, ac veterum ejus urbium ſitum ſcire cupiat, conſulere poterit Philippum Cluverium, *Italiæ Antiq. lib.* 1. *cap.* 12. & Carolum Sigonium loc. cit. Nunc magna ex parte Taurinenſi Archiepiſcopo ſubeſt.

In Rhætiam quoque divagabatur Mediolanenſis Metropolitæ juriſdictio. Eſt porro Rhætia Europæ regio Italiæ adjacens, cujus limites Ptolemæus *lib.* 2. aſſignat, ab Occaſu montem Adulam, & Danubii, ac Rheni fontes: ab Ortu Lycum fluvium, qui in Danubium exit, & Rhætiam a Vindelica diſterminat: a Septemtrione Danubium: a Meridie Alpes ſupra Galliam Ciſalpinam. Dividitur in primam, ſeu ſuperiorem, & ſecundam, ſeu inferiorem. Superior Rhætia vocatur totus ille tractus, qui ab Helvetiorum finibus initium ſumens, non parvam Galliæ Ciſalpinæ partem ad Larium uſque Lacum occupat: hujus tractus incolæ nunc vulgo Griſones appellantur. Inferior a Luco amne, qui hanc a ſuperiore dividit, principium habet, & uſque ad Rhenum fluvium porrigitur, qui Rhætiæ, & Norici terminus eſt. Nunc Seviæ pars Borealis creditur, inter oſtium Rheni in Lacum

(1) S. Ambroſius Epiſt. 19.

(2) Suetonius in Nerone cap. 18.

cum Acronium, & Danubium: in qua Augusta Vindelicorum, Meminga, Biberacum, Ravensburgum, Constantia, Lindavia, Brigantium, Campodunum, aliæque urbes continentur, Lyco flumine eam a Vindelicia separante. Reliqua Rhætia inter Oenum ad Septemtrionem, & Alpes Rhæticas ad Austrum, Comitatus Tyrolensis magna ex parte appellatur.

Et sane quam diffuse Mediolanensis Ecclesia per Italiam non modo, sed Rhætiam quoque jus Metropoliticum obtinuerit, ante institutas Ravennæ, & Aquilejæ Metropoles, nos docet Eusebii Mediolanensis epistola, quæ ad Leonem Magnum missa est super fide, quam ad Orientem direxerat S. Dionysius Mediolanensis Antistes, qui tempore Constantii Imperatoris Ariani floruit, a quo ob Catholicæ fidei defensionem in Cappadociam relegatus fuit. Illi enim subscribunt Episcopi Insubriæ, Liguriæ, Æmiliæ, Rhætiæ, Alpium Cottiarum: Episcopi *Crispinus Ticinensis*, *Cyriacus*, *Laudensis*, *Abundantius Comensis*, *Faventius Regiensis*, *Majoranus Placentinus*, *Cyprianus Brixellensis*, *Abundantius Comensis pro Asimone Curiensi*, *Gradus pro Eustasio Augustano*, *Maximus Taurinatis*, & *Quintus Dertonensis*. Hos proinde Antistites constat spectasse ad Synodum Eusebii, qui primus subscripsit, eique accesserunt Paschasius Genuensis, Pastor Astensis, Simplicius Novariensis, Joannes Cremonensis, Octavius Brixianus, Justinianus Vercellensis, Quintius Albingaunensis, & Præstantius Bergomas. Præter Provincias nuper recensitas, etiam Flaminiam Mediolanensi Metropoli fuisse adscriptam, non modo suadent, quæ de Ecclesia Fori Cornelii antea adnotavimus *ex epistola* 19. Divi Ambrosii, quæ in aliis editionibus est 44. & 2. in novissima editione; sed etiam quæ Sanctus Petrus Chrysologus tradit *serm.* 175. de Marcellino a se ordinato Episcopo Vicohabentino, cujus causa fatetur se gravem cum Mediolanensi Ecclesia quæstionem habuisse, propterea quod Vicohabentina Ecclesia recens avulsa fuerit a Mediolanensi, & Ravennati attributa.

X. Gravior est quæstio de Venetiarum Provincia, num ante institutam Aquilejæ Metropolim Mediolanensi pareret? Doctissimi viri Baronius, & Sirmondus non modo Venetiarum, verum etiam Pannoniæ Ecclesias ad Mediolanensis jurisdictionem spectasse existimant. Contra vero eruditissimus Cardinalis Norisius *in Dissert. Histor. de Synodo Quinta*, *cap.* 10. multis argumentis subtrahere nititur supradictas Ecclesias jurisdictioni Mediolanensis Metropolitæ. Mihi tamen prior sententia arridet magis; præsertim quod attinet ad Venetorum Provinciam. Cum enim Aquilejensis Metropolis institutio recentior videatur Sancti Ambrosii ævo, hæc Provincia non alteri Metropolitæ, quam Mediolanensi addicta esse poterat; cum Romanus ultra decem Provincias Vicario Urbis tributas minime protenderetur: quæ autem extra Italiam erant Metropoles cum perpaucæ admodum essent, & procul positæ, nullum in Italia jus obtinebant. Quare ab Aureliani Imperio usque ad Gratiani tempora, duo tantum in Italia fuerunt Metropolitæ, Romanus scilicet, & Mediolanensis: nam ut observat Usserius Armachanus *in Opusculo de Metropolitanorum origine*, & post eum D. Emanuel a Schelstrate *Antiq. Eccl. Tom.* 2. *dissert.* 4. *cap.* 5. §. 10. & 11. in Controversia, quæ inter Paulum Samosatenum, & Domnum Antiochenum exarsit, totius Italiæ Antistites in duas classes distribuuntur, scilicet Urbis Romæ, seu

Romanæ Provinciæ, & Italiæ proprie dictæ; ut videre est apud Eusebium *lib.7. Hist. Eccl. cap.* 24. Cui conformis est *epistola Synodica Concilii Sardicensis* apud Divum Athanasium in *Apolog.* 2. ubi dicitur *S. Synodus, quæ convenit ex Roma . . . & Italia*, nimirum ex Provinciis Romana, & Italica. Romana ex decem Regionibus, quas vulgo post Ruffinum Suburbicarias vocant, Italica ex septem reliquis constabat. Primæ unus Romanus præerat Metropolita, Secundæ unus Mediolanensis. Quemadmodum enim duo erant Vicarii in Diœcesi Italiæ; ita & duo tantum Metropolitæ olim fuerunt instituti, Romanus, & Mediolanensis: prior jus exercebat in decem regiones Vicario Urbis subjectas; posterior in septem regiones, quibus præsidebat Mediolanensis: sicuti & Vicarius Italiæ easdem administrabat. Quare in subscriptionibus Concilii Arelatensis, Episcopis Provinciæ Italiæ præponitur Mediolanensis, veluti caput & Metropolita Provinciæ Italiæ. Et D. Athanasius *in epist. ad Solitar.* affirmat, Mediolanum fuisse Metropolim Italiæ. Quocirca Eminentissimus Cardinalis Baronius de hæreticis, hunc Athanasii locum perperam intelligentibus, ait: *Ridendi* (1) *autem sunt potius, quam confutandi, qui hujus loci Athanasii auctoritate Mediolanensem Ecclesiam, quasi totius Italiæ Metropolim Rom. Ecclesiæ magna vecordia, seu temeritate potius prætulere. Provoco eos ad ea, quæ idem paulo inferius addit, cum de Liberio Papa agens, hæc de Romana Ecclesia habet. Nulla reverentia ducti, quod Sedes illa Apostolica esset, vel quod Roma Metropolis esset Romanæ ditionis.* Consulto Athanasius Diœcesim Italiæ distinxit in ditionem Romanam, & Provinciam illam, quæ peculiari titulo Italia dicebatur: unde eo loci Italiæ nomen non totam Italicam Diœcesim comprehendit, sed partem ejus, quæ septem regionibus constat. Atque hinc intelligitur, cur D. Ambrosius absente Siricio Papa in Capuensi Synodo primas tenuerit: cur S. Joannes Chrysostomus a Theophilo Alexandrino, & Orientalium judicio, ad Synodum in Occidente a legitimo Pontifice cogendam appellans, non solum ad Innocentium I. hac de re scripserit, sed etiam ad Venerium Mediolanensem, quia scilicet Mediolani Antistes erat secundus post Romanum Pontificem in Italia Metropolitanus, qui magnam Italiæ partem administrabat, inter ceteros Occidentis Episcopos maxime conspicuus.

Et hæc quidem generatim probant, Mediolanensem Antistitem Metropoliticam exercuisse jurisdictionem in iis regionibus, quæ a Vicario Italiæ regebantur. Speciatim tamen de Provinciis Venetiarum, & Istriæ idipsum suadet *epistola S. Ambrosii* ad Vercellenses, (2) qui in demortui Eusebii locum alterum substituere ob dissidia differebant: *Sola*, inquit, Vercellensis Ecclesia *nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio.* Ex quibus verbis P. Sirmondus *lib.* 1. *Propemptici cap.*8. non immerito colligit, omnes Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceterarum finitimarum Italiæ partium Ecclesias ad Mediolanensis Metropolitæ sollicitudinem pertinuisse. Quod & confirmat altera ejusdem Ambrosii epistola ad Syagrium Veronensem Episcopum: (3) *Prospiciendum esse*, ait, *ne de nostro obloquantur judicio charissimi nostri Veronenses, proprii texui-*

(1) Baronius ad ann. 355.
(2) S. Ambrosius epist. 25.

(3) Idem epist. 46.

texuisti literis. Non arbitror fore; certe non solent. Aut si obloqui solcant, haud dubie liquet, cum aspcrati huc veniant, pacifici ad te revertantur. Præsertim cum hoc judicium nostrum cum Fratribus, & Consacerdotibus nostris participatum processierit. Fatetur Norisius Veronensis Ecclesiæ causas delatas fuisse ad Mediolanensem Metropolitam, ad quem dabatur appellatio; & certe perspicuus est hac in re D. Ambrosii locus nuper laudatus: Et tamen Verona ad curam Consularem Venetiæ, & Istriæ pertinebat, ut ex vetusta inscriptione, quæ Sirmione in Agro Veronensi ad Benacum legitur, ipse Norisius probat. In hanc Sententiam alia congeri solent argumenta, quæ Eminentissimus Scriptor minime dissimulavit. In Synodo Aquilejensi sub Damaso habita anno 381. D. Ambrosius Mediolanensis Episcopus sedit omnium primus, supremum judicem agens: ac Patribus Concilii Palladii Ariani causam proposuit: *Quid ergo vobis Sancti viri placeat, declarandum est. Omnes Episcopi dixerunt: placet.* Tum deinde Palladium interrogavit, hæreseosque convictum, ante ceteros (quos inter erat Valerianus Aquilejensis) adversus eum hanc tulit Sententiam: *Juxta ea quæ hodie audivimus .... Pronuntio illum Sacerdotio indignum, & ejiciendum, dum & in loco ejus Catholicus ordinetur: omnes Episcopi dixerunt, anathema Palladio.* Hoc sane est supremæ auctoritatis argumentum. Cur enim Valerianus, si fuisset tunc Metropolita, in propria Ecclesia permisisset, Mediolanensem præsidere Synodo, & ante ceteros proferre sententiam?

XI. Nec juvat Eminentissimi Norisii causam, quod ipse reponit, Ambrosium primum adversus Palladium sententiam dixisse, quod ab Apostolica Sede, & a Gratiano Imperatore illius causæ cognitor destinatus fuerit. Enimvero nullum apud Ambrosium, nullum in Actis Concilii Aquilejensis, aut apud Scriptores, qui ea memoriæ commendarunt, extat vestigium delegatæ Ambrosio ab Apostolica Sede hujus potestatis. Gratiani Imperatoris opera istud Concilium indictum fuit, uti referunt Baronius *Tom. 4. ad ann.* 381. & Ludovicus Bail *Tom. 2. Concil. pag.* 86. Cum enim Palladius, & Secundianus Ariani Antistites male audirent, ac de hæresi palam infamati, extra Ecclesiam pulsi essent, Gratianum interpellarunt, ut ad sui purgationem Generale Concilium a Damaso Papa indici curaret. Sed D. Ambrosius continuo intercessit, indignum judicans propter duos cariosos hæreticos, Justinæ Valentiniani Senioris conjugis patrocinio fretos, universum commoveri orbem. Ambrosio autem acquiescens Imperator indixit, ut finitimi convenirent Episcopi ad Synodum Aquilejæ celebrandam, nulla Damasi mentione facta: sed negotium illud Ambrosio commissum fuit, quod ipse tunc esset Italiæ Metropolita, ad quem intra suæ Provinciæ limites spectaret Synodo præesse. Quocirca non ut Damasi Legatus, sed ut Metropolita primus inter Patres sedit, primus sententiam pronuntiavit contra Palladium, cui Aquilejensis, & ceteri, qui aderant, Antistites morem gesserunt. Idipsum plane præstitit Ambrosius, quod & in Synodis Africæ Carthaginensis præstare consuevit, in quibus Aurelius Metropolita ceteros interrogabat, & primus omnium Sententiam dicebat: idque etiam in Synodo Genethlii Aurelii decessoris patet. Nihil hujusmodi de Aquilejensi, aut alio ex Italicis, aut finitimis Italiæ Episcopis proferri potest e quibus nullus usque ad Ambrosii obitum Synodos Episcoporum coëgit, minus etiam Synodis præ-

præfedit. Ab uno tantum Mediolanensi Episcopo per id temporis spatium, quod Ambrosii obitum præcessit, factum legimus. Propterea Africani Patres in gravioribus causis Romanum, & Mediolanensem Antistitem per Nuntios convenire solebant, nulla Aquilejensis consideratione habita. Sic in Synodo Carthaginensi Cæsario, & Attico Coss. indicta scripserunt in causa Donatistarum ad Siricium, & Simplicianum Ambrosii successorem. Aliam rursus legationem destinarunt in Synodo celebrata post Consulatum Fl. Stiliconis, ad Anastasium Papam, & Venerium Mediolanensem. Unde Severus Sulpitius, qui ea vivebat ætate, cum *lib. 2. Histor. Sacræ* narrasset, Priscillanistas a Damaso, dein etiam a D. Ambrosio damnatos, addit: *Tum* (1) *vertere consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, &c.* Itaque post Romanam, summa tunc erat Mediolanensis Ecclesiæ in Italia auctoritas. Neque vero vim hujus argumenti enervat Norisii responsio, nimirum ab Africanis Patribus idcirco ad Romanam, & Mediolanensem Ecclesiam Legatos missos, quia in utriusque Ecclesiæ Synodis vetitum fuerat, ne Donatistæ ad Catholicam unitatem conversi Sacris Ordinibus insignirentur; quæ lex ob Diaconorum penuriam cum ab Afris observari non posset, Legatos in Italiam destinandos decreverunt, qui facti rationem redderent, *ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum*. Quin potius nos inde conjicimus, non alias tum in Italia fuisse Metropoles, quam Romanam, & Mediolanensem, quocirca ab iis dumtaxat Synodi fuerunt indictæ in causa Donatistarum, ad quas ex omnibus Italiæ partibus confluxerant Sacerdotes. Eccur Aquilejensis adversus Donatistas, & Priscillanistas Synodos non coëgit, ut Catholicam tueretur fidem, si tunc Metropolitica pollebat auctoritate? Ea siquidem tempestate tanta erat in profligandis hæresibus sollicitudo Ecclesiarum, ut omnes in eas consurgerent, & indictis Synodis oppugnarent.

Nihil autem horum egisse Aquilejensem Ecclesiam seorsim legimus; quin potius ejus Provinciæ Episcopos Mediolanensem veluti Metropolitam consuluisse haud obscure insinuat Divus Ambrosius, cui cum Siricius Papa litteras cum hac inscriptione dedisset: *Siricius Mediolanensi Ecclesiæ*: ille vicissim respondit erudita epistola cum his subscriptionibus: (1) *Ego Ambrosius Mediolanensis Ecclesiæ subscripsi: Eventius Episcopus Cenetensis saluto Sanctitatem tuam in Domino, & huic epistolæ subscripsi. Maximus Episcopus Hemonensis. Felix Episcopus Jaderensis.* Porro ii Episcopi post Ambrosium subscripti ad Venetorum, Norici, & Dalmatiæ Provincias spectant: Ceneta siquidem urbs est Veneticæ regionis apud Alpes Tridentinas inter Taravisium, & Belunum: Hemona in Norico erat 86. M. P. supra Aquilejam, qua capta Maximinus Imperator, teste Herodiano, ad Aquilejam obsidendam exercitum duxit: Jadera civitas est Dalmatiæ. Cum igitur istarum urbium Episcopi literis a Siricio ad Mediolanensem Ecclesiam datis responderint, ad eamdem Ecclesiam tunc pertinebant, qui postmodum Aquileja in Ecclesiasticam Metropolim erecta eidem adscripti sunt. Quod enim Cardinalis Norisius reponit, hos Episcopos Ambrosium de Arianorum conatibus consulturos Mediolanum sub idem temporis se contulisse, ac proinde ipsos eidem epistolæ nomen dedisse; absque ullo

(1) Sulpitius lib. 2. Hist.

(1) S. Ambrosius epist. 7.

ullo fundamento dicitur. Ad Synodum quippe a Mediolanensi Episcopo coactam sese contulerant, uti ex ipsa epistola Synodica exploratum est, quæ a Synodo in Jovinianum Mediolani habita, ad Siricium Papam missa fuit: erant proinde Suffraganei istius Metropolis. Nec refert Jaderam Dalmatiæ urbem, ad Salonitanum Metropolitam, non ad Mediolanensem spectasse: Salona quippe multo post tempore in Metropolim erecta est.

XII. Hinc liquet ultra Venetiarum fines se porrexisse Mediolanensis Archiepiscopi jurisdictionem: quod nedum ea demonstrant quæ hactenus ex Synodo sub D. Ambrosio habita exposuimus; verum etiam quæ doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens adnotavit, de Mediolanensis Ecclesiæ auctoritate Sirmium usque diffusa. Paulinus quippe in Vita Sancti Ambrosii tradit: *Sirmium vero cum ad ordinandum Anemium Episcopum perrexisset*. Pertinere autem ad Metropolitam consecrare Episcopos, nulli dubium esse potest. Quare idem Baronius ad annum 380. putat, Ambrosium Sirmium se contulisse, ut Ecclesiæ Sirmiensi suæ Dioecesis consulturus præficeret Catholicæ communionis Episcopum. Mox causam subdit, quia perseverabat antiqua illa divisio Provinciarum, qua lege Vatinia conjuncta erat Provincia Illyrici Galliæ Cisalpinæ. Inde colligit Baronius, etiam Pannoniæ Ecclesias, & Illyricum Occidentale ad ejusdem Metropolitæ Mediolanensis jurisdictionem spectasse.

In hanc sententiam velitatur eruditissimus Norisius, & licet negare non possit, Anemium a D. Ambrosio Sirmii Episcopum fuisse consecratum; contendit tamen id non jure Metropolitico, sed Apostolica delegatione factum. Antiquitus enim non semel Metropolita ab alio Metropolita consecrabatur. Sic Theophilus Alexandrinus pro ordinatione Chrysostomi peragenda ab Arcadio Constantinopolim accitus fuit, ex Socrate *lib. 6. cap. 2.* Leo Magnus in literis ad Anastasium Thessalonicensem, & ad Episcopos per Illyricum, quæ habentur in Synodo Romana sub Bonifacio II. *Par. 1. Collectionis Holstenii*, facultatem impertitur Archiepiscopo Thessalonicensi ordinandi Metropolitas Illyrici. Cum vero Ambrosius in ore famæ esset, hoc & ipse speciali privilegio ab Apostolica Sede donatus fuit, ut Sirmii Episcopum consecraret.

Si vir clarissimus probare posset, Sirmium Divi Ambrosii ætate jam in Metropolim fuisse erectum, lubens ejus sententiæ accederem. Verum quia Ambrosii tempore, minus vero ante id tempus nulla deprehenduntur hujus rei documenta, assentiri nequaquam possum. Quod enim subdit, Sirmium Pannoniæ Secundæ Metropolim fuisse, cum Ammianus Marcellinus illius seculi Scriptor, *lib. 21.* urbem illam nuncupaverit, *Urbium Matrem, populosam, & celebrem*: & ipse Anemius in Synodo Aquilejensi dixerit: *Caput Illyrici nonnisi civitas est Sirmiensis. Ego igitur illius civitatis Episcopus sum*: probant utique Sirmium tunc fuisse Metropolim civilem Pannoniæ, & forsan Illyrici Occidentalis, non tamen Ecclesiasticam. Nullum quippe in tota antiquitate exemplum occurrit, Sirmiensem Episcopum tunc temporis Metropoliticam dignitatem fuisse indeptum. Sic Sanctus Athanasius Capuam vocat Metropolim Campaniæ, quam tamen ejus ætate constat, civilem dumtaxat, non Ecclesiasticam fuisse Metropolim. Anemius quidem se Sirmii Episcopum fatetur, ut ostenderet, sententiam suam non esse contemnendam, quod nedum Episcopus esset, sed

sed etiam Episcopus urbis celeberrimæ, quæ esset totius Illyrici caput, cujus Ecclesiasticam Sedem Ariani invadere frustra tentarunt, teste Paulino in vita Sancti Ambrosii: nulla tamen Metropolitica dignitate se ornatum prædicat. Quæ autem Norisius profert exempla Theophili Alexandrini, & Anastasii Thessalonicensis, ad rem non pertinent: Theophilus quippe honoris causa accitus fuerat, ut Patriarcha Patriarcham consecraret. Anastasius erat Primâs totius Illyrici Orientalis, & Vicarius Apostolicæ Sedis, cujus plenissima erat auctoritas in subjectos sibi Metropolitas. Ceterum Ambrosius nec Patriarcha erat, nec Primâs. Dum igitur Sirmiensem Episcopum ordinavit, non alio, quam Metropolitico jure hoc egit.

XIII. Alterum sententiæ Baronii fundamentum ex lege Vatinia deductum demoliri conatur Eminentissimus Norisius: Non video, inquit, quid Baronii sententiam lex Vatinia juvet, qua Illyricum Occidentale Cisalpinæ Galliæ accensebatur. Nam licet is tractus Illyrici a Præfecto Prætorio Italiæ sæpius regeretur ex *lib. 9. Cod. Theodos. l. 13. De pœnis* ad Flavianum, quod Rescriptum datum est a Valentiniano II. Veronæ anno 382. XV. Kalend. Sept. Item lib. 1. l. 2. *De Constit. Principum lib. 11. l. 1. Si per obreptionem* ad Probum; haud tamen ad ejusdem regiminis normam Metropolitana in Italia jurisdictio statui potest, alias unus fuisset Italiæ, & Africæ Metropolita: Africa enim per Præfectum Prætorio Italiæ gubernabatur. Sed neque ex Præfectura Vicarii Italiæ id deduci potest, huic enim parebant Provinciæ Consulares quatuor, Venetia cum Istria: Æmilia cum Liguria: Flaminia cum Piceno Annonario: Præsidiales tres, Alpes Cottiæ, Rhætia I. Rhætia II. At Pannonia Secunda, cujus Metropolis erat Sirmium, per Consularem regebatur: nam extat Rescriptum Valentiniani, & Valentis *ad Fortunatum Consularem Pannoniæ Secundæ lib. 8. Cod. Theod. l. 27. de cursu publico*. Quare uti Consularis Liguriæ, & Æmiliæ Mediolani, ita Consularis Pannoniæ Secundæ Sirmii residebat. Addi poterat, quod virum alioqui accuratissimum præteriit, ex Suetonio quidem in *Julio cap. 22.* quem Baronius citat, constare in favorem Julii Cæsaris Provincias Illyrici Galliæ Cisalpinæ unitas fuisse; sed postea a Constantino M. iterum sejunctas duobus Præfectis Prætorio subjectas. Quare quando ea etiam unio durasset post Cæsarem, Constantini tamen tempore cessavit.

Nobis tamen non est necesse ad legem Vatiniam confugere, cum alia suppetant majoris ponderis argumenta, quæ nuper attulimus. Neque idcirco Norisii responsio nos urget. Fuerit sane Sirmium Sedes viri Consularis, id unum inde sequitur fuisse dumtaxat civilem Metropolim Pannoniæ, non Ecclesiasticam. Nam & Notitia Imperii Occidentalis, quam ipse laudat, has Provincias Italiæ enumerat, quæ a Vicario Urbis per Consulares regebantur, scilicet Campaniam: Tusciam & Umbriam: Picenum Suburbicarium: & Siciliam; in quibus tamen per id tempus nullæ adhuc institutæ fuerant Metropoles Ecclesiasticæ. Quatuor itidem in Italia proprie dicta recenset Provincias Consulares, Venetiam cum Istria: Æmiliam cum Liguria: Flaminiam cum Piceno Annonario: & tamen in Flaminia usque ad Ambrosii ætatem nullus vigebat Metropolita. Extra Italiam Britanniæ, Hispaniarumque Provinciæ, & Galliarum non paucæ serius Metropoles Eccle-

clesiasticas sortitæ sunt; sed a viciniore Metropolita administrabantur. Nihil ergo refert, Sirmium Ambrosii ævo caput fuisse Provinciæ Consularis, ut inde colligi debeat etiam Ecclesiasticam Metropolim extitisse, cum ejusmodi Metropoles primis quatuor Ecclesiæ seculis, præsertim in Occidente essent rarissimæ; & in Italia universa non nisi duæ Romana, & Mediolanensis. Sicuti vero prior non solum in continentem, sed etiam in adjacentes Italiæ Insulas se se porrigebat; ita posterior non modo ad regendas septem Provincias Vicario Italiæ concreditas protendebatur, sed etiam ad Italiæ finitimas gubernandas. Propterea D. Ambrosius laudatus in literis ad Vercellenses scripsit, nedum septem Provincias prædictas, sed etiam *finitimas Italiæ partes suo egere officio*, utique Metropolitico. Pannonia autem secunda Italiæ finitima est, & ideo Mediolanensis Metropolis auctoritas tunc temporis Sirmium usque diffundebatur, sicut & Hemonam Norici urbem. Cum etenim pars illa Illyrici ad Occidentem spectaret, necesse erat illam alicui Occidentis Metropolitæ subjici, & quidem proximiori. Nullus porro tunc proximior erat ac Mediolanensis; huic igitur subjecta erat Illyrici pars illa, quousque proprios Metropolitas habere cœpit. Quamobrem nulla etiam habita Vatiniæ legis ratione, adhuc amplissima illa Mediolanensis Ecclesiæ jurisdictio consistit. Præsertim cum etiam post Provinciarum divisionem, novasque civiles Præfecturas a Constantino M. constitutas, haud statim Ecclesiastica politia, quæ tum vigebat, immutata sit; sed pristinæ Metropoles aliquandiu antiquam jurisdictionis amplitudinem retinuerint: quemadmodum in Oriente non solum, sed fere in plerisque Occidentis Provinciis videre est.

XIV. Non video quid Norisii sententiam, de Aquilejensi Metropoli ante Mediolanensem instituta, juvet Damasi epistola ad Illyricos Episcopos transmissa cum hac epigraphe: *Episcopi ad Sanctum Concilium Romæ convocati Damasus, Valerianus, & ceteri dilectis fratribus Episcopis, qui sunt in Illyrico in Domino salutem*. Epistolam recitat Sozomenus *lib. 6. cap. 23.* Inde colligit Norisius quod unus post Pontificem Valerianus Aquilejensis nominatur, ut plane non infimi ordinis cum ceteris, qui suppresso nomine recitantur, appareat, sed ut unicus tum temporis post Damasum in Italia Catholicus Metropolita censendus videatur. Non video, inquam, quid hæc epistola Norisii causam juvet: nam unius tantum Valeriani fit mentio, non quod Metropolita esset, minus vero solus, cum multi nedum ex Italia, sed etiam ex Galliis Antistites eo profecti essent, quos inter aliqui Metropolitica dignitate forsitan insigniti, sed quod meritis, ac fidei Catholicæ adversus Arianos defensione illustris reliquis hac in parte præstaret. (1) Aquilejam enim extincto Fortunatiano Episcopo Arianæ sectæ fautore, Arianorum labe purgatam, Valerianus vir Sanctissimus ab omni prorsus infidelitatis fece purgavit. Quamobrem Auxentio Ariano opposuit Damasus Valerianum cunctis spectabilem meritorum splendore. Nam & Osius Cordubensis in multis Conciliis in Oriente celebratis primus omnium subscriptus legitur, tametsi Metropolitanus non esset. Suberat etiam causa, cur unus ex Italia Aquilejensis Episcopus commendaretur, quia nimirum post Mediolanum Aquileja illustrior esset inter alias Italiæ urbes; cumque e Synodo

(1) D. Hieronymus epist. 43.

nodo abesset Auxentinus Mediolanensis, in quem illa coacta, & a qua damnatus fuerat, præcipuum ex ejus suffraganeis Damasus commemorare voluit Catholicæ fidei defensorem. Præterquam quod cum hujus Romanæ Synodi Acta perierint, magnis tenebris sepulta sunt, nec nisi detruncata a Theodoreto *lib.* 2. *cap.* 22. Sozomeno *lib.* 6. *cap.* 23. & Nicephoro *lib.* 11. *cap.* 31. ad nos transmissa; argumento esse potest, quod ii Scriptores epistolam Synodicam a Damaso ad Illyrici Episcopos datam referant: cum tamen in Collectione Romana ad Orientales directa dicatur his verbis: *Explicit hæc epistola, vel expositio Synodi Romanæ, habitæ sub Damaso Papa, & transmissa ad Orientem.* Huic Synodo XCIII. Episcopos *ex rescripto Imperiali* interfuisse, legitur in Epigraphe Synodicæ Collectionis Romanæ post Baronii obitum ab Holstenio publicatæ. Neque idcirco titulus, quem epistola præfert, eam scriptam esse *Episcopis Catholicis per Orientem constitutis*, falsus est, ut Valesius perperam scribit, quod Sozomenus, & Theodoretus citati illam ad Episcopos Illyrici datam esse tradant, idque ex ipsis Synodicæ verbis appareat. Nam ut animadvertit Hermantius in Vita Sancti Ambrosii *lib.* 1. *cap.* 17. exemplar hujus epistolæ uti ad Orientales, ita ad Illyricos missum fuit. Quod demonstrant verba prædicta Synodicæ Collectioni Romanæ subjecta: *Ego Sabinus Diaconus Mediolanensis Legatus de authentico dedi.* Porro Hermantius recte adnotat, hunc Sabinum non videri diversum a Sabino, quem S. Basilius Romam ad Damasum misit, ut constat ex ejus *epistola* 273. hujus tamen Sabini nihil prorsus meminerunt Theodoretus, & Sozomenus de hac Synodo scribentes; sicut nec Dorothei Presbyteri, quem tamen commemorat Damasus Papa in fragmento decreti in ipsa Synodo editi, quod subjicitur huic Synodo in Collectione Romana, & ex ea *Tom.* 11. *Concil.* edit. Labbeanæ *pag.* 893. ubi ait: *Quod ad removendas vestræ dilectionis spectat injurias, nec frater noster Dorotheus Presbyter explicare omnia vivaciter prætermittit, nec nisus nostri, ut ipse testis est, defuerunt.* Hæc vero, & alia non pauca, quæ in Collectione Romana Holstenii extant, apud Theodoretum, Sozomenum, Baronium, & alios desiderantur; ut proinde inficiari nemo, possit mutilam esse epistolam Synodicam, quam ipsi exscripserunt. Quamobrem deesse illi possunt nomina aliorum Episcoporum, quæ ex more illius ætatis inscribi solebant Synodicis literis. Nihil igitur ex illa erui potest pro Primatu Aquilejensis Ecclesiæ.

XV. Sed neque nos urgent, quæ eruditissimus Cardinalis ex variis epistolis ibidem subjicit, in quibus cum præcipuis Metropolitis, Aquilejensis videtur conferri: (1) Synodus, inquit, Constantinopolitana in literis ad Damasum, & Occidentales Episcopos in titulo nominat Damasum, Ambrosium, Britonem, & Valerianum; non igitur erat Valerianus inter Gregarios Antistites, sed Metropolitanus. Honorius Imperator in causa Chrysostomi ad Arcadium fratrem rescribens, ait: *Quænam vero sit Occidentalium de Episcopo Joanne sententia ex omnibus ferme epistolis constat, quas ad me frequentes dederunt. Ex his duas, continentes quod reliquæ, subdidi, scilicet Romani, & Aquilejensis Episcopi.* Cur vero literas Venerii Metropolitæ Honorius prætermisisset, Aquilejensis Suffraganei epistolam laudans? Erat

(1) Noris. in dissert. Hist. de Synodo Quinta cap. 10.

„ Erat ergo summa Aquilejensis Metropolitæ in Italia auctoritas, atque ex Honorii testimonio proxima Pontificiæ. Venerium autem pro Chrysostomo scripsisse, refert Georgius Patriarcha Alexandrinus in libro de vita Chrysostomi, ubi loquens de Arcadio, ait: *Acceptis litteris Imperatoris Honorii, Papæ insuper Innocentii, & Episcoporum Italiæ Chromatii Aquilejensis, Venerii quoque Mediolanensis, & aliorum, &c.* Ubi etiam Chromatium Venerio præpositum legis, ut hujus Suffraganeus nulla ratione asseri possit. Sanctus Hieronymus *lib. 2. Apol. 1. cont. Ruffinum* scribit: *Ergo beati Episcopi Anastasius, Theophilus, & Venerius, & Chromatius &c. illum*, scilicet Origenem, *hæreticum denunciant*. Erat ergo Chromatius Aquilejensis Metropolita, nam una cum Romano Pontifice, Patriarcha Alexandrino, & Metropolita Mediolanensi nominatus fuit. Sanctus Basilius Magnus *epist.* 324. scribit *Valeriano Illyricorum Episcopo*, in qua eidem gratulatur, quod ipsius opera in Occidente Arianorum conatus irriti evaserint. Hinc primatialis Valeriani Aquilejensis dignitas elucet, ad quem vel ex Oriente honorificentissimæ litteræ scribebantur.

Ceterum ex epistola Synodica Concilii CP. discere potuisset Norisius, D. Ambrosio Mediolanensi primas post Romanum Pontificem delatas fuisse a Patribus, eumque non solum, sed etiam Britonem Valeriano Aquilejensi prælatum; ut hinc conjicere liceat, majorem tunc Mediolanensis, quam Aquilejensis habitam rationem. Nec sequitur Valerianum jam tunc fuisse Metropolitam, propterea quod expressam ejus mentionem fecerint Patres Constantinopolitani, cum & ante Valerianum collocaverint Britonem, quem non constat Metropolitica dignitate insignitum. Interdum quippe solius honoris causa hujusmodi literis nominabantur vel simplices Episcopi, qui eximia meritorum prærogativa fulgerent, qualis absque dubio Valerianus erat. Sed neque omnino accurata videtur ea epistolæ Synodicæ inscriptio; nam præterquam quod Acholium Thessalonicensem Illyrici Orientalis Primatem extremo loco commemorat, Paulinum quoque Patriarcham Antiochenum, & Sanctum Epiphanium tunc Romæ degentes, atque ad Synodum a Damaso ascitos præteriit, ut observat Cardinalis Baronius *ad ann.* 382. *num.* 3. Minus nos premit, quod ex litteris Honorii Imperatoris profert: quid enim interest ad asserendam Chromatio Metropoliticam dignitatem, quod ex multorum Antistitum literis ad se datis Honorius brevitati studens, Innocentii dumtaxat, & Chromatii epistolas ad Arcadium direxerit? Ergo ne si prætermissa Aquilejensis epistola, ejus loco Eugubini Antistitis alteram laudasset, continuo Eugubinus Metropolita censendus esset? Erant præterea tunc temporis Chromatii virtus, doctrina, & pietas in Oriente pariter, & Occidente omnibus notæ, fama ejus nominis ubique diffusa, idcirco litteras viri commendatissimi præ aliis selegit, utpote ad emolliendum Arcadii animum, suadendumque magis aptas. Neque idcirco quidpiam auctoritatis deperiit Venerio Mediolanensi, cujus etiam epistola jussu Honorii per Legatos Romanæ Synodi Constantinopolim missa fuit, sicuti narrat Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus apud Palladium *in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi*: ubi licet in inscriptione, perinde ac Georgium Alexandrinum, Chromatium Ve-

Venerio præferat, tamen nihil detrimenti affert Venerio Mediolanensi; quoniam ut fatetur ipse Norisius contra Salmasium, hæc argumenta lubrica sunt: nam in Synodis non semper dignioris Sedis Episcopi primo loco subscribebant, in quam rem innumera exempla adducit Hallier *lib.4. Hierarch. Eccles. sect. 4. cap. 2. §. 76.* Certe in Synodo Sardicensi ante Protasium Mediolanensem subscriptus legitur Lucius Veronæ Episcopus, qui tamen ea tempestate subditus erat Protasio. In Synodo Romana sub Agathone Papa, ut habetur Act. 4. Synodi VI. Oecumenicæ, priori quidem loco subscripsit Agatho Papa cum suis Suffraganeis Episcopis Campaniæ, Siciliæ, Calabriæ, Brutiorum, Umbriæ, & Thusciæ, quæ civiles Provinciæ ad unam Provinciam Ecclesiasticam Romani Metropolitæ pertinebant, postea subscripsit *Mansuetus Mediolanensis* cum XVI. suis Suffraganeis, quos secutus est *Agatho Episcopus Sanctæ Ecclesiæ* Aquilejensis Provinciæ Istriæ, post quem nomen dedere ejusdem comprovinciales Episcopi; tertius a Mediolanensi subscriptus legitur *Theodorus Ravennas*. Hunc eumdem ordinem servat S. Hieronymus Italicarum Ecclesiarum peritissimus, contra Ruffinum scribens: *Ergo beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, &c.* Venerium Mediolanensem Chromatio Aquilejensi, & quidem amicissimo præponit. Idipsum facit Theodoretus *epist. 112. ad Domnum Antiochenum*, ubi ait: *De his etiam ad Dei amatissimos Episcopos Occidentis, Mediolani, Aquilejæ, & Ravennæ scripsimus*. Tandem D. Basilius Illyricorum Episcopum vocat Aquilejensem, non quod esset Archiepiscopus Illyrici, sed quia Græcis plerisque Scriptoribus Aquileja Illyrici urbs videbatur; unde Herodianus in Maximino, Aquilejam in confiniis Illyricorum ponit. Ea plane ratione, qua Sanctus Athanasius *in epistola ad Solitarios* Eusebium Vercellensem vocat Episcopum civitatis Italiæ; at vero de Mediolanensi loquens, inquit: *Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Metropolis Italiæ*. Et in Sardicensi Synodo in subscriptionibus apud Labbeum reperiuntur sequentes: *Fortunatus ab Italia de Aquileja. Severus ab Italia de Ravenna. Ursacius ab Italia de Brixia. Protasius ab Italia de Mediolano*. In alio autem Episcoporum Catalogo apud eumdem Labbeum additur: *Lucius ab Italia de Verona*. En illum ipsum Aquilejensem Episcopum, qui a Basilio vocatur Illyricorum Episcopus, hic vocari *ab Italia de Aquileja*, cum tamen Sardicensis Concilii tempore needum esset Metropolita, sicut nec Ravennæ Episcopus; sed quia omnes ii ad unam Italiæ Provinciam spectabant, idcirco de Italia dicuntur. Unus quippe tantum tunc erat Italiæ proprie dictæ Metropolita Mediolanensis; quare consulto addidit S. Athanasius, qui & ipse Concilio Sardicensi interfuit: *Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Metropolis Italiæ*.

XVI. Quamobrem nonnisi post D. Ambrosii obitum, atque ut arbitror, ineunte seculo quinto, Aquilejensis Episcopus cœpit inter Metropolitanos haberi. Enimvero deinceps reperimus Aquilejensem Antistitem, quæ propria sunt Metropolitanorum munia exercuisse, quod subtractus Mediolanensi peculiarem sibi Provinciam ex Venetia, & Istria conflatam acquisivisset. Nam S. Leo (1) ad Nicetam Aquilejensem scripsit, ut responsum Sedis Apostolicæ *ad omnes fratres, & comprovinciales suos Episcopos*

(1) S. Leo epist. 79.

scopos faceret pervenire. Quibus verbis indicat Sanctus ille Pontifex Aquilejensem Episcopum jurisdictioni suæ obnoxios habuisse Episcopos Venetiæ, & Istriæ. Idcirco epistolæ Synodicæ Eusebii Mediolanensis ann. 451. datæ non subscripsit; quod scilicet ab ejus jure Aquilejensis civitas, cum tota Venetiæ, & Istriæ Provincia exempta esset. Per id itaque temporis Metropolitica dignitate gaudebat Aquilejensis Antistes, æque ac Mediolanensis, cumque longius abessent Roma, *Mos antiquus*, teste Pelagio I. *inter illos observatus fuit*, *ut ipsi se invicem Mediolanensis, & Aquilejensis ordinare Episcopos debuissent*.

Latius itaque divagabatur Mediolanensis Metropolitæ auctoritas tertio & quarto seculo, quæ deinceps seculo quinto minui cœpit, ei subtractis Venetiæ, & Istriæ Provinciis, & Illyrici Occidentalis parte, uti etiam Flaminia; tum deinde secutis temporibus Æmiliæ, Liguriæ, Alpium Cottiarum, ac universim Galliæ Cisalpinæ maxima portione. Nunc autem illius jurisdictio hisce definitur urbibus, quas hic numeramus.

Insubriæ Metropolis Mediolanum.

Alba Pompeja.
Albintimilium.
Alexandria.
Aquæ Satillæ, seu Satillarum.
Asta.
Bergomum.
Brixia.
Casale S. Evasii, olim Sedula.
Cremona.
Derthona.
Lauda, olim Laus Pompeja.
Novaria.
Savona, quæ & Sabbatia.
Vercellæ.
Viglebanum.

XVIII. Liguria olim Mediolanensi Ecclesiæ subjecta, jam ab aliquot seculis proprio paret Metropolitano, si Albintimilium, & Savonam excipias. Priscis temporibus latius fines suos protendebat. Non ignobilis est Italiæ regio, sed majore ex parte montuosa, inter Varum ex Cema Monte effusum, qui mari inter Nicæam, & Antipolim exceptus, a Provincia illam disterminat, & Macram ab Etruria dividentem. Ab altero latere habet Apenninum, ab altero Padum, qui eam ab Insubria separat. Plures in Liguria populi variis nominibus, ac locorum situ invicem secernebantur. Celebriores a Livio commemorantur Apuani, & Ingauni. Apuani Macram fluvium incolebant in Ligurum, & Tuscorum confinio, a quibus Apua condita fuit, nunc vulgo *Pontremoli* dicta, insigne ac pervetus Liguriæ Oppidum. Ingauni, qui etiam Albingauni a Vopisco, Strabone *lib.* 3. Polybio *lib.* 10. aliisque vocantur, Albingaunum urbem construxerunt, quæ nunc Albenga appellatur. Iis finitimi erant In-

temelii, quorum colonia ad mare deducta, Albium Intemelium, quasi Alpium Intemelium nuncupata est. Ejus, sicut & Albingauni meminit Plinius *lib.* 3. *cap.* 4. (1) L. Florus inter Liguriæ populos recenset Deceates, Oxybios, Euburiates, Ingaunos, incognita nunc nomina, uti & eorum Sedes, si Deceates excipiamus: a Plinio quidem *lib.* 3. *cap.* 5. inter Ligures recensiti, licet proprie ad Galliam Narbonensem, seu Provinciam spectent, cum trans Varum Italiæ limitem locentur, Liguribus tamen contermini. Commemorantur etiam Livio *Decad.* 4. *lib.* 2. Celelates, & Cerdiciates, eorumque oppida Clastidium, & Litubium: Frisinates itidem *lib.* 9. In duas partes secatur hæc Provincia, Littoream & Mediterraneam. Prior mari adjacet, quod ab ipso Regionis nomine Ligusticum dicitur. Hujus caput est Genua. Mediterranea non uno exprimitur nomine; continet quippe Ducatum Montisferrati, partem Pedemontani Principatus, partemque Ducatus Mediolanensis, ab Insubria Pado divisa. Urbes Liguriæ Mediterraneæ sunt Dertona, Alexandria, Casale, Asta, Alba Pompeja, Salutiæ, Fossanum, M. Vici. Maritimæ vero Genua caput Liguriæ, Nicæa (quæ nunc in Provincia censetur) Albintemelium, Albingaunum, Naula, Savona: in ora autem apud Lunam Sarzana. Interius Prunatum, & Bobium parvæ civitates. Ab aliis etiam Liguria in Cisapenninam, & Transapenninam distinguitur: illa Montisferrati regionem, hæc reliquum Liguriæ comprehendit, quæ partim Apennino, partim adjacet Mari. Nunc Liguria littoralis in Orientalem, & Occidentalem secta est: Orientalis ab excisa Luna Genuam usque protenditur: Occidentalis vero a Genua usque Monoecum excurrit. Posterior ista magna ex parte, utpote quæ Apennini limbum insedit, sterilescit, ac perpetuo contuitu mare prospicit. Durior idcirco ei antiquitus rerum omnium fuit proventus, ut scribit Strabo. Introrsus siquidem tota pæne montuosa, alendis tantum proceribus arboribus commodum solum possederat, ex quibus rates conficiebantur. Hac tamen tempestate solum una cum incolis naturam permutasse videtur: expugnatum quippe pertinaci cultura feliciorem omnium rerum copiam fundit, tametsi minime sufficiat incolarum multitudini. Navigantibus gratissimum prospectum exhibet ora maritima: hinc colles assurgunt, hinc valles jacent: utrobique omnis generis fructus nascuntur. Maximum porro ac jucundissimum afferunt oblectamentum nunc continua, nunc intermissa villarum tecta, quæ, sive littore, sive mari utaris, præstant multarum urbium faciem.

XIX. Recentes Ligures, ab antiquis omnino dissimiles, una cum imperio mores in melius verterunt: nunc etenim animi præstantia, amœnis moribus, ingeniique subtilitate fulgent, mercaturæ vero industria, arte nautica, atque in explicandis negotiis solertia, omnibus fere aliis nationibus antecellunt. Olim ex adverso genus hominum asperum, ferox, sylvestre: ubi vero se ab exteris nationibus premi conspexisset, bello infatigabile; atque ut ait Livius, *Decad.* 3. *lib.* 7. *Ligures, durum in armis genus*. Locorum asperitate muniti Liguriæ populi diuturnum & asperum cum Romanis gessere bellum, varia utrimque fortuna, hanc nacti laudem, quod Romanorum cotem acuissent. De his idem Livius hæc narrat: *Cum hæc Romæ geruntur, Coss. ambo in Liguribus gere-*

(1) L. Florus lib. 2. cap. 3.

rebant bellum: is hostis velut natus ad continendam per intervalla bellorum Romanis militarem disciplinam erat, nec alia Provincia militem magis ad virtutem acuebat . . . . (1) *In Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent, loca montana, & aspera, quæ & ipsis capere labor erat, & ex præoccupatis dejicere hostem, & itinera ardua, angusta, infesta insidiis, hostis levis, & velox, repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum, aut securum esse sineret, oppugnatio necessaria munitorum castellorum laboriosa simul, periculosaque; inops regio, quæ parsimonia astringeret milites, prædæ haud multum præberet: itaque non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat, nihil præter arma & viros, omnem spem in armis habentes, erat, nec deerat umquam cum iis vel materia belli, vel causa, quia propter domesticam inopiam vicinos agros incursabant, numquam tamen in discrimen summæ rerum pugnabatur*. Primum cum iis populis bellari cœptum est, L. Cornelio Lentulo, & Q. Fulvio Flacco Coss. anno Urbis conditæ 517. ut refert Florus *in Epitom.* 20. Diu hoc bellum sæviit, ac multa post prœlia tandem a C. Flaminio, & M. Æmilio subacti sunt. Rem persequitur Livius: *Flaminius Cos. cum Frisinatibus Liguribus, in agro eorum pluribus prœliis secundis factis in deditionem gentem accepit, & arma ademit, ea quia sincera fide non tradebant, quum castigarentur, relictis vicis in montem Auginum confugerunt, confestim secutus est Cos. ceteri effusi rursus, & pars maxima inermes per invia & rupes diruptas præcipitantes fugerunt, qua sequi hostis non posset, ita trans Apenninum redierunt; qui castris se tenuerant, circumsessi, & expugnati sunt. Inde trans Apenninum ducta legiones, ibi montis, quem ceperant, altitudine paulisper se tutati, mox in deditionem concesserunt, tum conquisita cum intentiore cura arma, & omnia adempta. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum, Bononiensemque ita incursaverant, ut coli non posset · his quoque perdomitis Cos. pacem dedit finitimis . . . . M. Æmilius alter Cos. agros Ligurum vicosque, qui in campis aut vallibus erant, ipsis montes duos Ballistam, Suismontiumque tenentibus, deussit, depopulatusque est; deinde eos, qui in montibus erant adortus, primo levibus prœliis fatigavit, postremo coactos in aciem descendere justo prœlio devicit, in quo & ædem Dianæ vovit, subactis cis Apenninum omnibus: tum transmontanos adortus, in his Frisinates Ligures erant, quos non adierat C. Flaminius, omnes Æmilius subegit, armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit*. Siquæ postmodum hujus belli reliquiæ superstites fuerunt, eæ a Marcello, a P. Cornelio, & M. Bebio deletæ sunt, teste eodem Livio *Decad.* 4. *lib.* 10. Universa quæ de bello Ligustico variis in locis scripsit Livius, brevi historiæ compendio absolvit L. Florus: (1) *Jam Ligures*, inquit, *jam Insubres Galli, nec non & Illyrici lacessebant sic de sub Alpibus, idest de sub ipsis Italiæ faucibus, gentes Deo quodam assidue incitante, ne rubiginem, ac situm arma sentirent: denique ita quotidiani, & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant; nec aliter utraque gente, quam quasi cote quadam Populus Romanus ferrum suæ virtutis acuebat. Ligures imis Alpium jugis adhærentes, inter Varum, & Macram flumen, implicitos dumis sylvestribus, major aliquanto labor erat inve-*

(1) Livius. Decad. 4. lib. 9.

(1) L. Florus lib. 2. cap. 3.

invenire, quam vincere. Tutum locis, & fuga, durum, atque velox genus ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque cum diu, multumque eluderent, saltu, viis, latebris, Deceates, Oxybii, Euburiates: incognitas tandem Fulvius latebras eorum ignibus sepsit, Boebius in plana deduxit. Posthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur. In unam Provinciam Consularem Liguria redacta fuit sub Marcello, ut tradit Livius *Decad.* 4. *lib.* 10.

XX. Liguriæ caput ac Metropolis, præsertim eo ex tempore, quo in Romanorum devenit potestatem, Genua est, quo nomine eam vocant Livius, Valerius Maximus, Strabo, Plinius, Ptolemæus, & Antonini itinerarium. A Genuo Saturni filio sic dictam aliqui censent: nonnulli a Genuino Phaëthontis socio: quidam ab Jano Genuo prisco Italiæ Rege conditam putant: alii a Genua Promethei filia nomen duxisse arbitrantur: nec desunt qui Genuam a genu appellatam existiment, eo quod habeat tamquam genu recurvum a latere maris. Recentes Scriptores Januam nominant, vel a Jano conditore, ut volunt, vel ut verius creditur, quod sit Italiæ Janua. Mille annos ante Romam conditam huic urbi quidam tribuunt, sed nullis certis nituntur documentis. Nulla apud priscos auctores Genuæ occurrit mentio, quam quæ apud Livium extat, dum eam urbem a Magone Pœnorum Duce captam commemorat: *Eadem* (1) *æstate Mago Amilcaris filius ex minore Balearium Insula, ubi hybernarat, juventute lecta, in classem imposita, in Italiam XXX. rostratis navibus, & multis onerariis duodecim millia peditum, duo ferme equitum trajecit, Genuamque nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit:* captam excidit, excisam vero post biennium Lucretius reædificavit, cui ob hanc caussam a Senatu prorogatum fuit imperium, eodem Livio auctore: (1) *Lucretio prorogatum imperium est, ut Genuam oppidum a Magone Pœno dirutum exædificaret:* ac deinceps Romanorum municipium evasit; sub quorum imperio crevit opibus, & ædificiorum amplitudine. Inter præcipuas Italiæ civitates etiamnum recensetur, Emporium Italiæ celeberrimum, cujus cives ditissimi totius Europæ habentur. Posteaquam exolevit Romani Imperii potentia revocatis Consulibus, se in libertatem asseruit; & licet ab exteris æque ac civibus pluries amittendæ libertatis discrimen adierit, eam tamen singulari prudentia, consilioque servavit, perfectissima Reipublicæ forma constituta. Bellum exinde cum Barbaris intulit nationibus, terra marique formidabilis longe lateque suæ ditionis terminos protulit. Corsicam Saracenis ereptam Liguriæ adjunxit: ad Orientis littora ingentes impulit classes, ac nobilissimis Syriæ civitatibus injecit frænum: Christianorum Principum armis federe juncta Jerosolymas barbarorum jugo exemit: In Scythiam bellum convertit, capta Theodosia, quam hodieque Capham appellant: Cypri Regno in Asia, Lesbo, Chioque Insulis, & Galata Thraciæ Urbe, Constantinopoli brevissimo freto discreta, potita est.

Illustrior Christiana Religione quam Armis, illibatam Christo fidem servavit, quam a D. Barnaba Apostolo se hausisse merito gloriatur. Sanctitate & doctrina insignes Episcopos habuit, Mediolanensi Metropolitæ Suffraganeos, quo ad usque Innocentius II. hanc urbem Liguriæ Metropolim renunciavit, Syro hujus Sedis

(1) Livius Decad. 3. lib. 8. circa finem.

(1) Ibidem lib. 9.

Sedis primo Archiepiscopo creato, quem & Pallio donavit. Anastasius vero IV. & Alexander III. eumdem Syrum Legatum natum ultra mare, in subjectis Genuensi Reipublicæ locis constituerunt, hac ipsa dignitate etiam ad successores extensa. Urbes porro huic Metropoli adjectæ eæ sunt.

Liguriæ Metropolis Genua.

Albingaunum.
Bobium.
Brugnatum.
Naula.
Mariana.
Nebium, olim Cersunum.

Duæ eæ postremæ urbes in Corsica sitæ sunt, sed tamen Genuensi Metropolitæ parent: reliquæ autem Pisano.

XXI. Galliam Subalpinam Liguriæ proximam, nunc Pedemontium, seu Pedemontanum Principatum appellant, sic dictam, quod ad Alpium Maritimarum Cottiarum, Pœninarum, Grajarumque radices, seu ad pedes montium posita sit. Mira ob spatiosam planitiem soli ubertate prædita est; eaque Salassos, Taurinos, magnamque Liguriæ partem complectitur. Salassi Straboni, qui & Salasii Plinio dicuntur, eam vallem incolunt, quam Duria fluvius, seu Doria, ut eam vocat Strabo, interfluit: non illa, quæ per Segusios, & Taurinos ex Alpibus Cottiis Padum apud Augustam Taurinorum subit; sed altera ex Alpibus Pœninis ad Crescentinum oppidum in Padum influens. Horum regio nunc vulgo, *la Valle d'Aosta*, nuncupatur: cujus urbes sunt Eporedia, & Augusta Prætoria. Perperam aliqui Salutias huic regioni accensent, cum urbs ista ad Liguriam Cisapenninam spectet, inter quam, & Salasios, Taurini intersiti sunt. Quamquam & nunc Salutiæ Pedemontio sint attributæ, sicut & Segusium intra Alpes in Galliæ Narbonensis, & Taurinorum confinio positum. Taurini & ipsi Galliæ Cisalpinæ populi, a Liguribus oriundi, sub Alpium radicibus habitant; quorum urbs præcipua inter Padum, & Duriam, seu Doriam constructa, Taurinum, & Augusta Taurinorum nominatur. De illius auctore non una est omnium opinio. A Tauro Massiliensium conditam putat Stephanus Grammmaticus, eamdemque primum fuisse coloniam Massiliensium. Quidam ab Aphricano Phaëtonte, alii a Limitone Noëmi nepote ædificatam volunt. Ei aliquando Tauratiæ nomen inhæsit, ut in Annibale narrat Appianus. Livius, Polibyusque Taurinum nominant: sed post exactos inde Gallos a Romanis capta, ipsorum colonia evasit, ac deinceps Augusta Taurinorum appellata est; quo nomine illam vocant Ptolemæus, Plinius, & Tacitus. Pervetus sane ac nobilis civitas est, quam Annibal expugnatis Apennini jugis primam omnium censuit expugnandam, ut inde ad victoriam Urbis, Italiæque imperium aditum sibi pararet, teste Livio: *Jam ex* (1) *stativis*, inquit, *moverat Annibal, Taurinorumque unam urbem, caput gentis ejus, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnavit.* Longe ante Annibalis adventum Galli Seno-

(1) Livius Decad. 3. lib. 1.

Senones eo loci, quo & ipse in Italiam penetrarunt, nam ut idem Livius tradit: [1] *Per Taurinos, saltusque Juliæ Alpis transcenderunt*. Pulsis Italia Pœnis in Romanorum ditionem concessit, eorumque colonia effecta exinde appellari cœpit Augusta Taurinorum, quemadmodum antiquæ inscriptiones fidem faciunt. Labente autem Romani Imperii fortuna, Longobardorum jugum subiit, usque ad Caroli Magni tempora, tunc quippe Desiderio Rege capto, ac protrita gentis ejus potentia, plurimorum Principum dominatum sustinuit; quo ad usque sub æquissimo Ducum Sabaudiæ imperio ad eam perveniret magnitudinem, nobilitatem, opesque quibus nunc maxime floret. Quadratam figuram præsefert, quatuor portarum aditibus patens, novis ac pulcherrimis ædificiis regia plane magnificentia ornata, necnon munitissima arce instructa, multisque frequentata incolis inter præcipuas Italiæ civitates enumeratur.

Sacris Christianæ fidei rudimentis imbutam vel a Sancto Barnaba Apostolo, vel ab aliquo ejus alumno, refert Philibertus Pingonius. Nec dubium esse potest, quin ab initio fere susceptæ Christianæ Religionis proprios habuerit Episcopos, cum nobilis esset hæc civitas, atque ut diximus, Romanorum colonia; quamquam eorum interierit memoria usque ad Maximum ejusdem urbis Antistitem, doctrina & sanctitate conspicuum. Suspicari forsan quis poterit, num Taurinensis Ecclesia usque ad Seculum quintum Mediolanensi, an potius Narbonensi Metropolitæ fuerit subjecta, propterea quod anno 397. seu, ut videtur Pagio, 401. Synodus Taurini habita sit ex quinque Galliarum Provinciis. Synodica enim epistola ad universos Galliarum Episcopos data his verbis inchoat: *Sancta Synodus, quæ convenit in urbe Taurinatium die* 10. *Kalend. Octobris, Fratribus dilectissimis per Gallias, & quinque provincias constitutis*. Verum ut observat Pagius *ad ann.* 401. *num.* 30. Synodus Taurinensis non a Gallicanis Episcopis, tametsi adfuisse aliquos certum sit, sed horum postulatione, ut Præfatio ipsa docet, ad componendas eorum de variis negotiis controversias, ab Italiæ Episcopis celebrata fuit. Præcipua versabatur inter Episcopos Arelatensem, & Viennensem de jure Metropolitico, quæ canone II. definita est. Itaque Taurinensis Ecclesia Mediolanensi Metropoli etiam per id tempus subjecta erat, ac deinceps eidem paruit usque ad tempora Xysti IV. qui eam ab omni jure Metropoliticæ Sedis exemit: Leo autem X. in peculiarem Metropolim erexit, subjectis illi Eporediensi, & Montis Regalis Ecclesiis; cui postea Fossani Ecclesia accessit tempore Clementis VIII.

Pedemontii Metropolis Taurinum.

Eporedia.
Fossanum.
Mons Regalis.

Augusta Prætoria, quæ olim Mediolano suberat, nunc Taranthasiam urbem Allobrogum Metropolim habet.

CAPUT

(1) Livius Decad. 1. lib. 5.

CAPUT VII.

Synopsis.

I. *Venetorum Provincia ad Mare Adriaticum sita ex Livio describitur. Ejus origo discussa. Cum Romanis societatem iniit. Ab Attila vastata, & ejus urbes eversæ. Tunc Venetiarum civitatem in æstuariis Adriatici Maris conditam ferunt.*

II. *Istria postrema est Italiæ regio Illyrico contermina, sed parva. Quo tempore a Romanis fuerit subacta.*

III. *Aquileja Venetiarum, & Istriæ quondam Metropolis a Romanis condita. Unde hoc nomen sortita. Romanis fidelissima fuit: sed tandem ab Attila excisa.*

IV. *Aquilejensis Ecclesia a Sancto Marco Evangelista originem ducit. Postquam in Metropolim erecta fuit Mediolanensis & Aquilejensis Antistites mutuo se consecrabant.*

V. *Aquilejensis Patriarchatûs initia. Nuda primum hæc dignitas: deinde tributus ei honoris Primatus supra Italiæ Metropolitas. Hinc variæ contentiones inter ipsum, Ravennatem, & Mediolanensem exortæ. Vicit tandem Aquilejensis. Quam late olim sese funderet ejus auctoritas.*

VI. *Ab Aquilejensi Patriarchatu Gradensis prodiit. Causa novæ hujus Sedis instituendæ exponitur. A Nicolao V. Patriarchatus Gradensis Venetias translatus est. Urbes illi adscriptæ.*

VII. *Præter Patriarchicam dignitatem, etiam Primatis Dalmatiæ honore insignitus est, Jadera Metropoli ipsi contributa. Episcopatus huic Metropoli Suffraganei. Idem Patriarcha Venetiarum in alias quoque Regiones Venetiarum Reipublicæ subditas jura Primatis exercet.*

I. Venetia cum Istris decimam Provinciam componit Vicario Italiæ subjectam. Non eo nomine hic intelligimus urbem celeberrimam, quæ nunc totius Provinciæ est caput; sed regionem Italiæ ad Mare Adriaticum sitam, cujus originem initio Historiæ suæ ita descripsit Livius Patavinus & ipse ejusdem regionis incola: (1) *Jam primum omnium satis constat, Troja capta, in ceteros sævitum esse Trojanos, duobus, Ænea, Antenoreque & vetusti jure hospitii, & quia pacis, reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse. casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & Sedes, & ducem, Rege Pylæmene ad Trojam amisso, quærebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisque, qui inter mare alpesque incolebant, pulsis, Henetos Trojanosque eas tenuisse terras, & in quem primum egressi sunt locum, Troja vocatur; pagoque inde Trojano nomen est, gens universa Veneti appellati.* Ab Henetis itaque Paphlagoniæ populis Veneti nomen traxerunt, littera H in V commutata, qui Trojanis mixti Sedes hic suas posuerunt, antiquis terræ habita-

(1) Livius initio lib. 1.

tatoribus ejectis. Antea siquidem, ut Sempronius, & Pseudo-Cato in originibus tradunt, Tusci patria lingua Euganei dicti, hoc est bene nati, hanc regionem tenuerunt. Quamquam Tacitus ipsis repugnet, nec Venetorum angulum ab Etruscis occupatum velit. Nonnullis tamen de istius gentis origine alia insedit opinio; censent quippe a Venetis Oceani in extrema Galliarum ora accolis nomen & originem duxisse, qui etiamnum in Britannia minore Veneti appellantur. Hæc regio longe lateque excurrit inter Alpes Julias, & Rhætiam, Adduam, & Padum flumina, & oram Maris Adriatici, ab ostiis Padi, usque ad Sinum Flanaticum, seu Liburnicum. Ptolemæus quidem eam definit inter Adduam fluvium, qua separatur ab Insubria ad Occasum, & Liquentiam, qua a Carnis dirimitur ad Ortum. Verum Strabo, & Plinius etiam Carnos Venetia contineri affirmant, eamque ad Istriam usque protenderunt. Ante Annibalis adventum in Italiam, Veneti ex Transpadanis populis omnium primi in Romanorum societatem asciti, velut ex eodem Trojano sanguine progeniti, eis adversus Bojos, & Insubres bellum gerentibus auxilio fuerunt, atque ad extremam usque Romani labentis Imperii cladem in officio manserunt. Priscis temporibus Patavium princeps fuit Veneticæ regionis civitas, quam Livius Virgiliusque post Trojanum incendium ab Antenore conditam ferunt. Amicitiam Populi Romani adeo impense coluit, ut, teste Livio, misso a Senatu M. Æmilio altero Cos. invicem pacis fœdus percusserint, & cum universa Venetorum inierint gente societatem. Hinc Cicero in Philipp. asserit, Patavinos Romanis amicissimos fuisse, ac Romanam Rempublicam difficillimis temporibus pecunia & armis juvisse. Eis vero vicissim a Romanis pro singulari amicitiæ pignore jus coloniarum, & Latii in Magistratibus, suffragiisque concessum fuit; sicut videre est apud Asconium Pedianum; tantumque urbs illa floruit, ut, Strabone auctore, Augusti temporibus quingentos Equestris Ordinis viros enumeraret. Ceterum Aquileja a Romanis ædificata, eoque deducta colonia, Patavium nonnihil a pristino splendore excidit: Aquileja siquidem eam amplitudinis dignitatisque gloriam adepta est, ut totius Venetiæ, Istriæque Metropolis, ac viri Consularis Sedes fieret: qua de re postea.

Eodem quo Romani Imperii, Venetorum fortuna, fato obvoluta est. Cum enim Attila Hunnorum Rex ab Aetio duce, ac fœderatis Regibus ingenti prœlio commisso fusus esset in campis Catalaunicis, præter spem e Galliis ereptus, in Italiam infudit exercitum, ubi Aquilejam triennii obsidione captam solo æquavit, pari excidio Patavio, Mediolano, Ticino, aliisque urbibus, oppidisque vastatis, uti narrant Jornandes *de rebus Got. cap.* 36. Cassiodorus *in Chronico*, & Paulus Diaconus *lib.* 15. Ferunt autem ea tempestate, nimirum circa annum Christi 453. Venetiarum civitatem ex illa barbarorum incursione originem accepisse, Italis plerisque, & maxime Patavinis, & Aquilejensibus, ex urbium suarum incendiis & ruinis ad æstuaria receptum habentibus. Ita memoriæ prodiderunt Blondus *Decad.* 3. *lib.* 1. Sabellicus *Ennead.* 8. *lib.* 1. & Sigonius *de Imperio Italiæ lib.* 13. Parvis ex principiis, uti & urbes reliquæ, hæc civitas crevit, atque ad eam magnitudinem, nobilitatem, venustatemque pervenit, ut cum primis Italiæ, immo & totius Orbis maximis urbibus conferri possit, ac omnium judicio Emporium sit nulli in toto Orbe secundum

cundum. Urbs plane admiranda, & inter Orbis hujus miracula reponenda, de qua, uti de Carthagine Salustius scribit, tacere præstat, quam pauca dicere. In æstuariis Adriatici Maris sita est, quam hinc inde sparsæ circumstant insulæ: quo in numero sunt Muranum, Buranum, Torcellum, Mazorlum, Constantiacum, Amianum, Filistina, Metamaucum, Clugia, Capsulæ, Gradus, Ripalta, seu Rivus altus cum septuaginta insulis adjacentibus, quibus florentissima insidet urbs Venetiarum. Ejus cives veterum Romanorum more administrant Rempublicam, nec in Italia modo, sed & in Illyrico magna ex parte dominantur, plurium Insularum, ac Maris Adriatici imperio potiti, ab Abdua fluvio, ad Ægæum usque pelagum jura sua propagantes. A prima origine ad hodiernam usque diem numquam externum principatum senserunt, nec jugum sibi ab aliis imponi passi sunt, patriæ libertatis invicti semper vindices ac defensores. Christi fidem qua ab infantia imbuti fuerant, huc adsportarunt primi ejus habitatores, cum barbarorum sævitiam declinantes, urbem hanc condiderunt. Quod pertinet ad sacra, jam ab aliquot seculis proprio regitur Patriarcha, Gradensi Sede huc translata. Præter urbes nuper recensitas, eæ Venetorum in regione numerantur, in ora Aquilejam versus Altinum, Æquillum, Heraclea, Concordia, Opitergium, omnes excisæ: interius Bergomum, Crema, Brixia, Mantua, Vicentia, Tarvisium, Altinum, Feltra, Bellunum, Ceneta, Utinum, Carnorum Conventus, & & Forum Julium: in ora altera Ravennam versus Fossa Clodia, & Adria pæne aquis submersa.

II. Imperii Romani divisio in Provincias ab Hadriano facta, sicuti & vetus Imperii Notitia Venetiam, & Istriam sub una Italiæ Provincia collocant: quibus & nos morem gerentes, Istriam hoc loco Venetiæ adnectimus. Postrema hæc est Italiæ regio post flexum Adriatici sinus Illyrico contermina, sed parva: vix enim in latitudine sexaginta, in circuitu centum viginti quinque millia passuum complectitur, a Formione, nunc Tisano fluvio, ad Banoticum sinum, in quo Arsia amnis decurrens, Istriam ab Illyrio dirimit. Sic eam describsit Plinius, ex cujus sententia hæc regio inter Forum Julii, & Dalmatiam in Adriaticum mare instar peninsulæ excurrit, hinc Tergestino, & Phanatico sinu clausa, usque ad ostia Formionis Fluvii: inde vero Dalmatiæ adjacens, usque ad Arsiam extremum Istriæ atque Italiæ terminum protenditur: ad Septemtrionem ei Alpes imminent, Italiam a Carniola, & Pannonia disterminantes. At Ptolemæus & Strabo latiores Istriæ limites faciunt, nam ad Timavum usque porrigunt, atque in ea Tergestum urbem includunt. Istrorum gentem fama est, teste Justino, originem a Colchis duxisse, missis ab Aeta Rege ad Argonautas persequendos, qui ut a Ponto intraverunt Istrum, cum raptores minime invenissent, sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis, juxta Aquilejam consederunt, Istrique ex amnis nomine, quo a mari concesserant, sunt appellati. Ceterum Pseudo-Cato in Originibus scriptum, reliquit Istrorum gentem Aboriginum sanguinis Duce Istro in has oras a Jano missam. Primum Istris bellum Romani intulerunt anno Urbis conditæ 533. quod illi a Demetrio Phario concitati Romanas naves prædati essent. Perdomiti fuerunt P. Cornelio Scipione, & M. Minucio Rufo Consulibus, uti referunt Polybius *lib.* 3. Florus in *Epitom.* 20. & Orosius *lib.* 4. *cap.* 13. Li-

Livius tamen *Decad.* 4. *lib.* 9. sub M. Claudio Cos. hoc bellum inchoatum tradit: (1) *M. Claudius Cos. Gallis ex Provincia exactis, Istricum bellum moliri cœpit, litteris ad Senatum missis, ut sibi in Istriam traducere legiones liceret, id Senatui placuit.* Illud integratum deinde, fuit quod Istri impedimento essent, quo minus Romani Aquilejam coloniam deducerent auctore eodem Livio ibidem *lib.* 10. Tandem Claudius Pulcher prospera pugna absolvit, gentemque subegit: de quo hæc L. Florus: (2) *Istri sequuntur Ætolos. Quippe bellantes eos nuper adjuverant: & initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eademque exitii causa. Nam cum Cn. Manlii castra cepissent, opimæque prædæ incumbarent epulantes, ac ludibundos plerosque, ac ubi essent præ poculis nescientes, C. Claudius Pulcher invadit. Sic cum sanguine, & spiritu male partam removere victoriam. Ipse Rex Appulo equo impositus, cum subinde crapula, & capitis errore lapsaret, captum sese vix, & ægre postquam experrectus est didicit.*

III. Aquileja, cujus causa Istri Romanorum arma in sui perniciem conjectaverunt, Istriæ, perinde ac Venetiæ caput, ac Metropolis fuit. Carnorum ea urbs est, juxta quam defluit Timavus amnis, duodecies mille passibus a mari sita: de qua Martialis:

Et tu Ledæo felix Aquileja Timavo.

Romani eam condiderunt, ut ait Strabo, incumbentibus Barbaris oppositam, & coloniam deduxerunt P. Scipio Nasica C. Flaminius, & Lucius Manlius Acidinus, Triumviri ad hoc ipsum creati. Decertatum fuisse in Senatu, Latina ne, an Romana colonia deducenda foret, tradit Livius, (3) ac tandem placuisse Patribus conscriptis, Latinam potius deducendam: *Illud agitabant*, inquit, *uti colonia Aquileja deduceretur, nec satis constabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret, postremo Latinam potius coloniam deducendam Patres censuerunt, Triumviri creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus.* Ceterum Strabo Romanam coloniam fuisse affirmat, quinquaginta jugera militibus data, Centurionibus centena. A legendis aquis, quibus circumluitur, Aquilejam dictam plures arbitrantur: alii vero ab Aquila, quæ Romanis Legionibus præferebatur. Posteriori huic opinioni favent ejusdem urbis insignia; sunt enim binæ Aquilæ flavi coloris. Loci opportunitas, ubi hæc urbs condita fuit, civium virtus atque concordia, & Romani nominis gloria, brevi temporis tractu tantum ei splendoris & amplitudinis pepererunt, ut inter præcipuas Orbis civitates haberetur. Illyricarum gentium Emporium eam vocat Strabo: Julius Cæsar claustrum & propugnaculum Italiæ: ab aliis altera Roma appellata est. Centum viginti hominum millia intra mœnia alebat; nec solum opibus, nobilitate civium, & magnificentia ædificiorum, sed etiam Cæsarum gratia diu floruit, quorum nonnullis Aquilejæ Sedem aliquando constituere, non injucundum visum fuit. Nam Octavianus Augustus urbis pulchritudine, ac loci amœnitate delectatus, octo mensium spatium cum uxore ibi transegit, teste Suetonio, munitissimis mœnibus eam circumvallavit, incolisque Romanæ nobilitatis jura concessit. Tiberius ex Julia conjuge ibidem sustulisse filium dicitur, qui præpropero fato extinctus est. Vespasianus hac in urbe evectus fuit ad Imperii fastigium.

(1) Livius Decad. 4. lib. 9.
(2) L. Florus lib. 2. cap. 10.

(3) Livius Decad. 4. lib. 9.

gium. Digna sane civitas, quam singulari amore prosequerentur Romani Principes; illibatam enim Romano Senatui usque adeo præstitit fidem, ut (1) Maximino imperium usurpanti strenue obstiterit, & licet dura obsidione cincta, nedum fasces ei submittere detrectaverit, sed renovato etiam exemplo, quod ante Romæ factum fuerat bello Senonum, mulieres Aquilejenses decisas comas pro funibus, quibus propugnatores destituebantur, excutiendis in hostes sagittis, arcubus aptaverint. Verumtamen urbs hæc nobilissima, quemadmodum florente Romano Imperio ejus fortunæ particeps fuit, ita eo delabente infortunii aleam experta est: extremam quippe ei cladem intulit Hunnorum Rex Attila, triennii, ut ferunt, obsidione efferatus, eamdemque vi expugnatam incendit delevitque. Quamquam vero postmodum Narsetis opera fuerit restituta, & a Popone Patriarcha mœnibus circumdata, pristina tamen celebritate perpetuo caruit, nihilque antiqui splendoris præter nomen retinuit. Nunc enim excisa jacet, paucis ædibus, Templo, & Patriarchali Palatio constans.

IV. Aquilejensem Ecclesiam a Sancto Marco Evangelista, illuc a D. Petro Apostolorum Principe misso, ut gentem illam Christi fide imbueret, fundatam, narrant Petrus Episcopus Aquilejensis *in Catal. lib. 4. cap. 86.* & Andreas Dandalus Dux Venetiarum *in Chronic. lib. 4. cap. 1.* Addit Petrus Episcopus, ab ipsomet Marco Evangelium suum, quod Romæ Latine scripserat, cum postea Aquilejæ moraretur, in Græcum fuisse translatum; ipsumque autographum diutius Aquilejæ asservatum, Venetias demum translatum esse. Cum autem idem Marcus jussu D. Petri in Ægyptum profecturus foret, Hermagoram discipulum suum Aquilejæ Episcopum consecravit, ut iidem Auctores testantur. Nec dubium quin vetustissima sit Aquilejensis Sedes, per idem fere tempus a Marco, quo & Mediolanensis a Barnaba Apostolo constituta. Attamen usque ad seculi quinti initium nec dum in Metropolim fuisse erectam, sed Mediolanensi subditam, ea probant quæ supra attulimus pro Mediolanensis Ecclesiæ Primatu argumenta. Postquam autem Aquilejæ Metropoleos Ecclesiasticæ dignitas accessit, Apostolicæ Sedis decreto illud sancitum fuit, ut Mediolanensis, & Aquilejensis Archiepiscopi mutuo ac vicissim se se consecrarent. Causam mutuæ hujus ordinationis eam fuisse arbitratur doctissimus Cardinalis Norisius *Dissert. Histor. de Synodo Quinta cap. 10.* quod olim Aquilejensis, & Mediolanensis Metropolitæ de Primatu litigarent; litis porro sedandæ causa Sedes Apostolica eosdem pares pronuntiaverit. At Pelagius I. a quo primum hujusce moris notitia ad posteros devenit, id in longinquitatem, & difficultatem itineris rejicit, quod scilicet non sine gravi incommodo, suarumque Ecclesiarum detrimento ambo illi Antistites longum iter arripere non possent: en Pelagii verba: (2) *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis, & Aquilejensis ordinare Episcopi debuissent, ita tamen ut in ea civitate in qua erat ordinandus Episcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere* (3) *debuisset, ut & ordinando electio a præsenti ordinatore ex consensu universalis, cui præficiendus erat, Ecclesiæ melius.* ac

(1) Julius Capitolinus.
(2) Pelagius I. in epist. ad Joannem Patricium apud Holstenium in Collectione Romana pag. 219.

(3) Apud Gratianum 14. q. 1. C. Padendo.

ac facilius potuisset agnosci, & in sua qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia. Quod si Norisio concedamus, extinguendæ contentionis gratia hunc morem fuisse introductum, negari nequaquam poterit contentionem inde ortam, quod olim Mediolanensi subjectus esset Aquilejensis, in quem idcirco ille auctoritatem suam exercere contenderet, etiam posteaquam alter Metropoliticam dignitatem nactus fuerat; nusquam enim Mediolanensis Aquilejensi paruit. Hanc autem contentionem ita repressit Romanus Pontifex, ut ambo ii Antistites mutuo se consecrarent, & quidem in ejus Ecclesia, qui consecrandus foret, quatenus se pares agnoscerent, nec alter alteri antestaret; quemadmodum ea verba declarant, *in sua qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia.* Quæ verba declarant, nullam tunc, & ab aliquo tempore fuisse Mediolanensi in Aquilejensem Ecclesiam jurisdictionem: innuunt nihilominus olim Aquilejensem illi fuisse Suffraganeam. Quod ex aliorum quoque Sententia adstruit Vir summæ eruditionis Ludovicus Thomassinus *de Vet. & Nova Eccles. Discip. Part. 2. lib. 2. cap. 19.* §. 8. Aliis, inquit, visum est, ex eo quod Mediolanensis civitas caput sit Dioeceseos Italicæ in duas Provincias sectæ, penes Mediolanensem jus fuisse ordinandi Aquilejensis Metropolitani: si vicissim autem ab eo ordinaretur, id eo proficisci, quod Aquilejensis primus sit Episcoporum Mediolanensi obnoxiorum. Quare Mediolanensis Metropolita post Romanum antiquior fuit, ac nobilior inter Italiæ Metropolitanos.

V. Verum diruto Sirmio, cum Aquileja Illyrici Occidentalis caput evasisse videretur, & istius urbis Episcopus amplissimæ Dioeceſi præesset, qua Istria, Venetiæ, Noricum utrumque, ac Rhætia secunda continebantur, Patriarchæ nomen obtinuit. Delati hujus honoris Aquilejensi Episcopo causæ eæ fuerunt: prima Gotthorum Regum fastus: ii quippe Italia, & Illyrico Occidentis potiti, ditionis suæ Metropolitanos Patriarchas appellare cœperunt, ut lucet ex Athalarici Regis epistola ad Joannem Papam, quæ extat apud Cassiodorum *epistola 15. lib. 9.* Longobardi in quorum potestatem Venetorum, & Istriæ Provinciæ venerant, Gotthorum exemplo Episcopos suos nominum saltem gloria exornarunt. Novæ huic nomenclaturæ robur adjecit Schisma ob quæstionem de tribus Capitulis adversus Quintam Synodum excitatum; cum enim Paulinus Aquilejensis e Schismaticorum partibus staret, iisdem Schismaticis placuit illum sibi loco Romani Pontificis, a quo desciverant, constituere supremum Antistitem, quem & Patriarcham nuncupavere. Is non secus ac Patriarchæ ceteri a Synodo Provinciæ nullius postulata licentia eligebatur, & consecrabatur, nec ullius alterius jurisdictioni, etiam Romani Pontificis parere volebat. Sive igitur magnitudinem Illyrici Occidentalis inspiciamus, sive Gotthorum, ac Longobardorum Principum ambitionem, qui uti ditionem suam decerptam Imperio, ita ditionis suæ Ecclesias nulli Ecclesiæ alteri subjectas esse patiebantur; sive tandem Schisma spectemus, nobis proclive erit deprehendere ea omnia conspirasse, ut Patriarchæ titulo augeretur Aquilejensis Metropolitanus. Extincto postmodum Schismate Patriarchæ nomen retinuit, sed nudum, & auctoritatis vacuum, nullis quippe Metropolitanis præerat: quamquam tractu temporis nonnihil Patriar-

triarchici honoris, quin & confessum obtinuerit supra ceteros Italiæ Archiepiscopos. Attamen citra contentionem res non fuit. Diu siquidem inter præcipuos Italiæ Metropolitas Mediolanensem, Ravennatem, & Aquilejensem controversia exarserat, a Ravennate primum agitata. Ravennas quandoquidem Exarchorum patrocinio suffultus Mediolanensi, & Aquilejensi loci sessionem in Synodis eripere pertentavit; non tamen ante seculum nonum id ausus fuisse videtur. Nam in Synodo Romana anno 511. sub Symmacho celebrata, primo loco sedit Cælius Laurentius Mediolanensis, secundo autem Petrus Ravennas. Quamquam Theodorico Rege Ravennæ degente, Episcopus Ravennatum a Joanne Pontifice secundum a Romano Præsule locum impetraverit, cum idem obtestatus esset, Petrum decessorem suum in Concilio Symmachi *gratia humilitatis* locum Mediolanensi cessisse, si vera sunt quæ testatus est Hunfridus Ravennæ Episcopus in Synodo Romana sub Clemente II. Ceterum hujus fides nutare videtur; nam anno 680. Ravennas post duos illos Italiæ Metropolitas subscriptus legitur. Seculo tamen nono Ravennas Archiepiscopus primus inter Italiæ Metropolitas habebatur: ut tradit Luitprandus *lib. 2. de Gestis Imperatorum, & Regum, cap.* 13. Quare Carolus Magnus in testamento, quo Metropolitanis Ecclesiis intra Occidentalis Imperii fines positis pleraque legavit, easdem hoc pacto recensuit, ut primo loco Romana, secundo Ravennas, tertio Mediolanensis, quarto Forojuliensis, seu Aquilejensis Ecclesia descripta esset. Refert testamenti verba Baronius ad annum 811. Aquilejensi tamen præponit Mediolanensem Carolus Magnus; quod similiter præstitit in epistola ad Elipandum Toletanum, ceterosque Hispaniæ Episcopos data: (1) *Sacerdotes Italiæ cum Petro Mediolanensi Episcopo, & Paulino Forojuliensi, vel Aquilejensi Patriarcha, viris in Domino venerabilibus*. In Concilio itidem Ticinensi anno 855. Andreas Patriarcha non nominatur nisi post Archiepiscopum Angilbertum.

Sequenti seculo, nimirum decimo, Rothaldus Aquilejensis summi vir ingenii, ac rerum gestarum gloria illustris, Ecclesiæ suæ privilegia adversus Ravennatum Antistitum rapinas reparaturus, a Leone VIII. anno 964. diploma impetravit, quo primus Italiæ Metropolita post Romanum declaratus fuit. Diplomatis verba videri possunt apud Ughellum *Tom. 5. Italiæ Sacræ* & Joannem Candidum *lib. 4.* (2) At enim cum Leo ille Schismaticus esset, nec ulla ejus Diplomatis esset auctoritas, Poppo Aquilejensis a Joanne XIX. Papa Primatum super omnes Italiæ Archiepiscopos obtinuit, anno 1026. At viginti post annos iterum lis agitata fuit coram Clemente II. in Synodo Romana, in qua Summus Pontifex abolito Joannis XIX. decreto, primum (3) locum Ravennati Metropolitæ, secundum Aquilejensi, tertium Mediolanensi concessit. Id vero contigit anno 1047. Nullam quidem Leo VIII. & Joannes XIX. Patriarchalis dignitatis mentionem fecerant, cum Aquilejensi primum inter Episcopos Italiæ locum dandum pronuntiarunt, sed ob antiquitatem Aquilejensis Ecclesiæ a Sancto Marco fundatæ eumdem ceteris se præferre dixerunt. Eam ob causam Italiæ Archiepiscopi primam ei confessus Sedem dare recusarunt, & Clemens II. Ra-

(1) Tom. 2. Concil. Galliæ pag. 85.
(2) Ughellus Tom. 5. Italiæ Sacræ pag. 48.
(3) Ughellus Tom. 2.

Ravennatem ipsi prætulit. Tandem Gesobaldus Aquilejensis Antistes honore Patriarchico ab Alexandro II. adauctus est, & Forojulii, atque Istriæ dominio ornatus, conscriptusque inter Imperii Romani Principes anno 1049. atque primus locus tum ipsi, tum ejus Successoribus supra omnes Metropolitanos, & post majores quinque Patriarchas collatus, licet non ut ii pluribus Provinciarum Metropolitis imperet, sed nudum Patriarchæ nomen, atque hujus generis imperii expers obtineat. Amplissima tamen est ejus jurisdictio, Veneticam quippe Provinciam, seu, ut nunc vocant, Marcham Tarvisanam, usque ad Brixiensium confinia regit, insuper Forum Julium, Istriam, Noricum utrumque, Ripense videlicet, ac Mediterraneum, & Rhætiam II. moderatur. Id videre est apud Eminetissimum Norisium *Dissert. de Synodo Quinta cap. 9.* §. 4. ubi Episcoporum nomina recenset, qui ex Rhætia II. Norico, Forojulii, & Venetia interfuerunt Synodo Gradensi sub Helia Patriarcha. Aquileja excisa, non Venetiis precario degit, ut falso credidit Ughellus *Tom. 5. Italiæ Sacræ:* Sed Utini residet, quæ Provinciæ Metropolis est, in nitidissimo & instructissimo palatio, ac quædam etiam insignia Provinciæ oppida pleno jure possidet. Urbes, in quas Metropoliticam, & Patriarchicam exercet potestatem, eæ sunt:

Aquileja, nunc Utinum Patriarchatus Sedes.

Bellunum.
Ceneta.
Civitas nova, olim Æmonia.
Comum, seu Novocomum.
Concordia.
Feltria.
Justinopolis, vulgo Caput Istriæ.
Parentium.
Patavium.
Pitinum, olim Pucinum.
Pola.
Tarvisium.
Tergestum.
Tridentum.
Verona.
Vicentia.

VI. Ab Aquilejensi Patriarchatu originem traxit Gradensis. Gradus parva est Insula in æstuariis Adriatici littoris apud Aquilejam, inde ad IV. M. P. recedens: oppidumque in ea situm, idem cum Insula nomen sortitur. Diruta a Longobardis Aquileja, Paulinus ejusdem urbis Patriarcha, Benedicto I. Petri Cathedram moderante, hostium terrore fatigatus confugit Gradum, eoque sacros avexit Ecclesiæ suæ thesauros. Paulino vita functo, atque Probino ejus successore intra annum extincto, suffectus est Helias: qui cum Aquilejæ haud tuto se degere posse animadverteret, a Pelagio II. obtinuit, ut Metropolitana Sedes Aquilejensis Gra-

Gradum transferretur, ubi Templum Martyri Euphemiæ erexerat. Hujus rei causâ Synodus apud Gradum jussu Pontificis indicta fuit die 3. Novembris ann. 579. cui præsedit Laurentius Presbyter Pelagii Legatus. Lecta ibidem fuit Pelagii II. epistola hæc verba continens: *Quapropter vestro compatientes mærori, necessitudinem, immo etiam rabiem furentium perpendentes Longobardorum, inclinati precibus vestris per hujus præcepti seriem, suprascriptum Castrum Gradense totius Venetiæ cum omnibus vestræ Ecclesiæ pertinentibus etiam Istriæ Metropolim perpetuo confirmamus*. Illam recitat Dandulus in Historia Veneta M. S. & ex eo Ughellus *Tom. 5. Italiæ Sacræ*. Spe tamen sua frustratus fuit Pelagius, futurum fore existimans, ut Istriæ Episcopi ejurato Schismate ad Romanam communionem redirent. Helias enim, & octodecim, qui aderant, Episcopi contra V. Synodum iterum jurarunt, vano eo prætextu, ne Synodus Chalcedonensis læderetur. Heliæ post obitum Severus ejus Sedem tenuit: iste una cum tribus Episcopis e Grado Insula Ravennam deportatus, a Smaragdo Exarcho Ravennate compulsus ejurare Schisma trium Capitulorum, metu potius, quam sincero animo errorem deponere visus est. Inde ejuratio Schismatis vi extorta effectu caruit: nam Patriarcha Severus sibi redditus in Schisma relapsus est, cui tres, quatuorve tantum Antistites pertinacissime adhæserunt, reliquis, nimirum Utinensi, Tridentino, Veronensi, Vicentino, Tarvisiensi, Feltrino, Bellunensi, Polano, aliisque nonnullis ad unitatem Catholicam redeuntibus. Hæc narrat Paulus Diaconus *Hist. Longobard. lib. 2. c.* 8. *lib. 3. cap.* 12. Post Severi obitum, Joannes Abbas Aquilejæ a Schismaticis ordinatus est Patriarcha Aquilejensis, assentiente etiam Agilulpho Rege; cum tamen per idem tempus Catholici Candidianum Gradi Patriarcham consecrassent; huic vero e vivis erepto Epiphanium subrogarunt, teste eodem Paulo Diacono: (1) *Defuncto*, inquit, *Severo Patriarcha ordinatus est loco ejus Joannes Abbas Patriarcha in Aquileja vetere cum consensu Regis Agilulphi. In Grado quoque ordinatus a Romanis Candidianus Antistes. Candidiano quoque defuncto apud Gradum, ordinatus est Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis. Et ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ*. Hinc apparet, Aquilejenses Patriarchas Gradensi Patriarchatui obstetricatos esse: sub Gotthis quippe Gradum primo secedentes, Longobardorum bello consternati, ibi diutius substiterunt; sed postmodum a Longobardis revocati Aquilejam reversi sunt, una cum Schismate pristinam Sedem invadentes. Quæ causa fuit, ut Imperatores Orientis maritima Venetæ Provinciæ, & Istriæ ora Longobardis erepta, Catholicum in Gradu Insula Episcopum ordinari a Romanis Episcopis impetrarent: qui & Patriarcha est appellatus. Extincto Schismate amplissimum nomen Gradensi Archiepiscopo, non secus ac Aquilejensi servatum est: quinimmo prius Gradensis a legitima potestate, nimirum Apostolica Sede illud obtinuit, quam Aquilejensis. Enimvero Gregorius II. *epist.* 5. *&* 16. ad Serenum Episcopum Aquilejensem, & ad Donatum Gradi Antistitem scribens, consulto hunc, non illum Patriarchæ nomine, & honore insignivit; tametsi illum quoque sinat toti præesse Longobardorum genti: ea tamen lege ipsi imposita, ne quidpiam in Patriarchæ Gradensis jura mo-

(1) Paulus Diaconus lib. 4. cap. 10.

molíretur. Postremis deinde seculis Gradensis Patriarchatus Venetias translatus est a Nicolao V. Pontifice Maximo, anno 1451. Quod enim Dandulus litteris commendavit a Leone IX. Gradensem Patriarchatum Venetias fuisse translatum in Concilio Romano anno 1050. & in Mantuana Synodo sub Alexandro II. eidem decreto robur adjectum, ab eruditis exploditur, præsertim Ludovico Thomassino, *de Vet. & Nova Eccles. Discip. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 23. §. 2. & Francisco Pagi, *ad ann.* 1050. *n.* 4. & 5. Nam ut ex Historicis Venetis, aliisque probatis Auctoribus liquet, nonnisi Nicolaus V. translata Gradensis Ecclesiæ dignitate in Venetiarum Urbem, Sanctum Laurentium Justinianum Patriarchali titulo auxit, primumque Venetiarum Patriarcham creavit, suppresso Gradensis titulo. Tres tantum habet Suffraganeos Episcopos, quorum urbes eæ sunt.

Patriarchatus Venetiarum.

Venetiæ Metropolis.
Caprulæ.
Clodia, quæ & Fossa Clodia Ptolemæo, Blondo autem Clugia dicitur.
Torcellum.

VII. Præter Patriarchæ dignitatem, etiam Primatis Dalmatiæ honore insignitus fuit Gradensis ab Hadriano IV. ut tradit Ughellus *tom.* 5. *Italiæ Sacræ*, *pag.* 1455. Ei propterea subest Jaderæ Metropolita, cum suis Episcopis Suffraganeis. Jadera Illyricæ Dalmatiæ civitas est, Appolloniæ, & Salonæ proxima, olim ad Liburniam pertinens, cujus meminit Plinius, nunc Zara appellatur: Spalatensi Archiepiscopo Suffraganea fuit usque ad annum 1154. quo tempore Anastasius IV. illam Metropolim esse voluit; quam postea ejus Successor Hadrianus IV. Gradensi Patriarchæ veluti Primati Dalmatiæ subjecit.

Dalmatiæ Venetæ.
Jadera Metropolis, cujus Suffraganei sunt,
Ausarensis.
Arbensis.
Vegliensis.

Porro dignitatem Gradensis Ecclesiæ ampliavit Hadrianus IV. anno 1157. octavo Kalendas Maii, atque ut Jadertinis magis consuleret, Henricum Gradensem Patriarcham eis Primatem præposuit. Quo itidem anno confirmavit Constitutiones Pelagii, Alexandri, & Urbani II. Pontificum Romanorum, quibus Patriarchalis dignitas Gradensi Archiepiscopo conceditur. Tum eidem permittit, ut Constantinopoli, & in aliis Constantinopolitani Imperii urbibus, in quibus Veneti plures possident Ecclesias, Episcopos ordinare, & consecrare posit. Extant hac de re Hadriani litteræ *Tom.* 10. *Conc. pag.* 1170. & *seqq.* Eodem Primatus jure in Provincias Venetiæ, & Istriæ ab Aquilejensi avulsas circa medium seculi undecimi, anno scilicet 1053. auctus fuerat Gradensis a Leone IX. in Synodo

nodo Romæ habita, in qua definitum fuit: *Ut nova Aquileja totius Venetiæ, & Istriæ caput, & Metropolis perpetuo haberetur . . . . Forojuliensis vero Antistes, tantummodo finibus Longobardorum esset contentus. . . . . . Unde monendo mandamus, & præcipimus vobis ex parte Dei, & Sancti Petri, & Nostra, ut præfato Gradensi Patriarchæ, successoribusque ejus in omnibus, secundum jura canonica obedientes sitis, sicut Primati vestro, & Patriarchæ esse debetis, & sicut antecessoribus ejus nostri perpetuo confirmarunt.* Jam vero a Gregorii Magni tempore ob Schisma trium Capitulorum, Aquilejensis Diœcesis in duos Patriarchas distracta fuerat, & Metropolita Aquilejensis antiqua jurisdictione mulctatus. Quare deinceps Gradus nova Aquileja vocari cœpit, ut Leander in Episcopis Forojuliensibus variis testimoniis ostendit. Subortis postea inter utrumque Patriarcham dissidiis, divisionem illam Leo IX. confirmavit, *& Gradum, novam Aquilejam, & Gradensem Antistitem Novæ Aquilejæ Patriarcham* appellavit. Emendandus idcirco est Baronius, *ad annum* 1050. *n.* 3. dum ait: *Sic plane translatus fuit Patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo Gradensis Sedis potitus erat.* Ea quippe translatio, ut diximus, non nisi a Nicolao V. facta fuit, atque ab hoc tempore dumtaxat Venetus Patriarcha nuncupari cœpit, Gradensis Patriarchatus dignitate, ac juribus in Veneticam Sedem traductis. Quod sane honoris incrementum inclytæ Venetiarum urbi auguratus quodammodo fuerat S. Petrus Damianus, cum de inventione corporis B. Marci Evangelistæ, quod diu delituerat, ejusque solemni translatione disserens, ajebat, hanc Ecclesiam Apostolicarum Ecclesiarum albo pæne adscribi, quæ jam Apostolici Pontificis corpore gloriaretur, proximeque ad Petri verticem accederet, postquam amantissimi ejus Discipuli Sedes deinceps futura erat: (1) *Dum in tuo gremio virum Apostolicæ gratiæ suscepisti, & ipsa quodammodo Sedes Apostolica fieri meruisti. Quamobrem sicut mater urbium Roma super omnia Regna terrarum sublimatur in Petro; sic & tu velut ejus insignis filia, per Marcum gloriaris in Christo.*

CAPUT VIII.

Synopsis.

I. *Afrorum origo ex Josepho inquiritur. Africæ nomen varie a Scriptoribus acceptum. Populos eam incolentes Diodorus enumerat.*

II. *Africa sex Provincias complectebatur.*

III. *Africam proprie dictam, & caput gentis Carthaginem debellavit Scipio, & Provinciam fecit.*

IV. *Numidiæ situs exponitur. Jugurtha Rege a C. Mario devicto Romanis cessit. Principibus tamen suis tradita non nisi a Cæsare Provinciæ formam accepit.*

V. *Mauritania ad Cæsarem usque sub amico Rege relicta. Verisimile tamen est eam a Cæsare amico Regi concessam. Sub Tiberio dumtaxat Provincia constituta est. Caligula eam in duas* divi-

(1) S. Petrus Damianus serm. 3. de S. Marco.

divisit; Tingitanam scilicet, & Cæsariensem. Utriusque limites descripti.

VI. Tres aliæ deinceps Provinciæ in Africa constitutæ, non tamen ab Hadriano, ut putat Panvinius, sed post Hadriani tempora, & circa Constantini ætatem.

VII. Byzacena ab Africa Proconsulari, Mauritania Sitfensis a Cæsariensi, seu a Numidia, Zeugitana a ceteris Provinciis divulsæ sunt.

VIII. Wandalis Africam invadentibus ea Provinciarum forma immutata est. Justinianus misso Belisario Africam recuperavit, & pristino statui reddidit.

IX. Quo tempore Christi fides in Africam invecta fuerit ex Tertulliano, & Augustino investigatur. Baronii opinio rejicitur.

X. Ante Agrippini ætatem Africæ Evangelii lumen effulxit. Sub Agrippino excitata est controversia de iterando hæreticorum baptismate. Quo sensu Cyprianus id consuetudinem appellet.

XI. Ulterius existimat unam tantum in Africa fuisse Provinciam Ecclesiasticam usque ad Cypriani tempora. At Cypriani ætate tot erant Provinciæ Ecclesiasticæ, quot & civiles.

XII. Jubajanus ea tempestate Primas erat Numidiæ. Alii postea hoc munere functi sunt usque ad Schisma Donatistarum.

XIII. Quem ordinem inter se habuerint singulæ Provinciæ Africæ.

XIV. Quando institutus sit Primatus Mauritaniæ Sitfensis.

XV. De reliquis Africæ Provinciis agitur. Tingitana Provincia licet in civili administratione Hispaniis contributa esset, in Ecclesiastica tamen sub Cæsariensi Mauritania comprehendebatur.

XVI. Unaquæque ex Provinciis Africæ suum Metropolitam Primatem appellabat. Non urbi, sed antiquiori Episcopo ea dignitas affixa erat. Carthaginensis tamen erat Primas totius Africæ.

I. Frica tametsi distinctam ab Europa, nedum Italia, Orbis partem constituat, tamen in dispositione Imperii Præfecto Italiæ commissa est. De illius origine hæc habet Josephus: (1) *Fertur quod Ophres* (hic fuit Abrahami nepos) *cum exercitu profectus occupavit Libyam, quam postea nepotes ejus tenuerant, Aphricam ab eo denominatam*. Attestatur huic opinioni & Alexander Polyhistor sic scribens: *Cleodemus*, inquit, *Propheta cognomine Malchus, qui ad imitationem Mosis legislatoris Judæorum historiam contexuit, narrat Abrahamum e Chetura aliquot filios suscepisse, tres nominatim recensens, Aphram, Surim, Japhram: a Suri appellatam Assyriam: ab Aphra vero, & Japhra urbem Aphrem, & regionem Aphricam nominatas*. Tripliciter cum apud veteres, tum apud recentes Africæ nomen acceptum legimus. Primum pro tertia orbis parte, quæ ab Asia Isthmo, vel Nili ostiis disterminatur, & undequaque mari cingitur, ab Occasu Oceano Atlantico, a Meridie Oceano Australi, a Septemtrione mari Libyco, peninsulam proinde efficit, eaque tantum parte, qua Ægyptum spectat, terra Asiæ jungitur, ab ea Nilo fluvio discreta. In tanto terrarum tractu, non modo Provincias continet ad Mare Mediterraneum extensas, duas scilicet Mauritanias, Zeugitanam Provinciam, cujus caput est Carthago, Numidiam, Cyrenensem,

(1) Josephus Antiq. Judaic lib. 1. cap. 16.

sem, sive Pentapolitanam regionem, Libyam Mareoticam, Ægyptumque; sed & interiora terrarum antiquis vix nota, quæ Æthiopiæ appellatione designantur. In hac postrema Africæ parte, præter Æthiopes, alii quamplures monstrosi populi habitant a Plinio enumerati *lib.* 5. *cap.* 8. Non tam late patet altera Africæ acceptio, juxta quam nedum Æthiopia, ab Africa secernitur, sed hæc peculiarem, ut vocant, Diœcesim constituit ab Ægypto distinctam; eaque ab Oceano Atlantico ad intimum majoris Syrtis sinum protenditur, comprehenditque duas Mauritanias, Numidiam, Tripolitanam, & Zeugitanam Provincias. Hæc autem ultima Provincia, nimirum Zeugitana, Africæ Proconsularis nomine proprie donatur, quæ tertia est, eaque strictissima nominis hujus acceptio.

Quod ad Africam spectat priori modo acceptam, quatuor in ea populos in universum distinxit Diodorus: (1) *In quatuor*, inquit, *populos divisa est Africa, videlicet Pœnos, qui eo tempore Carthaginem occupabant: Libyphœnices, qui multas maritimas urbes incolunt, & matrimonia cum Carthaginensibus contrahunt, atque ob hanc affinitatis conjunctionem eodem nomine appellantur. Major pars incolarum, quæ vetustissima est, Libyes vocantur, qui inexpiabile odium cum Carthaginensibus ob eorum intolerabilem dominatum exercent. Postremi sunt Numidæ, qui magnum Africæ tractum usque ad desertum occupant.* Ægyptios præteriit, quos alibi inter Asiæ populos collocaverat. De Æthiopibus vero late disseruit *lib.* 3. *Rerum Antiquarum cap.* 1.

II. Nos tamen hoc loci Africam consideramus secundo modo acceptam. Eam divisit Plinius in Mauritanias duas, Tingitanam scilicet, ac Cæsariensem, Numidiam, & Zeugitanam, quæ Africa Proconsularis proprie dicitur, atque in duas distribuitur, Byzacenam, & Tripolitanam. At vero Ptolemæus, & Pomponius Mela eam in tres tantum partes secant, Mauritaniam, Numidiam, & Africam stricte sumptam, sub qua comprehenduntur Byzacena, & Tripolitana. In totidem partes Africam disterminat vetus Notitia Constantii Imperatoris, ut ferunt, temporibus facta, & a Jacobo Gothofredo Græce, & Latine edita Genevæ anno 1628. (2) *Deinceps vergentem ad Austri terram invenies terram Mauritaniam, cujus homines barbari quantum ad vitam, & mores, Romanis tamen subditi . . . Exinde post Mauritaniam Numidia Provincia est, frugibus abundans, sibique sufficiens . . . . Proxima huic Provinciæ Africæ regio in omnibus dives occurrit.* Alias postmodum Provinciarum divisiones decursu temporum subiit Africa, de quibus postea.

III. Inspiciendum nunc est quo tempore Romani in Africam arma intulerint, atque ingentem hanc Orbis partem suo adjunxerint Imperio: (3) *Igitur victor Italiæ Populus Romanus cum a terra fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio Sylvas interveniente flumine abrumpitur, paulisper substitit. Mox cum videret opulentissimam in proximo prædam quodammodo Italiæ suæ abscissam, & quasi revulsam; adeo cupiditate exarsit, ut quatenus nec ob mare jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda, & ad continentem suam revocanda bello videretur.* Siciliæ occupandæ desiderium utrumque populum Romanum, & Carthaginensem in mutuam cladem

(1) Diodorus Bibliot. lib. 20. pag. 680.
(2) Apud Schelstr. Antiq. Eccl. Illust. tom. 2. Append. 4.
(3) L. Florus lib. 2. cap. 11.

dem armavit: *Affectabat enim ut Romanus ita Pœnus Siciliam: & eodem tempore paribus uterque votis, ac viribus imperium orbis agitabat*. Sed exactis Sicilia Carthaginensibus, Africa totius belli molem in se conversam ingemuit. Sæpe utrimque vario marte pugnatum est. Attilius Fulvius, Æmilius, Metellus Carthaginenses: Annibal Senior, Adherbales, junior Annibal Romanos summo prœlio superaverunt. Scipioni Carthaginis, Africæque triumphus reservatus est, indeque Romanorum primus a devicta Provincia Africani nomen consecutus. Itaque Populus Romanus [1] *Duce Scipione in ipsam Africam tota mole conversus imitari cœpit Annibalem; & Italiæ suæ clades in Africa vindicare. Quas ille (Dii boni) Asdrubalis copias? Quot Siphacis exercitus fudit? Quæ, quantaque utriusque castra facibus illatis una nocte delevit? Denique jam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat: sic factum est ut inhærentem, atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit major sub Imperio Romano dies, quam ille, cum duo omnium, & antea, & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor collatis cominus signis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: ubi de pace non convenit, signa cecinere. Constat utriusque confessione, nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed tamen, Annibal cessit, præmiumque victoriæ Africa fuit, & secutus Africam terrarum orbis.*

Tunc primum Africa in Provinciam redacta est, post debellatam a Scipione Carthaginem, quamquam id Romani meditarentur, auctore Livio: *Nondum*, [2] inquit, *aperte Africa Provincia erat, occultantibus id, credo, patribus, ne præscifcerent Carthaginenses, tamen in eam spem erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finemque bello Punico adesse*. At devicta Carthagine, Africa Provinciæ formam induit: de qua hæc scripsit Sextus Rufus: [3] *Ter Africa rebellavit, ad extremum deleta per Africanum Scipionem Carthagine, Provincia facta est*. Similia habet Florus *lib.* 2. [4] *cap.* 17. *Scipio ille mox Africanus invasit novam integramque Provinciam: Isque statim capta Carthagine, & aliis urbibus non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis Provinciam fecit*. Hæc est Africa proprie dicta, quæ & Proconsularis, & Zeugitana dicta est, juxta Plinium *lib.* 5. *cap.* 1. Carthago est Provinciæ caput.

IV. Numidia Africam subsecuta, haud multo post secunda Provincia facta est. Est autem Numidia pars Africæ inter Cæsariensem, Mauritaniam, & Carthaginensem regionem, seu Zeugitanam: Metagonitis terra a Græcis appellatur. Ejus populi a Latinis Numidæ, a Græcis Nomades vocantur, quasi in pascuis inter armenta degentes: erat quippe gens illa rei pecuariæ in primis studiosa, & ob id ad lætiora pabula greges, & mapalia sua transferebat, teste Plinio: [5] *Numidæ vero, Nomedes a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domos, plaustris circumferentes*. Ab Oriente hæc regio adjacet Provinciæ Proconsulari, a Septemtrione mari alluitur, ab Occidente terminatur linea ducta ab Ampsagæ fluvii ostiis versus Meridiem usque ad Maximianum oppidum, ab Austro habet Libyam in-te-

(1) L. Florus cap. 6.
(2) Livius Decad. 3. lib. 9.
(3) Rufus in Breviar. Histor.

(4) L. Florus lib. 2. cap. 17.
(5) Plinius lib. 5. cap. 5.

teriorem. Hujus Provinciæ Metropolis civilis Cirta colonia, quæ Constantina etiamnum dicitur. *Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem*, testatus est Siphax eorum Rex Legatis Populi Romani, apud Livium *Decad. 3. lib.4. Maxime tamen Numidas longe primum equitum in Africa genus esse* idem affirmat Livius *lib. 9.* Hos autem Virgilius *lib. 4. Æneid. Infrænos Numidas* vocat, quod equos non fræno, ut nos consuevimus, sed virgula dumtaxat regerent. Numidarum olim Regnum Masinissæ nomine clarum fuit; Regis utique omnium ætatis suæ Regum maximi encomio a Livio jure ac merito commendati. Propriis paruerunt Principibus Numidæ usque ad Jugurthinum bellum. Devicto siquidem Jugurtha Rege a C. Mario Proconsule anno post Urbem conditam 649. ut Florus *epit. 65.* Numidia Provinciæ formam accepit: *Atque* (1) *ita* (inquit Onuphrius Panvinius) *in Africa duæ Provinciæ factæ sunt; Africa ubi erat Carthago, & Numidia*. Tametsi postmodum amicis Regibus commissa fuerit, cum Aurelius Victor scripserit de Pompejo, qui quinquaginta circiter annis post Marium floruit: *Numidiam Hiarbæ ereptam Masanissæ restituit*. Ceterum a Cæsare rursum in Provinciæ formam restituta est.

V. His accessit Mauritania, quæ & ipsa proprios habuit Principes: hos inter, Bocchum Mauritaniæ Regem commemorat Florus, (2) eumque jure sanguinis Jugurthæ auxilium ferentem, ac Numidiam vindicantem, a Mario Proconsule apud oppidum Cirtham graviter cæsum narrat: A quo, & Jugurtham Romanis traditum scribit, ut ipsorum amicitiam demereretur: *Qui ubi diffisus rebus suis alienæ cladis accessionem fieri timet, pretium fœderis, atque amicitiæ Regem facit*. Tunc igitur Mauritania sub amico Rege relicta est, usque ad Julii Cæsaris ætatem, quo imperante, cum Rex Juba mortem sibi ultro intulisset, ad Romanos hæc Provincia pervenit, uti ex Rufo accepimus: (3) *Mauritaniæ a Boccho Rege obtentæ sunt: sed subacta omni Africa, Mauros Juba Rex tenebat, qui in causa belli civilis a Julio Cæsare victus mortem sibi propria voluntate conscivit: ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt*. Arbitror tamen a Julio Cæsare novum Regem, fortassis Jubæ filium Mauritaniæ præpositum; neque enim inter Romani Imperii Provincias ea occurrit in Notitia Augusti. Quinimmo Strabo, qui Tiberii tempore floruit, ad finem libri sexti ait: *Africæ* (4) *partes, quæ non fuerunt juris Carthaginensium, Regibus concessæ sunt Romanorum imperio obedientibus; & si qui defecere, ii ditione omni sunt exuti. Nunc Mauritaniam, aliasque multas partes Africæ Juba obtinet ob studium in Romanos, & amicitiam hoc consecutus*. Arbitratur autem Aurelius Victor sub Tiberio Mauritaniam Provinciis Imperii additam: *Mauri*, inquit, *Provinciis accessere*. Post Tiberii obitum Mauritaniam in duas Provincias sectam a C. Caligula tradit Plinius *lib. 5. cap. 1.* antea enim Mauritaniæ unum Regnum fuere, *sed sævitia ejus in duas divisæ sunt Provincias*, Ptolemæo Mauritaniæ Rege impia fraude a Caligula peremto. Ceterum Dio eam divisionem Claudio adscripsit: (5) *Claudius Mauros divisit in eos, qui ad Tingi, & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent*. Itaque non nisi post Tiberii Principatum, vel Cajo Caligula, ut Aurelio placet, vel Claudio auctore, ut Dioni visum

(1) Panvinius part. 2. Comment. de Rep. Rom.
(2) L. Florus lib. 3. cap. 1.
(3) Rufus in Breviar.

(4) Strabo lib. 6.
(5) Dio lib. 60.

ſum eſt, Mauritania in duas Provincias diſtracta fuit, quarum una Tingitana, Cæſarienſis altera. A duobus Præſidibus eas regendas Claudius edixerat, ut Dio ſubdit: *Duobus Equitibus eas permiſit;* quas tamen poſt Neronem Sulpitius Galba uni Præſidi commiſit, ut patet ex his Taciti verbis: [1] *Lucejus Albinus a Nerone Mauritaniæ Cæſarienſi præpoſitus, addita per Galbam Tingitanæ Provinciæ adminiſtratione*. Tingitanæ deſcriptionem adornavit Plinius *lib. 5. cap. 21.* Ejus limites ab Ortu Malva fluvius: ab Occaſu mare Atlanticum: a Septemtrione fretum Herculeum, & Mare Mediterraneum: a Meridie montes Atlantici. Tingi hujus regionis urbs primaria toti Provinciæ nomen dedit; Hiſpaniarum Provincia dicitur a Rufo: [2] *Trans fretum etiam in ſolo Africæ Provincia Hiſpaniarum eſt, quæ Tingitanica Mauritania appellatur:* quia nimirum una erat ex quatuor Provinciis Præſidialibus Hiſpaniæ; ut patet ex Notitia Imperii Occidentalis, *cap. 3. & 67.* & ex Panvinio. Cæſarienſis vero a Tingitana Malva fluvio diviſa tota mari Mediterraneo incumbit, uſque ad Ampſagæ fluminis oſtia illam ab Africa Proconſulari ſeparantis. Adjacet ad Occidentem Sitifenſi, a qua dirimitur linea ducta a Promontorio Occidentali Numidici ſinus, ubi ſita eſt urbs Vabar, uſque ad Oppidum Tubunas oblique in Orientem ad flumen Uzar prope Zaratha. Provinciæ caput eſt Julia Cæſarea, Jol prius vocitata, Jubæ olim regia, a Claudio coloniæ jure donata deductis eo ejusdem juſſu veteranis, & in honorem Auguſti Cæſarea dicta, de qua videndi ſunt Plinius *lib. 5. cap. 2.* & Strabo *lib. ultimo*. Hodie *Algeri* ab Italis nominatur.

(1) Tacitus Hiſtor. lib. 2.
(2) Rufus in Breviar.

VI. Ante Conſtantini Magni Imperium non plures, quam tres recenſitæ fuerunt Provinciæ in Africa. Qua in re fallitur Onuphrius Panvinius, dum Hadriano Imperatori adſcribit Notitiam Imperii, quæ Africam in ſex Provincias diſtribuit: [3] *Provincia Africæ*, inquit, *cujus Metropolis eſt Carthago, Proconſularis Provincia Numidia, Conſularis Provincia, Byzacium, Conſularis, Provincia Tripolitana Præſidalis, Provincia Mauritania Sitifenſis Præſidialis, Provincia Mauritania Cæſarienſis Præſidialis*. Hanc Hadriani Notitiam Onuphrius ex Sexto Rufo deſumpſit, apud quem Africa in eas quidem ſex Provincias diſtributa legitur; hanc tamen diſtributionem Rufus ex Notitia Conſtantini Magni, poſt cujus tempora ſub Valentiniano ſcripſit, deſumpſiſſe videtur, non vero ex Hadriani Notitia. Appianus etenim Alexandrinus Hadriano ſynchronus in Proemio librorum de Bellis civilibus trium dumtaxat Africæ Provinciarum meminit: *Romanam* [4] *Hiſtoriam ſcribere inſtituens, neceſſarium mihi in primis exiſtimavi terminos ponere, quibus nationibus imperent Romani. Ab Herculis igitur columnis in id mare, quod ad illas demum circumque navigatur, Inſulæ littora, populi omnes Romano parent Imperio. Horum primi in dextera Mauruſii. Quicumque circa mare omniſque altera Libycorum natio uſque ad Carthaginem: his ſuperiores Nomades, quos Romani Numidas appellant, & regionem Numidiam*. Tres igitur tantum Africæ Provincias commemorat Appianus, quarum prima Mauruſiorum, quæ a Pomponio Mela Mauritania dicitur: ſecunda Libycorum, quæ uſque ad Carthaginem ſeſe extendebat, & Proconſularis appellata eſt: tertia Nomadum, quæ Nu-

(3) Panvinius loc. cit.
(4) Appianus in Proœmio libror. de Bell. Civil.

Numidia vocatur. D. Cyprianus, qui seculo tertio vixit, tres dumtaxat in Africa Provincias agnovit, Africam Proconsularem, Numidiam, & Mauritaniam, ut infra ex ejus verbis constabit. Plinio itidem initio *lib.* 5. & Ptolemæo *lib.* 4. præter Provincias Africæ Proconsularis, & Numidiæ duplex tantum Mauritania memoratur, Cæsariensis, & Tingitana, Sitifensi prætermissa, quæ Cæsarienſi accensetur a Ptolemæo *lib.* 4. *Geograph. cap.* 1. ubi Sitifim inter Mauritaniæ Cæsariensis urbes collocat. Plinius itidem Mauritaniam Cæsariensem a Numidia disterminat Ampsagia fluvio, ad quem usque protenditur Sitifensis, inter Mauritaniam Cæsariensem, & Numidiam sita. Alii tamen Sitifensem a Numidia divulsam volunt.

Itaque illa Africæ distributio in sex Provincias Hadriano longe posterior est, & nonnisi circa Constantini tempora videtur inducta. Idque argumento esse potest, quod a Constantini ætate ac deinceps, cum apud prophanos, tum apud Ecclesiasticos Scriptores frequens ejus mentio habeatur, ut in primis fidem facit pervetus inscriptio sub eodem Constantino facta, quam refert Schelstrates *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Dissert. IV. cap.* 6. §. 2. his verbis expressam: *L. Aradio Valerio Proculo, Proconsuli Africæ vice sacra judicanti, eodemque judicio sacro per Provincias Proconsularem, & Numidiam, Byzacium, ac Tripolim, itemque Mauritaniam Sitifensem, & Cæsariensem perfuncto officio Præfecti Prætorio*. In litteris quoque ad Cæcilianum scriptis, quas refert Eusebius *lib.* 10. *Histor. Eccl. cap.* 6. præter Africam Proconsularem, & Numidiam, recenset Constantinus utramque Mauritaniam. Addit vero in epistola ad Ablavium, ut ex parte Cæciliani, & Donati ad Synodum Arelatensem se conferant Episcopi, nedum Provinciæ Proconsularis, *sed & Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum*. Verum circa Theodosii Senioris tempora Africa palam divisa reperitur in sex Provincias, a Sexto Rufo in Breviario ad Valentinianum Imperatorem recensitas: (1) *Per omnem Africam sex Provinciæ factæ, ipsa, ubi Carthago est, Proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc est Sitifensis, & Cæsariensis*. Totidem deinceps occurrunt in Notitia Imperii ultra tempora Arcadii, & Honorii Imperatorum edita: *sub Diœcesi Africæ Provinciæ sex: Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis, Africa Proconsularis*. Tingitana cum in hac Notitia, tum apud Rufum prætermissa est, utpote Hispaniæ tributa.

VII. Byzacena a Proconsulari divulsa est, regio fertilitatis eximiæ. Ab Ortu habet fluvium Tritonem: ab Occidente Numidiam: ab Austro Libyam interiorem. Hujus urbs præcipua est Adrumetum, cujus meminit Plin. *lib.* 5. *c.* 4. Mauritania Sitifensis a Cæsariensi, seu ut aliis placet, a Numidia avulsa peculiarem Provinciam constituit. Urbs Sitifis ei nomen tribuit. Tripolitana Provincia a flumine Tritone, & minore Syrte usque ad aram Philœni extenditur: a Septemtrione mari alluitur: ab Occasu Tritone fluvio: a Meridie desertis Libycis terminatur. Recentes Geographi Tripolitanam Provinciam definiunt inter Cyrenaicam ad Ortum, Byzacenam ad Occasum, Mare Mediterraneum ad Boream, & Libyam desertam & Garamantes ad Austrum. Ibi alias Lotophagi & Macæi populi. *Arzugitana* etiam vocatur in epistola Aurelii Carthaginensis Episcopi apud Ba-

(1) Rufus in Breviar.

Baronium *ad annum* 419. *num.* 58. licet ibi male dicatur *Azuritana*; nam vetustissimus Codex Bibliothecæ Barberinæ *Arzugitanam* legit. Tripolis civitas Provinciæ caput, a qua hæc nomen habet. Ex omnibus hisce Provinciis Zeugitana dumtaxat Proconsularis dicta est, quod a Proconsule regeretur: Numidia, & Byzacium Consulares nuncupatæ, quia iis viri Consulares præerant: reliquæ Præsidiales a Sexto Rufo nominantur, quod illis Præsides jura dabant. Rufum imitatus Onuphrius Panvinius sex Africæ Provincias ita distribuit: *Provincia Africæ cujus Metropolis est Carthago Proconsularis Provincia, Numidia Consularis, Provincia Byzacium Consularis, Provincia Tripolitana Præsidialis, Provincia Mauritania Sitifensis Præsidialis, Provincia Mauritania Cæsariensis Præsidialis.*

VIII. Wandalis Africam invadentibus illa Provinciarum forma immutata est; præsertim postea quam Valentinianus III. Imperii sui ann. 18. cum Genserico Rege pacem firmavit, Africamque dispescuit, ita ut Byzacenam, Tripolitanam, & Zeugitanam, seu Africam Proconsularem, Vandalis dimiserit; sibi vero retinuerit Mauritaniam utramque, Numidiam, & Tingitanam, quæ ad Hispaniarum Diœcesim pertinebat. Hæc tradit S. Prosper *in Chronic.* & Victor Uticensis *lib.* 1. *cap.* 4. Ea Africæ divisio mansit usque ad Justiniani Imperium; is quippe misso in Africam cum exercitu Belisario Duce, bellum Vandalicum intra biennium feliciter gessit, profligatis undique Barbaris, & non tantum Africa, sed etiam aliis Romani Imperii partibus abscedere compulsis. De his Procopius *lib.* 2. *de Bello Vandalico*. Exinde Justinianus recepta Africa, eam ad pristinum statum Politicum revocandam censuit; parumper nihilominus ejus regimine mutato. Nam subduxit illam Præfecto Prætorio Italiæ, & peculiarem Præfectum Prætorio Africæ creavit, cujus Sedem Carthagine, quam de suo nomine Justinianam tertiam dici voluit, constituit. Extat in Codice Justiniani specialis Constitutio hac de re edita *l.* 1. *de Offic. Præfecti Prætorio Africæ:* qua Archelaus Præfectus Prætorio Africæ renuntiatus est. Itaque quatuor Præfectis Prætorio, quibus totius Romani Imperii cura commissa fuerat, quintum Justinianus adjunxit.

IX. Ex civili Provinciarum Africæ forma, Ecclesiasticam nobis vestigaturis, prius operæ prætium est animadvertere, Christianam Religionem non a principio ab Apostolis in Africam fuisse invectam, quemadmodum in Orientem, & plures Occidentis regiones ab iisdem fuerat illata, aut ab ipsorum alumnis. Id testantur Africani Patres, Tertullianus *lib. de Præscript. cap.* 20. & 36. & Augustinus variis in locis. Ille asserit, Ecclesias Africanas non esse Apostolicas, idest, nec ab Apostolis, nec ab Apostolicis viris, qui cum Apostolis perseveraverint, fuisse fundatas. Hic vero passim fatetur, Africam elapsis jam Apostolicis temporibus in Christum credidisse: cum enim Pitilianus in epistola, quam refellit Augustinus *lib. de Unit. Ecclesiæ*, (1) de Christianæ Religionis origine in Africa, dixisset: *De nobis* (christianis Afris) *dictum est: Erunt primi, qui erant novissimi. Ad Africam enim Evangelium postmodum venit, & ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est Africam credidisse.* Cui Augustinus respondens, minime contendit, Afros ab Apostolis, atque ab initio prædicationis Apostolicæ Evangelium suscepisse: sed tan-

(1) S. Augustinus lib. de Unit. Eccles. cap. 15.

tantum *nonnullas etiam barbaras nationes post Africam credidisse. Unde certum sit Africam in ordine credendi non esse novissimam*. Palam affirmat, Afris post Apostolica dumtaxat tempora christianæ fidei lumen affulsisse; nec nisi tractu temporis in Africam delapsum. (1) Quod *in Breviculo Collationis tertiæ diei cum Donatistis* insinuat. *Ecclesia Catholica per totum mundum diffunditur, incipiens ab Jerusalem, unde in propinqua, & longinqua crescendo etiam in Africam venit, & in alia loca, & civitates, per quos primitus dilatata est*. Quare minor fides hac in parte debetur Salviano, utpote extraneo, & recentiori contrarium asserenti *lib. 7. de Providentia*, Carthaginensem Ecclesiam ab Apostolis fuisse institutam: cui Tertullianus, & Augustinus, Afri, antiquioresque repugnant. Itaque primo jam seculo elapso a Romanis, ut verisimile est, prima Evangelii semina suscepit Africa. Nam D. Augustinus *epist. 43. olim 162.* de Romana Ecclesia loquens, ait: *Unde Evangelium ad ipsam Africam venit*. Explorata quoque est Innocentii I. auctoritas in litteris ad Decentium Eugubinum: *Manifestum est*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes*. Et D. Gregorius Magnus in epistola ad Dominicum Carthaginensem Episcopum ait: (2) *Scientes præterea unde in Africanis Partibus sumpserit Sacerdotale exordium, laudabiliter agitis, quod Sedem Apostolicam diligendo ad Officii vestri originem prudenti recordatione recurritis*.

Eminentissimus Cardinalis Baronius (3) hæc eadem Augustini, Salviani, Innocentii, & Gregorii testimonia laudat, inde probaturus, Africam ab Apostolis Evangelium accepisse. Sed ipsa per se clamant, & nonnisi post Apostolorum ætatem id factum profitentur. Augustinus quidem eo ipso loco *de unit. Eccles. c. 15.* quem Baronius refert, contra Donatistas disputat, qui cum falso comminiscerentur, Evangelio ab Jerosolymis per ceteras terras prædicato, ob Traditorum crimina tempore Diocletiani Ecclesiam periisse, ac in solis perseverasse Donatistis, errori se se opponit Augustinus, irridetque Donatistas, quod si verum esset eorum commentum, jam Ecclesiæ Apostolorum labore fundatæ periissent, eisque neglectis ex Africana Donati Ecclesia ceteris gentibus, ad quas nondum Evangelium pervenerat, foret prædicandum. Quo loquendi modo indicat potius Augustinus, Africam non fuisse ab Apostolis ad fidem conversam. Atque illud in Augustino præsertim animadversione dignum, quod cum Donatistæ palam docerent, nullam in Africa Ecclesiam ab Apostolis fuisse institutam, nusquam ideis negaverit. Nec sane hoc negare potuit, quod Afris citra controversiam creditum erat, ut ex Tertulliano colligitur: is quippe *in lib. de velandis Virginibus*, recensens Italiæ, Græciæ, aliarumque regionum Ecclesias, quas *transmarinas* vocat, eas esse affirmat, *quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici viri condiderunt*: illis autem cum opponeret Ecclesias Africæ, has vocat *posteras illas*, innuere volens post Apostolos institutas, quemadmodum aperte significat, cum *in lib. de Præscript. Hæretic. cap. 36.* Afros ad Ecclesias Apostolicas remittit. Innocentii, & Gregorii verba jam protulimus, in quibus nihil est, quod Baronii

(1) S. August. in Brevic. Collat. 3. diei cap. 8.
(2) S. Gregor. l. 7. epist. 32.

(3) Baronius Ann. 44. num. 38. 39.

ronii opinionem juvet. Gregorius enim non singillatim a Petro, sed generatim a Sede Apostolica Africam Episcopatus originem hausisse commemorat. Innocentius vero plures enumerans Provincias, non in omnibus illis Ecclesias ab Apostolis conditas asserit, sed particula disjunctiva vel, satis mentem suam aperit, scilicet aliquas a D. Petro, alias vero, quas inter est Africana, ab ejus Successoribus constitutas. Salviani auctoritas, ut diximus, non multum nos premit, cui potiorem opponimus Tertulliani, & Augustini. Quamquam doctissimus Schelstrates, *in Dissert.* 1. *de Eccles. Africana, cap.* 2. optime animadvertat, Salvianum nihil commune habere cum Baronii sententia. Cum enim *lib.* 7. *de Providentia*, pleraque de Afris, & Carthagine primaria eorum urbe, tamquam omni vitiorum cœno inquinata dixisset, cum illius incolas fornicatione, adulterio, & sodomia fœdatos descripsisset; quod se de Afris, hoc Apostolum Paulum testatum ait de Romanis tam fœda omnium consensu perpetrantibus, subdit: (1) *In urbe Christiana, in urbe Ecclesiastica, quam quondam Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronarant, viri in semetipsis feminas profitebantur*. Ubi per civitatem illam Salvianus non intelligit Carthaginem, de qua paulo ante locutus fuerat, tamquam Sodomitico populo repletam, sed urbem Romam, cujus cives Paulus in epistola ad Romanos vitio nefando infectos indicaverat: unde etiam sequitur: *Atque hoc publice in civitate Romana, urbe illic summa ac celeberrima*.

X. Quare Apostolorum ævo recentior est Africæ ad Christi fidem conversio. Non tamen assentiri possum iis, qui putant Agrippinum Carthaginensem primum fuisse totius Africæ Episcopum, ac proinde Africanam Ecclesiam ab ipso, aut eo vivente fundatam. Quam sententiam fulciunt auctoritate D. Augustini *in lib. de unico Baptismo contra Petilian. cap.* 12. & 13. ubi tradit Septuaginta Episcopos præcessisse Cypriano, primumque inter eos collocat Agrippinum, quem Cyprianus ipse *epist.* 70. *ad Jubajanum*, & 73. *ad Episcopos Numidiæ*, primum de iterando Hæreticorum Baptismo sententiæ auctorem nominat; nec alium ex Prædecessoribus suis laudat Agrippino antiquiorem. Quibus etiam in locis dogma de iterando hæreticorum baptismate veterem vocat consuetudinem; cumque passim Agrippini de hac re decretum extollat, illud consequi videtur, Agrippino deberi primodia Ecclesiæ Africanæ. Alioquin consuetudinis nomine donanda non fuerat ea sententia, quæ post fundatam diu ante Ecclesiam illam ab uno Agrippino exordium sumpsisset. Vel certe alios Agrippino antiquiores Africæ Episcopos commemorasset, si ipsi in eodem dogmate propugnando præcessissent. Præterquam quod nullus alter Agrippino vetustior obvius est in Catalogo Carthaginensium Antistitum. Verum hæc & similia argumenta nobis suadere non possunt, ab Agrippino primum erectam fuisse Africanam Ecclesiam. Enimvero per Episcopos Cypriani Antecessores, Augustinus non intelligit solos Episcopos Carthaginenses, quasi totidem in Sede Carthaginensi anteierint Cypriano. Nam ab Agrippini obitu pauci Antistites Carthaginenses præcesserant Cyprianum; ut videre est apud EliamDu-Pin *in Geographia Sacra Africæ*, quam præfixit Operi Sancti Optati Milevitani de Schismate Donatistarum, *pag.* 30. Novæ Editionis Antuerpiensis. Cum igitur D. Augustinus ait: (1) *Illud quod*

(1) Salvianus lib. 7. de Providentia.

(1) S. Augustin. lib. de unico Baptis. cont. Petil. c. 13.

quod adjungit de Episcopo Carthaginensi, de inclyto Martyre Cypriano, de septuaginta praecessoribus Cypriani: septuaginta Episcopos indicat, quibus constabat Concilium Africanum, cui praerat Agrippinus, quando editum fuit decretum de rebaptizandis hæreticis: quod inferius aperte declarat: *Hoc*, inquit, *de Agrippino, aliisque Episcopis, qui illa concilia fecisse perhibentur*. Hos autem Cypriani prædecessores vocat, non in Cathedra Carthaginensi, sed in dogmate de hæreticorum baptismo, de quo inter Donatistas, & Catholicos agebatur. Quod enim Agrippinus concilium indixerit ex pluribus Africæ, & Numidiæ Episcopis, palam testatur S. Cyprianus *epist.* 71. & post eum D. Augustinus *lib.* 2. *de Baptismo cont. Donatistas*, *capp.* 7. 8. & 9. Ad hanc Synodum plurimos convenisse Antistites affirmat idem Cyprianus in litteris ad Jubajanum: (1) *Multi jam anni sunt, & longa ætas ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt*. Agrippini ergo ætate plurimi in Africa Proconsulari, ac Numidia erant Episcopi, e quibus, juxta Augustinum, septuaginta interfuerunt Synodo: at ingens iste numerus Episcoporum in novella, ac neophita Ecclesia, quæ tunc vix incipe-ret, reperiri non poterat. Quocirca necesse est diu ante eam fuisse fundatam.

Consuetudinis nomen huic dogmati de iterando hæreticorum baptismate non idcirco tribuit Cyprianus, quasi ab exortu Ecclesiæ Africanæ inducta illa fuerit; sed quod a multis annis jam obtinuerit. Quamquam non ita exploratum sit, quo Agrippinus sæculo Carthaginensem rexerit Ecclesiam, secundo ne, an tertio, quove tempore Concilium indixerit. Joannes Fellus *in notis ad epist.* 73. *Cyprianicam*, *pag.* 307. existimat, Agrippinum saltem Cataphrygum hæresim, hoc est annum Christi ducentesimum antevertisse. Baronius eam Synodum rejicit ad annum 217. Editio novissima Conciliorum ad annum 215. Ellies Du-Pin *in Geographia sacra Africæ*, *pag.* 30. censet, Agrippinum non tertio, ut vulgo creditur, sed sub finem secundi sæculi Carthagine sedisse. Nec inverisimilis est ejus conjectura: Tertullianus quippe de baptismo hæreticorum loquens, in libro de baptismo, quem circa annum 200. conscripsit, videtur ad hoc Agrippini decretum respexisse, cum ait: *Circa hæreticos sane quid custodiendum sit digne quis retractet! ad nos enim editum est*. Per hæc verba *ad nos enim editum est*, decretum Agrippini designari nullus dubito. Sive autem sub finem secundi sæculi, sive initio tertii Agrippinus Concilium prædictum celebraverit, hoc unum certum est, quinquaginta plus minusve annos effluxisse, usque ad Cypriani tempora, quibus hæc eadem exarsit controversia. Hoc annorum spatium satis ipse duxerat, ut Agrippini sententiam consuetudine firmatam contenderet: *Multi jam anni sunt*, inquit, *& longa ætas*. Contra vero Augustinus rem nullo præjudicio occupatus attentius introspiciens, illud ipsum temporis spatium minus sufficiens esse merito credidit, ut consuetudinis nomen mereretur: propterea longam illam ætatem a Cypriano prætextam, in paucos annos contraxit: (1) *Consuetudinem*, inquit, *robustam: tam antea Cyprianus invenit, ut cum ejus mutandæ auctoritatem, quam sequeretur, vir tanta scientia præditus quæreret, non nisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini concilio repe-riret*.

(1) S. Cyprianus epist. 73.

(1) S. Augustin. lib. 4. de Baptismo contra Donatist. c. 6.

viret. In Africa quidem hæc controversia nata est, at non eadem cum Africana Ecclesia habuit cunabula. Hæc jam antea fundata fuerat, veram de unitate baptismatis sententiam, una cum Christi fide a Romana hauserat Ecclesia: Agrippinus vero post fundatam Carthaginensem Ecclesiam errorem de rebaptizandis hæreticis primus omnium mortalium invexit, uti loquuntur Vincentius Lirinensis *in Commonitorio I.* & Facundus Hermianensis *lib.* 10. Nec refert, Agrippinum in Catalogo Carthaginensium Antistitum primum occurrere: idem quippe infortunium aliis contigit Ecclesiis, ut temporum injuria perierint vetera monumenta, nec omnium, qui ab initio floruerunt, Sacerdotum memoria ad posteros devenerit. Quamquam vero Africanæ Ecclesiæ primordia Agrippini ætatem antevertisse credamus, ea tamen secundi seculi initium prætergredi minime arbitramur. In hac sententia plerique conveniunt, licet hucusque nullus annum definire ausus sit. Emanuel a Schelstrate sub Hadriani Imperio illius exordium constituit circa annum 120.

XI. Quemadmodum in aliis Orbis partibus, ita & in Africa semel Ecclesia constituta, non nisi tractu temporis crevit. Quocirca non statim a sui exortu tot ibi Ecclesiasticæ, quot & civiles Provinciæ constitui poterant. Paulatim id fieri oportuit juxta ejusdem Ecclesiæ incrementa, atque in varias Africæ partes Evangelii propagationem. Usserius Armachanus in Opusculo de Episcoporum, & Metropolitanorum origine, non multis ab hinc annis in Anglia edito, censet in Africa ad usque Sancti Cypriani ætatem, nequaquam fuisse tot Provincias Ecclesiasticas, quot & civiles; sed unam dumtaxat, cujus Metropolis esset Carthago. Ejusdem Cypriani testimonio sententiam suam probat in quadam epistola scribentis: *Placuit universis Episcopis, vel in nostra Provincia, vel trans Mare constitutis, quod omnes scilicet Ecclesiæ in Africa cismarinæ ad unam Provinciam pertinerent.* Et alibi idem Cyprianus ait: *Quoniam latius fusa est nostra Provincia, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes.* Inde colligit Usserius: *Quamquam* (1) *enim in civili gubernatione Africa Proconsularis (in qua Carthago erat) Numidia, & duæ Mauritaniæ (Sitifensis, & Cæsariensis) tres distinctæ Provinciæ haberentur: in Ecclesiastica tamen administratione omnes in unum Provinciam conjunctæ erant, & sub Carthaginis primariæ satis Metropolitica jurisdictione dispositæ.* Eidem sententiæ calculum suum adjecit Carolus a S. Paulo Fuliensis Abbas *in Geographia Sacra*, (1) ubi unicam tantum in Africa cognoscit Provinciam Ecclesiasticam, ne dum Cypriani ævo, sed etiam usque ad Gratum Carthaginensem Episcopum, qui ad quarti seculi medium vixit: idque confirmat auctoritate Concilii Carthaginensis I. sub ipso Grato celebrati, *quo Episcopi ex diversis Provinciis Africanis*, & postea in universæ Provinciæ Africanæ Concilium congregati dicebantur. Ex quo infert prædictus Auctor: *Per Provintias intelliguntur civiles, per universæ Provinciæ Africæ unica Africanæ Ecclesiæ Provincia.*

Quædam in hac sententia sunt, quibus assensum nostrum subtrahere cogimur. Sed antea necesse est, ut quæ Cypriano præiverant tempora, ab ipsius secernamus ætate. Si enim Africanam Ecclesiam sub Agrippino Cypriani Prædecessore spectemus, tunc in plures Provincias sectam fuisse, nullo satis firmo argumento probari

(1) Usserius lib. de Episcop. & Metropolit. origine.

(1) Carolus a S. Paulo in Geographia Sacra.

bari poteſt. Concilium quidem ille indixit, (1) *cum ceteris Coëpiſcopis ſuis, qui illo tempore in Provincia Africa & Numidia Eccleſiam Dei gubernabant*, teſte D. Cypriano in epiſtola ad Quintum: verum ſuo ne Primate Numidia tunc regeretur, an uni tantum Carthaginenſi obtemperaret, incerta res eſt, nec temere abſque ullo fundamento definienda. De Mauritania nihil prorſus commemorat Cyprianus, tametſi Tertullianus Agrippino contemporaneus, a quo Presbyter ordinatus creditur, indicare videatur, Evangelium jam ſua ætate multos Maurorum fines pervaſiſse. In libro enim adverſus Judæos eas recenſens Africæ regiones, quæ Chriſto nomen dederant, enumerat *regionem* (2) *Africæ, quæ eſt trans Cyrenem;* additque: *ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines &c.* ac ſi diceret, regionem Africæ trans Cyrenem poſitam, quæ eſt ipſa Africa Proconſularis, dudum ad fidem converſam fuiſse, & jam ſua ætate Evangelii lumen in multos Maurorum fines diffuſum. Ergo Tertulliano adhuc ſuperſtite ad pleraſque Mauritaniæ urbes pervenerat Chriſti fides, nondum tamen integra Mauritania eam ſuſceperat. Quamobrem veriſimile eſt, nondum ea tempeſtate Mauritaniam in Provinciæ Eccleſiaſticæ formam fuiſse redactam. Ceterum quo tempore D. Cyprianus Carthaginenſi præerat Eccleſiæ, totidem fuiſse Provincias Eccleſiaſticas, quot & civiles, non obſcure ipſe indicat in epiſtola ad Cornelium Papam, ubi limites, & partes Africanæ Eccleſiæ ſic deſcribit: (1) *Sed quoniam latius fuſa eſt noſtra Provincia: habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes*. Sincerior eſt hæc lectio, ac melioris notæ Codicibus conformis, quam ſit altera, quæ legit: *habet enim Numidiam, & Mauritanias duas*. Eamque nuper amplexus eſt Joannes Fellus Oxonienſis in Anglia Epiſcopus in notis ad hanc ipſam epiſtolam, quam 48. ordine ponit. Ubi etiam obſervat, duarum Mauritaniarum mentionem fortaſsis ex margine irrepſiſse: & veterem lectionem, quæ habet *Numidiam, & Mauritaniam*, ſinceriorem eſse. Cypriani autem Provincia erat Africa proprie dicta, ſive Zeugitana, ubi Carthago ſita erat, cui tunc præſidebat Cyprianus. Præter hanc numerat Numidiam, & Mauritaniam, velut duas Provincias, nedum civiles, ſed etiam Eccleſiaſticas a Proconſulari diſtinctas; pæne ac ſi diceret: Africa Proconſularis, quæ eſt Provincia noſtra, latius diffuſa eſt: huic inſuper cohærent duæ aliæ, nimirum Numidia, & Mauritania. Siquidem Carthaginenſis Metropolitæ jure Primatus totius Africæ harum Provinciarum Epiſcopos ad Synodum convocabat, eique liberum erat, juxta rerum opportunitatem, & uniuſcujuſque Provinciæ graviores cauſas, aut ex ſingulis, aut ex earum aliqua dumtaxat, Antiſtites ad Synodum aſciſcere. Nam paulo poſt aliud Concilium indixit ex ſolis Epiſcopis Provinciæ Proconſularis, & Numidiæ, ut ipſemet Jubajano ſcripſit: (4) *Exemplum earumdem litterarum tibi miſi: quid in Concilio cum plures adeſſemus: quid item poſtea, Quinto collegæ noſtro de eadem re quærenti reſcripſimus; & nunc quoque cum in unum convenimus tam Provinciæ Africæ, quam Numidiæ Epiſcopi numero ſeptuaginta & unus, hoc item denuo ſententia noſtra firmavimus*. Ut quid autem prætermiſiſset Mauritaniæ Epiſcopos, ſi & ipſi æque ac alii ad unam eamdemque Eccleſiaſticam Provinciam pertinuiſ-

(1) S. Cyprianus epiſt. 71.
(2) Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 7.
(3) S. Cyprianus epiſt. 45.
(4) Idem S. Cyprianus epiſt. 73.

nuissent? Ideo autem eos minime accersivit, quod distinctæ essent Provinciæ, quarum unaquæque proprium corpus efficiebat.

XII. Ubi vero graviora negotia postulabant, non ex una vel altera, sed ex omnibus hisce Provinciis conventum Episcoporum agi, non ex Africa Proconsulari dumtaxat, aut ex Numidia, sed etiam ex Mauritania cœtum omnium Antistitum, qui tunc Africanas Ecclesias gubernabant, ad unam eamdemque Synodum congregare solebat. Id vero præstitit non solum in priore Synodo, cujus meminit in laudatis ad Cornelium litteris, sed etiam in posteriore altera Carthagine habita, convocatis ex Africa, Numidia, & Mauritania Episcopis octoginta septem, quam refert D. Augustinus *de Baptismo contra Donatistas*. Concilii (1) Acta id testantur: *Cum in unum Charthagine convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex Provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris, & Diaconibus, & lectæ essent litteræ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubajanum*. Hic Joannes Zonaras loco *Jubajani* legit *Joviniani*, qui fuit Episcopus Provinciæ Numidiæ, & adfert Cypriani rescriptum, *ad Jovinianum, ejusque Coëpiscopos*. Hinc Pamelius optime colligit, hunc Jovinianum, quem ipse Januarium vocat, fuisse Primatem Numidiæ. Profecto nec Jovinianus litteras nomine suo ad Cyprianum dedisset, eique vicissim Cyprianus suas, nec Joviniani Coëpiscopi a reliquis Africæ distinguerentur, nisi ipse inter Numidiæ Coëpiscopos Primas fuisset, & unum cum eis corpus a ceteris Episcoporum Collegiis diversum conflasset. Itaque Cypriani ævo Provincia Numidiæ in distributione Ecclesiæ, non secus ac Imperii, discreta erat ab Africa Proconsulari: consulto proinde Cyprianus ipse in laudatis ad Jubajanum litteris scripsit, in unum convenisse Episcopos *tam Provinciæ Africæ, quam Numidiæ*, ut indicaret duas has Provincias etiam in regimine Ecclesiastico distinctas esse, & unamquamque illarum proprios habere Antistites. Ob hanc causam Jubajano Numidiæ Primati, qui a Concilio aberat, ejusdem Concilii nomine litteras dedit, quibus eum certiorem reddidit de iis, quæ in Synodo Carthaginensi statuta fuerant.

Eamdem hanc Primatis dignitatem in Numidia post Jubajanum, seu Jovinianum, alios obtinuisse etiam ante Constantini Magni Principatum, ex Secundo Tigisitano perspicuum fit. Is quippe sæviente Diocletiani persecutione Concilium Cirtense in Numidia celebravit, cui velut Provinciæ Primas præsedit, cum ipso novem decemque Episcopis Numidiæ considentibus. Quod enim Secundus Synodo præsederit ex eo constat, quod auctore (1) Optato Milevitano, primus omnium sederit, aliisque sedendi facultatem impertiverit: quod alios interrogaverit: quod accusationes adversus Coëpiscopos suos susceperit; quod tandem sententiam tulerit, ac traditionis crimine pollutos absolverit, ac Dei judicio causam eorum reservandam edixerit. Sed apertius Primatum Secundo Tigisitano vindicat D. Augustinus *lib. 3. contra Cresconium cap. 27.* Secundum Tigisitanum vocat *Episcopum primæ Cathedræ*. *Et lib. 1. cont. Parmenianum cap. 3.* De Episcopis ad Concilium Cirtense vocatis, ait: *qui venientes cum Primate suo tunc Secundo Tigisitano*. Ad ipsum idcirco tamquam Numidiæ Primatem spectasse ordinationem Cirtensis Episcopi, tradit idem Augustinus in loco citato contra Cresconium referens

(1) S. Augustinus de Baptis. cont. Donatist. lib. 2. cap. 2.

(1) Optatus lib. 1. contr. Parmenianum.

ferens ejusdem Concilii Acta: *Diocletiano* (1) *octies, & Maximiano septies Consul. quarto nonas Martii Cirthæ, cum Secundus Episcopus Tigisitanus primæ Cathedræ consedisset in domo Urbani, Donatique idem dixit: Probemus nos primo, & sic poterimus hic ordinare.* Ex his porro Optati, & Augustini locis confutata manet non solum Usserii opinio existimantis, in Africa unam dumtaxat fuisse Provinciam Ecclesiasticam usque ad Cypriani tempora; sed etiam Caroli a S. Paulo idipsum protrahentis usque ad ætatem Grati, qui nonnisi post Constantini Magni obitum Carthaginensem rexit Ecclesiam. Secundus quippe Tigisitanus Numidiæ Primatum gessit, & Cirthæ Synodum habuit anno 305. Diocletiano imperante, uti ex laudatis ab Augustino hujus Synodi Actis probat Ellies Du-Pin *in Historia Donatistarum pag.* 3.

XIII. Hæ quidem vetustiores fuerunt Provinciæ Ecclesiasticæ in Africa, ad normam civilium constitutæ; Proconsularis omnium princeps, cujus Primas, sicut & Africæ universæ, erat Carthaginensis: hanc paulo post secutæ sunt Numidia, & Mauritania, antequam in duas scinderetur. Reliquæ vero iis accesserunt, posteaquam Africa universa in sex civiles Provincias dissecta est. Quod circa Theodosii Senioris tempora contigisse, non immerito observat Ellies Du-Pin *in Geographia Sacra Africæ, pag.* 24. atque ex ipsis Africæ Conciliis perspicuum est, in quibus sex illæ Provinciæ a Sexto Rufo, Victore Uticensi, aliisque descriptæ, enumerantur, scilicet Africa Proconsularis, seu Zeugitana, Numidia, Mauritania Cæsariensis, Sitifensis, Byzacium, Tripolis. Tres primæ præterquam ex Conciliis sub Cypriano, & Secundo Tigisitano jam recensitis patent, quas Constantini, ac Theodosii tempora prævertisse adnotavimus: de Numidia insuper notum est ex Concilio Milevitano anni 402. in quo statuitur, ut *Archivus Numidiæ & apud primam Sedem sit, & in Metropoli, idest, Constantina.* Erat igitur una Metropolis, & unus Primas totius Numidiæ. Unde in Concilio Carthaginensi anni 397. *Crescentianus* dicitur *primæ Sedis Numidarum Episcopus.* Augustinus itidem *in epist.* 59. ad Victorinum, agens de contentione inter duos Episcopos exorta de Primatu Numidiæ, omnes Numidiæ Episcopos uni paruisse Primati supponit. His lucem afferunt, quæ S. Prosper in Chronico refert, Megalium videlicet Episcopum Colamensem, anno 395. Hipponem appulisse, ut Augustinum ejusdem urbis Episcopum consecraret. Quod & Possidius confirmat *lib. de Vita Augustini cap.* 8. narrans, Sanctum Doctorem ordinatum fuisse a *Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo:* cumque in Collatione Carthaginensi Donatistæ instarent, ediceret Augustinus, (1) a quo nam Episcopus consecratus esset, respondit ille: *Megalius me ordinavit, Primas Ecclesiæ Numidiæ Catholicæ.*

XIV. Institutionem Primatus Mauritaniæ Sitifensis tardius nonnulli consignant, quam res ipsa se habuerit. Nam vix anno 419. Primatem Sitifensem in Synodo Carthaginensi tunc coacta institutum volunt, subnixi auctoritate canonis 17. Codicis Africani cujus hæc sunt verba: *Placuit ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit, Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur, ut suum habeat Primatem: quem consentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanarum, & omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est.*

(1) S. Augustinus lib. 3. cont. Cresconium cap. 27.

(1) S. Augustin. in Collatione 3. diei cap. 247.

ſa eſt. Sed eos oppido falli præclare demonſtrat Eminentiſsimus Cardinalis Noriſius *lib. 2. Hiſtor. Pelagianæ*, *cap.* 8. Enim vero ex generali regula *can.* 2. 3. Concilii Carthaginenſis ſancita, quam Binius refert, & extat *in can.* 18. Codicis Africani, *Omnes Provinciæ, quæ primas Sedes habent, Legatos mittant*. At Mauritania Sitifenſis ab anno 397. ac deinceps Legatos ad Synodos Africæ miſerat. In Synodo eodem anno habita Cæſario, & Attico Conſ. Honoratus, & Urbanus nominantur Legati Mauritaniæ Sitifenſis, qui Carthaginem ad Concilium advenerant, omnia Provinciæ ſuæ poſtulata deferentes. Iidem *Honoratus, & Urbanus Epiſcopi Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis* laudantur in Synodo Carthagine celebrata anno 401. poſt Conſulatum Fl. Stiliconis. Rurſus in Synodo Carthaginenſi Theodoſio, & Rurimondo Conſ. ann. 403. *cap. 57. Codicis Africani*, hæc leguntur: *Lucianus & Sylvanus Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis dixerunt, &c.* Anno 418. ex hac Provincia Legati eliguntur, qui Carthagine demorentur. Initio itidem Concilii anno 419. indicti Legati Sitifenſium nomine præſentes adſunt ante conditum canonem 17. Propria igitur Sede Primatiali donata erat Provincia Mauritaniæ Sitifenſis ante annum 419. Unde D. Auguſtinus in litteris ad Victorinum ſcripſit: (1) *Legi in eadem Tractatoria, etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas Provincias ſcimus ſuos habere Primates*. Ubi duas indicat Mauritanias, Cæſarienſem, & Sitifenſem, & earum cuilibet proprium tribuit Primatem. Datæ autem ſunt eæ litteræ ann. 401. In Concilio quoque Milevitano I. Arcadio, & Honorio AA. V. Conſ. quod ann. 402. indictum fuit, Numidia, & Mauritania Sitifenſis, velut diſtinctæ Provinciæ recenſentur, & utriuſque Primates propriis indigitantur nominibus: *Xantbippus Epiſcopus primæ Sedis Numidiæ ſua manu confirmavit . . . Nicetius Epiſcopus primæ Sedis Mauritaniæ Sitifenſis dixit*.

Quod ſpectat ad canonem 17. Concilii Carthaginenſis anni 419. recte animadvertit Ellies Du-Pin *in Geographia Sacra Africæ, pag.* 24. Mendum irrepſiſse in Codicem Africanum; & aliter eum legi in duobus Manuſcriptis in hanc ſententiam: *De Primatu Mauritaniæ Sitifenſis. Primatem vero proprium cum Mauritaniæ Sitifenſis Epiſcopi poſtularent, omne Concilium Epiſcoporum Numidiæ, conſentientibus omnibus Primatibus, vel univerſis Epiſcopis Provinciarum Africanarum, propter longi itineris novitatem Primatem habere permiſſa eſt. Cum conſilio Carthaginenſis Eccleſiæ factum eſt*. Ex Codice enim Africano illud conſentaneum eſset, Sitifenſis Provinciæ Legatos poſtulaſse, atque a Synodo decretum fuiſse, ut Sitifenſis Provincia ſuo careret Primate, & Primati Numidiæ ſubjecta eſset: quod tamen nullus huic Synodo, & Legatis Sitifenſibus affinget. Contra vero alii Codices caſtigatiores ab Epiſcopis Mauritaniæ Sitifenſis, proprium Primatem a Numidia diſtinctum fuiſſe poſtulatum affirmant: idque totius Synodi decreto ipſis conceſsum. Eodem modo Ferrandus Diaconus hunc canonem legit in Breviatione canonum *cap.* 82. *Ut Primatem proprium Mauritania Sitifenſis habeat. In Concilio Carthaginenſi tit.* 6. Ita tamen intelligendus eſt canon iſte, non quaſi tunc primum Mauritania Sitifenſis Primatem habere cœperit, cum ex nuper aſſertis contrarium aperte conſtet; ſed hoc ſenſu, quod tum fuerit confirmatum ipſi iſtud juris decreto Con-

(1) S. Auguſtinus epiſt. 59 alias 117.

Concilii, idque consentientibus Numidiæ Episcopis, qui hucusque reclamaverant. Nam postulatum de hac re fuisse Primatem Numidiæ, ut & ipse contentione semota, consensum præberet suum, palam declarat altera ejusdem canonis 17. sincera lectio apud Schelstratem, *Tom. 2. Antiq. Ecclef. dissert. 4. cap. 6. num.* 8. in hanc sententiam: *Placuit, ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separabatur, ut suum habeat Primatem, quem consentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanarum, vel omnibus Episcopis propter longinquitatem habere permissa est.*

XV. De duabus reliquis Provinciis, Byzacena nimirum, & Tripolitana, notum est ex Africanis Conciliis, ex D. Augustino, aliisque antiquis Scriptoribus, eas etiam quo ad Ecclesiasticam Provinciarum distributionem, initio seculi quinti fuisse ab aliis distinctas. Eæ siquidem, perinde ac ceteræ Africæ Provinciæ recensentur in II. Concilio Milevitano: *Item* (1) *placuit, ne diutius universi Episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, teneantur, ab universo Concilio ternos judices de singulis Provinciis eligi. Et electi sunt de Provincia Carthaginensi Vincentius, Fortunatianus, & Clarus: de Provincia Numidiæ Alypius, Augustinus, & Restitutus: de Provincia Byzacena, cum Sancto Sene Donatiano Primate, Cresconius, Jocundus, & Æmilianus: de Mauritania Sitifensi, Severianus, Asiaticus, & Donatus: de Provincia Tripolitana, Plautius, qui ex more Legatus unus est missus*. Una omittitur Mauritania Cæsariensis in Concilio Carthaginensi septimo, & in aliis antiquioribus sub Cypriano, antequam in duas Provincias secta esset Mauritania. Expressa vero ejus sit mentio una cum reliquis in Collatione Carthaginensi habita anno 411: *Præsto sunt universi de omnibus, scilicet Proconsulari, de Provincia Byzacensi, de Numidia, de Mauritaniis Sitifensi, & Cæsariensi, & de Tripolitana Provincia. Et cap.* 72. collat. Carthagin. diei 1. *Si de numero dubitatur, eant Provinciales ad Mauros, eant ad Numidas, eant ad Byzacenos, eant quoque ad Tripolitanos, eant ad Provinciæ Proconsularis &c.* Tingitana Provincia licet quo ad Civilem Imperii distributionem Hispaniis attributa esset, quo ad Ecclesiasticam tamen ad Mauritaniam Cæsariensem spectabat. Perperam proinde in subscriptionibus Synodi plenariæ Africanæ ann. 419. Carthagine indictæ Mauritania Sitifensis cum Tingitana confunditur, siquidem Legati Mauritaniæ Sitifensis ita subscripti leguntur: *Novatus Sitifensis Legatus Provinciæ Sitifensis, vel Mauritaniæ Tingitanæ.* Quem subscribendi modum duo alii Collegæ imitantur. Eumdem lapidem offendit Pamelius in Notis ad epistolam 45. Sancti Cypriani, quo loco ex Sexto Rufo Africanarum Provinciarum divisionem recitat, cum tamen ibidem Rufus post recensitas duas Mauritanias Sitifensem, & Cæsariensem, statim adjecerit: *Trans fretum etiam in solo Africæ Provincia Hispaniarum est, quæ Tingitanica Mauritania appellatur*. At Tingitana Sitifensi nequaquam adhæret proxima, sed inter utramque Cæsariensis interjacet. Quamvis autem Tingitana Provincia Hispaniarum a Rufo dicta sit, quod in civili distributione una esset ex quatuor Provinciis Præsidialibus Hispaniæ, spectato tamen regimine Ecclesiastico Mauritaniæ Cæsariensi accensebatur, ut constat ex Notitia Episcoporum Africæ sub Hunerico Rege digesta, in qua Tin-

(1) Concilium Milevitanum II. can. 27.

Tingitanæ Provinciæ Episcopi sub Cæsariensi Mauritania recensentur. Quod & ante Hunerici Regnum observatum fuisse credimus, cum nusquam in Notitia Ecclesiastica Provinciarum Hispaniæ, Tingitana iis attributa legatur. Unde in litteris Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem, quinque dumtaxat nominantur Hispaniarum Provinciæ: Tarraconensis, Carthaginensis, Baetica, Lusitania, & Gallæcia, nec ulla Tingitanæ occurrit mentio. Tandem Justinianus Imperator Belisarii Ducis opera devictis Wandalis, Africam denuo restituit Imperio, atque in pristinam formam redegit, edita Constitutione, quæ extat in ejus Codice *l.* 1. *tit.* 27. ubi Africa in sex Diœceses dispescitur, Tingitanam, Carthaginem, Byzacium, Tripolim, Numidiam, Mauritaniam, quibus etiam adjecit Sardiniam.

XVI. Præ omnibus Christiani Orbis partibus Africa id peculiare habuit, ut unaquæque Provincia suum haberet Primatem, quo nomine Afri Metropolitam indigitabant. Quos enim reliquæ Nationes Metropolitas, aut Archiepiscopos, hos Afri Primates appellabant; eosdemque vulgo *Senes* nominabant, quod ceteros suæ Provinciæ Episcopos tempore consecrationis superarent. Hinc Sylvanus Numidiæ Primas *in Collat.* 1. *Carthaginensi cap.* 16. dicitur *Sylvanus Senex*. Eadem nomenclatione donatur in Synodo Cirtensi & in epigraphe litterarum Innocentii I. ad Patres Concilii Milevitani II. *Innocentius Sylvano Seni*. Epistola quoque 67. S. Augustini ad Alipium Numidiæ Primatem hunc titulum præsefert: *Augustinus Alipio Seni*. Non enim ut in aliis Orbis partibus civili Provinciæ Metropoli, aut alicui certæ urbi affixa erat Metropolitica dignitas, sed in Africa universa (Carthagine excepta) is habebatur Provinciæ Metropolita, qui aliis antiquior erat tempore consecrationis, sive is Episcopus esset civilis Metropolis, sive alterius civitatis, aut oppidi. Hujus Africani moris exempla videri possunt apud Ludovicum Thomassinum *de Vet. & Nova Eccles. Discip. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. & 54. apud Norisium, & Elliem Du-Pin locis laudatis. Hanc ob causam non dicebantur vulgo Metropolitani, sed Primates, ut sæpe sæpius vocantur in Conciliis Africanis, Metropoleon nomine Metropolibus civilibus servato. Sic Numidiæ Metropolitanus tempore D. Cypriani erat Novatus Thamugadensis, ut constat ex Concilio Cypriani. Anno 305. Secundus Tigisitanus ex Optato. Anno 395. Megalius Calamensis ex Augustino. Anno 397. Crescentianus alterius Sedis Episcopus, ex Concilio Carthaginensi. Ann. 401. & 402. Xanthippus Tagosensis. ex Augustino. Anno 411. Silvanus Summitanus, ex Collatione Carthaginensi. Anno 418. Valentinus Vajanensis. Anno 484. Felix Berceritanus, ex Catalogo Episcoporum Catholicorum Africæ sub Hunerico. Similiter Byzacenæ Provinciæ Primas tempore Cypriani Polycarpus Adrumetinus. Circa tempora Collationis Carthaginensis Mizonius Zellensis. Anno 417. Latomius Tenitanus. Anno 418. Donatianus Teleptensis. Tempore Hunerici Nobasinnensis Episcopus. Mauritaniæ Cæsariensis Primas in Collatione Carthaginensi est Martinus Taborensis. In Catalogo Episcoporum Africæ sub Hunerico Glorinus Juncensis. Mauritaniæ Sitifensis ann. 402. Nicetius Metropoleos civilis Episcopus, sed in collatione Novatus ejusdem urbis Episcopus nullam habet prærogativam; & ann. 408. legatus est nomine Provinciæ suæ, non igitur Præses Concilii, & Primas. At tempore

pore Hunerici Primas est Rufinus Tamallunensis. Quæ exempla in unum collegit Ellies Du-Pin *in Geographia Sacra Africæ pag.* 25. atque ex iis constat Metropoliticum jus in Africa non fuisse annexum Metropoli civili, sed antiquitati ordinationis Episcopi, sicque Metropolim Ecclesiasticam fuisse Senioris Episcopi Sedem.

Rem eamdem confirmat epistola D. Augustini ad Profuturum, in qua audita Megalii Calamensis Episcopi, & Numidiæ Primatis morte, ab eo sciscitatur, quis in ejus locum Primas suffectus sit: (1) *Quod Senex Megalius defunctus sit, jam vos audisse quis dubitat! Erant enim a depositione corporis ejus, cum hæc scriberem, dies ferme viginti quatuor. Utrum jam videris, disponebas enim, successorem Primatus ejus, si fieri potest, nosse volumus.* In Episcopatu Calamensi Megalio succesit forte Possidius: in Primatu vero Crescentianus alterius Sedis Antistes, uti ex Concilio Carthaginensi anno 397. intelligitur. Alio in loco idem Augustinus (2) excusans se, quod ad Concilium Numidiæ vocatus a Victorino, non accesserit, rogat, ut prius cum Xanthippo Tagorensi, seu ut alii legunt, Tagorensi, super jure Primatus, & Concilii convocandi placide componat: *Venerabilis Frater, & Collega noster Xanthippus Tagorensis dicit, quod eum Primatus ipse contingat, & erga plurimos sic habetur, & tales mittit epistolas.* Contentio de jure Primatus Victorinum, & Xanthippum collisit, quod uterque in Episcopatu se altero antiquiorem crederet. Monet ideirco Augustinus, quæstionem placide componendam esse, & judicio seniorum Antistitum definiendum, quis e duobus contendentibus antiquior sit, cui Primatus dignitas debeatur. *Unde*, inquit, *peto beatitudinem tuam, ut mihi ignoscas, & primo instare digneris, ut inter tuam sanctimoniam, & senem Xanthippum concorditer constet, quis vestrum debeat convocare concilium: aut certe, quod salubrius arbitror, sine cujusquam præjudicio ambo convocare Collegas nostros, eos maxime qui vobis Episcopatus ætate vicini sunt; qui facile quis vestrum verum dicat agnoscant, ut inter vos paucos eadem præ ceteris quæstio dirimatur, & errore sublato minores a ceteris convocentur, qui nec possunt, nec debent, nisi vobis in hac re, tamquam prioribus credere, & nunc ignorant cui vestrum potissimum credant.* Inanis prorsus fuisset ejus contentionis causa, si Metropolitica jura urbi fuissent annexa, nec ulla de Primatu oriri potuisset difficultas, cum omnibus palam innotesceret, Cirtam, seu Constantinam Metropolim esse Numidiæ. Verum quia non urbi affixa erat ea dignitas, sed juxta Senioris Episcopi ætatem hinc inde versatilis, iis illa Victorinum inter, & Xanthippum exarserat, utroque antiquius suæ ordinationis tempus prætexente.

Ea fortassis contentio permovit Patres Concilii Milevitani anno 402. celebrati, cui ipse Xanthippus aderat Primatus Numidiæ jure fruens, ut hanc ederent definitionem: (3) *Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per Provincias Africanas, litteras accipiant ab Ordinatoribus suis manu eorum conscriptas continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.* Ex qua definitione liquido apparet, inter Africanos Antistites jus Metropoliticum, seu ut ipsi vocant, Primatus, ab antiquitate Episcopatus fuisse repetitum; nullate-

(1) S. Augustinus epist. 32. alias 149.
(2) Idem Epist. 59. alias 117.

(3) Concilium Milevitanum cap. 56. & Concil. Africanum cap. 53.

latenus autem ab urbis magnitudine, aut dignitate. Et hæc quidem in universum de omnibus Africæ Provinciis sancitum fuit: speciatim vero de Numidia idipsum manifestum fit ex *canone* 53. in quo decretum est: *Ut matricula, & Archivus Numidiæ apud primam Sedem sit, & in Metropoli, idest, Constantina*. En aperta distinctio Metropoleos civilis & Ecclesiasticæ, in quibus necesse erat Archivum servari, in quo utique descripta erant Episcoporum nomina, Consules, & dies ordinationis eorum, ut inde posset dignosci, quis reliquis antiquior Primas Provinciæ futurus esset. Perseveravit mos iste usque ad Sancti Gregorii Magni tempora; quem ipse in litteris ad Episcopos Numidiæ exacte custodiendum mandat, exclusis tantum iis, qui ex Donatistarum secta ad Episcopatum adreperent, quibus antiquitatem suffragari noluit, sed perpetuo a Primatu arcendos edixit: (1) *Ut illorum*, inquit, *consuetudo de Primatibus constituendis, ceterisque capituli immota maneat, exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatus dignitatem, etiam cum ordo Clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus*. Hæc tamen consuetudo numquam in Provincia Proconsulari locum habuit. Quamvis enim summus honor & ibi deferretur antiquiori Episcopo, ut constat ex Conciliis Africanis, præsertim *Carthaginensi* II. & III. *cap.* 54. tamen Episcopus Carthaginensis, sive senior, sive junior esset, universæ Africæ Primas erat, & Exarchus. Testis est Leo IX. *epistol.* 9. ad Petrum, & Joannem Episcopos Afros: *Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis ejus Provinciis antiquitus Primates constituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat unus, scilicet Carthaginensis Episcopus*. Se de hac re postea redibit sermo.

CAPUT IX.

Synopsis.

I. *Carthago Provinciæ Proconsularis Metropolis, & totius Africæ caput. A Tyriis condita fuit. Didonis Regis Tyriorum filiæ opus fuisse Carthaginem plurimis creditum est.*

II. *Incertum est quo tempore ædificata fuerit hæc civitas ob diversas Scriptorum opiniones.*

III. *Situm Carthaginis, magnitudinem, potentiam, splendorem, portus, civium numerum, opes, negotia, bellandi virtutem, aliaque ipsius decora eleganter descripserunt Polybius, Livius, Strabo, & Appianus.*

IV. *Delendæ, aut servandæ Carthaginis varia Romæ agitata consilia. Mediam sententiam delegit Senatus, nempe urbem loco movendam; quod ubi impedire moliuntur cives, urbs obsessa, capta, & deleta est. Decreto Senatus vetitum ne Carthago reædificaretur.*

V. *Anno postquam eversa fuit* 102. *iterum constructa Carthago, cujus amplitudinem & elegantiam descripsit Sal-*

(1) S. Gregorius lib. 1. epist. 75.

vianus. A Wandalis captam recuperat Belisarius: tandem Sarraceni solo equant, vixque ruinæ ejus supersunt.

VI. Ante & post Nicæni Concilii tempora Carthaginensis Antistes fuit Primas totius Africæ. Quantum se se funderet ejus auctoritas. Generales Synodos ex omnibus Provinciis Africæ congregabat. Eum Exarchis comparat Thomassinus.

VII. Cur potius Romano, quam Alexandrino Patriarchæ subesset?

VIII. Quandiu Carthago floruit ejus Antistes semper Romanum Pontificem velut Patriarcham coluit: immo etiam postquam Wandali partem Africæ occuparunt. Tunc tamen multum deperiit Africanæ Ecclesiæ decor. Sub Saracenis vero pæne extinctus fuit, licet aliquandiu steterit, sed elanguidus.

IX. Circa medium seculi undecimi Africana Ecclesia prope ad finem vergebat; tametsi Carthaginensis, & paucæ aliæ Sedes, miserrime tamen, durarent. Demum post seculum duodecimum corruerunt omnes Barbarorum sævitia consumtæ.

X. Primis Ecclesiæ seculis ingens fuit in Africa Episcoporum numerus. Non in urbibus solum, sed etiam in Oppidis, pagisque constituebantur ob ingentem populi multitudinem, & soli ubertatem.

I. Provincia Proconsularis Africæ quemadmodum in politico Imperii regimine antiquior est, ac nobilior aliis; ita in Ecclesiastica Notitia principem locum possidet. Ejus Metropolis, sicut & totius Africæ caput fuit Carthago, urbs omnium illius Regionis celeberrima, quam merito Solinus Polyhistor alterum post Romam Orbis terrarum Decus appellat. A Tyriis conditam esse unanimis est Scriptorum sensus, unde & Tyriorum Coloniam vocat Plutarchus in *Vita Scipionis Africani*; tametsi circa conditoris nomen, & tempus, quo condita fuit, varias esse illorum opiniones observet Appianus. Quidam Carthaginem non uno tempore ædificatam arbitrantur; sed priorem ejus Sedem fuisse *Byrsam*, quæ Phœnicia lingua dicitur *Busra*, idest *arx*: posteriorem vero urbem dictam esse Carthaginem a verbo Phoenicio *Karthachadta*, quod *novam urbem* significat, ut a veteri urbe distingueretur. At Cicero *lib. 2. de Natura Deorum* scribit, nominatam esse a Carthagine Herculis filia, cum antea vocaretur Byrsa. A Zoro, & Carchedone constructam tradunt Philistus apud Eusebium *in Chronico*, Stephanus *de Urbibus*, & Appianus. Ceterum Romanis, & Carthaginensibus ea insedit sententia, quæ nunc plerisque arridet, a Didone muliere Tyro profecta Carthaginem conditam. Id vero ita contigisse narrant: Dido sive Elisa, Beli Tyriorum Regis filia, primis nuptiis Sichæo Herculis Sacerdoti juncta, cum hunc Pygmalion, Elisæ frater, thesauris ejus inhians, ante aram obtruncasset, illa idem sibi imminere vitæ discrimen agnoscens, effossis clam thesauris, cum iis, quibus Pygmalionem invisum esse noverat, navim conscendit, atque in eam Africæ partem, quæ Zeugitana appellata est, deletam, tantum sibi soli emit, quantum Taurino corio posset circumdare. Quo in loco, cum corium in tenuissimas partes discecuisset, locumque satis amplum complexa esset, urbem condidit, quam Carthaginem nun-

nuncupavit, arcemque in medio urbis construens, a corio bubulo Byrsam dixit: Didonis facinus, novamque ab ea conditam civitatem hisce carminibus Virgilius descripsit: (1)

His commota fugam Dido, sociosque parabat.
Conveniunt quibus, aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago: dux femina facti.
Devenére locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsan,
Taurino quantum possent circumdare tergo.

II. De tempore, quo Carthago condita fuit, nihil certo definiri potest, ob magnam Scriptorum varietatem. Tres circa ejus Epocham opiniones refert Eusebius *in Chronico:* prima fuit Philisti eam revocantis ad numerum Eusebianum 808. hoc est 27. annis ante Trojam conditam, juxta ejusdem Eusebii calculum. Ipse vero Eusebius ad annum 971. Carthaginis originem rejicit, quem esse asfirmat 143. post Trojanum bellum. Ad annum vero 1167. tertiam exhibet opinionem eorum, qui hoc ipso anno Carthaginem ædificatam censent, cujus etiam sententiæ auctor est Trogus Pompejus, qui Carthaginem conditam asserit 73. annis ante primam Olympiadem. Dionysius Petavius *de Doctr. Temp. lib. 9. cap. 68.* præter has ab Eusebio recensitas, alias profert veterum sententias. Menander apud Josephum anno septimo Pygmalionis Didonem in Africam profectam condidisse Carthaginem narrat, qui est annus Periodi Julianæ 3822. ante Romam 140. Solinus cap. 29. ait, excisam Carthaginem post annos septingentos triginta septem, quam condita fuerat. Eversa est autem Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Coss. anno Urbis 608. Periodi Julianæ 4568. Porro deductis annis 737. conditus cadet in annum 3832. quo cum numerus Eusebianus 1136. congruit. Aliquantulum a Solino deflectit Livius *Epitome* 51. septingentis quippe annis postquam condita fuerat, eversam Carthaginem tradit: *Scipio tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita.* Vellejus Paterculus lib. 1. *Ante annos quinque, & sexaginta, quam Urbs Romana conderetur, ab Elisa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur.* Igitur anno Periodi Julianæ 3897. Servius 70. annis ante Romam; Trogus Pompejus tribus amplius illius urbis originem statuunt. Eæ sunt præcipuæ veterum opiniones, a quibus omnibus recedit Ellies Du-Pin, (1) atque ex ipsis Annalibus Phoeniciorum facile colligi posse putat, Didonis adventum in Africam: nam ab initio Iromi Tyriorum Regis, cujus anno 11. Templum Salomonicum erectum fuisse constat ex sacris litteris, ad annum septimum Pygmalionis, quo Dido in Libyam profugit, fluxerunt ann. 138. Concurrit autem annus septimus Pygmalionis anno 3821. Periodi Julianæ, qui incideret in annum Eusebianum 1124. post conditam Trojam 290. a jactis Templi Salomonici fundamentis 127. quæ verisimilior est, in-

(1) Virg. Æneid. lib. 1.

(1) Ellies Du-Pin in Geographia Sacra Africæ pag. 18.

inquit Dupin, conditæ Carthaginis epocha: a qua non longe recedit Josephus, qui Carthaginem a Tyriis conditam ait annis 143. post Templum Salomonicum. Stetit hæc urbs Romæ æmula per annos 448. donec Cornelio Lentulo, & Lucio Mummio Coss. penitus a Scipione deleta est, atque incensa anno Urbis Romæ 608. Periodi Julianæ 4568. Petavius *lib.* 13. *de Doct. Temp.* conditum Carthaginis rejicit in annum Periodi Julianæ 3828. annis ante Romam 134. ex Josepho, cont. Appionem *lib.* 1. In tanta opinionum diversitate, satius duxerim asserere, cum doctissimo Petavio, non posse nos certi aliquid ea de re pronuntiare, de qua ne veteres quidem ipsi potuerunt, quam inconsulto quidpiam decernere.

III. Situm Carthaginis exacte descripserunt Polybius, Strabo, & Appianus Alexandrinus. (1) *Urbs hæc Carthago*, inquit Polybius, *in sinum quemdam prona, pæninsulæque ad figuram accedens, hinc mari, inde lacu maxima sui parte cingitur. Isthmus, quo Africæ jungitur, patet in latitudinem stadia* 25. *Sitaque est in hujus spatii latere, quod vergit ad mare, Utica modico ab urbe intervallo: in altero secundum lacum est Tunes .... Cervix illa, quæ Africæ Carthaginem junxit, colles terrenos in ipsa commissione habet difficiles, & arduos; inque his arte munitæ sunt viæ, per quas in regionem patet aditus .... Ad hæc, cum Macar fluvius locis nonnullis similiter transitum impediat iis, qui ex urbe in regionem tendunt, ac propter aquarum copiam vado, ut plurimum transiri nequeat, Matho pontem ei amni impositum, qui est unicus, magna diligentia tuebatur, urbe etiam ad illum extructa: ex quo fiebat, ut non solum exercitus in regionem ducere non possent, sed ut ne singuli quidem hostem effugerent, qui transire conarentur*. Paulo post addit, Carthagine per mare navigari potuisse, & appelli Tunetem. Idemque Polybius *lib.* 14. de Tunete in altera sinus parte Carthagini opposita, hæc subjicit: *Tunes Carthagine abest stadia quasi* 120. *Locus cum operibus, tum suapte natura, sicut jam ante ostendimus, tutus, quique ex omni fere parte Carthaginis potest conspici*. Quem Polybii locum Livius in historiam suam ita transtulit: (2) *Scipio gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis, aliaque præda in vetera castra ad Uticam missis, jam in Carthaginem intentus occupabat relictum fuga custodum Tuneta. Abest ab Carthagine duodecim millia ferme passuum, locus tum operibus, tum suapte natura tutus; & qui ab Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum, tum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi posset*. Exactiorem, ampliorenque Carthaginis descriptionem adornavit Strabo, ejus situm, magnitudinem, potentiam, civium numerum, aliaque ejusdem decora, & ornamenta, hunc in modum exhibens: (3) *Carthago in pæninsula quadam jacet, quæ ambitum habet stadiorum* 360. *muro cinctum, cujus sexaginta stadiorum longitudinem collam occupat, quod a mari ad mare pertinet, ubi Carthaginensium Elephanti stabula habebant, & locus amplissimus est. In media urbe arx fuit, quam Byrsam vocarunt, supercilium satis erectum, circum circa habitatum, in cujus vertice Æsculapii templum erat, quod Asdrubalis uxor capta urbe secum concremavit. Arci portus subjacent, & Cothon parva Insula ac rotunda Euripo circumdata, ad cu-jus*

(1) Polybius lib. 1.
(2) Livius Decad. 3. lib. 10.

(3) Strabo lib. 17.

jus utramque partem sunt in orbem navalia. Eam urbem Dido condidit, Tyro, colonis eo adductis, profecta. Paucis interjectis mox subdit: *Quibus opibus usi, Carthaginenses scilicet, urbem suam Romæ æmulam fecere, & tria maxima contra Romanos bella gessere. Carthaginensium potentiam maxime ex ultimo eorum bello æstimare possis, quo a Scipione Æmiliano ipsi devicti, & urbs solo est æquata. Initio enim ejus belli 300. urbes in Africa habebant: in urbe hominum millia septingenta. Obsess. porro, & ut ad deditionem spectarent, coacti armaturæ gravis tradiderant ducenta millia, catapelticorum instrumentorum tria millia, ne porro iis bellum fieret. Sed cum rursus bellum gerere decrevissent, mox arma fabricari cœpere: ac singulis diebus 140. clypei compacti in armamentarium referebantur, & gladii 300. & lanceæ quingentæ, & mille tela, quæ e catapultis mitterentur, ad quarum funes conficiendos ancillæ crines præbebant. Adbuc naves duodecim habebant ab anno quinquagesimo e fœderibus in secundo bello percussis. Tum vero tametsi in arcem confugissent, duobus mensibus 120. naves cataphractas construxerunt, & cum Cothonis ostium præsidio occuparetur, aliud effodere, unde subito classis erupit: adhuc enim antiqua materies in promptu erat, & fabrorum multitudo publicis alimentis sustentata operi faciundo intenta. Carthago tamen tanta cum esset, capta est, & deleta.*

Polybio, & Straboni accedat Appianus Alexandrinus, exacte non minus ac eleganter situm Carthaginis repræsentans: (1) *Sita erat Carthago in intimo sinu magno, pæninsulæ similis. Cervix enim eam a continente separabat lata 25. stadia. Ab ea cervice lingua quædam oblonga semistadium lata, excurrebat versus Occidentem inter stagnum, & mare, rupibus undique munita, & muro simplice. Versus meridiem, & continentem, ubi etiam Byrsa erat in cervice, murus triplex erat, altus 30. cubitos absque propugnaculis, & turribus, quæ binorum jugerum spatiis inter se distabant per circuitum, nixæ fundamentis triginta pedum, singulæ contignationum quatuor. Muri vero ad secundam contignationem pertingebant. Erant autem fornicati & capaces, in quorum infima parte 300. Elephanti stabulabantur, adjunctis pabuli promptuariis. Superius erant quatuor millium equorum stabula cum hordei penuariis. Virorum quoque diversoria, 20. millium peditum, quatuor millium equitum. Tantus apparatus bellicus ordinarium locum habebat in solis mœnibus. Angulus autem, qui ab hoc muro præter dictam linguam ad portus flectebatur, solus erat debilis, & humilis, neglectus a principio. Hi portus sic erant dispositi, ut navigatio esset ex alio in alium, & ab alto unum commune os patebat latum pedes 70. quod claudebatur catenis ferreis. Primus portus negotiatorum erat, & in eo tabernæ in nautarum usum multæ varii generis. Interioris vero portus in medio fuit insula, quæ sicut & portus, perpetuas habebat crepidines magnas navalibus refertas, quæ 220. naves caperent: his cellæ imminebant, ubi condebantur instrumenta triremium. Unum autem quodque navale in fronte habebat duas columnas operis Jonici, ut circumspicientibus repræsentarent speciem porticus, tam in portu, quam in insula: in qua erat & Præfecti classis prætorium, unde tubicen solebat canere classicum, & præco edicere, & Præfectus prospicere. Erat autem hæc Insula ori portus opposita, & in longum spatium patebat, ut Præfectus procul videret omnia, quæ in alto fierent,*

(1) Appianus lib. de bellis Punicis.

rent, ceterum adnavigantibus non essent conspicui recessus portuum: immo nec mercatoribus quidem portum suum intrantibus statim in conspectu erant navalia. Nam circumdata erant muro duplici: & porta negotiatores e primo portu in urbem transmittebat non transeuntes per navalia. Hæc erat illo tempore facies Carthaginis.

IV. Non mirum ergo, quod tam inclyta civitas tot munita præsidiis, tot civibus frequentata, opibus, armis, potentia adeo celebris, Africæ dominatrix, Romæ æmula, Orbis Imperium affectans, Romanorum excutere jugum, ac pristinam repetere libertatem, cuique vel infimæ plebis homini charam, semel iterumque tentaverit. Sed extremi conatus, extremum Carthagini excidium intulere. Concitati quippe Romanorum animi, excidendæ urbis æmulæ, ac servitutis impatientis opinionem evolvebant; quamquam non una esset hæc omnium sententia. Et quidem (1) Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, & cum de alio consuleretur; pronuntiabat Scipio Nasica servandam, ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas urbis inciperet. Medium Senatus elegit, ut urbs tantum loco moveretur. Nihil enim speciosius videbatur, quam esse Carthaginem, quæ non timeretur. Igitur Manilio, Censorinoque Consulibus, Populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis injecta traditam a volentibus classem sub ipso ore urbis incendit. Tum evocatis Principibus, si salvi esse vellent, ut migrarent finibus, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice statim, & pari voce clamatum est, ad Arma: seditque sententia, quoquo modo rebellandum, non quia spes ulla jam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quam suis manibus everti. Qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in usum novæ classis tecta, domusque resciderunt, & in armorum officinis aurum, & argentum pro ære, ferroque conflatum est, in tormentorum vincula Matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde Consule, terra marique fervebat obsidio, Operis portus nudatus, & primus, & sequens jam murus, cum tantum Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa Respublica finem belli reposcebat. Hunc Paulo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos everteret. Sed quam maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum, sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. Compulsis in unam arcem hostibus, portum quoque maris Romanus obsederat. illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt, nec ut fugerent, sed quia nemo illos, nec evadere posse credebat, inde quasi enata subito classis erup[illegible]. Tum interim jam diebus jam noct[illegible]bus nova aliqua moles, nova machina, nov[illegible] perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma prodibat. Deploratis novissime rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt (quod minus credas) duce Asdrubale. Quanto fortius femina, & uxor ducis? Quæ comprehensis duobus liberis, a culmine se domus in medium misit incendium, imitata Reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, ut de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus, ac templis suis sponte hostes immi-

(1) Florus lib. 1. cap. 15.

immiserant, ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet. Hæc de ultima obsidione, & excidio Carthaginis scripsit L. Flor. Ea in obsidione transfugæ Asdrubalis ad Scipionem fuga increpata, post effusa in eumdem Asdrubalem multa variaque convicia, celeberrimum Æsculapii templum, in quod postremo se receperant, incenderunt, eodem & ipsi igne consumpti. Fertur, dum accenderetur ignis, uxorem Asdrubalis ornatam pro tempore constitisse ex adverso Scipionis, cum duobus filiis, & clara voce dixisse: *Tibi quidem, Romane Dii sint propitii, qui jure belli uteris: ab hoc autem Asdrubale, Patriæ, sacrorum, mei, filiorumque proditore, Genii Carthaginis, Tuque cum eis pœnas exigant*. Mox ad Asdrubalem versa: *Scelesle*, dixit, *perfide, effeminatissime virorum omnium, me quidem, & hos meos filios hic ignis sepeliet: Tu vero ad quem triumphum servaris, Dux magnæ Carthaginis? Quas non pœnas dabis huic, cui nunc Supplex assides?* His autem viro exprobratis, jugulavit filios, eosque complexa, & semet, liberosque in ignem conjecit. At Scipio inclytam urbem funditus deletam cernens, flevisse dicitur, & hoc Carmen cecinisse:

Jamque dies aderit, quo concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamique ruat Plebs armipotentis.

Nempe ea tunc in mentem cogitatio Scipioni inciderat de Patria, cui simile infortunium metueret, vices rerum humanarum considerans, ut ipsemet Polybio Præceptori suo, quid sibi vellent ea verba roganti, ingenue fassus est. Ne quis vero deinceps, aut exædificare Carthaginem, aut ubi illa jacebat habitare præsumeret, Senatus Romani decreto interdictum fuit, additis etiam diris devotionibus siqui contra facerent. Tantum porro fuit in Carthaginenses, eorumque socios Romanorum odium, ut Civitates hostibus eo bello fœdere junctas ad unam omnes delerent, agrosque, & quidquid ab utroque latere Carthaginem, & Hipponem usque protenditur, sociis Romani populi attribuerent. Hæc decerpsimus ex Belli Punici Historia, quam concinnarunt, Polybius, Appianus, Eutropius, Orosius, aliique Scriptores. Excisa Carthagine, Utica, quæ & magnitudine, & dignitate ab hac secunda erat, caput regionis fuit, & receptaculum Romanis ad res in Africa gerendas. In eodem sinu sita erat in quo Carthago, ad alterum ex promontoriis, quæ sinum faciunt. Horum id quod juxta Uticam est Apollonium vocatur, alterum vero Hormæum. Ita eam describit Strabo.

V. Anno 23. postquam Carthago diruta fuerat, Q. Cæcilio Metello Baleariço, & T. Quincto Flaminio Coss. a Romanis istuc deducta fuit colonia, auctore C. Sempronio Graccho tribuno Plebis, constructo eo loci oppido, cui Junoniæ nomen inditum, sed eventu parum felici. Verum anno 102. eo ipso quo C. Julius Cæsar in Curia interfectus est, cum id ante obitum idem Cæsar procurasset, majore copia colonorum eodem missa, felicioribus auspiciis mœnia refecta sunt, civitas ædificiis exculta, populisque frequentior facta pristinum Carthaginis nomen recuperavit, anno Urbis Romæ 810. Tanta deinceps fortuna crevit, ut ceteris Africæ civitatibus amplitudine, splendore, opibus præstaret, nec tantum Provinciæ Proconsularis, sed etiam totius Africæ caput fuerit, & Proconsulis Sedes. Hujusce urbis tunc temporis dignitatem, atque potentiam hunc in modum extollit Salvianus: *Una tantum universarum illic*

(*in*

(in Africa) urbium principe, & quasi matre contentus sum. Illa scilicet Romanis arcibus semper æmula, armis quondam, & fortitudine, post splendore, & dignitate: Carthaginensem dico, & urbi Romæ maxime adversariam, & in Africano orbe quasi Romam: quæ universa penitus, quibus in toto mundo disciplina Reipublicæ vel procuratur, vel regitur, in se habuit. Illic enim omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic Philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia, vel morum: illic quoque etiam copiæ militares, & regentes militiam potestates, illic honor Proconsul. illic quotidianus judex, & rector, quantum ad nomen quidem Proconsul, sed quantum ad potentiam Consul: illic denique omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu, quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum, & compitorum procuratores cuncta ferme & loca urbis, & membra populi gubernantes. Stetit sub Romano Imperio usque ad annum reparatæ salutis 419. quo irrumpentibus in Africam Wandalis, a Genserico ipsorum Rege die 19. Octobris capta est. Wandalorum Regum jugum sustinuit ad annum usq; 534. Justiniano Imperii habenas moderante: tunc enim recuperata a Belisario Duce Africa, etiam Carthago restituta fuit Imperio. Tandem a Saracenis occupata, tota fere diruta concidit, multis tamen adhuc suæ magnitudinis, nobilitatisque monumentis extantibus; sed incolis prorsus caret, fortunaque ejus in urbem vicinam Tunetem migravit.

VI. Amplissima, qua in civilibus, cum staret Carthago, eadem in Ecclesiasticis rebus Metropolitica ejus Sedes fruebatur auctoritate. In omnes quippe Provincias Africæ sese fundebat, cum ante, tum post Nicæni Concilii tempora. Ante Nicænam quidem Synodum id juris sibi vendicasse Agrippinum, & Cyprianum, abunde probant ea, quæ de Conciliis ex Africa Proconsulari, Numidia, & Mauritania ab ipsis indictis præcedenti capite docuimus. Quæ vero Nicænam Synodum subsequuta sunt tempora meridiana luce clarius hoc ipsum demonstrant. Gratus qui Concilio Sardicensi interfuit, generalem ex omnibus Africæ Provinciis Synodum indixit anno 349. cui ipse præsedit, primus omnium, quæ decernenda essent, proposuit; editum in Concilio Provinciæ Byzacenæ canonem de interdicenda Clericis usura, postulante Abundantio Adrumeti Episcopo, confirmavit, *cap.* 13. ut videre est apud Baronium ad *annum* 348. Binium, & Ludovicum Bail *Tom.* 2. *Concil. in Concilio Carthaginenensi I.* Ad hanc Synodum *Episcopi ex diversis Provinciis Africæ* convenisse dicuntur. Quamobrem exploditur opinio Caroli a S. Paulo Fuliensis Abbatis, qui in *Geographia Sacra* ex hoc ipso Concilio probare contendit, unicam dumtaxat sub Grato fuisse Provinciam Ecclesiasticam totius Africæ, propterea quod in ejusdem Concilii Actis proditum sit, *Episcopos in universæ Provinciæ Africæ Concilium congregatos esse*. Fefellit siquidem virum eruditum vulgata istius Synodi lectio variis mendis scatens, hoc præsertim, quod vox illa *Concilium* vitiosa sit, ejusque loco substituendum, *Concilii gratia*, quemadmodum legitur in MS. Cod. Pithœi. Ita quoque præseferunt Acta Concilii Carthaginensis I. a Luca Holstenio ad vetustum Exemplar Vaticanum correcta, quæ hanc Præfationem continent: *Ex Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per universas Provincias Africæ Concilia celebrarentur, & universæ Provinciæ Africæ hodierno die Concilii gratia ad Carthaginem venirent*. Plures igitur erant

Pro-

Provinciæ Africæ, quarum singulæ Synodos habebant, quibus singuli præerant earum Primates, sed hisce omnibus præsidens Archiepiscopus Carthaginensis, ex totius Africæ Provinciis generalem Synodum indixerat, ut pote qui esset omnium Primâs.

Hoc jure præditus Aurelius Carthaginensis Cæsario, & Attico Coss. Kalendis Septembris Synodum Carthagine habuit, cui ex Provinciis Africæ adfuerunt Episcopi quadraginta quatuor, quos inter & D. Augustinus Hipponensis. Conditi fuerunt canones 50. in quibus plerumque enituit summa Carthaginensis Episcopi auctoritas. In I. sancitum fuit, (1) *ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere.* Si quis autem suspicetur, hunc canonem de Africa tantum Proconsulari esse intelligendum, facile ejusmodi suspicio abigi poterit *ex can.* 2. *&* 41. Nam *canone* 2. (2) statutum fuit, *ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur. Ad quod omnes Provinciæ, quæ primas Sedes habent, de Conciliis suis binos, aut ternos elegerint, Episcopos mittant, ut & minus invidiosi, minusque hospitibus sumptuosi existant, ut congregato conventu, plena possit esse auctoritas. De Tripoli autem, propter inopiam Episcoporum, unus Episcopus veniat.* Confluebant itaque ad Synodum Carthagine a primate celebrandam Episcopi ab unaquaque Provinciarum Africæ delegati, quibus onus illud incumbebat, ut in ipsa Synodo de die Paschatis Primatem Carthaginensem consulerent, statutamque ab ipso diem singuli per suas Provincias promulgarent, quemadmodum *canone* 41. decretum est.

Idem Aurelius Carthaginensis Honorio A. quarto, & Eutychiano Coss. Sexto Idus Novembris generalem Carthagine indixit Synodum, ad quam ex omnibus Africæ Provinciis ingens Episcoporum cœtus convolavit, adeo ut 214. Antistites numerarentur, quod nimirum extincto Gildone tyranno, qui res Africæ perturbabat, facilius convenire potuerunt ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restituendam. Enituit quam maxime Carthaginensis Primatis dignitas in eo, quod Patres agnoscerent, inesse ei hanc potestatem, ut si vellet, de quavis Africæ Provincia posset Episcopos consecrare: (3) *Fuit semper hæc licentia huic Sedi unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Quæ verba licet ab uno tantum prolata essent Episcopo, nullus tamen ipsi contradixit, quod res esset omnibus nota. Unde & alius ex iis, qui Concilio aderant, Episcopus, Aurelium alloquutus dixit: hanc ei potestatem esse omnino necessariam, ut Episcopos in Provinciis quibusque Africanis electos ipse ordinaret, quia nimirum ejus interest omnibus Africæ Ecclesiis consulere, omnes suffulcire: neque hanc a Concilio ei datam potestatem, sed quam semper habuisset: *Necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Unde tibi non potestatem damus, sed tuam agnoscimus.* Non abs re proinde idem Aurelius omnium Ecclesiarum onere se premi fassus est: (4) *Ego cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis, fratres, sollicitudinem sustineo.* Ex hac Primatus dignitate profectum est, ut cum in Concilio Nicæno cogitarent Patres de mittendis per universum Orbem definitionibus sanctæ, & magnæ Synodi, Ecclesias Africanas ab Epi-

(1) Concil. Carthag. 2. can. 1.
(2) Ibid. can. 2.

(3) Concil. Carth. 3.
(4) Ibid. can. 45.

Episcopo Carthaginis, quod totius Africæ Metropolitanus esset, ac Primas informari voluerunt: sicuti colligitur *ex Concilio CP. 11. collat. 5. Concilio Carthaginensi VI. & Gelasio Cyziceno lib. 2. cap. 27.* Nihil ergo a vero deflectit Clarissimus vir Ludovicus Thomassinus, cum Episcopum Carthaginensem Patriarchis, & Exarchis præcipuarum Sedium pæne exequat. (1) „ Videri, inquit, potest Episcopus Carthaginensis ex iis unus „ fuisse, quos Episcopo Antiocheno „ similes dicit Nicæna Synodus, & „ quibus similia in Provinciis suis „ privilegia servari jubet; quæ ad „ ordinationes maxime spectabant. „ Erat enim æquissimum, ut qui cum „ solus esset plurium Provinciarum „ Metropolitanus, earum solus ordinaverat Episcopos, hanc sibi servare integram posset facultatem, „ Episcopos ordinandi, cum alios „ sibi adjungi, subjungique Metropolitanos lubens assentiebatur. Post „ Romam sane, Alexandriam, & Antiochiam, urbium facile principes, „ nulla sibi vel civitas poterat, vel „ Ecclesia in plures Provincias majore jure vindicare, quam Carthago „ ejus olim Imperii caput, quod Græcorum Romanorumq; Imperio, nec „ minus per Orbem late effusum fuerat, nec minus formidolosum. „ Recte nihilominus observat idem Auctor, quod licet Carthaginensis Episcopus in tanta illa explicanda potestate non egerit vices Apostolicæ Sedis, uti nec Ephesinus in Asia, Cæsariensis in Cappadocia, & Heracleensis in Thracia; citra dubium tamen est, Archiepiscopos Carthaginenses & conjunctiores semper fuisse Apostolicæ Sedi, & subjectiores, quam Patriarchas, aut quosvis alios: quod persuasum nempe illis esset, Africam totam intra Patriarchatus Occidentis, adeoque Romani limites contineri.

VII. Non immerito hic sciscitabitur quispiam, cur Carthaginensis, & omnes Africæ Ecclesiæ Romano potius, quam Alexandrino Patriarchatui essent obnoxiæ; cum tamen Africa Libyæ esset contermina, nec ab Ægypto freto divulsa, quemadmodum ab Italia discriminabatur? Verum in promptu est responsio, eaque ex alibi laudatis Innocentii I. literis deducta: a Romanis etenim, non ab Ægyptiis prima christianæ Religionis semina Afri susceperunt, & licet Mari ab Italia abscissi essent, propius tamen aberant Roma, quam Alexandria. Romani eo colonias suas deduxerant, & quidem frequentissimas, adeo ut Afri Latinam, perinde ac Punicam linguam in usu haberent. Æquum proinde erat, Africanas Ecclesias a Latinis potius, quam Græcis Patriarchis regi, ut quæ a Latinis fundatæ essent. Unde S. Gregorius Magnus *lib. 7. epist. 37. Dominico* Carthaginensi Episcopo rescribens, testatur gestire se lætitia quadam ineffabili, quod ad Sedem Petri, tamquam ad sui fontem recurrerit, ex quo in Africam universam Sacra Religio exuberavit. Sunt enim vero hæc simillima fluminum, quæ post emensa terrarum ingentia spatia, in mare, unde exierunt, revertuntur.

VIII. Semper Carthago, quamdiu floruit, Romanum Pontificem, Patriarcham suum venerata est. Immo etiam posteaquam a Wandalis capta, ac diruta fuit, mansit ejus Sedes, ac toti Africæ aliquot seculis Sacra dedit jura, cum in iis Provinciis, quæ Genserico Regi, tum in aliis, quæ adhuc Romanorum suberant Imperio: tametsi in ea Africæ parte, quæ suberat Wandalis Ariana labe infectis, Catholici Antistites sævis-

(1) Thomassinus de Vet. & Nov. Eccl. Discipl. P. 1. lib. 1. c. 10.

visſima quæque paterentur, ut tradit Victor Vitenſis. Quo ex tempore cœpit florentiſsima illa Eccleſia barbarorum tyrannide preſsa priſtinum, & avitum ſplendorem amittere. Cum enim antea in ſola Provincia Proconſulari ducentos pæne Epiſcopos ſuo faſtigio haberet obnoxios; & in una Collatione Carthaginenſi anno 411. Honorii Imperatoris juſſu habita mentio fiat centum, & ſeptuaginta quinque Sedium Epiſcopalium, occupata poſtmodum a Wandalis Africa intra annos 74. centum, & quatuor Epiſcopatus in Africa extincti ſunt. Victor quidem *lib. 1. de Perſecutione Wandalica* teſtatur, (1) ex Zeugitanæ, & Proconſularis Provinciæ Epiſcopis, paulatim omnes defeciſſe: *Et nunc*, inquit, *ſi vel ipſi ſuperſunt, tres tantum eſſe videntur, Vincentius Gizitanus; Paulus Sirannitanus, vere merito, & nomine Paulus; & alius Quintianus, qui nunc perſecutionem fugiens apud Edeſſam Macedoniæ civitatem commanet peregrinus*. Quamquam Victor eo loci non de Epiſcopatibus, ſed potius de Epiſcopis loquatur, qui ad eam redacti erant paucitatem, poſtquam Genſericus anno 455. edicto vetuerat, ne aliqui ordinarentur Epiſcopi; adeo ut triginta quatuor annorum ſpatio ſublati fuerint, in duabus tantum Provinciis, Epiſcopi 161. Victor quippe hæc hiſtoriæ commendavit anno 488. vel ſequenti. Recuperata poſtmodum Africa a Juſtiniano Auguſto, reſpirare cœpit Carthaginenſis, immo & tota Eccleſia Africana; dati ſunt ſuis Eccleſiis Paſtores, quibus diu fuerant viduatæ. Coacti idcirco Carthagine cum Reparato ejus urbis Epiſcopo Africæ totius Antiſtites, Majorum exempla ſecuti a Joanne II. Summo Pontifice Eccleſiaſticæ Diſciplinæ regulas impetrarunt: *Convenire*, ajunt, *charitati credidimus, ut quid habeat ſenſus noſter in publicam notitiam nemo perduceret, niſi prius vel conſuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Eccleſiæ proderetur*. Verum Sarraceni paucis poſt annis torrentis inſtar Africam invadentes, florentiſsimas ejus Eccleſias barbarie, & impietate ita compleverunt, ut jam inde nonniſi triſtes miſerrimi naufragii reliquiæ ſuperfuerint. Contigit ea clades anno 691. cum Abdulmelius Calipha Arabum Princeps, Haſarum Ducem cum exercitu in Africam miſit, qui expugnata Carthagine, eam muris exuit, & incolas inhumane habuit: tum ſexto poſt anno Africa potitus eſt. Hæc tradunt Theophanes: Elmacinus *in Hiſtoria Sacra lib. 1.* & Noweirius Arabs. Exinde in deterius labi cœperunt Africanæ Eccleſiæ: ſubacti a Sarracenis Afri, plus fide Punica, quam metu, ad Mahumetanam ſectam defecerunt, adeo ut recenti errore imbuti, odio in Chriſti fideles ſuperarent veteres Mahumeti aſſeclas. Sub Barbarorum tyrannide, velut torrente inundante, pulcherrima Eccleſiæ facies in nobiliſsimis illis Provinciis deperiit. Perſeveravit tamen aliquamdiu, teſte Joanne Leone, licet Sarracenorum oppreſsa jugo. Nam auctor ille, qui ſub Imperio Leonis Sapientis anno 891. vixit, ex Baſilii Armeni libro Notitiam Epiſcopatuum exhibens, ſub Eparcho Africæ conſtituit Provincias quatuor, Byzacenam cum 14. Civitatibus, Numidiam, cui 15. urbes tribuit, Mauritaniam I. cum Rhinocururis, & Mauritaniam II. cui 17. urbes adſcribit, quas omnes Epiſcopali dignitate exornat. Attamen immutatam tunc fuiſſe Provinciarum Africæ formam ex eo patet, quod idem Scriptor Carthaginem, quam *Carthagenam Proconſularem* nominat, ſub Byzacena Provin-

(1) Victor lib. 1. de Perſecutione Vandalica.

vincia collocat. Idipsum & Nilus Doxapatrius *lib. de quinque Thronis Patriarchalibus Rogerio* Siciliæ Regi nuncupato, inquiens: *Romanus obtinet Provinciam Byzaciæ, in qua est Carthago, & Mauritaniam*. Ex quibus verbis D. Emanuel a Schelstrate *Dissert.* 4. *de Ecclesia Africana c.* 7. *num.* 5. colligit, inductam post Saracenorum irruptiones aliam Provinciarum divisionem, Carthagine scilicet Proconsulari sub Byzacena Provincia collocata.

IX. Circa medium seculi XI. Ecclesia Africana paulatim ad finem vergebat: nam S. Leo IX. Romanus Pontifex, anno 1053. in epistola ad Petrum, & Joannem illarum partium Episcopos data, hæc scripsit: (1) *Decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum a gentibus nimium dolemus, ut modo vix quinque inveniantur Episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per Concilia plenaria computari: & ibi pauculas oves quotidianæ occisioni deputatas remansisse, ubi quondam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exultabat alta pace*. In miserrimo nihilominus illo statu Africanæ Ecclesiæ, non deerant inter pauculos Antistites dissidia: Gummitanus quippe ex diruta jam Carthagine argumentum prætexens excisæ simul ejus Episcopi eximiæ potestatis, sine consensu Metropolitani, & Primatis Carthaginensis, Episcopos ordinare, & Concilia Provincialia indicere præsumebat. Gummitani ausibus obstitere Petrus, & Joannes Episcopi mox memorati, qui cum de hac re Leonem IX. certiorem fecissent, ab eo laudati sunt: *quia sine dubio post Romanum Pontificem, primus Archiepiscopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere Privilegium semel susceptum a Sancta Romana, & Apostolica Sede: sed obtinebit illud usque in finem sæculi, & donec in ea invocabitur nomen Domini nostri Jesu Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriose aliquando*. Alias quoque idem Pontifex in Africam litteras direxerat ad Thomam pariter ejus regionis Episcopum, quibus Cummitani iud[illegible]esſit, atque Carthaginensem Præsulem priscis Ecclesiæ suæ juribus gaudere sancivit, quamquam ea tempestate Carthaginis non superessent nisi ruinæ, & rudera. Has Leonis epistolas profert Baronius *ad ann.* 1053. *n.* 41. & 42. Quare non mirum esse debet, *si in Notitia Patriarchatuum* a Nilo Doxapatrio concinnata, minime appareant Episcopatus Provinciarum Byzacii, & Mauritaniæ, cum illi fere omnes concidissent, ut patet ex memorata Sancti Leonis epistola. Tametsi autem Leo IX. de Carthagine ita loquatur pæne ac si tota jam sua ætate excisa esset, tamen non ita prorsus deletam crediderim, quin adhuc a quibusdam habitaretur. Seculo quidem septimo a Sarracenis mœnibus nudata fuerat: suos nihilominus incolas habuit, ex quibus non pauci Christiani erant, eisque anno 1073. præerat Archiepiscopus Cyriacus dictus. Is quippe a suis, infandis criminibus accusatus apud Arabes, ab his crudeliter habitus est, ac verberibus cæsus. Quod cum Gregorius VII. Papa accepisset, scripsit ad eos *epistolam* 22. *lib.* 1. hortatusque est ad pœnitentiam, excommunicationem insuper comminatus, ni resipiscerent. (2) Cyriacum vero data ad eum epistola consolatus est, ei animos addidit, laudibusque invictam ejus constantiam commendavit, quod Sarracenorum, malorumque Christianorum injurias patienter tulisset. Hinc pa-

(1) Leo XI epist. 4.

(2) Gregor. VII. lib. 1. epist. 23.

patet Seculo XI. usque ad Gregorii VII. tempora Carthaginensem Ecclesiam stetisse, uti & paucas alias in Africa; quibus adjungi potest Hipponensis, cujus Episcopus a populo ejus urbis electus nomine Servandus Romam profectus est anno 1076. ut ab eodem Gregorio confirmaretur, & ordinaretur, cujus rei fidem faciunt ipsius Gregorii litteræ, quas cum præcedentibus exhibet Baronius *ad annum* 1073. *numer.* 64. *&* 65. *& ad annum* 1076. *num.* 71. *&* 72. Seculi XII. initio nondum penitus interierat Africana Ecclesia: nam Petrus Diaconus Casinensis *lib.* 4. *c.* 50. juxta novam editionem, vel 52. juxta veterem, meminit Ecclesiarum Africæ, quæ ineunte seculo XII. adhuc perstabant, antequam Almohadum secta ibi exurgeret. Hæc etenim circa annum Christi 1149. vix nata nulli neque Ecclesiæ, neque Christiano in Africa pepercit, illas solo æquavit, hos ad unum omnes interfecit; nisi qui in terras Christianorum Hispaniæ sese fuga receperunt, ut narrat Pagius *ad annum* 1149. *num.* 8. *&* 9. Altum posthac de hisce Ecclesiis silentium plus satis prodit, eas tunc suis, urbiumque ruinis consepultas fuisse, ac barbarorum immani sævitia radicitus extirpatas.

X. Antequam ad Notitiam Episcopatuum Provinciæ Proconsularis explicandam progrediar, peropportunum arbitror nonnulla præfari de numero Episcoporum Africæ, ex quibus non modicam lucem accipient, quæ deinceps de singulis Africanis Provinciis dicenda erunt. Ingens olim fuit primis tribus, quatuorve seculis Episcoporum numerus in Africa, adeo ut cum ceteris Christiani Orbis partibus hac in re exæquari videretur. Initio secundi seculi Agrippinus Carthaginensis Episcopus Concilium habuit Carthagine plurium Episcoporum, ex Africa & Numidia, ut testatur S. Cyprianus *epist.* 71. *ad Quintum*, *&* 73. *ad Jubajanum*. Numerum quidem non exprimit, at septuaginta eos fuisse colligitur ex D. Augustino *in lib. de Unico Baptismo cont. Petilianum*. Donatus Sancti Cypriani antecessor Synodum nonaginta Episcoporum coëgit, in qua damnatus fuit Privatus Lambesitanus, teste Cypriano *epist.* 59. Cyprianus ipse tria indixit Concilia, quibus plurimi interfuerunt Episcopi; duobus septuaginta, tertio autem octoginta septem, ut patet ex ipsius litteris ad Petilianum. Præter hos verisimile est longe plures absfuisse; cum tamen tres tantum tunc temporis essent Provinciæ Africanæ. Aucta ibi pæne in immensum Fidelium multitudine, novisque Provinciis additis, numerus quoque Episcoporum mirum in modum excrevit. In Collatione Carthaginensi subscripti leguntur Honorii mandato Episcopi 286. qui aderant præsentes; 220. abesse dicuntur, quibus si addas Episcopos vita functos 64. quorum Sedes viduatæ erant Pastoribus, exurget numer. 570. Sedium Episcopalium in Africa. Excerpta hæc sunt ex D. Augustino in Breviculo Collationis, in Collatione I. diei *cap.* 14. Notitia Episcoporum Afrorum sub Hunerico Rege recenset Episcopos 466. Exhibet hanc Notitiam P. Sirmondus Tom. I. Opusculorum, ex Victore *lib.* 4. *de Persequutione Wandalica*. Ex iis alii ab Hunerico Sede fuerant deturbati: alii ob Catholicæ fidei confessionem necati. In universum Ellies Du-Pin in Geographia Sacra Africæ enumerat Episcopos sexcentos nonaginta, cum res Christiana floreret in Africa. Parem Episcoporum numerum neque in Chalcedonensi, neque in aliis Synodis Oecumenicis ex toto terrarum orbe congregatis, ullus poterit deprehendere.

Cur

Cur autem in Africa tot institutæ essent Episcopales Sedes causam hanc afferunt Ludovicus Thomassinus, Ellies Du-Pin, aliique Scriptores, quod Africa præ ceteris Orbis partibus innumeros fere incolas haberet. In ea civitates, oppida, municipia, castella, vici, tum indigenarum, tum colonorum prope infiniti fuerunt, quod scilicet hæc terræ pars, nedum late pateret, sed etiam soli fertilitate, frugum ubertate, ac mercaturæ commercio prædives, longe alias superaret. Frumenti copia affluentem eam prædicat Livius *Decad. 4. lib.* 1. omniumque frugum, ac bonorum opulentia exundantem, pervetus Scriptor tempore Constantis Imperatoris in expositione totius Mundi, & Gentium a Gothofredo latine reddita, ita exhibet: *Africa regio in omnibus diver occurrit, quæ omnis generis bonis ornata est, frugibus etiam, & jumentis; & ipsa ferme omnibus gentibus usum olei præstat.* Et infra: *Ipsa vero Africæ regio est longe maxima, & beata, & dives.* Ubi ergo Evangelii semina suscepit, tanto fenore multiplicavit, ut paulatim exculta, brevi magnam sementem protulerint: cujus partem licet persecutionum furor aliquando demessuerit, ab ipsis tamen tormentis ac cædibus incrementum accepit, ut vere omnino Tertullianus Christianorum, qui in Africa erant, nomine, Ethnicis improperaverit: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est Sanguis Christianorum.* Hinc tanta Fidelium in hisce regionibus multitudo pullulavit, ut ad eos regendos necesse fuerit plurimos institui Episcopos, non solum in urbibus, quæ frequentissimæ erant; sed etiam in Oppidis, & vicis, præter communes Ecclesiæ leges, quibus cautum erat, ne in vicis, aut villis, immo & in modicis civitatibus Episcopi eligerentur. Ita sancitum fuerat *can.* 57. Concilii Laodiceni, & *can.* 7. Sardicensis: *Licentia danda non est*, (inquit) *ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter; quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi, & auctoritas.* Ceterum contraria in Africa obtinuit consuetudo, ubi non modo in magnis urbibus, sed in oppidis quoque, quin etiam in vicis, & pagis constituebantur Episcopi. Et licet initio Africanæ Ecclesiæ eam Episcopalium Sedium multitudinem ingens Christianorum numerus induxerit, nemo tamen inficias ibit, ei ex Catholicorum, & Donatistarum æmulatione plurimum incrementi accessisse. Unde *in Collatione Carthaginensi diei* 1. *cap.* 181. cum Alypius de Donatistis conquestus esset, ex ipsis plurimos Antistites creatos, qui aut villis tantum, aut agris præessent: *Scriptum sit omnes istos in fundis, vel in villis esse Episcopos ordinatos, non aliquibus civitatibus.* Continuo regessit hoc ipsum in Catholicos Petilianus Donatista: *Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos.* Successit huic malo quorumdam etiam Presbyterorum ambitio, qui hac via se a suorum Antistitum jurisdictione subtrahere cupientes, novos in oppidis, vicisque Episcopatus erigi procurabant, ut ipsi in recentes illas Sedes obreperent. Detexit hanc fraudem Concilium Carthaginense, anno 497. celebratum, *can.* 53. Codicis Africani: *Nonnulli dominatu quodam adepto communionem fratrum abhorrent, vel certe, cum depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vindicant, & tumidi, ac stolidi adversus Episcopum suas cervices erigunt, vel conviciis sibi concinnantes plebem, vel persuasu maligno, & illicito favore eosdem volunt*

sibi collocare rectores. Tum paulo post idipsum confirmavit Aurelius Carthaginensis: *Sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, earum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosae vitae homines, vel certe inflati, & ab hoc consortio separati, qui putant propriae plebi incubandum, & nonnumquam conventi ad concilium venire detrectant: sua forte ne prodantur flagitia metuentes*. Depellendis idcirco ab Africa hisce incommodis operam dedere laudati Concilii Patres, canonem innovantes, antea editum in Concilio Carthaginensi II. [1] *Ut Dioeceses, quae numquam habuerunt Episcopos, non habeant, & illa Dioecesis, quae aliquando habuit, habeat proprium*... *Et si accedente tempore, crescente fide populus Dei multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Dioecesis constituta, habeat Episcopum*. Istud ergo Africae fuerat vitium, ut in viculis Episcopos ordinarent, quod eradicare optavit S Leo Magnus, datis ad Africanos Episcopos litteris, quibus consentaneum censet minusculos hujusmodi omnes supprimi Episcopatus, post obitum eorum, qui eus occupant: [1] *Illud sane inter omnia volumus statuta canonum custodiri, ut non in quibuslibet locis, nec in quibuslibet castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur. Cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, Presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat praesidere. Ne quod Sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuere, viculis, & possessionibus, vel obscuris, & solitariis municipiis tribuatur Sacerdotale fastigium; & honor, cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat*.

Et sane tanta olim fuit in Africa Episcoporum multitudo, ut longe plures ac frequentiores viderentur, quam in quibusvis aliis Christiani orbis partibus. Ellies Du-Pin ex veteribus monumentis nomina sexcentorum nonaginta Episcoporum in Africa quam diligentissime eruit. In Provincia Proconsulari scilicet 136. in Numidia 155. in Byzacena 135. in Mauritania Caesariensi, & Tingina totidem: in Sitifensi 46. in Tripolitana 5. incertae Provinciae 78. ex quibus exurgit numerus 690. Num autem omnes Episcopales Africae Sedes his comprehendantur, affirmare non audet: sicut nec omnia haec loca uno & eodem tempore simul Sedes Episcopales fuisse; quamquam nullus ex iis sit, qui non aliquando Episcopum habuerit. At P. Antonius Pagius, ad *ann.* 484. *n.* 18. ex Victore Vitensi *lib.* 1. *de Persecut. Wandalica*, Zeugitanae, seu Proconsularis Provinciae Episcopos 164. enumerat: Thomassinus vero fere 200.



CAPUT

(1) Concil. Carthag. 11. can. 5.

(1) S. Leo epist. 87. cap. 2.

CAPUT X.

Notitia Episcopatuum totius Africæ.





Doctissimi viri Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis, P. Jacobus Sirmondus, Lucas Holstenius, & Ludovicus Ellies Du-Pin Notitiam Episcoporum Africæ ex antiquis monumentis adornarunt. Nos ea, quam Ellies Du-pin edidit contenti erimus, utpote quæ exactior nobis videatur, & post reliquas magno labore concinnata. Aliam ex Libris Conciliorum, aliisque Ecclesiasticis Monumentis excerptam infra Parte IV. proferemus.

Provincia Proconsularis.

In ea præter Carthaginensem, de qua satis superque modo dictum est, hi sunt Episcopi.

Abbiritanorum Majorum, seu Abaritanus, Notit. num. 2. coll. Carth. d. 1. cap. 133. not. 172.
Abbiritanorum Minorum, coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 172. & 454.
Abiddensis, coll. d. 1. c. 126. not. 100. Forte tamen est Byzacenæ ubi Abidus apud Ptolemæum.
Abitinensis, coll. Carth. d. 1. c. 211. not. 390.
Aborensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 178.
Absasallensis. Synodicæ Patrum provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Dominus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Absasallensis.
Abzeritensis, seu Abzeritanus, vel Abderitanus coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 133. apud Ptolemæum hic collocatur Abdera.
Advocatensis, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 407.
Agensis. Synodicæ Patrum provinciæ Proconsularis in Concilio Lateran. sub Martino ultimus subscribit Fortis Episcopus S. Ecclesiæ Agensis: in Concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 65. Quintus ab Aggiâ.
Altiburitanus, seu Altuburitanus, notit. num. 44. coll. Carth. d. 1. cap. 128. not. 131.
Aptugnitanus, Aptungitanus, aut Autumnitanus, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 116.
Araditanus, notit. num. 13. Concilio Carthaginensi sub Bonifacio anni 525. adfuit Æmilianus Episcopus plebis Araditanæ.
Assuritanus, notit. num. 19. coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 21.
Ausanensis, notit. num. 47.

Bu-

A Lacudulce coll. Carth. d. 1. c. 181. not. 305.
Labdensis, not. num. 18. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 358.
Larensis, coll. Carth. d. 1. c. 131. not. 158.
Libertinensis, coll. Carth. d. 1. c. 116. not. 17.
Mattianensis. In Synodica Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Marcellus Episcopus Mattianensis.
Maxulitanus, not. num. 30. coll. Carth. d. 1. c. 188. not. 324.
Megalopolitanus, not. num. 39. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 216.
Melzitanus, seu Melditanus coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 35.
Memblositanus, seu Membrositanus, not. num. 8. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 205. & 225.
Membresitanus, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 205.
Migirpensis, notit. num. 23. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 108.
Missuensis, not. num. 17. Missuam memorant Antoninus in Itinerario & Anonymus Ravennas, quam Misuam appellant Plinius & Tabulæ Peutingerianæ. Ptolemæus vero Nisuam. Procopius lib. 2. de Bello Vandal. Missuam Carthaginensium navale appellat. Servus Dei Episcopus Missuensis Concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525. interfuit.
Mullitanus, not. num. 15. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 168.
Mustitanus, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 53.
Muzuensis, not. num. 49. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 112.
Naraggaritanus, not. num. 48. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 430.
Neapolitanus notit. num. 35. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 76. Hodie Arabes Nabel vocant.
Nummulitanus, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 98.
Ofitanus. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Fortunius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ofitanæ.
Pariensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Felix Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Pariensis.
Pertusensis. In Concilio Bagaiensi damnatus est Martialis Episcopus Pertusensis. Pertusa in Tabulis Peutingerianis inter oppida Provinciæ Proconsularis recensetur.
Piensis, not. num. 4. Legendum fortasse Picensis, nam in Tabulis Peutingerianis Picus memoratur. Apud Polyb. fit mentio loci, qui Prior dicitur. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis subscribit Felix Episcopus Pariensis: an ad istos Piensis quidquam pertineat incertum.
Pisitensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 183.
Puppianensis, not. num. 12. Concilio Carthaginensi sub Aurelio ann. 397. interfuit Victor Senex Puppianensis, & Concilio Charthaginensi sub Bonifacio ann. 525. Gaudiosus Episcopus Ruppianensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Bonifacius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Puppianensis.
Puppitanus, not. num. 11. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 77.
Rucumensis. In Provincia Proconsulari. In Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit Lucianus a Rucumâ, & Synodicæ Patrum Provin-

vinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Maximus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Rucumensis.

Sajensis, seu Suensis, Coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 11.

Seminensis, aut Siminensis, vel Simminensis not. num. 49. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Episcopus Seminensis, & Concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno 525. Funionus Episcopus Siminensis. In Anonymo Ravennensi Suminina legitur.

A Senemsalis, coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 393.

A Siceenni, forte Sinitensis, seu Sinicensis coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 186.

Siccensis, coll. Carth. d. 1. c. 139. not. 165.

Sicilibensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 348.

Sicilitanus, coll. Carth. d. 1. c. 143. not. 272.

Silemsilensis, coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 396.

Simidiccensis, coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 256.

Simittensis, notit. num. 37. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 65.

Sinnuaritensis, seu Sinnuarensis, aut Sinnarensis, coll. Cart. d. 1. c. 133. not. 185.

Succubensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Lucianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Succubensis. Forte etiam Vindicus Sucubasensis, qui interfuit Concilio Carthaginensi ann. 348. sub Grato, hujus Sedis erat Episcopus.

Taborensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 70.

Tabracensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 63. Hodie Tabarca Genuensium oppidum.

Tabucensis. Epistolæ Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Paulus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Tabucensis.

Tacapitanus, not. num. 5. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 227.

Tacianæ Montensis. Conc. Carth. anni 525. subscribit Ruffinus Episcopus Taciæ Montanæ, Concil. Cabarsussitano Crescónius Tatiensis, & epistolæ Synod. Patrum Provinciæ Proconsularis Probus Tatiamontensis.

Taduensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Cyprianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Taduensis.

Tagaratensis, notit. num. 43. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 151.

Tagorensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. & 143. not. 201. & 275.

Tauracinensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Clarissimus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Tauracinæ.

Telensis, pro Tellensis, not. num. 14. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 260.

Tennonensis, not. num. 21. Optatus Episcopus Tennonensis subscripsit Concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525. Celebris est Victor Tunonensis auctor Chronici.

Theodalensis, seu Theudalensis & corrupte Eudalensis, notit. num. 53. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 107.

Tibur-

Tiburicensis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Valerius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Tiburicensis.

Tiburnicensis. Epistolæ Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis subscribit Crescens Episcopus Ecclesiæ Tiburnicensis.

Tigimmensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 184.

Timidensis, notit. num. 40. Timidensium Martyrum festivitas celebratur in vetusto Kalendario Carthaginensi ad 11. Kal. Junii. Hæc urbs Timida Regia dicebatur, cujus Episcopum Faustum Confessorem laudat Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donat. c. 22. qui quidem adsuit Concilio Carthaginensi sub Cypriano. Restitutus Episcopus Timidensium Regiorum subscripsit Concilio Carthaginensi sub Bonifacio. Inter Episcopos Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Felix Episcopus Ecclesiæ Timidensis.

Tinnisensis, notit. num. 32.

Tisilitanus, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 50. Peutingerus Tichillam locat in Provincia Proconsulari.

Titulitanus, not. num. 51. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 95.

Tizicensis. Synodicæ Patrum provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Vitalis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Tizicensis.

Tisipensis, seu Trisipellensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 113.

Tuburbitanorum majorum, coll. Carth. d. 1. c. 133. & 135. not. 170. & 259. Inter Episcop. Africæ in Concil. Arelat. I. subscribit Faustus Episcopus de civitate Tuburbitana. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconsularis in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Germanus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ciumtuturbo, quem hujus urbis Episcopum esse nullus dubito. Scriptum erat Civ. M. Tuturbo hoc est, Civitatis majoris Tuturbitanæ, unde vitio excriptoris factum est Ciumtuturbo.

Tuburbitanorum Minorum, notit. num. 52. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 170.

Tuburficuburensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 43.

Tucaborensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 426.

Tuggensis, seu Municipii Togiæ coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 318.

Tulanensis, notit. num. 54.

Tunejensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 110.

Turensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 54.

Turudensis, forte Turusensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 99.

Turusitanus, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 187.

Tyjucensis, forte Tyzicensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 105.

Vallitanus, coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 249.

Ucrensis, seu Verensis, notit. num. 26. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 428. In Concilio Arelatensi I. subscribit Vitalis Episcopus de civitate Verensium.

Uculensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 130.

Viliæ-Magnensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 173.

Viltensis, seu Biltensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 431. Inter Episcopos Afros in subscriptionibus Concil. Arelat. I. reperitur Surgentius Episcopus de civitate Poco-feltis, forte legendum Vico-Beltis.

Vinenſis, coll. Carth. d. I. c. 128. not. 132. Vinæ civitatis mentio fit in Itinerario Antonini, Peutingero Vina vicus, Anonymo Ravenn. Benda.
Viſicenſis, coll. Carth. d. I. c. 126. not. 69.
Volitanus, notit. num. 28. coll. Carth. d. I. c. 128. not. 146.
Urcitanus, ſeu Uci-majoris, notit. num. 20. coll. Carth. d. I. c. 134. notit. 220.
Urugitanus, forte Uracitanus, ſeu Urcitanus not. num. 20. coll. Chart. d. I. cap. 187. not. 3. 5.
Uticenſis, notit. num. 22. coll. Carth. d. I. c. 128. not. 128. Inter Epiſcopos, qui Concilio Arelat. I. ſubſcripſerunt, invenitur Victor Epiſcopus de civitate Uticâ.
Utinenſis, coll. Carth. d. I. c. 128. & 133. not. 135. & 169. Inter ſubſcriptiones Concilii Arelatenſis I. occurrit nomen Lampadii Epiſcopi de civitate Utinâ.
Utiniſenſis, ſeu Tinniſenſis, notit. num. 32. coll. Carth. d. I. c. 126. notit. 106.
Utmenſis, ſeu Utimmirenſis, notit. num. 10. coll. Carth. d. I. c. 126. not. 66. & 104.
Uvazenſis, vel Uvazienſis, coll. Carth. d. I. c. 126. not. 94.
Uzalenſis, notit. num. 7. collat. Carth. c. 204. not. 404. Conc. Carth. ſub Bonif. Aug. l. 22. de civit. Dei cap. 8.
Utzipparitanorum, notit. num. 46. coll. Carth. d. I. c. 131. notit. 157. In Tabulis Peutingerianis eſt Uzippira.
Uzitenſis, ſeu Uci-minoris, notit. num. 25. coll. Carth. d. I. c. 134. notit. 220. Uzita ſex millibus diſtat a Lepti ex Hircio.
Zarnenſis, ſeu Zamenſis. Synodicæ Patrum Provinciæ Proconſularis in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Vitalis Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Zarnenſis. In Tabulis Peutingerianis inter urbes Provinciæ Proconſularis legitur Zama Regia.
Zemtenſis, coll. Carth. d. I. c. 133. not. 188.
Zicenſis, forte Siccenſis, not. num. 41. coll. Carth. d. I. c. 198. not. 356.
Turenſis, coll. Carth. d. I. c. 133. not. 179.

Provincia Numidiæ.

Amburenſis, ſeu Amphorenſis not. num. 11. coll. Carth. d. I. c. 121. notit. 30.
Ammederenſis, coll. Carth. d. I. c. 126. not. 97.
Aquænovenſis, not. num. 73. coll. Carth. d. I. c. 198. not. 361.
Aquenſis, coll. Carth. d. I. cap. 198. not. 365.
Arenſis, coll. Carth. d. I. c. 201. not. 378.
Arſicaritanus, notit. num. 57.
Auguritanus, notit. num. 35. coll. d. I. c. 126. not. 84.
Aurufulianenſis, coll. Carth. d. I. c. 206. not. 412.
Auſucurrenſis, notit. num. 15.
Auzagenſis, ſeu Auſuagenſis, coll. Carth. d. I. c. 176. not. 289.
Azurenſis, vel Ajurenſis, coll. Carth. d. I. c. 188. not. 321.

Ba-

Babrensis, notit. num. 74.
Bagaitanus, forte idem cum uno e Vagensibus. Vide notam 8. in lib. 3. Optati.
Bamaccorensis, notit. num. 14. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 137.
Bazaritanus, seu Vazaritanus, notit. num. 32. coll. Carth. d. 1. c. 129. not. 154.
Bazienus, seu Bazitensis, coll. Carth. d. 1. c. 182. not. 300.
Belalitensis, seu Belesasensis, notit. num. 106. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 68.
Bosetanus, vel Bosetanus, notit. num. 63. coll. Carth. d. 1. cap. 120. notit. 28.
Bucconiensis, seu Bocconiensis, notit. num. 13. coll. Carth. d. 1. c. 198. notit. 354.
Burugiatensis, seu Burcensis, notit. num. 5. coll. Carth. d. 1. c. 201. notit. 389.
Cælianensis, notit. num. 49.
Cæsariensis, notit. num. 47. coll. Carth. d. 1. c. 132. not. 159.
Calamensis, notit. num. 3. coll. Carth. d. 1. c. 139. not. 266.
Capsensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 437. ubi Capsæ oppidi Numidiæ inter solitudines fit mentio diversi ab eo qui in Byzacenâ.
Casarum Medianensium, notit. num. 29. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 255.
Casensis Calanensis, not. num. 43. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 224.
Casensium Nigrensium, notit. num. 58. coll. Carth. d. 1. c. 49. not. 278.
Castellanus, notit. num. 4. Castelli in Numidia meminere Sallustius, & Hircius.
Castello Titulitanus, notit. num. 51.
Cataquensis, not. num. 68. coll. Carth. d. 1. c. 143. not. 271.
Centenariensis, notit. num. 39. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 212.
Centuriensis, notit. num. 95. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 81.
Centurionensis, notit. num. 6. coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 401.
Ceramunensis, seu Ceramussensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 232.
Constantiniensis, seu Cirtensis, vel Circensis, not. num. 83. coll. Carth. d. 1. c. 138. not. 264.
Cuiculitanus, notit. num. 10. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 33.
Cullitanus. Est in Numidia Cullu municipium, cujus mentio fit in Itinerario Antonini, & in Tabulis Peutingerianis, hodie Collo, cujus loci potius dicendi sunt Episcopi Victor, & Fidentius, de quibus in coll. Carthaginensi cap. 126. & 201. quam Cululitanæ urbis in Byzacena, atque hinc emendanda nota 87.
Dianensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 352. Diana in Itinerario Antonini reperitur.
Fatensis, notit. num. 107.
Fesseitanus, notit. num. 12.
Formensis, notit. num. 104. coll. Carth. d. 1. c. 209. not. 442.
Formensis, notit. num. 108.
Fossalensis, seu potius Fussalensis, notit. num. 21. Fussala castellum quadraginta tantum millibus ab Hippone Regio dissitum, & ab ejus Diœcesi avulsum tempore Sancti Augustini, ut docet epistola 209. Miracula

cula ibidem Sancti Stephani meritis edita narrat idem lib. 22. de civit. Dei cap. 8.

Garbensis, notit. num. 102. coll. Carth. d. 1. c. 209. not. 441.

Gaudiabensis, seu Gazabianensis notit. num. 93. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 387.

Gaurianensis, notit. num. 99.

Gazausalensis, not. num. 2. in Concilio Carthaginensi sub Cypriano subscripsit Martyr Salvianus a Gauzafala: Gauzaphna Ptolemæo: Procopio Gazophila. In Tabulis Peutingerianis habetur Gazaupula.

Gemellensis, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 414.

Germaniensis, notit. num. 97. coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 26.

Gibbensis, seu Gilbensis, notit. num. 40. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 391.

Gilbensis, seu Castro. Gelbensis, notit. num. 90. coll. Carth. d. 1. not. 321.

De Giru-Tarazi, not. num. 121.

Guirensis, seu Girensis, not. num. 9. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 34.

Hipponensium-Regiorum, coll. Carth. d. 1. c. 138. not. 262.

Hospitensis, not. num. 110. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 195.

Idassensis, not. num. 27. coll. Carth. d. 1. c. 182. not. 298.

Idicrensis, not. num. 16. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 145.

Jucundianensis, coll. Carth. d. 1. c. 180. not. 296.

Izirianensis, seu Hizirzadensis, notit. num. 55. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 213.

Lamasuensis, not. num. 112. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 143.

Lambesitanus. Lamesa, seu Lambesa Ptolemæo & Antonino. Numidiæ urbs, cujus Episcopus Januarius subscribit Concilio Carthaginensi sub Cypriano. Privati hæretici in Lambesitanâ colonia damnati meminit Cyprianus epist. 55. Duplex Lambesitanus Episcopus occurrit in Concilio Carthaginensi sub Cypriano, unus num. 6. alter num. 75.

Lambiensis, seu Lambesitanus, coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 375.

Lambiritensis, seu Lambiritanus, not. num. 19. coll. Carth. d. 1. c. 206. notit. 412. Lambiridis apud Peutingerum occurrit.

Lamiggizensis, not. num. 101. coll. Carth. d. 1. c. 133. 187. & 198. notit. 163.

Lamiggigensis, notit. num. 122. coll. Carth. d. 1. ibid.

Lamfuensis, seu Lampuensis, notit. num. 87. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 222. Lambafudis apud Peutingerum.

Lamfortensis, not. num. 23. coll. Carth. d. 1. c. 149. not. 282.

Legensis, not. 78. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 39.

Legensis, not. num. 85. coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 39. In Concilio Arelatensi I. subscribit Victor Episcopus de civitate Legis volumini Provinciæ Numidiæ. Forte is est Legensis.

Liberaliensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 223.

Lugurensis, notit. num. 82.

Madaurensis, notit. num. 60. coll. Carth. d. 1. 126. not. 62. a quâ Apulejus Madurus occurrit apud Ptolemæum.

Madensis, notit. num. 37. Limitis Madensis mentio fit in notitiâ Imperii sect. 55.

Magarmelitanus, notit. num. 103. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 60.

Mar-

Marcellianensis, seu de Giru-Marcelli, notit. num. 52. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 174.
Magomaziensis, seu Macomadiensis, notit. num. 84. coll. Carth. d. 1. c. 116. not. 16.
Masculitanus, not. num. 94. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 122.
Matharensis, notit. num. 38. coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 27.
Maximianensis, not. n. 119.
Mazacensis, not. num. 81. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 445.
Metensis, not. num. 46. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 79.
Mesarfetensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 360.
Midlensis, seu Midilensis, notit. num. 41. coll. Carth. d. 1. c. 193. not. 329.
Milevitanus, not. num. 114. Vide notam I. ad lib. 1. Optati Milevitani pag. 1.
Montenus, seu Montensis, notit. num. 25. coll. Carth. d. 1. cap. 121. notit. 52.
Moxoritanus, notit. num. 76.
Muliensis, not. num. 109.
Municipensis, notit. num. 56. Forte idem qui dicitur Municipii Tulliensis in Concilio Carthaginensi anni 525. cui subscribit Marianus Episcopus Municipii Tulliensis Numidiæ Legatus.
Musitanus, notit. num. 71. coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 53.
Mutugennensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 191.
Naractanensis, notit. num. 100. Concilio Carthaginensi anni 525. sub Bonifacio subscribit Columbus Episcopus plebis Naraccatensis.
Nicibensis, forte Nibensis, notit. num. 8. coll. Carth. d. 1. cap. 201. notit. 381.
Nobabarbarensis, seu Novabarbarensis, notit. num. 26.
Nobacæsareensis, notit. num. 31. Idem forte locus, qui Vicus Cæsaris dicitur in Concilio Carthaginensi sub Cypriano, & Vicus Augusti in Concilio Cabarbussitano.
Nobagermaniesis, seu Novagermaniensis, notit. num. 28. Diversa a Germania, quæ num. 97. Seniores Novæ Germaniæ, semel, & iterum memorantur in codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 100.
Nobasparsensis, notit. num. 45. Novæsparsæ meminit Antoninus in Itinerario haud procul a Sitifi.
Novapetrensis. Antoninus in Itinerario habet Nova-petra coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 311.
Novasinensis, seu Nobasinensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 32.
Octavensis, notit. num. 36. Urbs Numidiæ. Concilio Carthaginensi, sub Cypriano interfuit Victor ab Octavo. Octavensis loci meminit Optatus lib. 3.
Putiensis, notit. num. 17. coll. Carth. d. 1. not. 281.
Pudentianensis, notit. num. 44. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 385. Vide de eadem Ecclesiâ epist. 33. l. 22. Gregorii Magni ad finem Monumentorum nostrorum.
Regianensis, notit. num. 91. Gregorius magnus lib. 10. ep. 32. scribit ad Columbum Numidiæ Episcopum, occasione Paulini cujusdam Regensis Episcopi, quem Regianensem esse suspicatur Theodericus Ruinart.
Respectensis, notit. num. 79.

Resſianenſis, ſeu Resſanenſis, notit. num. 34. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 64.
Rotarienſis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 319.
Ruſiccadienſis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 350. Ruſſicade portus erat olim Conſtantinæ, nunc Succaicade.
Ruſticianenſis, notit. num. 61. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 374.
Seleucianenſis, notit. num. 116. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 42.
Siguitenſis, ſeu Suggitanus not. num. 18. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 340.
Silenſis, notit. num. 92.
Silbitanus, notit. num. 54. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 115.
Sinitenſis, notit. num. 67. coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 398.
Siſtronianenſis, notit. num. 64.
Suavenſis, vel Suabenſis, notit. num. 96. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 194.
Suſicazienſis, notit. num. 30.
Tabudenſis, notit. num. 42. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 208.
Tacaratenſis, notit. num. 113. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 41.
Tagaſtenſis, notit. num. 118. coll. Carth. d. 1. c. 136. not. 261.
Tagorenſis, notit. num. 20. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 201.
Tamogadenſis, ſeu Tamugadenſis, notit. num. 77. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 142. Tamugadæ meminit Procopius, quam dicit ſitam eſſe ad calcem montis Aurazii, qui hodie quoque vocatur Auraz.
Tezulatenſis, ſeu Teglatenſis, notit. num. 69. coll. Carth. d. 1. c. 198. notit. 355.
Teveſtinus, ſeu Tebeſtinus, vel Tibeſtinus, notit. num. 75. coll. Carth. d. 1. c. 121. & 180. not. 40. & 292.
Tharaſenſis, notit. num. 53. Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano interfuit Zoſimus a Tharaſâ.
Tibilitanus, not. num. 66. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 50. & 344. & not. 50. in l. 1. Optati.
Tigillavenſis, ſeu Tigillabenſis, notit. num. 33. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 210.
Tigiſitanus, notit. num. 89. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 257.
Tignicenſis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 176.
Tiniſtenſis, ſeu Tiniſenſis, coll. Carth. d. 1. c. 180. not. 295.
Tipaſenſis, notit. num. 65. Diverſa hæc Tipaſa a Mauritaniæ Cæſarienſis urbe, de qua Optatus lib. 2. §. 18. p. 42. Firmus Epiſcopus Eccleſiæ Tipaſenſis. Numidiæ Provinciæ Legatus ſubſcripſit Concilio Carthaginenſi ſub Bonifacio anno 525. & adfuit Concilio V. generali.
Tiſeditenſis, vel Tiſeditanus, ſeu Tididitanus, notit. num. 24. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 258.
Tubinienſis, ſeu Tubunienſis notit. num. 72. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 31. Ptolemæo Tunuba prope Muſtim.
Tuburnicenſis. Apud Ptolemæum reperitur inter oppida Numidiæ Tuburnica, cujus crediderim Epiſcopum Æneam a Tuburnice, de quo coll. Carth. dici 1. c. 215. not. 453.
Tuburſicenſis, notit. num. 22. coll. Cart. d. 1. c. 143. not. 270.
Tuccenſis, coll. Carth. d. 1. c. 65. & 130. not. 13. & 156.
A Turre Rotunda, forte a Robunda, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 420.

De

De Turres-Ammeniarum, not. n. 105.
Turris-Concordiensis, notit. num. 86.
Vadensis, notit. num. 117.
Vadesitanus, notit. num. 98. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 103. Vasidice occurrit in Tabulis Peutingerianis.
Vageatensis, seu Vagadensis, vel Vagradensis, notit. num. 111. coll. Carth. d. 1. c. 180. not. 297. Erat urbs sita ad flumen Bagradam, quæ dicitur a Polybio Macar, & hodie fluvius Bagradas Magerada appellatur.
Vagensis, vel Vadensis, notit. num. 7. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 450.
Vagrotensis, notit. num. 88.
Vajanensis, seu Bajanensis, coll. Carth. d. 1. c. 99. not. 9. & 14.
Velesitanus, not. num. 80. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 192. & 234. In Tabulis Peutingerianis Velesi habetur.
Veselitanus, seu Vegeselitanus, notit. num. 59. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 192. & 234.
Vesceritanus, pro Berceritanus, notit. n. 1. coll. Carth. d. 1. c. 120. notit. 18.
Vicensis, seu Vicopacensis, notit. num. 123. coll. Carth. d. 1. c. 143. notit. 277.
Villaregensis, notit. num. 62. coll. Carth. d. 1. c. 148. not. 139.
Villitanus, notit. num. 115.
Zabensis, notit. num. 70. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 362.
Zamensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 44.
Zaraitensis, seu Zarattensis, not. num. 120. coll. Carth. d. 1. c. 128. notit. 138.
Zattarensis, not. num. 50. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 121.
Zertensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 314.
Zummensis, coll. Carth. d. 1. c. 113. not. 15.

Provincia Byzacena.

ABaridirensis, not. num. 23.
Abidensis. In Provincia Byzacena ex Ptolemæo.
Acolitaneus, seu Acolitanus, notit. num. 59. Quinctus hujus Ecclesiæ Episcopus subscripsit epistolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranensi sub Martino.
Adrumetinus ab Adrumento, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 67.
Afufeniensis, notit. num. 2.
Aggaritanus, notit. num. 108. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 91.
Aggeritanus, seu Aggaritanus, notit. num. 29. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 91.
Amudarsensis, notit. num. 1. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 93.
Ancusensis, notit. num. 5. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 101.
Aquæ Albensis, notit. num. 52. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 335.
Aquensium Regiorum, notit. num. 86. coll. Carth. d. 1. 126. not. 74.
Aquiabensis, notit. num. 26.

Arſuritanus, notit. num. 67. Ejusdem forte loci Epiſcopus erat, qui epiſtolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Bonifacius Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Saſuritanæ.

Autentensis, notit. num. 104. Epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Optatus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Autentenſis.

Auzagerenſis, notit. num. 96. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 424.

Bahannenſis, ſeu Boanensis, vel Banensis not. num. 73. coll. Cart. d. 1. c. 126. not. 80.

Benneſensis, ſeu Beneſensis, notit. num. 4. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 193.

Bulelianenſis, not. num. 16. Forte hujus Sedis Epiſcopus erat Quodvult deus Epiſcopus plebis Bullamensis, qui ſubſcripsit Concilio Carthaginensi ſub Bonifacio anno 425. Bululæ meminit Plinius lib. 5. c. 5.

Byzacienſis. Byzacii Oppidi in ea Provincia, quæ Byzacena dicitur meminère Ptolemæus, & Procopius.

Cabarſuſsenſis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 438.

Capſensis, notit. num. 60. coll. Carth. d. 1. c. 126. & 208. not. 82. & 437.

Carcabianensis, notit. num. 84. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 380.

Carianensis, ſeu Caſularum Carianensium, not. num. 58. coll. Carth. c. 126. notit. 90.

Cebaradeſensis. Epiſtolæ Patrum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranensi ſub Martino ſubſcribit Muſtulus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Cebaradaſensis.

Cellensis. Epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranensi ſub Martino ſubſcribit Fortunius Epiſcopus Cellenſis.

Cenculianenſis, ſeu Cunculianenſis, notit. num. 114. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 118.

Cillitanus, ſeu Cilitanus, notit. num. 64. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 124.

Cincaritenſis, ſeu Cincaritanus, forte Circinitanus not. num. 47. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 217.

Creperulenſis, ſeu Crepedulenſis, notit. num. 40. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 202.

Cuſrutenſis, notit. num. 62. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 152.

Culuſitanus, notit. num. 56. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 87.

Cuſtrenſis, forte Caſtrenſis, notit. num. 15.

Dicenſis. Epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Candidus Epiſcopus Eccleſiæ Patriædicenſis.

Decorianenſis, vel Detorianenſis, notit. num. 12. Epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Paſchaſius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Detorianenſis. Forte idem eſt ac Turenſis infra.

Dionyſianenſis, not. num. 111. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 359.

Durenſis, notit. num. 61.

Egnatenſis, notit. num. 30.

Elienſis, vel Helienſis, notit. num. 101. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 72.

Febianenſis, ſeu Rebianenſis, notit. num. 69. Epiſtolæ Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranenſi ſub Martino ſubſcribit Saluſtius Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Rebianenſis.

Fe-

Feraditanæ Majoris, vel Feradimajensis, notit. num. 39. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 61.
Feraditanæ Minoris, seu Peradamiensis, notit. num. 31. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 215.
Filacensis, notit. num. 79.
Foratianensis, notit. num. 66.
Forontonianensis, notit. num. 68.
Frontonianensis, notit. num. 71.
Gaguaritanus, seu Gavvaritanus, notit. num. 100. coll. Carth. d. 1. c. 128. notit. 148.
Gatianensis, not. num. 22. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 368.
Gernisitanus. Epistolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Felix Episcopus Ecclesiæ Municipii a Gernisis. Forte idem est cum Segermitano.
Gummitanus, notit. num. 89. coll. Carth. d. 1. c. 215. notit. 449.
Gurgaitensis, notit. num. 78. Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit Felix a Gurgitibus.
Hermianensis, not. num. 32. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 200. Procopius Hermionem in his locis nominat.
Hierpinianensis, seu Irpinianensis, notit. num. 53. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 199.
Hirenensis, seu Irensis, notit. num. 94. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 448.
Horreæ Cæliensis, not. num. 113. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 384.
Jubaltianensis, not. num. 106. coll. Carth. d. 1. c 128. not. 117.
Juncensis, notit. num. 105. coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 313.
Limmicensis. Epistolæ Episcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranensi subscribit Donatus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Limmicensis.
Leptiminensis, not. num. 36. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 48.
Macomadiensis, vel Macomaziensis, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 333.
Macrianensis Majoris, notit. num. 80. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 56.
Mactaritanus, notit. num. 25. coll. Carth. d. 1. 202. not. 219.
Mandasumitanus, seu Madassumitanus, notit. num. 110. coll. Carth. d. 1. c. 187. notit. 307.
Maraguiensis, notit. num. 74. Forte is est, qui in epistola Synodica Patrum Byzacenorum relatâ in Concilio Lateranensi sub Martino dicitur Taraquensis.
Marazanensis, notit. num. 49. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 198.
Masclaniensis, not. num. 9. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 429.
Massimanensis, seu Maximianensis, notit. num. 43. Epistolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Bonifacius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Fustini ac Maximiensis.
Mataritanus, seu Mattaritanus, not. num. 50. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 219.
Materianensis, not. num. 90.
Medefessitanus, seu Menefessitanus, notit. num. 57. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 254.
Amedianis Zabuniorum, seu Medianensis, notit. num. 27. coll. Carth. d. 1. c. 203. not. 403.

Mibiarcensis. Epistolæ Episcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranensi subscribit Joannes Episcopus Ecclesiæ Mibiarcensis.
Midicensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 309.
Miditensis, notit. num. 6. coll. Carth. d. 1. c. 142. not. 267.
Miricinianensis, forte Mimianensis, notit. num. 72. Epistolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranensi sub Martino subscripsit Saturninus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Miricianensis.
Mozotcoritanus, not. num. 91.
Muzucensis, not. num. 42. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 190.
Narensis, notit. num. 11. coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 411.
Nationensis, notit. num. 75. coll. Cart. d. 1. c. 208. not. 439.
Nebbitanus, forte Neptitanus, not. num. 14. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 342. cui adde Neptem in Anonymo reperiri, & in Tabulis Peutingerianis.
Octabensis, not. num. 38.
Octabiensis, notit. num. 24.
Oppennensis, notit. num. 82.
Pederodianensis, notit. num. 46.
A Pisanis, seu Pesanis, coll. Carth. d. 1. c. 184. not. 301.
Præcausensis, not. num. 51. Forte Præcisu prope Leptim minorem.
Præsidiensis, not. num. 76. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 434.
Peutiziensis, seu Putiensis, notit. num. 18. coll. Carth. d. 2. c. 149. not. 281.
Quæstorianensis, notit. num. 87. Epistolæ Patrum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranensi sub Martino subscribit Stephanus Spesindeo Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Quæstorianensis.
Rufinianensis, not. num. 85. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 123.
Ruffensis, seu Rufpensis, notit. num. 102. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 29.
Ruspitensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 29.
Scebatianensis, vel Sebastianensis, notit. num. 45.
Seberianensis, not. num. 10.
Segermitensis, seu Segermitanus, notit. num. 99. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 59.
Septimunicensis, notit. num. 3. Memoratur Septimunicia ab Antonino in Itinerario.
Sublectinus, vel Sullectinus, notit. num. 93. In Anonymo Ravennensi habetur Sublectæ, in Tabulis Peutingerianis Sublecti. Procopius lib. 1. de bello Wandal. Syllectum maritimum oppidum vocat, quod primum appulit Belisarius, & inde per Leptim & Adrumentum Crassam pervenit postea Decimum, qui locus 70. prope stadia Carthagine aberat. In Concilio Bagajensi ann. 394. Martianus Sullectinus Donatista Episcopus ab aliis Donatistis fuit damnatus.
Sufetanus, notit. num. 21. coll. Carth. d. 1. c. 142. not. 268.
Sufetulensis, notit. num. 20. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 85. Forte ea quæ Abulfedæ Sobaytele.
Sulianis, notit. num. 112. Forte Silvanæ, seu a Casis Silvanæ. Silvanum in Byzacena collocatur in Tabulis Peutingerianis. Episcopi hujus urbis fit mentio in coll. Carth. diei 1. c. 198. not. 357. ubi cujus Provinciæ esset nescire nos diximus; sed in Tabulis Peutingerianis id postea didicimus.

Ta-

Tagamutenfis, notit. num. 19. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 96.
Tagarajenfis, feu Tagaritanus, vel Tagazenfis, notit. num. 37. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 382.
Tagarbalenfis, not. num. 83. In Itinerario Antonini inter Tacapem & Turrem Tamalleni in limite Tripolitano occurrit Agarlabus.
Talaptulenfis, notit. num. 103.
Tamazenus, coll. Carth. d. 1. not. 285.
Tambajenfis, vel Tambeitanus, notit. num. 13. coll. Carth. d. 1. c. 128. notit. 125.
Tapruenfis, coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 250.
Tapfenfis, notit. num. 109. Tapfum memorant Ptolemæus, Livius, Florus, Hirtius, Plinius, Tabulæ Peutingerianæ, & Anonymus Ravennas. Hujus Epifcopus Vigilius Tapfenfis celebris Scriptor.
Tarafenfis, notit. num. 34.
Tasfaltenfis, feu Tasbaltenfis, notit. num. 63. coll. Carth. d. 1. c. 128. notit. 119.
Teleptenfis, notit. num. 81. coll. Carth. d. 1. c. 121. 198. & 208. notit. 36. & 425.
Temonianenfis, feu Temoniarenfis, notit. num. 97. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 83.
Tenitanus, notit. num. 33. coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 23.
Tetcitanus, not. num. 77.
Theuzitanus, feu Theuditanus, not. num. 17. Plinius lib. 5. cap. 4. inter oppida libera Theudenfe memorat.
Thusdritanus, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 47. Idem forte qui Tuzudrumes vocatur in Concilio Carthaginenfi anni 525. fub Bonifacio, & qui Turditanus. Epiftolæ Epifcoporum Provinciæ Byzacenæ in Concilio Lateranenfi fub Martino fubfcripfit Benerius Epifcopus Ecclefiæ civitatis Turditanæ.
Ticenfis, notit. num. 115. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 51.
Tigienfis, feu Tizienfis, notit. num. 65. coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 24.
Tigualenfis, feu Ticualtenfis, notit. num. 95. coll. Carth. d. 1. c. 126. notit. 58.
Trofimianenfis, feu Trofinianenfis, notit. num. 35. coll. Carth. d. 1. c. 133. notit. 226.
Tubulbacenfis, not. num. 7. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 78.
Tuccenfis, coll. Carth. d. 1. c. 130. not. 150.
Turenfis, feu Turrenfis, notit. num. 28. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 38.
Turreblandenfis, notit. num. 98. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 435.
Turre-Tamallumenfis, not. num. 55. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 102.
Tuzuritanus, feu Tuziritanus, notit. num. 48. coll. Carth. d. 1. c. 120. notit. 25.
Vadentinianenfis, feu Valentinianenfis, notit. num. 8. Epiftolæ Patrum Byzacenorum in Concilio Lateranenfi fub Martino fubfcribit Roibaldus Epifcopus Sanctæ Ecclefiæ Valentinianenfis.
Varitanus, not. num. 70.
Vaffinaffenfis & Aquis, not. num. . . .
Vegefelitanus, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 192.

A Vico-Ateri, seu Vico-Ateriensis, not. num. 92. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 353.
Victorianensis, not. num. 88. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 388.
Vitensis, not. num. 44. Hujus loci Episcopus erat Victor, qui fuit auctor historiæ Wandalicæ.
Unuricopolitanus, not. num. 107.
Usilensis, seu Usulensis, not. num. 54. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 92.
Uzabirensis, seu Unuzibirensis, not. n. 41. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 395.

Mauritania Cæsariensi.
Et Tingitana.

Adquesirensis, notit. num. 66. coll. Carth. d. 1. c. 188. not. 323.
Adsinnadensis, notit. num. 115.
Alamiliarensis, not. num. 33.
Albulensis, notit. num. 79. Albularum mentio fit in Itinerario Antonini, & in Anonymo Ravennate.
Altabensis, not. num. 10. Apud Anonymum Ravennatem ibi legitur Ataba. Est alia Altaba in Numidia ex Itinerario Antonini.
Amaurensis, notit. num. 35.
Ambiensis, notit. num. 46.
Aquensis, not. num. 24. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 244.
Arsinnaritanus, not. num. 95. Arsennariæ meminerunt Plinius, Ptolemæus, Antoninus, Anonymus Ravennas, & Pomponius Mela, ut coloniæ Romanæ.
Bacanariensis, not. num. 40.
Balianensis, notit. num. 91. Concilio Cabarsussitano interfuit Pancratius Balianensis.
Baparensis, not. num. 98. Forte Vabarensis, nam Vabar inter civitates Mauritaniæ Cæsariensis memorat Ptolemæus.
Bartinnisiensis, seu Vardimissensis, notit. num. 45. coll. Carth. d. 1. c. 135. notit. 242.
Benepotensis, notit. num. 44.
Bidensis, not. num. 85. Bida urbs a Ptolemæo memoratur inter civitates Mauritaniæ Cæsariensis. In Notitia Imperii sect. 54. habet Limes Bidensis sub dispositione Ducis Mauritaniæ Cæsariensis.
Bitensis, not. num. 83.
Bladiensis, seu Badiensis, coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 37.
Boncariensis, seu Voncariensis, not. num. 62. coll. Carth. d. 1. c. 208. notit. 432.
Bulturiensis, not. num. 89.
Cæsariensis, notit. num. 21. coll. Carth. d. 1. c. 143. not. 274. Plerique putant oppidum esse quod nunc Alger dicitur, at istud cum Itinerariis non concinit; potius dici debet Tenes, quæ portum habet, & Insulam sicut olim Cæsarea.
Caltradiensis, notit. num. 67.
Caprensis, notit. num. 53.
Caput Cillensis, not. num. 38. Mentio fit hujus loci in Itinerario Antonini, & in Notitia Imperii.

Car-

Cartennitanus, notit. num. 50. Urbs celebris cujus meminêre Ptolemæus, Pomponius Mela, Plinius. Victor hujus urbis Episcopus inter Scriptores memoratur a Gennadio. Rustici Cartenitani Episcopi mentio fit apud Augustinum in libro de gestis cum Emerito.
Castellanus, not. num. 75. coll. Carth. d. 1. c. 135. & 180. not. 253. & 294.
Castelli-Jabaritanus, seu Castelli-Aboritanus, not. num. 65.
Castelli-Mediani, not. num. 80. apud Ammianum Marcellinum mentio fit Mediani Munimenti.
Castelli-Tatroportensis, not. num. 94.
Castello-Minoritanus, not. n. 31.
Castello-Ripensis, not. num. 119.
Castranobensis, not. num. 74. Ea est urbs, quam Antoninus in Itinerario Castra nova appellata & Anonymus Ravennensis in Tingitana locat.
Castraseberiensis, not. num. 73.
Catabitanus, not. n. 97.
Castrensis, not. num. 106.
Catulensis, not. num. 48.
Cissitanus, not. num. 107. coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 418.
Columpnatensis, not. num. 12.
Corniculanensis, not. num. 4. Corniclani meminere Anonymus Ravennas, & Tabulæ Peutingerianæ.
Elefantariensis, notit. num. 96. Concilio Cabarsussitano adsuit Miggin ab Elefantariâ; sed duplex erat in Africa locus hujus nominis, ut patet ex Anonymo Ravennate, quorum unus erat in Provincia Proconsulari, ut etiam ex Tabulis Peutingerianis constat.
Fallabensis, not. num. 28.
Fidolomensis, notit. num. 17.
Flenucletensis, not. num. 84.
Florianensis, notit. num. 32. Ptolemæus inter urbes Mauritaniæ Cæsariensis memorat Floriam.
Flumenzeritanus, not. num. 30.
Frontensis, not. num. 58.
Giramontensis, notit. num. 9.
Gorensis. Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit Victor a Gor, fortè a Garrâ urbe Mauritaniæ Cæsariensis, de qua Ptolemæus & Victor Vitensis.
Gratianopolitanus, not. num. 81. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 238.
Ganugitanus, not. num. 111. Gunugitanæ coloniæ meminit Plinius, & Gunugus habetur in Itinerario Antonini, & apud Anonymum Ravennatem.
Gypsariensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 147.
Icositanus, not. num. 59. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 336.
Idensis, not. num. 14.
Idensis, not. num. 16.
Jommitensis, seu Fonnitensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 427.
Itensis, not. num. 5.
Juncensis, not. num. 1.
Lapidiensis, not. num. 61.
Larensis, coll. Carth. d. 1. not. 158.

Ma-

Majucensis, not. num. 121.
Malianensis, seu Milianensis, not. num. 18. coll. Carth. d. 1. c. 135. notit. 245.
Mammillensis, notit. num. 78. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 246.
Manazenensium Regiorum, seu Manaccenseritanus, not. num. 82. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 394.
Masuccabensis, notit. num. 42. Ammianus Marcellinus memorat fundum Muzucanæ.
Maturbensis, not. num. 90.
Maurensis, notit. num. 124. Anonymus Ravennâs Mauræ in Tingitana meminit.
Maurianensis, not. num. 88.
Maxitensis, notit. num. 114.
Mediensis, not. num. 47.
Minnensis, not. num. 49. Concilio Carthaginensi sub Bonifacio ann. 525. subscribit Secundinus Episcopus Minensis Provinciæ Mauritaniæ. Minam habet Antoninus in Itinerario. Et Mina fluvius ab Anonymo Ravennensi memoratus, nunc ejusdem nominis.
Murustagensis, not. num. 25. Hodie in his locis est urbs Mustugan.
Musertitanus, seu Mutecitanus, notit. num. 76. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 196.
Nabalensis, not. num. 122.
Nasbincensis, not. num. 39.
Nobensis, notit. num. 19. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 451.
Nobicensis, not. num. 7.
Novensis, seu Nobensis, notit. num. 93. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 451.
Numidiensis, seu Numidensis, notit. num. 118. coll. Carth. d. 1. c. 188. not. 325.
Nurconensis, seu Murconensis, notit. num. 102. coll. Carth. d. 1. c. 135. notit. 252.
Obbensis, seu Obbitanus, notit. num. 56. coll. Carth. d. 1. c. 193. not. 327.
Oboritanus, notit. num. 72.
Oboritanus, notit. num. 126.
Oppidonebensis, not. num. 64. Oppidi-novi meminere Ptolemæus, Plinius, Antoninus, & Anonymus Ravennâs.
Opinensis, seu Ospinensis. In Concilio Carthaginensi anni 419. sub Aurelio interfuit Leo Episcopus Ospinensis Legatus Mauritaniæ Tingitanæ.
Pamariensis, notit. n. 43.
Quidiensis, not. num. 2. coll. Carth. d. 1. c. 143. not. 273.
Regiensis, not. num. 51.
Reperitanus, not. num. 70.
Rusaditanus, not. num. 69. Rusadir colonia celebris Antiquis. Hujus meminere Ptolemæus, Plinius, Antoninus, & Pomponius Mela, sed tamquam Tingitanæ Provinciæ ubi est Rusadir Promontorium. At locus is, de quo hic agitur, potius est Rusagus colonia Augusti, quam Plinius, Ptolemæus, & Antoninus in Mauritania Cæsariensi recensent.

Ru-

Rusgunienſis, notit. num. 63. Rusgunia coloniæ mentio fit in Itinerario Antonini, apud Plinium, & Anonymum Ravennatem. Concilio Carthaginensi ſub Aurelio ann. 419. adfuit Numerianus Rusgunienſis, unus ex Legatis Mauritaniæ Cæſarienſis.
Rusubiccarienſis, ſeu Rusubicarenſis, vel Rubicarenſis, not. num. 77. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 343.
Rusubiritanus, notit. num. 22.
Rusuccuritanus, notit. num. 54. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 241.
Rusucensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 182.
Satafenſis, not. num. 116.
Sereddelitanus, not. num. 92.
Serrenſis, ſeu Sertenſis, notit. num. 117. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 237.
Seſtenſis, not. num. 36. Forte Septenſis, de quo loco Procopius in libris de bello Wandalico non ſemel. Arabibus Sebta, hodie Ceuta, longâ obſidione nunc nobilitata.
Sfasferienſis, notit. num. 55.
Sicceſſitanus, not. num. 80. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 331.
Siguitanus, coll. Carth. d. 1. c. 209. not. 444.
Sitenſis, not. n. 112. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 349.
Subbaritanus, not. num. 23.
Sucardenſis, notit. num. 13. coll. Carth. d. 1. c. 135. & 201. not. 240. & 377.
Sufaritanus, notit. num. 87. coll. Cart. d. 1. not. 236.
Sufaſaritanus, ſeu Sufaritanus, not. num. 3. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 236.
Sugabbaritanus, notit. num. 20. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 259.
Sumulenſis, notit. num. 104.
Tabazagenſis, vel Tabaicenſis, aut Tabaicarenſis, ſeu Tabadcarienſis, notit. num. 103. coll. Carth. d. 1. c. 135. & 197. not. 247. & 339.
Taborentenſis, notit. num. 18. Diverſus a Taborenſi Provinciæ Proconſularis, de quo in nota 70.
Tabunienſis, notit. num. 109. Hodie Tobna.
Tadamatenſis, notit. num. 105.
Talenſis, Forte Tablenſis, notit. num. 60. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 372.
Tamicenſis, forte Tamazucenſis, vel Tamazenſis, notit. num. 120. coll. Carth. d. 1. c. 163. not. 285.
Tamudajenſis, forte Tamadenſis, notit. num. 100. coll. Carth. d. 1. c. 197. notit. 332.
Taſaccurenſis, notit. num. 108. Apud Antoninum in Itinerario Taſaccora, inter Mauritaniæ urbes memoratur.
Ternamuſenſis, vel Ternamunenſis, notit. num. 37. coll. Carth. d. 1. c. 180. notit. 291.
Tifiltenſis, notit. num. 15. coll. Carth. d. 1. not. 258.
Tigabitanus, notit. num. 68. Apud Auguſtinum mentio fit in geſtis cum Emerito Palladii Tigabitani Epiſcopi, & epiſtola 228. Honorati ſucceſſoris ejus. In codice can. Eccl. Afr. cap. 97. mentio fit civitatis Tiganenſis in Mauritania. Tigavæ, ſeu Tigavarum meminêre Ptolemæus, Plinius, Ammianus, & Antoninus.
Tigamibenenſis, notit. num. 34.
Tigiſitanus, not. num. 27. coll. Carth. d. 1. c. 209. not. 443.

Ti-

Timicitanus, notit. num. 6. coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 248. & 285.
Timidanensis, notit. num. 57.
Tingariensis, notit. num. 125.
Tipasitanus, not. num. 99. Vide not. 47. in lib. 2. Optati.
Tubunensis, not. num. 123.
Tuscamiensis, not. num. 110.
Vagalitanus, notit. num. 26. coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 436.
Vagensis, coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 450.
Vanariorensis, forte Panatoriensis, notit. num. 11. coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 306.
Vannidensis, notit. num. 52.
Ubabensis, notit. num. 71.
Villænobensis, notit. num. 41.
Vissalsensis, notit. num. 113.
Voncarianensis, notit. num. 101.
Usinadensis, notit. num. 29.

Mauritania Sitifensis.

ACufidensis, not. num. 35.
Aquæalbensis, notit. num. 5. coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 335.
Assabensis, seu Assafensis, notit. num. 24. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 144.
Asuoremixtensis, notit. num. 36.
Castellanus, notit. num. 12.
Cedamusensis, notit. num. 29.
Celensis, notit. num. 17. coll. Carth. d. 1. cap. 126. not. 73.
Coviensis, notit. num. 3. Coba municipium in Antonini Itinerario memoratur inter Saldim, & Igilgilim. Consentiunt Anonymus Ravennas, & Tabulæ Peutingerianæ.
Equizetensis, seu Equizotensis, notit. num. 11. coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 383.
Ficensis, notit. num. 22. coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 46.
Flumencispensis, not. num. 25. Vide not. 16. ad librum 2. Optati.
Gegitanus, notit. num. 13. coll. Carth. d. 1. cap. 128. not. 149.
Ab Horrea Aninicensi, notit. num. 7. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 370.
Igilgitanus, notit. num. 4. coll. Carth. d. 1. c. 121. not. 45. Hodie Gigerii.
Jusitensis, forte Ferasitensis, seu Ferasitanus, notit. num. 9. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 71.
Lemejesensis, seu Lemellensis, notit. num. 16. Vide notam 42. ad lib. 2. Optati.
Lemfoctensis, notit. num. 21. Ammianus Marcellinus lib. 29. c. 5. Lamfoctense oppidum inter Tridentium & Massimissensium gentes positum memorat.
Lesuitanus, notit. num. 10. coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 369.
Macrensis, not. num. 17. coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 409.
Macrianensis, notit. num. 23. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 197. Deuterius Macrianensis, cujus meminit Tychonius Donatista apud Augusti-

ftinum epift. 93. num. 43. erat hujus Sedis Epifcopus, nam Mauris eum adfcribit.
Maronanenfis, notit. num. 26.
A Medianis Zabuniorum, coll. Carth. d. 1. c. 203. not. 403.
Mimentianensis, notit. num. 14. c. 208. coll. Carth. d. 1. not. 440.
Molicunzenfis, notit. num. 27.
Noptenfis, feu Mozotenfis, notit. num. 33. coll. Carth. d. 1. c. 143. notit. 276.
Nobalicianenfis, notit. num. 19.
Olivenfis, coll. Carth. d. 1. c. 215. notit. 447.
Orienfis, feu Horrenfis, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 338.
Partenienfis, notit. num. 32.
Perdicenfis, not. num. 39. coll. Carth. d. 1. c. 191. not. 46.
Privatenfis, notit. num. 31.
Salditanus, not. num. 41. Salde nota colonia Augufti, de quâ Plinius, Ptolemæus, & Tabulæ Peutingerianæ.
Satafenfis, not. num. 6. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 141.
Serteitanus, not. num. 28. coll. Carth. d. 1. c. 180. not. 293.
Sitifenfis, not. n. 2. coll. Carth. d. 1. c. 143. not. 269.
Socienfis, not. num. 15.
Suriftenfis, not. num. 38.
Tamagriftenfis, not. num. 30. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 140.
Tamallenfis, feu Tamallumenfis, notit. num. 1. coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 150.
Tamafcaninenfis, feu Tamafcanienfis, not. num. 34. coll. Carth. d. 1. c. 198. notit. 347.
Tubienfis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 171.
A Tubufubtu, feu Tubufubditanus, not. num. 8. coll. Carth. d. 1. c. 187. notit. 308.
Tuccenfis, notit. num. 37.
Vamallenfis, notit. num. 42.
Zabenfis, notit. num. 40.
Zallatenfis not. num. 20.

Provincia Tripolitana.

Girbitanus, notit. num. 3. coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 89. Hodie infula eadem vocatur Gerbes.
Leptimagnenfis, notit. num. 1. coll. Carth. d. 1. c. 121. & 133. notit. 48. & 221. Hodie Lebeda, cujus ruinæ extant, quæ magnitudinem quondam ejus oftendunt.
Ocenfis, not. num. 4. coll. Carth. d. 1. c. 132. not. 162.
Sabratenfis, notit. num. 2. coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 218. Hodie La Tour de Sabart.
Tacapitanus, notit. num. 5. Hodie Capês, feu Cabês.

Incertæ Provinciæ.

ABensensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 177.
Abisensis, coll. Carth. d. 1. c. 163. not. 286.
Anguiensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 55.
Aptucensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. & 201. not. 127. & 386.
Arenensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 120.
Ausugrabensis, coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 392.
Banzarensis, coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 402.
Bartanensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 86.
Bazarididacensis, coll. Carth. d. 1. c. 128. not. 136.
Beliniensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Donatus Beliniensis Episcopus.
Betagbaritanus, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 415.
Botrianensis, coll. Carth. d. 1. c. 149. not. 280.
Buslacenus. In Concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 63. Sententiam dixit Felix a Buslaceni.
Camicetensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Datianus Camicetensis Episcopus.
Canianensis, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 408.
Casensium Bastalensium, coll. Carth. d. 1. c. 188. not. 322.
A Casis Favensibus, coll. Carth. d. 1. c. 204. not. 405.
Cediensis. In Concilio Carthaginensi sub Cypriano sententiam dixit Secundinus a Cedias, & coll. Carth. d. 1. c. 163. occurrit Fortis Episcopus Cediensis ex Donati parte, diversus a Quidiensi, nam cap. 143. ejusdem collationis Priscus Episcopus Catholicus Quidiensis dicit se adversarium non habere.
Celerinensis, coll. Carth. d. 1. c. 180. not. 290.
A Cemeriniano, coll. Carth. d. 1. c. 201. not. 379.
Cenensis, coll. Carth. d. 1. c. 129. not. 153.
Cerbalitanus. Concilio Carthaginensi anno 525. sub Bonifacio subscribit Constantius Episcopus plebis Cerbalitanæ.
A Cibaliana, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 422.
Cresimensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 310.
Druensis, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 334.
Dusensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 334. & 364.
Dusitanus, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 334.
Edistianensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 351.
Enerensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 209.
Erumminensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Maximianus Erumminensis Episcopus.
Fissanensis, vel Fiscianensis, coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 399.
Girbitanus. Diversus ab eo, qui in Tripolitana Provincia. Nam duo Episcopi Gerbitani subscripserunt Concilio Carthaginensi anno 524. sub Bonifacio.
Gittensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 228.

Gu-

Guzabetensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 373.
Honoriopolitanus. Concilio Carthaginensi ann. 525. sub Bonifacio subscripsit Servus Dei Episcopus plebis Honoriopolis.
Lamzellensis, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 416.
Laritensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. mentio fit Restituti Episcopi Laritensis Donatistæ.
Lucimagnensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 371.
Lupercianensis. Concilio Carthaginensi sub Cypriano num. 44. interfuit Pelagianus a Luperciana.
Merferebitanus, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 303.
Milidiensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 423.
Mizigitanus. Concilio Carthaginensi ann. 525. sub Bonifacio subscripsit Placidus Episcopus plebis Mizigitanæ.
Mugiensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Latinus Mugiensis Episcopus.
Munacianensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Victorinus Episcopus Munacianensis.
Murrensis, seu Marrensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Crescentianus Murrensis Episcopus.
Nasaitensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 302.
Nigizubitanus, coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 397.
Nigrensium-Majorum, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 180.
Pauzerensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. & 201. not. 317. & 376.
Pittanensis, Concilio Cabarsussitano subscribit Maximus Pittanensis Episcopus.
Prisianensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Secundianus Prisianensis Episcopus.
Rabautensis, Concilio Cabarsussitano subscribit Annibonius Rabautensis Episcopus.
Salaniæ Giutsitensis, coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 251.
Samudartensis. Concilio Cabarsussitano subscripsit Donatus Samudartensis Episcopus. Forte legendum Amudarsensis Provinciæ Byzacenæ, de quo in coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 93.
Sebargensis. Concilio Carthaginensi ann. 525. sub Bonifacio subscripsit Restitutus Episcopus plebis Sebargensis.
Selendetensis, vel Sedelensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 421.
Simingitensis, seu Simingitanus, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 206.
Sinnipsensis, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 229.
Sitipensis, coll. Carth. d. 1. c. 215. not. 456.
Stabatensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Maximianus Stabatensis Episcopus.
Sululitanus, coll. Carth. d. 1. c. 135. not. 243.
Tibaritanus, coll. Carth. d. 1. c. 133. not. 204.
Tibuzabetensis, coll. Carth. d. 1. c. 187. not. 304.
Tisanianensis, coll. Carth. d. 1. c. 206. not. 406.
Tugutianensis. Concilio Cabarsussitano subscribit Benenatus Tugutianensis Episcopus.
Tunugabensis, coll. Carth. d. 1. c. 129. not. 155.

Tunusudensis, coll. Carth. d. 1. c. 120. not. 19.
Turensis, coll. Carth. d. 1. cap. 197. not. 337.
A Turre Alba, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 345.
Vartanensis, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 330.
Vatarbensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 346.
Vensanensis, coll. Carth. d. 1. c. 202. not. 400.
Verronensis, coll. Carth. d. 1. c. 198. not. 362.
Vindensis, coll. Carth. d. 1. c. 208. not. 433.
Visensis, coll. Carth. d. 1. c. 197. not. 341.
Utimarensis, coll. Carth. d. 1. c. 126. not. 104.
Utimmensis, seu Utinunensis, vel Utunnensis, coll. Carth. d. 1. c. 135. notit. 207.
Zertensis, coll. Carth. d. 1. c. 135. & 187. not. 237. & 314.

Hanc Episcoporum Africæ Notitiam descripsit Ellies Du-Pin in Historia Donatistarum, qualem ipse exhibet, indicatis, quas idem Auctor in Gesta Collationis Carthagine habitæ edidit, notis, in quibus singulorum Episcoporum nomina recenset. Indicta fuit ea Collatio ab Honorio Imperatore anno 411. Ex cujus Gestis constat, tunc temporis fuisse in Africa 560. Cathedras Episcopales partis Catholicæ. Præter has Donatistæ jactabant, plusquam quadringentos per totam Africam se habere Episcopos, teste D. Augustino *in lib. ad Donatistas post Collationem, cap.* 24. Tam ingens Episcoporum numerus ibi repertus est, cum adhuc Africa Romano pareret Imperio. Postquam vero Wandali in eas regiones eruperunt, tempore Hunerici Regis, superstites erant in Africa Sedes Episcopales 463. In Provincia Proconsulari 52. in Provincia Numidiæ 123. in Byzacena 113. in Mauritania Cæsariensi 126. in Mauritania Sitifensi 44. in Provincia Tripolitana 5.

Notitia Leonis Sapientis quatuor dumtaxat Africæ Provincias exhibet, quod tunc collapsæ essent res Africanæ, Sarracenis magnam Africæ partem occupantibus.

Sub Clarissimo Præfecto Africæ. Provincia Byzacena.

Carthago.	Proconsularis.
Zabi.	Cenculiana.
Junca.	Talapta.
Casæ Calaneæ.	Castulo.
Pezana.	Mamilla.
Madasumma.	Cululi.
Capse.	Adrumetum.



Pro-

Provincia Numidiæ.

Calama.	Telepte.
Hippo Regius.	Castellum.
Vagarmelita.	Altaba.
Castra vetera.	Scilita.
Egerenisium.	Tididita.
Vada.	Constantina.
Sitiphi.	

Provincia Mauritaniæ.

Rhiconorum.

Provincia Mauritaniæ Secundæ.

Benepota in parte Hispaniæ.	Mesopotameni in parte Hispaniæ.
Majorica Insula.	Minorica Insula.
Sardinia Insula.	Carallis Metropolis.
Turris.	Suffara.
Sitæ.	Sulchi.
Phausania.	Crisopolis.
Christianæ lacus.	Tucca.

Civilem potius, quam Ecclesiasticam Africæ dispositionem spectat hæc Leonis Notitia. Sardiniam quoque sub Provincia Mauritaniæ Secundæ collocat, quæ tamen non ad Africam, sed ad Italiam pertinet. Majorica itidem, & Minorica Hispaniarum Insulæ sunt, non Africæ.



LIBER



LIBER QUINTUS.

Tres reliquæ Diœceses in Notitia Imperii Romani descriptæ, Præfecto Prætorio Galliarum parebant, quas hic Liber exhibet.

CAPUT I.

Synopsis.

I. *Tres Diœceses Præfecto Prætorio Galliarum subjectæ, nimirum Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ.*

II. Gallia a candore populi dicta. Olim dividebatur in Braccatam, & Comatam. Tres fuerunt celebriores Galliæ populi, Aquitani, Celtæ, & Belgæ.

III. Octoginta annorum spatio Galli Romanorum vires exercuerunt. Domitius, & Fabius Maximus post devictos Alobroges, & Arvernos Provinciam Narbonensem condiderunt. Marius alios Galliæ populos debellavit.

IV. Julius Cæsar reliquas Galliarum gentes devicit, sæpe rebellantes domuit terra marique.

V. In tres Provincias Julius Cæsar Gallias partitus est, Belgicam, Aquitaniam, Celticam, omissa Narbonensi, quod hæc jam antea esset Populi Romani. Eam tamen Augustus in Galliarum divisione commemoravit. Hæc Galliæ divisio in quatuor Provincias Augustum habuit auctorem. Singulas explicat Orosius.

VI. Eæ quatuor Provinciæ in quatuordecim posteà sectæ sunt, sed quo tempore incertum.

VII. Gratianus Imperator in septemdecim Provincias totam Galliam distribuit. Ex quibus Provinciis abscissæ sint tres quas Gratianus addidit, non omnino constat. Ammianus Marcellinus eas omnes descripsit.

VIII. Ab hac divisione re non differt, sed nomine tantum altera ab Honorio facta in septem Provincias, quæ licet in Galliis essent, tamen Galliarum vocabulo non comprehendebantur. Quænam illæ fuerint.

IX. Hanc præcessit alia divisio in Gallias, & Quinque Provincias: Galliarum nomine duodecim Provinciæ significabantur: reliquæ ad quinque pertinebant. Dissident tamen Auctores in assignandis his quinque Provinciis.

Al-

Alpes Grajæ intra quinque Provincias minime recensentur.

X. Fundamenta alterius sententiæ, quæ D. Petrus de Marca profert, ad examen revocantur, & deiiciuntur.

XI. Divisiones Provinciarum Galliæ hic recensitas Ecclesia in Metropolibus constituendis imitata est.

XII. Notitia omnium Provinciarum & civitatum Galliæ, a P. Sirmondo edita, hic describitur, qua præcipuæ divisiones earum antea expositæ comprehenduntur.

XIII. Duas alias Provinciarum Galliæ Notitias exhibet D. Emanuel a Schelstrate, alteram ex vetere Cod. Reginæ Sveciæ, alteram vero ex Codice Vatican. sed ambæ multis vitiis scatent.

I. Gendum nunc de iis Diœcesibus, quæ Præfecti Prætorio Galliarum curæ commissæ erant. Tres illæ numerantur, Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ; de quibus Claudianus alloquens Theodorum Præfectum Prætorio Galliarum, cecinit:

— Hispana tibi, Germanaque Thetis
Paruit, & nostro deducta Britannia mundo,
Diversoque tuas coluerunt gurgite voces,
Lentus Arar, Rhodanusque celer, & dives Iberus.

Has Notitia Imperii ita exhibet.

Præfectus Prætorio Galliarum & sub ipso Diœceses tres.

Hispaniæ.	*Galliarum.*	*Britanniarum.*
Sub Diœcesi Hispaniæ Provinciæ VII.	*Sub Diœcesi Galliarũ Provinciæ XVII.*	*Sub Diœcesi Britanniarum Provinciæ V.*
Bætica.	Viennensis.	Maxima Cæsareensis.
Lusitania.	Lugdunensis prima.	Valentia.
Gallæcia.	Germania prima.	Britannia prima.
Tarraconensis.	Germania secunda.	Britannia secunda.
Carthaginensis.	Belgica prima.	Flavia Cæsariensis.
Tingitana.	Belgica secunda.	
Baleares.	Alpes Maritimæ.	
	Alpes Penninæ, & Grajæ.	
	Maxima Sequanorum.	
	Aquitania prima.	
	Aquitania secunda.	
	Novempopuli.	
	Narbonensis prima.	
	Narbonensis secunda.	
	Lugdunensis secunda.	
	Lugdunensis tertia.	
	Lugdunensis Senonia.	

II. Gal-

II. Gallia Europæ pars nobilis a candore populi dicta est, uti Ptolemæus & Stephanus animadvertunt: cujus ethymon a Græca voce *Gala* deducunt, quæ Latine lac dicitur. Nam montes, rigorque cœli ab ea parte Solis ardorem aut excludunt, aut ita extinguunt, ut eorum corpora non colorentur. A Ptolemæo Celtogalatia nominatur, ab illa Asiæ regione, quæ olim Galatia, hodie ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ab Oriente Natolia vocatur, Ponto Euxino a Septemtrione contermina: quamquam non ipsa Galliæ, sed potius Gallia ei nomen dederit. Cum enim una cum Græcis a Rege Bithyniæ in auxilium vocati venissent, partem Regni tenuerunt, quæ deinceps Galatia cœpit nuncupari, ejusque populi Galatæ, quasi lactei a candore appellati. Hic tamen Galliæ nomenclatione non eam complectimur Italiæ partem, quæ veteribus Cisalpina dicitur, de qua superius egimus; sed eam, quæ Transalpina appellatur, cui proprie Galliæ nomen tribuitur. Hæc quondam in Braccatam, & Comatam scindebatur. Braccata dicta est Gallia Narbonensis, Romanorum insignis Provincia, a braccarum usu (id vestis genus erat villosum) cognomen sortita. Comata vero nominatur omnis Gallia Transalpina a comæ nutriendæ studio: de qua Plinius *lib. 4. c. 17.* Pomponius Mela (1) Priscis temporibus tres celebriores fuerunt Galliæ Comatæ populi, quibus ingentes fluvii limites imponebant, Aquitani, Celtæ, & Belgæ. A Pirenæis montibus ad Garumnam usque Aquitani excurrebant: tametsi apud Ptolemæum, & Plinium, eorum regio, non Garumna, sed Ligeri fluvio terminetur, ab obliquis ejus aquis, Aquitania nuncupata. Celtæ inter Garumnam, & Sequanam fluvios commorantur; sic dicti a Celto Polyphemi filio, si Appiano credimus. Belgæ totum illum Galliæ tractum occupant, qui a Sequana, usque ad Scaldim fluvium porrigitur. A Galata Celtarum Rege totam hanc Europæ partem Galatiam appellatam, ejusque populos Galatas nominatos, tradit Diodorus Siculus, si fidem merentur, quæ de adventu Herculis in Gallias narrat: (1) *Celtis, inquit, olim imperavit, ut ajunt, vir egregius, ex quo filia corporis magnitudine ultra naturæ modum, decoreque ceteras excellens, orta est. Hæc tum viribus, tum specie elata, omnes qui eam uxorem expetebant, contempsit, existimans neminem suo matrimonio dignum. Interim cum Hercules bello adversus Geryonem moto venisset in Celticam, inque ea urbem Alexiam condidisset, admirata tum virtutem Herculis, tum corporis præstantiam, permissu parentum ejus concubitum appetivit. Juncta illi filium genuit, nomine Galatam: qui coævos suos tum virtute animi, tum viribus corporis excessit. Vir factus cum paternum Regnum suscepisset, multas oras sibi subdidit propinquas, præclaris rebus bello gestis. Cum ejus gloria efferretur, subditos omnes a suo nomine appellavit Galatas: ex quo omnis illa regio Galatia, idest, Gallia dicta est.* Deinde vero cum multa de populorum numero, ac varietate, de fluminibus, opibus, bellandi more, ac de moribus Gallorum dixisset, hæc subdit: *Ultra Massiliam qui Mediterraneas regiones, quique juxta Alpes, & montes Pyrenæos incolunt, Celtæ appellantur. Ultra hos qui ad notum Oceanum versus pertinentes oras, & Hercinium montem, quique deinceps ad Scythiam usque habitant, dicuntur Galli. Quas omnes gentes communi nomine Romani Gallos appellant.*

III. Ab ipsa natura & præsidiis Gallia munita, est tot gentibus fre-

(1) Pomponius Mela lib. 5.

(1) Diodorus Siculus Rer. Antiq. lib. 5. cap. 9.

frequentata, opibus dives, hominibusque bellandi arte peritissimis instructa, ut infractas Romanorum vires octoginta annorum spatio exercuerit. Quibus tandem cessit non minore illorum gloria, quam sui felicitate, utpote quæ deinceps arctissimo amicitiæ fœdere cum ipsis devincta fuerit. Quo nomine Gallos commendat Diodorus Siculus. *Harum gens una erga Romanos, & quæ ad hanc usque ætatem manavit, cognationem amicitiamque conservat.* Eos idcirco in exemplum Judæis proponit Agrippa apud Josephum illos adhortans, ut pari animi moderatione fidem Romanis servent, eorumque minime audeant excutere Imperium: (1) *Veruntamen*, inquit, *si aliquos magnæ causæ ad defectionem incitare deberent, Gallos potissimum oporteret assurgere, quos videlicet tantis munimentis natura cinxisset: ab Orientali plaga Alpium montibus, a Septemtrionali Rheno flumine, a Meridie Pyrenæis montibus, ab Occidente vero Oceano. Sed tali munitione gaudentes trecentis & quindecim gentibus numerosi, fontes autem (Ita ut dixerim) felicitatis domesticæ habentes, omnibusque bonis totum pæne orbem irrigantes, ferunt nihilominus vectigales esse Romanorum, ac felicitatem suam in eorum felicitate reponere. Idque sane ipsum, non per animorum mollitiem, nec propter ignobilitatem parentum (quippe qui per octoginta annos pro libertate pugnaverunt) sed Romanorum admirati sunt, horrueruntque cum virtute fortunam, qua illi plura sæpe obtinuere quam bellis. Denique sub mille & ducentis militibus serviunt, quibus pæne plures habuerunt civitates.* Crebris ac diuturnis certaminibus Galli exercuerunt Romanos. Primum cum Transalpinis dimicatum est anno Urbis conditæ 529. Initium belli a Salyis, & Allobrogibus factum est, quos Fulvius Flaccus perdomuit. Anno deinde 632. Domitius Ænobarbus Allobrogas, & Arvernos devicit: de quo Suetonius: (2) *Cn. Domitius in Consulatu Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per Provinciam invectus est: turba militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente.* Redintegratum sequenti anno bellum confecit Fabius Maximus, cæsis ex Bituiti Arvernorum Regis exercitu 120. millibus, qui cum Romam ad satisfaciendum Senatui venisset, Albæ in custodiam datus est. Hujus belli historiam contexuit L. Florus: *Prima* (3) *trans Alpes arma nostra sensere Salyi, cum de incursionibus eorum fidissima, atque amicissima civitas Massilia quereretur: Allobroges deinde, & Arverni, cum adversus eos similes Æduorum querelæ, opem, & auxilium nostrum flagitarent. Varus victoriæ testis, Isaraque, & Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror Elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conspicuum in triumpho quam Rex ipse bis visus discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat. Utriusque victoriæ quod, quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere: cum hic mos inusitatus fuerit. Numquam enim Populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobravit.* Ejusdem victoriæ meminerunt Plinius *lib.* 7. & Eutropius *lib.* 4. Allobrogum, Arvernorumque bello confecto, Gallia Narbonensis Romanorum Provincia facta est. Tertio post anno, sci-

(1) Apud Josephum de Bello Judaico lib. 2. c. 16.
(2) Suetonius in Nerone c. 2.
(3) L. Florus lib. 3. c. 2.

scilicet Urbis conditæ *636*. Narbonam colonia deducta est, ut docet Vellejus *lib.* 1. & Eutropius. Continuum fere deinceps cum Gallis certamen habuere Romani, a quibus multas maximasque clades acceperunt, cum primis a Cimbris, & Teutonibus, qui exclusi ex Gallia, & Hispania, cum sese in Italiam infudissent, nec ab Senatu agrum impetrassent, M. Silanum Consulem fuderunt, anno, ut ex Asconio *in Corneliana* liquet, Urbis 645. Sequente anno Consul alter Scaurus in Galliam profectus a Cimbris cladem accepit, auctore Tacito *de moribus Germanorum*. L. Cassius Consul, anno Urbis 647. cum male pugnasset in prœlio cecidit, a Tigurinis Helvetiis cæsus in finibus Allobrogum. Quod *ex Epit.* 65. & Cæsare *I. Commentar.* constat. At memorabilior ceteris fuit calamitas Q. Cæpionis: is quippe anno U. C. 648. cum Tolosa direpta, in Tectosagis 110. M. auri pondo, argenti pondo quinquies decies centena millia abstulisset, uti tradunt Justinus *lib.* 32. & *Gell. lib.* 3. insequente anno Proconsul, cum C. Manilio Cos. ingenti Romani exercitus clade Sacrilegium expiavit. Cæsa enim fuerunt eo certamine Romanorum, sociorumque millia 80. calonum, & lixarum 60. millia. Id referunt *Epit.* 67. & Orosius *lib.* 5. *cap.* 16. Tantam Populi Romani internecionem vindicavit Marius IV. Consul ad Aquas Sextias, ubi Teutonas, & Ambronas pæne delevit, interfectis ducentis millibus, captisque octoginta millibus, ann. U. C. 652. Idem Marius sequenti anno, juncto sibi Catulo Proconsule, Cimbros per Noricum irrumpentes fudit necavitque, interemtis centum quadraginta millibus, captis sexaginta millibus. Utriusque victoriæ a Mario reportatæ mentionem faciunt *Epit.* 68. Plutarchus *in Mario*: L. Florus *lib.* 3. *cap.* 3. Eutropius *lib.* 5. & Orosius loc. cit.

IV. Quidquid Galliarum reliquum fuit, Caii Julii Cæsaris virtuti postea reservatum est. Hanc ille Provinciam fecit; sæpe domuit; rebellantem in officio continuit. Ab anno Urbis 695. eam administrare cœpit, ac novem annis rexit, ut Auctor est Suetonius, in ejus vita, *cap.* 25. Quo [1] intervallo *Omnem Galliam, quæ a saltu Pyrenæo, Alpibusque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno, & Rhodano continetur, pateteque circumitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias, ac bene meritas civitates, in Provinciæ formam redegit, eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit*. Primum in Galliis Helvetios ad Ararim debellavit: quod ipse *Comment. I.* Dio *lib.* 38. & Plutarchus in ejus vita narrant. Causam belli exhibet L. Florus: [2] *Primus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit, qui Rhodanum inter, & Rhenum siti non sufficientibus terris, venere Sedes petitum, incensis mœnibus suis. Hoc sacramentum fuit ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, cum inter moras Cæsar Rhodani ponte rescisso abstulisset fugam, statim bellicosissimam gentem, sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, deduxit*. Id contigit anno U. C. 696. In Belgas, & Nervios sequenti anno Cæsar bellum invexit, eosque domuit: [3] *Sequens* (ait Florus) *longe cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Hic cum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius Ducis, quod nutante in fugam exercitu, rapto fugientis e manu scu-*

(1) Suetonius in Cæsare c. 25.
(2) L. Flor. lib. 3. c. 10.
(3) Cæsar. 2. Comment. Florus loc. cit.

ſcuto in primam volitans aciem, manu prælium reſtituit. Interim P. Craſſus Cæſaris Legatus Venetos, Unellos, & alios minoris hodie Britanniæ populos in deditionem accepit. Verum anno Urbis 698. cum iidem populi defeciſsent, Julius Cæſar Venetos navali prœlio ſuperavit: Titurius Sabinus ejus Legatus Unellos: Craſſus Sontiates in Aquitania debellarunt. Hiſtoriam Venetici belli perſequitur Florus: [1] *Inde cum Venetis etiam navale bellum, ſed major cum Oceano, quam cum ipſis navibus rixa. Quippe illæ rudes, & informes, & ſtatim naufragæ roſtra ſenſiſſent, ſed hærebat in vadis pugna, cum ipſo certamine ſubductus Oceanus intercedere bello videretur. Illæ quoque acceſsere diverſitates pro gentium locorumque natura. Aquitani callidum genus in ſpeluncas ſe recipiebant: juſſit includi. Morini dilabebantur in ſylvas: juſſit incendi*. [2] In Treveros deinceps delata vis belli, anno Urbis 700. quos pari fortuna Cæſar domuit. [3] *Nemo*, (ſubdit Florus) *tantum feroces dixerit Gallos: fraudibus agunt. Induciomarus Treviros, Ambiorix convocavit Eburones: utrique abſente Cæſare conjuratione facta invaſere Legatos. Sed ille fortiter a T. Labieno ſummotus eſt, relatumque Regis caput. Hic inſidiis in valle diſpoſitis, dolo perculit. Itaque & caſtra direpta ſunt, & aurum ablatum*. Cæſare in Italiam profecto, omnes pæne Galliarum populi hanc nacti occaſionem a Romanis deficiunt. Sed Imperator conſpiratione detecta, ipſo hyemis tempore inter medias Alpes nive, & glacie rigentes deductis copiis in Gallias trajecit, antea hoſtibus conſpicuus factus, quam de illius adventu quidpiam noviſſent. [4] Directa ſtatim acie inopinantes aggreſsus, eôs ſuperavit, munitiſsima quæque loca ſubegit: Avaricum, Gergoviam, Alexiam expugnavit: Vercingentorigem in poteſtatem ſuam adduxit; atque univerſam Galliam Romani Imperii jura ſubire coëgit. Poſtremam hanc Cæſaris de Gallis victoriam idem Florus ita extollit: [5] *Sed maxima omnium, eademque noviſſima conjuratio fuit Galliarum: cum omnes pariter Arvernos, atque Biturigas, Carnutas ſimul, Sequanoſque contraxit. Ille corpore, armis, ſpirituque terribilis nomine etiam quaſi terrori compoſito, Vercingentorix: ille feſtis diebus, & comitialibus cum frequentiſſimos conventus in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus priſtinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæſar Ravennæ delectum agens, & ut hyeme creverant Alpes, ſic interclusum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuntium rei feliciſſimæ temeritatis! Per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias, & nives, expedita manu emenſus, occupat Galliam, ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit, & ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. Tum ipſa capita belli aggreſsus urbes, Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium ſuſtulit; Alexiam ducentorum quinquaginta millium juventute ſubnixam, flammis adæquavit. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit; quippe cum 80. millia muro, & arce, & abruptis defenderent, maximam civitatem vallo, ſudibus, & foſsa, inductoque foſsæ flumine, ad hoc decem & octo caſtellis, ingentique quaſi lorica circumdatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones, in vallo gladiis, ſudibuſque concidit: noviſſime in deditionem redegit. Ipſe ille Rex, maximum victoriæ decus, ſupplex cum in caſtra veniſſet, tum & pha-*

(1) Florus lib. 3. cap. 10.
(2) Cæſar in Comment.
(3) Florus loc. cit.
(4) Cæſar lib. 7.
(5) Florus l. 3. c. 10.

phaleras, & sua arma ante Cæsaris genua projecit. Habes, inquit, fortem virum, vir fortissime, vicisti. Insigni hac victoria Cæsar totam Galliam robore militum, ac fortissimarum urbium munimentis exutam deinceps Romano Imperio pacatam reddidit.

V. Examinandum deinde est, quæ sub Julio Cæsare ac secutis temporibus fuerint Provinciarum divisiones in Galliis. Primam, & omnium vetustissimam commemorat idem Jul. Cæsar initio prioris libri suorum Commentariorum: *Gallia*, inquit, *est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur*. In totidem partes Galliam dispescuerunt Agrippa apud Plinium, Suetonius *in Julio*, & Solinus *ibidem cap.* 24. Narbonensem ii omnes prætereunt, non quod & ipsa pars Galliæ non fuerit, sed quia pridem Romanorum erat propria, & Provinciis Romanis adscripta. Non abs re idcirco admonet Scaliger in Notitia Galliæ, ante Augusti tempora, quotquot de Imperii Romani Provinciis scripserunt, numquam in divisione Galliarum Provinciam Narbonensem comprehendisse; eam propterea semper esse excipiendam, cum apud illos Scriptores occurrit Galliarum mentio.

Octavianus Augustus primus fuit, qui in Galliarum divisione Provinciam Narbonensem, quam Cæsar omiserat, complexus est, totamque Galliam in quatuor Provincias distraxit, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, quæ Cæsari est Celtica, & Belgicam. Testatur id Dio Cassius, de hac ab Augusto divisione facta sic loquens: *Tum omnis Gallia, & Narbonensis, & Lugdunensis, Aquitanicaque, & Celtica, cum iis Populis, qui earum Coloni essent*. Quod itidem præstant Strabo, Pomponius Mela, Plinius, & Ptolemæus, eamdem Galliarum divisionem prosecuti. Quare audiendi non sunt quidam recentes Scriptores Galli, quos inter est Jacobus Sponius *lib. de Antiquitat. Urbis Lugdunensis, pag.* 128. ubi affirmat, tres tantum Provincias Galliarum a Cæsare institutas fuisse, earumque divisionem obtinuisse usque ad tempora Constantini Magni, idque patere ex antiquis Inscriptionibus, quas ibidem exhibet.

Prima Inscriptio est.

L. BESIO SUPERIORI VIRO
MAND.... TRES PROVINC. GALLIAR.

Secunda.

Q. JULIO SEVERINO SEQUANO.... INQUISITORI
GALLIARUM TRES PROVINC. GALL.

Tertia.

TIBER. POMPEJO.... JUDICI ARCÆ
GALLIARUM III. PROVINC. GALL.

Quar-

Quarta.

SERVILIO MARTIANO ARVERNO C. SERVILI DOMITI FILIO SACERDOTI AD TEMPLUM ROMÆ, ET AUGUSTORUM TRES PROVINCIÆ GALLIÆ.

His Inſcriptionibus addit Numiſma Galbæ Imperatoris, tria continens capita, quæ tres Galliarum Provincias repræſentant, ſicuti ex ipſa Inſcriptione patet: TRES GALLIÆ. Ab altera vero Numiſmatis parte inſculptus apparet Galba Imperator equo inſidens cum hac inſcriptione. SERVIUS GALBA IMPERATOR. Ex his aliiſque monumentis colligit Sponius tres tantum Galliarum Provincias fuiſſe uſque ad Conſtantini Magni tempora: additam vero a Geographis quartam, videlicet Belgicam.

Verum nos pluris facimus teſtimonia veterum Scriptorum, Dionis, Strabonis, Pomponii Melæ, Plinii, & Ptolemæi, qui Conſtantini ævum plurimis annis antevertērunt, & tamen Gallias ab Auguſto in Provincias quatuor diſtributas tradunt. Iis accedunt Oroſius *lib.* 1. *Hiſtor.* & Ammianus Marcell. *lib.* 15. Galliam ante Conſtantini Principatum in totidem Provincias diſcriminantes. Quam pariter diviſionem ſecutus eſt Hadrianus Auguſtus in Partitione Provinciarum Imperii:

In Galliis Provinciæ quatuor, Belgica, Lugdunenſis, Aquitanica, Narbonenſis. Non tamen omnes eæ Provinciæ uni ſemper committebantur Proconſuli, aut Rectori. Nam Vinius Proconſul ſolius Galliæ Narbonenſis fuit, ut indicat Tacitus *lib.* 1. *Hiſtor. Vinius Proconſulatu Galliam Narbonenſem ſevere, integreque rexit*. Junius Blæſus *Lugdunenſis Galliæ Rector fuit*, teſte eodem Tacito. Alii itidem Judices, aut Procuratores in unam, aut plures Provincias mittebantur, quales fuiſſe arbitror, quos laudatæ a Sponio Inſcriptiones præſeferunt. Interdum etiam extra ordinem mittebantur, ut paſſim videre eſt apud Livium, Tacitum, Suetonium, alioſque veteres. Quare ex ejuſmodi Inſcriptionibus nihil erui poteſt, quod prædictam diviſionem Provinciarum imminuat. Minus vero ex Galbæ Imperatoris Numiſmate, cum eas tantum Provincias Galliæ contineat, quæ a Galbæ partibus ſtabant; Belgica vero a Galba deficiens Vitellium Imperatorem conſalutaverat, uti loco cit. refert Tacitus. Præterquam quod, cum Inſcriptiones ſupraſcriptæ,& Numiſma Galbæ tres dumtaxat Gallias enumerent, quamnam ex quatuor recenſitis prætermittunt, Belgicam ne, an potius Narbonenſem? Certe quænam ex illis omiſſa ſit, minime conſtat. Aut igitur Narbonenſis veteri more, qui Cæſaris ætate obtinuit, ſeorſim alteri commiſſa fuerat: aut Belgica Vitellii partibus implicata, in cenſum aliarum a Galba, cujus illa Imperio ſe ſubtraxerat, referri nequaquam potuit.

His itaque Inſcriptionibus non tanta vis ineſt, quæ nos a veterum ſententia divellere queat. Quorum auctoritate freti aſſerimus, diviſionem Galliæ in quatuor Provincias jam recenſitas Auguſtum habuiſſe auctorem. Eas autem ita deſcribit Pau-

Paulus Orosius: (1) *Gallia Belgica habet ab Oriente limitem Rheni, & Germaniam: ab Euro Alpes Apenninas: a Meridie Provinciam Narbonensem: ab Occasu Provinciam Lugdunensem: a Circio Oceanum Britannicum: a Septemtrione Britannicam Insulam. Gallia Lugdunensis ducta per longum, & per angustum inflexa Aquitanicam Provinciam semicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam: a Meridie partem Provinciæ Narbonensis, qua Arelatum civitas sita est, & mari Gallico Rhodani flumen accipitur. Narbonensis Provincia pars Galliarum habet ab Oriente Alpes Cottias: ab Occidente Hispaniam: a Circio Aquitaniam: a Septemtrione Galliam Lugdunensem: ab Aquilone Belgicam Galliam: a Meridie Mare Gallicum, quod est inter Sardiniam, & Insulas Baleares, habens in fronte, qua Rhodanus fluvius in Mare exit Insulas Stoecadas. Aquitanica Provincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus est, in orbem agitur. Hæc a Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur: ab Occasu Hispanias habet: a Septemtrione, & Oriente Lugdunensem: ab Euro, & Meridie Narbonensem Provinciam contingit.* Eosdem Provinciarum Galliæ terminos, mutuatis ab Orosio verbis enumerat Robertus Monachus Antisiodorensis *in Chronico*, qui & ipse fatetur, *Universam Galliam in quatuor Provincias a veteribus fuisse divisam: hoc est Belgicam, Lugdunensem, Narbonensem, Aquitanicam*. Concinit etiam Hugo Floriacensis. Singulæ porro eæ Provinciæ has regiones ambitu suo claudunt, quas recentes Geographi novis plerumque nominibus exprimunt: nempe Belgica continet Campaniam, Picardiam, Artesiam, Hannoniam, Flandriam, Brabantiam, Selandiam, Hollandiam, Frisiam Transalpinam, Geldriam, Cliviam, Juliam, Trevirensem Tractum, Lucemburgensem Ducatum, Uvestrichiam, seu Palatinatum Rheni, Lotharingiam, Alsatiam, Helvetiam, & Burgundiæ Comitatum. Lugdunensis, seu Celtica complectitur Segusianos, Burgundiam, Blesiam, Britanniam minorem, & Normandiam. Narbonensis comprehendit Occitaniam, Delphinatum, Sabaudiam, & Provinciam. Aquitania Arvernos, Ruthenos, Cadurcos, Santones, Pictonet, Lemovicos, Biturigesque conctones, præter Gabales, & Velauninct.

VI. Eæ quatuor Provinciæ postmodum in quatuordecim sectæ sunt, quas primus omnium exhibuit Sextus Rufus in Breviario Historico, quod Valenti Imperatori post annum 369. nuncupavit; licet ejus divisio præter quatuordecim Galliarum Provincias, redundet quatuor Britannicis, quas ille perperam sub Galliis collocat: (1) *Sunt*, inquit, *Galliæ cum Aquitania, & Britanniis, Provinciæ decem & octo. Alpes Maritimæ, Provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Grajæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ; in Britannia Maxima Cæsariensis, Flavia Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda*. Ab hac vero Provinciarum partitione, si demas quatuor Provincias, quas in Britanniis transmarinis ponit, supererunt ex solis Gallicanis quatuordecim, nimirum Narbonensis, quæ secta est in Narbonensem, Viennensem, Alpes Maritimas, Alpes Grajas, & Penninas: Aquitanica in duas Aquitanias, & Novempopulanam: Lugdunensis in Lugdunenses duas, & Maximam Sequanorum: Et denique Belgica in duas Bel-

(1) Orosius lib. 1. Histor. c. 2.

(1) Sextus Rufus in Brev. Historico.

Belgicas, & duas Germanias. Hanc Provinciarum Galliæ divisionem nonnulli ab Hadriano, quidam a Constantino, alii a Theodosio inductam credunt. Sed a Theodosio eam removet Sextus Rufus, qui ante Gratiani, & Theodosii Principatum ejus meminit. D. Petrus de Marca *in Dissertat. de Primatu Lugdunensi, num.62. verisimile existimat*, eam in quibusdam Provinciis ex mero Principum arbitrio irrepsisse: postmodum vero sub Hadriano, vel Antonino, qui disponendi Imperii curam singularem gesserunt, ad numerum quatuordecim Provinciarum perductam esse. Verum hanc sententiam improbabilem censet Vir eruditissimus Antonius Pagi *in Critica Baronii*, *ad ann.* 374. *num.* 9. illumque in Galliis Provinciarum numerum paulatim auctum docet, ac Valentiniani Senioris tempore absolutum. Nam Lugdunensem Constantino Magno imperante in duas sectam fuisse, suadet *lex.* 1. *Cod. Theodos. de Censu*, lata Constantino II. & Licinio Coss. anno 312. quæ directa legitur *ad Antonium Marcellinum Præsidem Provinciæ Lugdunensis primæ*. Quare ante hoc tempus ea divisio facta fuerat. Ceterum Aquitania initio Imperii Valentiniani, & Valentis unicam adhuc constituebat Provinciam. Gruterus siquidem *pagin.* 465. *num.* 8. & Smetius *in Inscriptionibus antiquis*, referunt Romæ effossam inscriptionem, in qua Saturninus dicitur *Præses Aquitaniæ*, nulla distinctione addita *primæ*, *vel secundæ Aquitaniæ*. Porro Saturninus iste præsidebat Aquitaniæ sub Imperio Valentiniani, & Valentis, cui statuam cum prædicta Inscriptione constitui jusserunt. Quocirca initio Principatus Valentiniani, & Valentis, quando erecta fuit hæc statua, nondum Aquitania in duas Provincias discerpta erat. Sed cum Rufus Breviarium suum, in quo utriusque Aquitaniæ fit mentio, composuerit post annum Christi 369. & Valentiniani & Valentis 6. ut probat idem Pagius, hinc conjicere fas est, intra illud temporis intervallum, quod ab exordio Imperii istorum Principum, usque ad annum illorum sextum interfluit, Galliarum Provincias ad num. XIV. auctas esse. Et hæc tertia extitit Galliarum divisio.

VII. Quarta instituta videtur a Gratiano ante octavum ejus Imperii annum, Christi vero 374. In ea quandoquidem occurrit Provincia Narbonensis secunda, de qua nihil commemoraverat Rufus; quæ proinde post annum Christi 369. & ante annum 374. invecta fuit. Quare Gratiano clavum Imperii moderante, Lugdunensis, & Narbonensis, in varias Provincias distractæ sunt. In Breviario siquidem Rufi Narbonensis unam dumtaxat Provinciam efficiebat, quæ deinceps Gratiani ætate in duas discecta est, primam scilicet, & secundam. Lugdunensis itidem apud Rufum duas tantum complectebatur, postmodum in quatuor divisa est, avulsa scilicet Senonia a prima Lugdunensi, & Lugdunensi tertia, quæ & Turonia dicitur, a secunda Lugdunensi. Juxta quartam hanc divisionem, Narbonensis secunda, Lugdunensis tertia, seu Turonia, & Lugdunensis quarta, quæ & Senonia, quatuordecim prius adjectæ, septemdecim Galliarum Provincias componunt. Posterior hæc divisio, ad veterem illam ab Augusto conditam ita referri potest, ac sub illa comprehendi: Belgica duas Belgicas, & duas Germanicas complectebatur, sub Metropoli Augustæ Trevirorum: Celtica, seu Lugdunensis, quatuor Lugdunenses, & Naximam Sequanorum continebat, sub Metropoli Lugduni: Aquitania duas Aquitanias, & No-

& Novempopulos sub Metropoli Biturice. Narbonensis, duas Narbonenses, Viennensem, Alpes Cottias, & Maritimas, ac Alpes Grajas, sive Apenninas, sub Metropoli Arelate.

An vero ex septemdecim illis Provinciis Narbonensis, vel potius Viennensis in duas distracta sit, non plane convenit inter eruditos. D. Petrus de Marca *dissert. cit. num.* 64. non Narbonensem, sed Viennensem partitam contendit; ideoque Narbonensem secundam partem fuisse Viennensis, non Narbonensis I. Etenim Narbonensis I. Rhodano terminabatur, Viennensis vero Arelate, & Massiliam comprehendebat. Unde sequitur Narbonensem II. quæ civitatem Aquensem, & reliquas ad Alpium usque Maritimarum fines continebat, a Viennensi divulsam, non a Narbonensi I. a qua tam longo intervallo dissita est. Contra vero P. Antonius Pagius, *ad ann.* 374. *n.* 10. probabilius putat, Narbonensem II. partem fuisse Narbonensis I. atque ab ea distractam. Viennensi quippe, cum a Narbonensi sejuncta fuit, attributæ fuissent urbes viginti, at Narbonensi novem tantum relictæ. Ex adverso si Narbonensem II. a Narbonensi I. avulsam fuisse dicamus, quo tempore facta est divisio in Narbonensem, & Viennensem, tredecim civitates utrique Provinciæ assignatæ fuissent, ac postea in divisione altera Provinciæ Narbonensis, Narbonensis prima sex civitates retinuisset, septem in Narbonensem secundam translatis; quod longe verisimilius est, quam si dicamus Narbonensem II. a Viennensi separatam, & in ea separatione tredecim civitates Viennensi relictas, septem vero dumtaxat Narbonensi II. adscriptas. Hæc enim divisio proportionem non habuisset. Præterea, quemadmodum Provinciæ a Lugdunensi I. avulsæ ejus nomen retinuerunt, dictæque sunt Lugdunensis II. & Lugdunensis III. eadem ratione quinta Provincia Narbonensis antiquæ dicta est Narbonensis II., quia a Narbonensi I. disjuncta. Nec refert quod Narbonensis II. tanto intervallo a prima dissita sit, & Viennensi ita vicina; Viennensis enim Rhodano, cum Arelate, & Mari Mediterraneo cum Massilia jungebatur; ideoque ex Urbe Viennensi ad Massiliensem, qua secundo amne, qua maritimo itinere facilis accessus erat. Unde in Notitia Imperii Viennensis Provincia passim vocatur *Gallia Ripensis*, *vel Gallia Riparienses*, a Rhodano nempe, quo hæc Provincia alluitur.

Sed ut ad celebrem illam Galliæ partitionem in septem & decem Provincias revertamur, eam exponit Ammianus Marcellinus, qui sub Valente militiam exercuit, Galliamque peragravit, ac deinceps sub Gratiano, & Theodosio vixit, licet Gentilis: (1) *Regebantur autem Galliæ omnes jam inde, ut crebritate bellorum urgenti cessere Julio Dictatori, potestate in partes divisæ quatuor, quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem; altera Aquitanis præerat universis. Superiorem, & inferiorem Germaniam, Belgasque duæ Jurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur Provinciæ per omnem ambitum Galliarum. Secunda Germania, prima ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina, & Tungris munita civitatibus amplis, & copiosis. Dein prima Germania, ubi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima, Mediomatricos præ-*

(1) Ammianus Marcellinus lib. 15.

prætendit, *& Treviros domicilium Principum clarum. Huic adnexa est secunda Belgica, qua Ambiani sunt, urbs inter alias eminens; & Cathelauni, & Rhemi. Apud Sequanos Bisontios vidimus, & Rauracos, aliis potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Augustoduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi, & Turini Mediolanum ostendant. Et Tricassini, Alpes Grajæ, & Penninæ, exceptis obscurioribus .... Habent, & Aventicum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ Provinciæ, urbesque sunt splendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Pyrenæos montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima Provincia est Aquitanica, amplitudine civitatum admodum culta: omissis aliis, Burdegala, & Arverni excellunt, & Santones, & Pictavi. Novem populos Ausci commendant, & Vasatæ. In Narbonensi clausa est Narbona, & Tolosa, quæ principatum urbium tenent. Viennensis civitatum exultat decore multarum; quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate, & Valentia: quibus Massilia jungitur, cujus societate, & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvii sunt, & Nicea, & Antipolis insulæque Stœchades*.

VIII. Non hic prætereunda est alia Provinciarum divisio, quæ re quidem cum præcedenti convenit, nam septemdecim tantum complectitur Provincias; nomine tamen ab ea differt. Ejus Auctor est Honorius Imperator, in cujus Notitia, *num.* II. fit mentio *Septem Provinciarum*, a quibus Gallicanæ Provinciæ distinguuntur. Honorii quippe Augusti temporibus, Gallias, & *Septem Provincias distingui mos erat*, adeo ut *Septem Provinciæ* Galliarum nomine tunc nequaquam intelligerentur. Etenim Gallicarum Provinciarum nomine accipiebantur decem Provinciæ Galliarum, videlicet Lugdunenses IV. Belgicæ II. utraque Germania ad Rhenum, Maxima Sequanorum, & Alpes Grajæ, & Penninæ. *Septem* vero *Provinciarum* nomine significabantur, Provincia Viennensis, Aquitania prima, & secunda, Novempopulana, utraque Narbonensis, & Alpes Maritimæ. Quemadmodum Julii Cæsaris tempore Provincia Narbonensis Galliarum vocabulo minime designabatur. Hanc *Septem Provinciarum* a Decem reliquis Galliæ distinctionem ab Honorio institutam, recte observat Vir Clarissimus Jacobus Sirmondus *tom.* I. *Conciliorum Galliæ*, quem sequuntur D. Emanuel a Schelstrate, & P. Antonius Pagi. Nec audiendus est Paschasius Quesnellus *In Dissert.* 8. *Apologetica pro Sancto Hilario Arelatensi Episcopo par.* I. *cap.* 10. *ubi hanc*, similesque Galliarum Notitias, non Honorii temporibus, sed longe posterioribus esse conditas, & S. Hilarii, Leonisque Pontificum Romanorum ætate inferiores esse contendit. Nam præterquam levissima sunt ejus fundamenta; egregie insuper ea confutavit idem Pagius, *ad ann.* 374. *num.* 15. 16. & 17. ideo supervacaneum duximus in iis refellendis vel minimum otii impendere.

IX. Postremo loco adjicienda est quinta Galliarum divisio, quamquam, ut Pagius adnotavit *ibidem num.* 18. sit antiquior præcedente, & perinde ac illa sit explicanda. Ea facta fuit in Gallias, & *Quinque Provincias*: adeo ut Galliarum nomine duodecim Provinciæ designarentur; reliquæ autem ad *Quinque Provin-*

vincias pertinerent. Sed quænam fuerint Quinque Provinciæ dissidium est inter Eruditos. Berterius siquidem *Diatriba I. cap. 5.* & D. Petrus de Marca *in Dissert. de Primatu Lugdunensi, num. 65.* aliique passim, eas fuisse volunt duas Narbonenses, Viennensem, Alpes Maritimas, & Alpes Penninas. Idque hinc probant, quod *Quinque Provinciæ* sint partes solidæ Narbonensis antiquæ, quæ olim distincta fuit a reliquis tribus Provinciis Galliarum. Verum hæc ratio minime arridet Pagio, (1) quia licet certum sit, antiquam Narbonensem Quinque memoratas Provincias olim comprehendisse, eamque partem Galliarum habitam non fuisse; dubitandi tamen locus non videtur, quin *Quinque Provinciæ*, inter *Septem Provincias* supra recensitas, locum habuerint. Nam *Quinque* Provinciarum institutio præcessit Septem Provinciarum institutionem, cum illis Quinque jam receptis, duæ fuerint superadditæ, ex quibus *Septem Provinciæ* coaluerunt. Porro Alpes Grajæ in Notitia Galliarum absunt a Septem Provinciis, & inter decem Gallicanas Provincias numerantur; igitur Alpes Grajæ, seu Penninæ ad Quinque Provincias non spectant. Cur autem sola hæc Provincia Alpium Grajarum recensita non fuerit inter *Quinque* Provincias vulgo dictas, quæ alias in Provincia Narbonensi comprehendebantur, inde contigisse putat Pagius, quod ea longe minor esset, quam aliæ quatuor: aut etiam quia Provincia erat absque ulla Metropoli, duabus tantum civitatibus comprehensa. Potior tamen ratio ea mihi videtur, quam inferius (2) ex Gothofredo insinuat: is quippe in Commentar. *Leg. 1. Cod. Theodos. de Desertoribus*, & aliis in locis testatur, in veteri Indice Sconhoviano Provinciarum Imperii Romani, Theodosio Magno imperante confecto, & a se publici juris facto, Alpes Grajas Italiæ adscribi, uti, & nunc jam a tot seculis sunt Italiæ limites, quibus a Gallia disterminatur. Quare cum Quinque Provinciæ Galliarum vulgo dictæ paulo ante Theodosianum Imperium institutæ fuerint, eaque institutio aliquot post ejus obitum annos perseveraverit, Alpes Grajæ una ex ejus Provinciis esse non potuerunt. Docet idem Gothofredus Indicem illum compositum anno circiter trecentesimo nonagesimo, cum *Quinque* Galliarum Provinciæ adhuc vigerent. Salmasius itidem *in epist. 7.* recte observat, Provinciarum Romanarum statum haud semel immutatum esse, & modo ex una Provincia duas, modo ex duabus unam factam: Alpes vero Grajas, & Penninas, Plinio, Ptolemæo, aliisque antiquis testibus, Italiæ alias attributas fuisse, quas utique hoc tempore Italiæ unitas cernimus. Quamquam autem in Notitia Galliarum imperante Honorio facta *Alpes Grajæ* Galliis rursus restitutæ fuerint; tamen cum *Septem* Galliarum Provinciis vulgo dictis conjunctæ non sunt quod scilicet antea inter Quinque Galliarum Provincias recensitæ non essent.

X. Neque verum est quod subdit D. Petrus de Marca loco laudato *num. 66.* Harum *Quinque* Provinciarum corpus a Petronio Præfecto Prætorio Galliarum immutatum fuisse. Expuncta enim Provincia Alpium Grajarum, ex reliquis quatuor, & ex duabus Aquitaniis, & Novempopulana, Conventus Septem Provinciarum apud Arelate agi constituit; cujus formam confirmavit Honorius constitutione lata anno 418. id, inquam, verum non est; siquidem Pe-

(1) Antonius Pagius ad ann. 374. num. 19. & seqq.

(2) Ibid. num. 25.

tronius non immutavit Quinque Provinciarum corpus unam ex illis expungendo, sed duas Provincias prioribus *Quinque* addendo. Quamobrem satius arbitror Corpus Quinque Provinciarum conflatum fuisse ex prima, & secunda Narbonensi, Viennensi, Alpibus Maritimis, & Aquitania prima, quæ Narbonensi primæ contigua est. His postmodum Petronius addidit Novempopulanam, & Aquitaniam secundam; ex quibus una cum quinque enumeratis Corpus *Septem Provinciarum* concrevit. Primarium istius institutionis a Petronio factæ edictum, nobis innotuit ex Constitutione Honorii Augusti, & Theodosii junioris, ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum directa, in qua *Septem* quidem Provinciæ in universum memorantur, sed duæ tantum speciatim exprimuntur, [1] *Aquitania* scilicet *secunda*, *& Novempopulana*, his verbis: *ita ut de Novempopulana, & secunda Aquitania, quæ Provinciæ longius constitutæ sunt, si earum Judices certa occupatio tenuerit, sciant legatos juxta consuetudinem esse mittendos*, ad conventum videlicet *Septem* Provinciarum Arelate celebrandum. Ideo autem duarum tantum Provinciarum meminit, quia earum Judicibus, seu Rectoribus dumtaxat permittebatur, ut ob itineris longitudinem, si interesse conventui non possent, Legatos mitterent; ceterarum vero Provinciarum Rectoribus cum ea facultas data non fuerit, oportebat eos adesse conventui: ac subinde nihil necesse erat alias Provincias speciatim nominare. Eas tamen juxta ejusdem Honorii rescriptum, & Callisti II. epistolam expressit Hincmarus, licet non sine aliquo errore: [1] *Quæ temporibus*, inquit, *Theodosii, & Honorii Imperatorum, Pontificatu Papæ Zosimi, per Septem Provincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam, & secundam, & Alpinam, & Novempopulanam, & secundam Aquitanicam emanavit; ut de his Provinciis Honorati, vel Possessores, Judices, & Episcopi præfatorum Provinciarum ab Idibus Augustii, quibuscumque mediis diebus in Idus Septembris, in Urbe Arelatensi, quæ Constantina vocatur, ad Concilium Forense, vel Ecclesiasticum convenirent, ita ut de Novempopulana, & Aquitanica secunda, quæ Provinciæ longius constitutæ sunt, si earum Judices, & Metropolitanos occupatio certa retineret, Legatos suos juxta consuetudinem mitterent: sicut in Edicto præfatorum Imperatorum, & in Epistolis Apostol. Sedis Pontificum invenitur*. Hic tamen in duos errores Hincmarus labitur: primum, quod Aquitania prima prætermissa, in ejus locum primam Lugdunensem substituat; quæ omnium consensu una fuit ex Galliarum Provinciis, prout a *Quinque*, vel *Septem* Provinciis vulgo dictis secernuntur. Secundo, quod Honorii Constitutionem ad Conventus etiam Ecclesiasticos, & ad Episcopos extendat; cum tamen certum sit in ea sermonem tantum haberi de Conventu Forensi, & de Honoratis, & Judicibus, qui sub præsentia Præfecti Prætorio Conventui debeant interesse. Tametsi postea ad exemplum Conventus civilis *Septem* Provinciarum Hilarius Arelatensis Episcopus Concilium in civitate Regiensi celebraverit eorum Episcoporum, qui per easdem Provincias censebantur, ut adnotavit Stephanus Baluzius *in Addit. ad lib. 5. de Concordia, cap. 31.*

Callisti II. Papæ epistola Hincmari errorem de intrusa Lugdunensi I. loco primæ Aquitanicæ detegit, & quæ fuerint *Septem* Provinciæ vulgo

(1) Honorii Constitutio.

(1) Hincmar. ep. 14. de Jure Metropol. num. 17.

go dictæ declarat. In rescripto siquidem Valentiæ V. Kal. Martii anni 1120. dato, Viennensis Ecclesiæ Privilegia confirmans, ei concedit, *ut videlicet super Septem Provincias Primatum obtineat: super ipsam Viennensem, super Bituricam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur, super Narbonam, Aquensem, & Ebredunensem*. Per ipsas enim Metropoles, Septem Provincias ab Honorio institutas explicat: nam Vienna Metropolis est Provinciæ Viennensis, Bituriges primæ Aquitaniæ, Burdigala secundæ Aquitanicæ, Elusatium Novempopulanæ, Narbona primæ Narbonensis, Aquæ Sextiæ secundæ Narbonensis, Ebredunum Alpium Maritimarum. Quo Callisti Papæ Rescripto, sicuti & laudata Hincmari Epistola, Alpes Grajæ & Penninæ, *Septem* Provinciis vulgo dictis minime accensentur. Hinc explosa manet opinio Gothofredi, qui sibi persuasit, *Quinque* Provincias fuisse Aquitaniam primam, & secundam, Senoniam secundam, & tertiam Lugdunensem. Senonia siquidem, & Lugdunenses Provinciæ in ea Galliarum parte semper ab antiquis collocatæ fuerunt, quæ proprie Gallia dicta fuit, quatenus a *Quinque*, & *Septem* Provinciis distinguebatur. Sed de hac re legendus est Pagius *ad ann.* 374. *n.* 23. *& seqq.* ubi Gothofredi fundamenta evertit.

XI. Non arbitretur quispiam nos quasi ad pompam, & ostentationis causa diutius immoratos esse in vestigandis variis Provinciarum Galliæ partitionibus, quasi nihil ad rem nostram conferant. Qui enim id cogitaret, se nihil, aut parum in rebus Ecclesiasticis versatum proderet. Varias siquidem divisiones illas in tot Provincias Ecclesia in constituendis per Gallias Metropolitanis, & Episcopis plerumque imitata est: earumdem quoque Provinciarum, juxta diversas divisiones earum ab Imperatoribus factas, sacra Concilia, Summorum Pontificum epistolæ, & Ecclesiastici Scriptores sæpe mentionem faciunt, cum de Galliis loquuntur: Ut autem facilius memoriæ commendari possint, quæ hactenus de Galliarum partitione in XVII. Provincias pertractavimus, peropportunum duximus exhibere hic Notitiam Provinciarum, & Civitatum Galliæ, quam primum vir omni laude dignus P. Jacobus Sirmondus cum Conciliis Gallicanis in lucem emisit.



XII. Notitia Provinciarum, & Civitatum Galliæ. In Provinciis Gallicanis, quæ civitates sunt.

Provincia Lugdunensis Prima.

Num. V.

Metropolis Civitas Lugdunensium.
Civitas Æduorum.
Civitas Lingonum.
Castrum Cabilonense.
Castrum Matisconense.

Provincia Lugdunensis Secunda.

Num. VII.

Metropolis Civitas Rotomagensium.
Civitas Bajocassium.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroicorum.
Civitas Sagiorum.

Ci-

Civitas Lexoviorum.
Civitas Constantia.

Provincia Lugdunensis Tertia.
Num. IX.

Metropolis Civitas Turonorum.
Civitas Cenomannorum.
Civitas Redonum.
Civitas Andicavorum.
Civitas Namnetum.
Civitas Coriosopitum.
Civitas Venetum.
Civitas Ossismorum.
Civitas Diablintum.

Provincia Lugdunensis Senonia.
Num. VII.

Metropolis Civitas Senonum.
Civitas Carnotum.
Civitas Autisiodorum.
Civitas Tricassium.
Civitas Aurelianorum.
Civitas Parisiorum.
Civitas Melduorum.

Provincia Belgica Prima.
Num. IV.

Metropolis Civitas Treverorum.
Civitas Mediomatricorum Mettis.
Civitas Leucorum Tullo.
Civitas Verodunensium.

Provincia Belgica Secunda.
Num. XII.

Metropolis Civitas Remorum.
Civitas Suessionum.
Civitas Cathellaunorum.
Civitas Veromanduorum.
Civitas Atrabatum.
Civitas Camarecensium.
Civitas Turnacensium.
Civitas Silvanectum.
Civitas Bellovacorum.
Civitas Ambianensium.

Civitas Morinum.
Civitas Bononiensium.

Provincia Germanica Prima.
Num. IV.

Metropolis Civitas Moguntiacensium.
Civitas Argentoratensium.
Civitas Nemetum.
Civitas Vangionum.

Provincia Germanica Secunda.
Num. II.

Metropolis Civitas Agrippensium.
Civitas Tungrorum.

Provincia Maxima Sequanorum.
Num. IV.

Metropolis Civitas Vesoncienfium.
Civitas Equestrium Nojodunus.
Civitas Elvitiorum Aventicus.
Civitas Basiliensium.
Castrum Vindonissense.
Castrum Ebredunense.
Castrum Rauracense.
Portus Abucini.

Provincia Alpium Grajarum, & Penninarum.
Num. II.

Civitas Centronum Darantasia.
Civitas Valensium Octodoro.

* *Item in Provinciis Septem.* [* Septem Provinc.]
Provincia Viennensis.
Num. XIII.

Metropolis Civitas Viennensium.
Civitas Genavensium.
Civitas Gratianopolitana.
Civitas Albensium.
Civitas Deensium.
Civitas Valentinorum.
Civitas Tricastinorum.
Civitas Vasiensium.

Ci-

Civitas Arausicorum.
Civitas Cabellicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatensium.
Civitas Massiliensium.

Provincia Aquitanica Prima.
Num. VIII.

Metropolis Civitas Biturigum.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rutenorum.
Civitas Albiensium.
Civitas Cadurcorum.
Civitas Lemovicum.
Civitas Gabalum.
Civitas Vellavorum.

Provincia Aquitanica Secunda.
Num. VI.

Metropolis Civitas Burdigalensium.
Civitas Agennensium.
Civitas Ecolismensium.
Civitas Santonum.
Civitas Pictavorum.
Civitas Petrocoriorum.

Provincia Novempopulana.
Num. XII.

Metropolis Civitas Elusatium.
Civitas Aquensium.
Civitas Lactoratium.
Civitas Convenarum.
Civitas Consorannorum.
Civitas Boatium.
Civitas Benarnensium.
Civitas Aturensium.
Civitas Vasatica.
Civitas Turba, ubi Castrum Bigorra.
Civitas Elloronensium.
Civitas Ausciorum.

Provincia Narbonensis Prima.
Num. VI.

Metropolis Civitas Narbonensium.
Civitas Tolosatium.
Civitas Beterrensium.
Civitas Nemausensium.
Civitas Lutevensium.
Castrum Ucecienfe, alias Civitas Uceciensis.

Provincia Narbonensis Secunda.
Num. VII.

Metropolis Civitas Aquensium.
Civitas Aptensium.
Civitas Rejensium.
Civitas Forojuliensium.
Civitas Vappincensium.
Civitas Segesteriorum.
Civitas Antipolitana.

Provincia Alpium Maritimarum.
Num. VIII.

Metropolis Civitas Ebredunensium.
Civitas Diniensium.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Solliniensium.
Civitas Sanitiensium.
Civitas Glannatina.
Civitas Cemelenensium.
Civitas Vinciensium.

In Provinciis XVII. Civitates CXV. alias CXIII.

XIII. Duas alias Provinciarum Galliæ Notitias, post prædictam a Sirmondo editam, exhibet D. Emanuel a Schelstrate *Tom. 2. Antiq. Eccles. Append. VIII. & IX.* Prima exscripta est ex pervetusto *Codice* 238. Bibliothecæ Reginæ Sveciæ pessime temporum injuria habito, & ante seculum XII. scripto: in qua urbium nomina plerumque adulterata sunt; nec omnino convenit cum præcedente. In Provincia Lugdunensi IV. seu Se-

Senonia, additur Civitas *Otrifcus*. Quæ fecunda eft Provincia Germanica, vocatur prima: fub prima vero, quam fecundam nominat, hæ urbes collocantur. *Secunda Provincia Germaniæ habet Civitates numero VI. Metropolis Civitas Mogontiacus. Civitas Argentoracenfis, ideft, Strasburg: Nemnetis, ideft, Spira: Vangionum, ideft, Wormatium: Wirzburgenfis: Conftantia: Caftrum Rubilocus, quod Heiftete dicitur: Augufta Vindelicorum, ideft Ausburgh. Huic vero* Provinciæ ftatim fubjicitur *Provincia Bajoariorum, ideft, Noricus Ripenfis fuper Danubium, five Noricus Mediterranea, habet Civitates numero VI. Metropolis Civitas Juvano, ideft, Salzburg. Civitas Regino, Patavia, Frigifienfis, Civitas nova, Sabionenfis.* Verum Noricum perperam inter Galliarum Provincias ponitur, quibus numquam attributum fuit. In Maxima Sequanorum nec Urbium numerus, nec nomina omnino refpondent Notitiæ præcedenti. Viennenfem vero in duas Provincias partitur. *Provincia Viennenfis habet Civitates numero X. Metropolis Civitas Vienna. Civitas Genovenfis, Gratianopolis, Abbenfis, nunc Vivario dicitur, Detenfis, Valentia, Trecaftina, Vafenfis, Auracenfis, Carpentoracfenfis, quæ nunc Vitafca dicitur. Item Provincia Viennenfis habet civitates numero IV. Metropolis Civitas Arelas, Maffilia, Avennicus, Cabellicus.* In prima Narbonenfi præter quatuor in Notitia Sirmondi enumeratas, addit, *Agatenfem, & Magalonenfem.*

Altera Notitia decerpta eft ex Codice Vaticano MS. *fub num.* 1338. in cujus prima pagina fcriptum extat, Codicem hunc extractum fuiffe ex altero authentico, quem D. Adrianus Papa dedit gloriofiffimo Carolo Magno Regi Francorum. Etiam Codex ifte multis fcatet mendis, & Urbium nomina plerumque corrupta leguntur. In Provincia Lugdunenfi IV. feu Senonia, redundat *Civitas Auticum*. Maxima Sequanorum appellatur *Lugdunenfis quinta fequanorum:* in qua pariter additum eft *Caftrum Argentarienfe*. A Belgica I. abeft *Civitas Verodunenfium*. Provincia Alpium Maritimarum habet additamentum *Viennenfis fecundæ:* ficut & Provincia Alpium Grajarum, & Penninarum, *Viennenfis tertiæ*. Novempopulana nuncupatur *Aquitania tertia*, & duodecim urbibus in Notitia Sirmondi recenfitis adjiciuntur, *Civitas Elatacium, & Civitas Albopenenfium*. A Narbonenfi I. abeft Civitas Nemaufenfium, fuperadduntur vero, *Civitas Agatenfium, & Civitas Magalonenfium*. Iis itaque, & fimilibus Notitiis, in quibus multi errores deprehenduntur, merito prætulimus Notitiam a P. Sirmondo editam, veluti caftigatiorem, ac puriorem ceteris.



CAPUT

CAPUT II.

Synopsis.

I. PAter Sirmondus duos Dionysios excogitavit; indeque Launojus conjicit Areopagitam nusquam in Gallias venisse, sed Christi fidem eo invectam seculo dumtaxat tertio. Ejusdem opinionis meminit Methodius.

II. Ex Methodii sententia Dionysius Areopagita primus fuit Parisiorum Episcopus; eaque confirmatur multis Veterum testimoniis.

III. Gregorii Turonensis, & Severi Sulpitii historia de primis Galliarum Episcopis in multis fallitur. Præcipua errorum capita notantur.

IV. Præter Dionysium Areopagitam alii Episcopi in Gallias missi fuerunt primo Ecclesiæ seculo, quorum illustriores enumerantur.

V. Olim Ecclesia veterem Julii Cæsaris distributionem imitata inter Galliarum Provincias non recensuit Narbonensem, sed solum Lugdunensem, Belgicam, & Aquitanicam.

VI. Quinque & septem Provinciarum meminerunt Synodi Gallicanæ.

VII. Ex septemdecim Galliarum Provinciis prior occurrit Lugdunensis a Lugduno Metropoli nomen adepta. Quanto apud Romanos in pretio fuerit hæc civitas.

VIII. Prius Lugdunensis Provincia una fuit, in quatuor postmodum secta. Secundæ Lugdunensis Metropolis Rothomagus: tertiæ Turonum civitas: quartæ Senonum urbs.

IX. Belgium olim una Provincia, ejusque Metropolis Augusta Trevirorum. Altera deinde Provincia in Belgio constituta, cujus Metropolis est Rhemorum civitas.

X. Proxima Belgio est Germania, quæ in duas Provincias secta est. Germaniæ I. Metropolis Moguntia. Secundæ Germanicæ Colonia Agrippina.

XI. Maximæ Sequanorum Metropolis Vesuntio. Alpes Grajæ ubi sitæ? Harum Metropolis Taranthasia.

XII. Viennensis Provincia a Vienna Metropoli nomen habet.

XIII. Aquitania unde dicta? In duas a Romanis secta: primæ Metropolis Biturix: secundæ Burdigala. Ab Aquitania fuit divulsa Novempopulana, cujus Metropolis Elusatium.

XIV. Narbonensis vetustissima Galliarum Provincia. In duas dividitur: primæ Metropolis Narbo: secund. Aquæ Sextiæ. Sub Gothorum Regibus Hispaniis contributa fuit Provincia Narbonensis; postea Galliis reddita.

XV. Alpes Maritimæ quænam sint? Earum Metropolis Ebredunum.

XVI. Septem Provinciarum corpus sub Honorio constitutum. Refellitur opinio Caroli a S. Paulo.

XVII. Occitania præsens vetus Septimanna fuit. Huic a Gothis aliquando Gothiæ nomen impositum.



Seculo vel III. ineunte scripserunt, & tamen de Ecclesiis jam antea in Gallia fundatis mentionem faciunt, nempe S. Irenæi, qui post Photini Lugdunensis Episcopi Martyrium ex Galliis Romam seculo II. missus fuerat, *lib.* 1. *adversus Hæreses cap.* 3. *Tertulliani* initio seculi III. *lib. adversus Judæos*, *cap.* 7. Sanctus Cyprianus *in epist.* 67. ad Sanct. Stephanum Papam, anno 258. scripta commemorat Faustinum Lugduni,& Marcianum Arelatæ Episcopos, multosque Coëpiscopos in Lugdunensi, & aliis Galliarum Provinciis extitisse. Non ergo recens fundatæ erant Galliarum Ecclesiæ, nimirum a sex annis, (quod Sirmondus, & Launojus contendunt) sed jam diu florebant suis Episcopis adunatæ. Martyres quoque Lugdunenses, & Viennenses in epist. ad Fratres per Asiam & Phrygiam constitutos scripta, quam refert Eusebius *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 1. testantur, Photinum nonagenario majorem, *qui Episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ administrabat*, *sub Vero Imperatore Martyrium consummasse*. Singillatim vero Sanctus Dionysii Areopagitæ adventum in Gallias probant Acta ejusdem Dionysii, a Visbio teste illius Martyrii oculato conscripta, quæ vetustate pæne consumpta Hilduinus Abbas ab interitu vindicavit in Areopagiticis suis, Ludovico Pio Imperatori nuncupatis. In his porro Actis proditum est Dionysium Areopagitam a Sancto Paulo Apostolo Christi fide imbutum, a Sancto Clemente Papa in Gallias directum, Parisiensem fundasse Ecclesiam, & suo sanguine irrigasse. Idipsum confirmant vetustissimus Auctor Vitæ Sanctæ Genovefæ: Fortunatus Pictaviensis Episcopus in Hymno, quem in ejusdem Sancti laudem edidit: Simon Metaphrastes in Vita S. Dionysii Areopagitæ: & Venerabilis Beda *in Martyrologio* 7. *Idus Octobris*; ut plures alios prætercam, quos laudat P. Natalis Alexander.

III. Gregorii Turonensis, & Severi Sulpitii auctoritas merito hac in parte ab Eruditis exploditur. Sulpitius cum primis in Historia quinti Seculi, quo vixit, haud raro fallitur, quidni in antiquiori, quæ procul ab ejus ætate distabat hallucinatum esse credemus? Eo vel maxime quod Irenæus, Tertullianus, & Cyprianus potiorem hac in re fidem mereantur, quorum ætas propior erat Apostolorum temporibus. Gregorius autem ex eodem Sulpitio falsi convincitur, uti & Launojus, qui Sulpitii auctoritatem commendat. Sulpitius quippe sub Aurelio Antonini filio, primum intra Gallias Martyria visa fatetur, nempe anno 177. falsum est ergo, quod Turonensis scribit, anno scilicet Christi 250. Fidem Christi in Gallias primum illatam. Sed & fundamentum, quo nititur Historia a Gregorio concinnata, non est satis firmum. Enimvero Historia Passionis Sancti Saturnini, quam laudat, ut septem Episcoporum adventum in Gallias, Decio, & Grato Coss. probet, ad unum pertinet Saturninum, neque ulla ibi est aliorum mentio: at Gregorius hanc epocham Saturnini inde nactus, reliquorum sex Episcoporum tempora, quorum certa initia ignoravit, ad eam referenda esse duxit, atque ex proprio addidit arbitrio. Aut certe si ipse Auctor Passionis Sancti Saturnini, quo Gregorius usus fuit, ad ejus epocham, etiam sex aliorum Episcoporum tempora retulerit, atque ad sui Martyris Historiam obiter adjunxerit, quod non satis explorata haberet illorum exordia; corrigendus & ipse erit ex sincerioribus Actis Sancti Saturnini, quæ extant apud Ruinar-

nartum virum accuratissimum *in Actis primorum Martyrum* sinceris, & selectis.

Neque in Dionysio dumtaxat hallucinatus est Turonensis, verum etiam in Trophimo, cum alia extet celebrior traditio, quæ Trophimum Apostolorum ætate Arelatem missum docet. Ejus traditionis testis est Libellus supplex ab Episcopis Provinciæ Viennensis oblatus Sancto Leoni Summo Pontifici, in quo hæc leguntur: *Omnibus Gallicanis regionibus notum est, sed nec Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habetur incognitum, quod prima inter Gallias Arelatensis civitas, missum a Beatissimo Petro Apostolo Sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum fidei, & Religionis infusum.* Is ipse Trophimus est D. Pauli Apostoli Discipulus, de quo diserta mentio habetur *in Actis Apostolorum cap.* 21. & *in* 2. *ad Timoth. cap. ult.* Hunc vero fuisse primum Episcopum Arelatensem, tradunt Ado Viennensis in *Martyrologio* 4. *Kalend. Januarii*; Beda, Martyrologium Romanum, & libellus de Festivitatibus Apostolorum.

IV. Præter Dionysium Areopagitam Parisiensium, & Trophimum Sancti Pauli Discipulum Arelatensium primos Episcopos, Crescens Viennensem, & Martialis Lemovicensem in Galliis, primo Christiani nominis seculo, instituerunt Ecclesias. De Crescente disertissimum extat Eusebii testimonium *lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 4. scribentis: *Inter alios Pauli Discipulos Crescens in Gallias ab ipso missus dicitur:* quæ lectio sincerior est, quam altera Christophoroni, quæ *Galatiam* pro *Galliis* vertit: textus siquidem Græcus *in Gallias* legit; ut constat ex Codice MS. Eusebii, qui extat in Bibliotheca Regis Christianissimi, & ex aliis melioris notæ Codicibus, nec non ex Ruffino. Consentiunt itidem S. Epiphanius *hæresi* 51. & Theodoretus *in cap.* 4. 2. *epist. ad Timoth.* ubi hæc D. Pauli verba: *Crescens in Galatiam;* de Galliis exponunt, quæ ab antiquis Galatiæ nomine indigitabantur. His accedunt Sophronius *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis:* Chronicon Alexandrinum *Olympiade* 220. & Ado Viennensis *in Martyrologio* 5. *Kalend. Julii:* Martyrologium Usuardi, & Martyrologium Romanum. Quod Martialem spectat, constans est traditio Ecclesiæ Lemovicensis, ab ipso Episcopalem hanc Sedem institutam, ut videre est apud Patrem Natalem Alexandrum dissertatione laudata; ubi & plura alia ad hoc ipsum probandum profert monumenta. Non minor est in Galliis Narbonensis Ecclesiæ antiquitas, utpote quæ eodem Seculo I. primum Episcopum a Divo Paulo Apostolo sibi datum, eodemque nomine insignitum suscepetit. Ejus memoria celebratur in vetustissimo Martyrologio, quod Rosuveydus edidit, quo Ecclesia Romana inter solemnes ritus utebatur, teste Gregorio Magno *lib.* 7. *epist.* 29. Martyrologii illius hæc sunt verba: *Narbonæ Sancti Pauli, Episcopi, discipuli Apostolorum.* Iisdem ferme verbis Natalem illius celebrant, Usuardus *in Martyrologio pridie Idus Decembris*, Venerabilis Beda, & Ado. Ceterum de celebri hac ætate Controversia, an scilicet Christi fides primo Ecclesiæ seculo, vel tantum sub Decii Imperio, in Galliis prædicata fuerit, qui prolixiorem Tractatum exoptat, consulere poterit P. Natalem Alexandrum, D. Petrum de Marca, aliosque viros doctissimos antea laudatos, qui in evertendis Launoii fundamentis diligentissimam impenderunt operam.

V. Nunc

V. Nunc ad ea, quæ instituti nostri sunt præcipua, nobis progressuris, necesse est pervestigare, quænam fuerit prima Provinciarum Ecclesiasticarum in Galliis forma. Ea vero illucescit ex prima Galliarum partitione a Julio Cæsare facta, cum in tres Provincias illæ sectæ sunt, nempe Lugdunensem, Belgicam, & Aquitanicam, quæ tunc Galliarum nomine significabantur, exclusa Narbonensi, quia pridem Romanorum erat, ac Romanis tributa Provinciis. Civilem hanc Provinciarum formam initio imitata est Ecclesia Gallicana, quæ aliquot seculis Galliarum nomine nequaquam intellexit urbes Provinciæ Narbonensis. Lugdunensis siquidem, & Viennensis Ecclesiæ, ad Asiæ, Phrygiæque Ecclesias de Martyribus Marco Aurelio imperante apud se passis scribentes, epistolam suam ita incohant apud Eusebium *l. 5. Hist. Eccles. cap. 1. Servi Christi, qui apud Viennam, & Lugdunum Galliæ degunt, Fratribus per Asiam, & Phrygiam constitutis*. Ubi Lugdunum civitatem Galliæ vocant, non autem Viennam, ut pote quæ in Provincia Narbonensi esset posita. Unde Severus Sulpitius *lib. 2. Histor.* dum ait: *sub Aurelio Antonino visa primum in Galliis Martyria*, Galliarum nomine veterem Provinciam Narbonensem minime complectitur, sed alias Galliarum partes, maxime Lugdunensem, cum ibi de Martyribus Lugdunensibus loquatur. Sic etiam Ammianus Marcellinus lib. 15. locum ad Confluentes Araris, & Rhodani situm nominat *exordium Galliarum*. In Itinerario quoque Peutingeri, *Lugdunum caput Galliarum* appellatur, quia nimirum iter habentibus post emensum Viennensem tractum antiquæ Narbonensis portionem, prima civitas ex iis, quas Gallia proprie dicta comprehendebat, Lugdunum occurrebat. Hoc loquendi modo olim sacra Concilia utebantur: nam in subscriptionibus Concilii Arelatensis I. ann. 314. habiti, post Episcopos Provinciæ Viennensis, subscripti leguntur Episcopi Provinciarum Lugdunensis, Belgicæ, & Aquitanicæ, præmisso hoc titulo: *Item e Gallia*. In Synodo pariter Aquilejensi anno 381. celebrata, cum initio relata essent nomina Episcoporum, qui eo convenerant, inter quos Episcopi Arausionis, Massiliæ, aliarumque Urbium Provinciæ Narbonensis, Gallorum nomine non exprimuntur; bene tamen qui ex aliis Galliarum Provinciis aderant: unde *Constantius Sciscianensis* vocatur *Legatus Gallorum: & Justus Legatus Gallorum*. Idipsum factum legimus in Synodo Vasensi anno 343. indicta, quæ ex Episcopis antiquæ Narbonensis constabat, Episcopi Lugdunensis, Belgicæ, & Aquitanicæ Provinciarum, nominantur *Gallicanarum Provinciar. Episcopi*. Narbonensis quandoquidem per id tempus Italiæ potius, quam Galliis adscripta videbatur: hinc Plinius eam seorsim a Galliis, cum Provinciis Italiæ describit: *Breviusque Italia potius quam Provincia*. Tametsi nonnumquam apud Scriptores etiam Ecclesiasticos, juxta divisionem Provinciarum Galliæ ab Augusto factam, Narbonensis antiqua Galliis accenseatur.

VI. Post constitutum ab Imperatoribus *Quinque Provinciarum* corpus, eam quoque partitionis formam Sacræ Synodi in Galliis imitatæ sunt. Prima ejus mentio habetur in Concilio Valentiæ, quæ Civitas est Provinciæ Viennensis, celebrato ann. 374. cujus Synodica inscripta est: *Dilectissimis Fratribus per Gallias, & Quinque Provincias constitutis Episcopis*: ubi *Quinque Provinciæ* Galliis opponuntur. Hoc loquendi modo

usus

usus fuit etiam Maximus Tyrannus, apud quem Siricius Papa conquestus fuerat de Agroetio quodam, ad gradum Presbyteri contra canones indebite promoto: cui Maximus rescripsit anno 385. se congregaturum Synodum ex omnibus Galliis, vel ex *Quinque Provinciis* tantum, in qua ejusmodi causa judicaretur: *Quorum* (nempe Episcoporum) *Conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra Quinque Provincias commorantur, in qua elegerint urbe, constitutam*. Philastrius itidem *Hæresi* 62. de Priscillanistis agens, eos *in Hispania, & Quinque Provinciis latere* scripsit. Tandem Concilium Taurinense anno 397. indictum, Synodicam ad universos Galliarum Episcopos datam his verbis inchoavit: *Sancta Synodus, quæ convenit in urbe Taurinatium die* 10. *Kal. Octobris, Fratribus dilectissimis per Gallias, & quinque Provincias constitutis*. Additis postmodum *Quinque Provinciis*, Novempopulana, & secunda Aquitania, ex quibus septem Provinciarum Corpus coaluit, eam deinceps divisionem amplexi sunt non modo profani, sed etiam Sacri Scriptores. Nam Zosimus Papa ann. 417. epistolam ad Episcopos Galliarum missam ita inscripsit: *Zosimus universis Episcopis per Gallias & septem Provincias constitutis*. Meminit hujus epistolæ Hincmarus *epist.* 14. de Jure Metropolitanorum, *num.* 17. qua occasione capta, agit & ipse *de Septem Provinciis:* sicut etiam Callixtus II. Papa verbis supra relatis.

VII. Quia vero præ ceteris aliis, eam divisionem Galliarum in XVII. Provincias, quam præcedenti capite exhibuimus, Ecclesia in constituendis per Gallias Metropolitanis, & Episcopis plerumque sequuta est, ad illam potissimum illustrandam curam nostram impendemus. Prima, & quod ad res Ecclesiasticas spectat, omnium antiquissima semper habita est Provincia Lugdunensis, ab ipsa Metropoli Lugduno nomen adepta. Hæc Civitas, inquit Stephanus, emporium est totius Galliæ Celticæ longe celeberrimum. A L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præesset, condita fuit in colle supra confluentem Rhodani, & Araris imminente, ubi etiam hodie non obscura antiquæ urbis conspiciuntur vestigia. De qua Strabo *lib.* 4. *Lugdunum in colle conditum, ubi Arar amnis Rhodano immiscetur: Romano tenetur Imperio*. Ibi Romani Duces aureum numisma, argenteumque signarunt. (1) Habuit hæc civitas templum insigne, communi Galliæ totius impensa extructum, & Cæsari Augusto consecratum, ea parte ante urbem, ubi amnes confluunt, inibique ara dignitatis eximiæ erat, gentium sexaginta titulo insignis: dicatis ibi totidem gentium simulachris, ut Budæus narrat. Ejusdem aræ Augusto consecratæ meminit Suetonius in *Claudio c.* 2. ubi refert, Claudium Lugduni natum eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est. Ad hanc aram a Cajo Caligula, eodem Suetonio auctore, *institutum* (1) *fuit certamen Græcæ, Latinæque facundiæ: quo certamine ferunt, victoribus præmia victos contulisse, eorumdem, & laudes componere coactos. Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent*. Huc spectasse videtur Juvenalis *Satyra* 6. cum de Rhetore ad aram Lugdunensem dicturo cecinit:

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Lu-

(1) Budæus de Asse.

(1) Suetonius in Caligula c. 20.

Ludos prœterea instituit Drusus Lugduni in honorem Jul. Cæsar. anno U.C. 743. quos Dio *lib.* 54. adhuc *sua œtate*, idest sub Principatu Alexandri Severi, perdurasse testatur. Hæc porro urbs tam celebris, totque egregiis ornamentis nobilitata, teste Seneca, sub Neronis Imperio, centesimo anno, a quo condita fuerat, una nocte conflagravit: (1) *Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas possent, una nox stravit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat ubique armis quiescentibus, cum toto Orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum quod ostendebatur in Gallia, quæri? Omnibus fortuna, quos publice afflixit, quod passuri erant, timere permisit: nulla res magna non aliquod habuit ruinæ suæ spatium: in hac, una nox fuit inter urbem Maximam, & nullam . . . Civitas arsit opulenta, ornamentumque Provinciarum, quibus, & inserta erat, & excepta, uni tamen imposita, & huic non altissimo monti.* Hodie vero Lugdunum in plano situm est, magna sui parte Rhodano, & Arari fluminibus inclusum, urbs amplissima, & celebribus nundinis insignis, ad quas totius Galliæ, immo & finitimi Italiæ ad emendum, & vendendum conveniunt; juxta veterem utique morem a Romanis ibi institutum, quo in hac urbe quotannis, dum ludi celebrabantur, solennes nundinæ celebrari solebant, uti colligitur ex epistola Viennensium, & Lugdunensium apud Eusebium *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 1. Multis hanc urbem encomiis antiqui celebrarunt, *Lugdunum Galliarum caput*, *Galliarum exordium appellantes*. Eusebius quoque laudatus vocat præ ceteris Galliæ civitatibus *Insignem*, *præstantemque Urbium matrem*. Quamvis autem tot tantisque decoris, & ornamentis Lugdunum olim illustre fuerit; illustrius tamen fuit Christi fide, quam vix nascentem suscepit: illustrius tot Martyrum sanguine, qui sub Marco Aurelio, dum ludi Drusiani ederentur, a Præside necati fuerunt. De Lugdunensis Ecclesiæ Metropolitico jure ac Primatu inferius agemus.

VIII. Dissecta in plures Provincias Lugdunensi, quæ prius una fuerat, Rothomagus secundæ Lugdunensis Metropolis evasit, urbs Galliæ Celticæ apud Sequanæ fluminis ostia, nunc Nortmanniæ caput. Tertiæ vero Lugdunensis Metropolis effecta est Turonum civitas apud Ligerim sita. Lugdunensis quarta ab ipsa Metropoli Senonum urbe, in colle apud Itunam fluvium posita, Senonia dicta est. Gens quondam Italis, & Romanis infensa: Senones quippe urbem Romam incenderunt, & Capitolium obsederunt; quos Furius Camillus aggressus ita cecidit, ut incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret.

IX. Belgica initio unica erat Provincia a Belgis Galliæ Comatæ populis sic dicta. Inter Sequanam, & Scaldim fluvios jacet, in quindecim olim populos divisa, teste Plinio *lib.* 4. *cap.* 17. Cæsari Belgium dicitur, hasque modo Provincias continet, Artesiam, Hannoniam, Flandriam in tres sectam, Brabantiam, Gheldriam, Transisalaniam, Frisiam, Hollandiam, Zelandiam, Cliviam, Juliam, Leodiensem ditionem, Ducatum Lucemburgensem, & Comitatum Namurcensem. Totius Belgii, immo & Galliarum Metropolis Civilis fuit insignis Trevirorum civitas, quæ & Augusta Trevirorum a Pomponio Mela, Ptolemæo, aliisque appellatur, ad Mosellam fluvium inter Metas, & Coloniam Agrippinam posita.

(1) Seneca epist. 91.

sita. Ab Athanasio siquidem *in epistola ad Solitarios*, & Theodoreto *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 15. *Treviri Metropolis Galliarum* nuncupatur. Et Pomponius Mela, *lib.* 3. *cap.* 2. ait, *quod clarissimi Belgarum sint Treveri, Urbsque opulentissima in Treveris Augusta*. Sedem quondam Imperatorum Treviros extitisse nos docet Anonymus Auctor Græcus Descriptionis totius Orbis, qui libellum suum aureum ante annum 350. in lucem emisit: *Civitatem porro maximam habere dicitur Gallia, quæ vocatur Triveris, ubi etiam Imperator morari dicitur: eaque mediterranea est*. Dubitandum idcirco non est, quin eadem Urbs, quæ aliquando Sedes Imperatorum extitit, Præfectura quoque Prætoriana fuerit cohonestata; ac proinde totius Galliæ, nedum Belgii Metropolis saltem civilis extiterit. Ibi autem nonnumquam Imperatores commorari solitos, præter Anonymi testimonium, idipsum testantur Divus Athanasius *Apologia* 2. & Socrates *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 22. qui Constantini Magni Filium ibi mansisse commemorant. Ex Codice quoque Theodosiano discimus, Constantem alterum Constantini Magni Filium Treviris degisse: & Sigebertus in Chronico *ad annum* 386. refert, Maximum Imperatorem hac in urbe Sedem fixisse suam. Distracto postmodum in duas Provincias Belgio, secundæ Belgicæ Metropolis facta est Remorum civitas Durocortum, seu Durocortorum, ut eam nominat Cæsar, Romanis olim federata, auctore Plinio *lib.* 4. *cap.* 17. Ejus populi Mediomatricibus, & Leucis finitimi erant, qui jaculandi, sagittandique peritia ceteris Galliæ populis creduntur præstitisse, quos Julius Cæsar apud Gergobiam magna strage debellavit.

X. Proxima Belgio Germania est, non quidem illa superior, & proprie dicta, quæ Europæ pars est, & a Galliis, Rhætiis, ac Pannoniis Danubio, Rheno fluminibus, a Sarmatis vero Dacisque montibus separatur; sed altera inferior dicta Rheno propinqua, & Belgio primum adscripta. Complectitur Alsatiam, Nemetes, Plinio commemoratos, quorum urbs Neomagus Ptolemæo dicitur, nunc Spira. Nemetum quoque meminit Cæsar *lib.* 2. *de Bello Gall.* & Lucanus *lib.* 1.

Ut Superi volvere latet, tunc rura Nemetes.

Continet quoque Vangiones, Ubios, celebres olim populos apud Plinium, & Tacitum. In duas Provincias discreta fuit, Germanicam primam, & secundam. Germanicæ I. Metropolis est Moguntia, insignis civitas ad Rhenum fluvium sita. Germanicæ II. Metropolis est Colonia Agrippina urbs celeberrima, & ipsa ad Rhenum constituta, quondam Ubiorum caput; cui Agrippina Neronis Mater, cum ibi nata esset, nomen dedit, atque ut patriam splendidiorem redderet, sociisque etiam nationibus potentiam suam ostentaret, veteranorum coloniam eo deduci procuravit, ut refert Tacitus: (1) *Sed Agrippina*, inquit, *quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in Oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius*.

XI. Maxima Sequanorum a Sequanis populis dicta est, apud quos Sequana fluvius interlabitur, Belgas a Celtis dividens, nomenque regioni dedisse videtur, ut Plinius putat *lib.* 4. *cap.* 17. Porro Sequani populi sunt Galliæ Heduis, Lingonibus, & Helvetiis finitimi. Horum loca hodie tenent Burgundiones, gens origine Germanica, quemadmodum & Franci, qui trajecto Rheno in Gallias irruperunt, pulsisque prioribus in-

(1) Tacitus lib. 12. Annal.

incolis Sedes eorum invaserunt. Hæc tamen Provincia non solum Burgundiæ Comitatum, sed etiam Helvetiorum partem, & Rauracos continet: Aventicum enim, Basilea, & Castrum Vindonissense, in Helvetiis extant. Ejus Metropolis est Vesontio, cujus meminit Cæsar *lib. 1. de Bell. Gall.* quæ & Visontium vocatur a Ptolemæo *lib. 2. cap.* 8. urbs ad Dubim fluvium circumfluentem sita.

Alpes Grajæ, & Penninæ celsissimi sunt montes Gallias ab Italia dividentes, ad quarum fauces sita est Augusta Prætoria, unde incipit Italia. Ad illarum radices jacet Pedemontana regio. Ab altissimis hisce montium jugis in Italiam penetrasse Annibalem, docet vetustissimus lapis pæne exesus, apud Bardum oppidum in sinistro montis latere positum, in quo hactenus leguntur pauca hæc verba: *Transitus Annibalis*. Inde nomen & jugo Alpium inditum, & Penninum a Pœnis vocatum, nonnullis visum est apud Livium *lib. 1. de Bello Punico Decad.* 3. Parva est hæc Provincia duabus vix urbibus constans, Taranthasia nimirum Metropoli apud Centrones, & Octodoro, seu Octuduro, ut patet ex Plinio *lib. 3. c. 26*.

XII. Inter septem Provincias vulgo dictas, prima occurrit Viennensis, cui nomen imposuit ipsa urbs primaria, & Provinciæ Metropolis Vienna, veterum Allobrogum civitas, ad Rhodanum fluvium olim clarissima, ubi etiam hodie non pauca antiquæ nobilitatis extant monumenta. Cum Lugduno de primatu olim decertavit, veteremque inter Lugdunenses, & Viennenses fuisse discordiam, tradit Tacitus *lib. 1. Hist.* Enim vero erant nobiliores Galliarum civitates, atque ut loquitur Eusebius de Martyribus in Gallia passis Marco Aurelio imperante: (1) *In Pars Prima.*

hac (scilicet Gallia) *duæ præ ceteris insignes, præstantesque urbium matres celebrantur Lugdunum, ac Vienna:* ut vertit Valesius; seu juxta veriorem, ac puriorem Nicephori Interpretis versionem: *In qua præter ceteras celebres duæ sunt Metropolitanæ urbes Lugdunum, & Vienna.*

XIII. Aquitania inter quatuor Galliarum Provincias ab Augusto institutas numeratur a Dione *l.53. Hist. Rom.* Fuit apud veteres tertia Galliæ pars, Aquitania ab obliquis aquis Ligeris sic nuncupata, olim etiam Armorica dicta; cujus disertam mentionem faciunt Plinius *lib. 4. cap.* 17. & 19. & Ptolemæus *lib. 2. cap.* 7. Celebres quondam in hac regione fuerunt Bituriges populi Plinio *ibid. cap.* 10. commemorati, totiusque regionis caput Biturix eorum civitas, quæ priscis temporibus universæ Galliæ jura dabat, si Livio credimus asserenti: (1) *quod Prisco Tarquinio, Roma regnante, Celtarum, quæ pars Galliarum tertia est, penes Biturices, summa Imperii fuerit, iique Regem Celtico darent*. Sub Romanorum Imperio Aquitania in duas Provincias secta, Biturix primæ Aquitanicæ Metropolis mansit. Secundæ vero Aquitanicæ Metropolis deinceps Burdigala fuit.

Ab Aquitania quoque divulsa fuit Novempopulana Provincia, eique Metropolis data Elusatium civitas, quæ Elusa Claudiano, & Helusa Sidonio dicitur, inter Vasatas, & Auscios posita, urbs quidem veteris Aquitaniæ. Elusates populos commemorat Julius Cæsar.

XIV. Prima, & omnium vetustissima Provinciarum Galliæ fuit Narbonensis, olim a reliquis Gallicanis Provinciis discreta, ac postmodum ab Augusto ipsi accensita, ut supra adnotavimus. Hæc complectebatur to-

(1) Eusebius lib. 5. Hist. Eccles. cap. 1.

(1) Livius Decad. 1. lib. 5.

totam illam Galliarum partem, quæ interno mari alluitur, antea Braccata dicta a braccis, quibus gens illa uti consuevit, teste Plinio *lib. 3. c. 4.* A Narbone Martio, amplissimo ejus regionis emporio, nomen obtinuit. Dividitur ab Italia amne Varo, & Alpium jugis: a reliqua Gallia latere Septemtrionali Jura, & Gebenna montibus. Universæ regionis caput est Narbo Martius, olim, Strabone auctore *lib. 4.* amplissimum Galliæ Braccatæ emporium: hodie tutissimum Galliarum adversus Hispanos propugnaculum. Porro Martium Narbonem ex eo dictum censent, quod illuc Cæsar ex Martia Legione Coloniam deduxerit, de qua a Cicerone hæc memoriæ prodita: (1) *Est* inquit, *in eadem Provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium, specula Populi Romani, ac propugnaculum Gallis oppositum, & objectum*. Divisa in duas Provincias Narbonensi, primæ Narbonensis Metropolis remansit Narbo Martius: secundæ autem Narbonensis Metropolitica dignitas transiit ad Aquas Sextias, juxta quam urbem defluunt aquæ calidæ, ægris curandis aptissimæ. Huic urbi Sextiæ nomen additum fuit a Sextio quodam Romanorum Duce, qui perdomitis Salybus oppidum hoc extruxit, atque ab aquis illic scaturientibus, proprioque nomine Aquas Sextias appellavit, ut tradit Strabo *lib. 4.*

Quamvis vero Narbonensis Provincia pars Galliarum sit, plura tamen extant antiquitatis monumenta, quibus discimus, eam post Gothorum in Hispaniis Principatum, a Galliarum Diœcesi avulsam, Hispaniæ fuisse contributam, eo quod Gothi eam Provinciam occupassent. Exinde enim Metropolitæ Narbonenses Conciliis in Hispania celebratis interfuerunt. Toletano siquidem tertio inter ceteros Hispaniarum Episcopos subscripsit *Migetius Narbonensis Metropolitanus Episcopus Galliæ Provinciæ*. Indictum fuit hoc Concilium æra 627. Paucis post annis, nempe æra 635. idem Mizetius subscripsit Concilio Toletano sub Reccaredo Rege. In altera itidem Synodo Toletana *Sergius Narbonensis Ecclesiæ Episcopus* subscriptus legitur Decreto Gundemari Regis. In Concil. Toletano IV. æra 671. *Salva Ecclesiæ Narbonensis Metropolitanus Episcopus* subscripsit. Idemque Concilio Toletano VI. æra 676. primo loco subscripsit, ante Julianum Bracarensem, Eugenium Toletanum, & Honoratum Hispalensem Metropolitas. Concilio Toletano XIII. subscripsit primo loco inter Vicarios Episcoporum *Pacatus Abbas, agens vicem Suniefredi Episcopi Narbonensis*. Sic etiam Concilio Toletano XIV. æra 722. subscripsere Joannes Abbas, & Valdemarus Diaconus, vicem agentes prædicti Suniefredi. Ipse vero Suniefredus Narbonensis Metropolita præsens fuit Concilio Toletano XV. æra 726. celebrato. Quare usque ad finem Septimi seculi, & initium octavi Provincia Narbonensis I. a Gallis avulsa, Hispaniis adscripta fuit, at deinceps Galliis reddita.

XV. Alpes Maritimæ ex dicuntur, quæ prope Niceam, ac deinceps Galliam ingredientibus occurrunt, & mari adjacent, unde Maritimæ, ac Littoreæ dictæ sunt. Magnam Delphinatus partem, Provinciæ itidem, qua montibus assurgit, nec non montuosam veteris Liguriæ portionem, Cottiis, & Penninis conterminam amplectebatur, uti ex situ urbium huic Provinciæ tributarum conjici potest. Ex Gallia Narbonensi hæc Provincia distracta fuit; unde a nonnullis tertia Narbonensis vocatur. Ejus Metropolis civitas est Ebredunum,

(1) Cicero pro M. Fontejo.

num, quæ & Eborodunum Ptolemæo, Eburodunum Antonino dicitur. Urbs fuit Caturigum in Gallia Narbonensi, intra Alpes maritimas; nunc ad Delphinatum spectans. Ebroduntii populi a Plinio inter ceteros Galliæ recensentur.

XVI. Eæ septem Provinciæ hactenus expositæ, distinctum a Galliis corpus olim constituebant: quod supra a nobis observatum est. Illarum tamen institutio nequaquam præcessit Constantini ætatem, ut perperam existimavit Carolus a S. Paulo *lib.* 5. *Geographiæ Sacræ*: ubi hæc habet: „ Post Augustum, sed ante Constantinum, ex his quatuor Provinciis, „ Nimirum Narbonensi, Lugdunensi, Aquitanica, & Belgica, tres „ aliæ ortæ sunt, scilicet Alpina, „ Viennensis, & Germanica: Alpina quidem, & Viennensis ex Narbonensi: & Germanica ex Belgica: „ adeo ut ex hoc tempore Septem „ in Gallia numerari cœperint, Narbonensis, Alpina, Viennensis, Aquitanica, Lugdunensis, Belgica, & „ Germanica. Hinc fit, ut in Notitia Imperii Romani Gallia, & Septem Provinciæ sæpius veluti Synonimice usurpari soleant. Sic in „ enumeratione Provinciarum, quæ „ a Galliarum Vicario regebantur, „ hæc habentur: *Sub dispositione viri spectabilis Vicarii Septem Provinciarum.* Sic Vicarios referens Præfecto „ Prætorio Italiæ, & Prætorio Galliarum subjectos hæc ait: *Vicarii sex, Urbis Romæ, Italiæ, Africæ, Hispaniarum, Septem Provinciarum, Britanniarum:* Sic tandem Diœcefes Præfecto Prætorio Galliarum „ assignatas numerans, hæc, ut jam „ diximus, effert: *Sub dispositione viri illustris Præfecto Prætorio Galliar. Diœceses infrascriptæ: Hispaniæ, Septem Provinciæ, Britanniæ.* His nihil clarius, ut probemus Gallias in Septem Provincias divisas fuisse, antequam in plures. Post quæ verba addit: *Denique septem illæ in septemdecim excreverunt.*

Verum vir eruditus multum hac in re hallucinatus est, ac vetustiora fecit Septem Provinciarum initia, quam illa habuerint. Tantum enim abest, ut illarum institutio anteverterit Constantini Magni tempora, quin potius subsecuta est, nec alium agnovit auctorem nisi Petronium Præfectum Prætorio Galliarum, cui postea robur, auctoritatemque conciliavit Honorii Constitutio a nobis superius laudata. Notitia illa, quam refert Abbas Fuliensis, non præcedit Honorii Augusti ætatem; neque verum est Septem Provincias Synonimice accipi pro Galliis, cum ex veterum monumentis constet, eas Galliis opponi. Post divisionem Galliæ in quatuor Provincias ab Augusto factam, prima occurrit altera in decem Provincias, quam exhibet Rufus in Breviario. Hanc subsequuta est celebris illa divisio Galliarum in septemdecim Provincias; quam postea excepit alia divisio Quinque Provinciarum, & ipsa pariter a Galliis discreta, quam seorsim commemorat Notitia Imperii, ubi sub dispositione Comitis rerum privatarum quinque Provinciæ ita designantur: *Rationalis rei privatæ per Hispanias: Rationalis rei privatæ per Gallias: Rationalis rei privatæ per Quinque Provincias: Rationalis rei privatæ per Britannias.* Omnium novissima fuit partitio Septem Provinciarum, Honorio imperante facta, post annum 401. ut diserte probat Pagius ad eumdem annum. Quare falsum est, quod Abbas Fuliensis asserit, Septem Provincias vulgo dictas ante Constantini Magni Principatum fuisse constitutas: erit fortassis, quod ejus opinionem juvare poterit, nimirum Honorium in sua Consititu-

ſtitutione ad Agricolam dixiſſe, illum Conventum, cui Septem Provinciarum Rectores, ac Judices intereſſe oportebat, interpolatum fuiſſe vel *incuria temporum, vel deſidia Tyrannorum*; ac proinde Honorii Imperium ab illo Septem Provinciarum Corpore anteverti. At Honorius ſpectavit tempus illud, quod a prima inſtitutione illius Conventus a Petronio Præfecto facta uſque ad Honorii edictum, quo Conventus ejuſmodi confirmatus fuerat, interfluxit. Petronius quidem Conventum ſeptem Provinciarum in Metropoli Arelatenſi quotannis habendum indixerat; verum cum teſte Zoſimo *lib. 6. pag.* 824. Marcus, Gratianus, & Conſtantinus Tyranni, a Militibus in Britannia Cæſares nuncupati, Provinciam ſolidam Narbonenſem occupaſſent, id impedimento fuit, quo minus Septem Provinciarum Rectores, ac Judices Conventum illum agerent; quem propterea Honorius dixit, *vel incuria temporum, vel deſidia Tyrannorum interpolatum*. Sublatis vero Tyrannis, cum priſtina libertas Provinciis reſtituta fuiſſet, Honorius decreto ſuo innovavit, confirmavitque Conventum illum a Petronio Præfecto antea inſtitutum.

XVII. Ab his ſeptem Provinciis *Occitaniam* hodiernam, quæ Narbonenſem primam comprehendit, *Septimaniam* fuiſſe dictam, recte poſt *Scaligerum in Notis ad Claras Urbes Auſonii* obſervat P. Franciſcus Pagius *ad Annum* 401. *num.* 47. & 48. qui ad rem hanc illuſtrandam nonnulla collegit notatu digna. Primum rejicit Sirmondi opinionem exiſtimantis, *Septimaniam* fuiſſe appellatam a *Septimanis Biterrenſibus*. Nam Septimani, auctore Plinio, peculiares erant populi Galliæ Narbonenſis, dicti a Septima Legione, quæ ibi apud Biterras locata erat: Septimania vero magnam Galliarum partem complectebatur. Deinde explodit ſententiam Valeſii *in Notitia Galliarum*, qui a numero civitatum Narboni Metropoli attributarum *Septimaniam* vocatam cenſet: nam in Notitia Galliarum a Sirmondo edita, in qua diſerta habetur mentio Septem Provinciarum, quinque dumtaxat civitates Metropoli Narbonenſi primæ ſubjiciuntur. Ad hæc, Anonymus Ravennatenſis, qui circa ſeculum ſeptimum floruit, nuper a Porcheronio publici juris factus, *pag.* 35. Maſſiliam inter urbes *Septimaniæ*, & *pagin.* 196. Niceam, Antipolim, Forum Julium, Telonum, Aquas Sextias, Arelate, aliaque oppida Gallo-Provinciæ hodiernæ numerat, quod rurſus *pag.* 227. De Nicea repetit. Octavo tamen ſeculo *Septimaniæ* nomen Occitaniæ hodiernæ tantum attributum. Ludovicus Pius ann. 815. Præceptum, quo Hiſpanis ad ſe confugientibus agros, libertatemque impertiit, ad Fideles direxit in partibus Aquitaniæ, *Septimaniæ*, Provinciæ, & Hiſpaniæ conſiſtentes, oſtenditque *Septimaniam* hinc Aquitania, illinc Provincia ultra Rhodanum, & Hiſpania in montibus Pyrenæis clauſam fuiſſe. Idipſum indicat Carolus Magnus in Charta de diviſione Imperii ſui, ubi inter cetera eidem Ludoyico filio ſuo tribuit Provinciam *Septimaniam*, vel Gothiam; adeo ut *Septimania* Rhodano, & Pyrenæis Montibus includatur, ut recte explicat Marca *lib.* 1. *Marcæ Hiſpanicæ, cap.* 16. *num.* 5. & *ſeq.* ubi tamen perperam ſcribit, *Septimaniam* ſecutam eſſe fortunam Gothorum, ejuſque vocis ſignificationem coërcitam primum fuiſſe intra terminos oppidorum, quæ Gothi in Galliis obtinebant. Nam ea reſtrictio circa ſeculum ſeptimum, quo Anonymus Ravennatenſis ſcribebat, nondum invecta

cta fuerat. Interdum aliqui Scriptores partem pro toto sumentes eam Provinciam Septimaniam vocant. Sic Sidonius Apollinaris *lib. 3. Epist. 1.* verba faciens de Septem Provinciarum parte a Gothis, Enrico regnante, occupatam, ait: (1) *Vel Gothis creditte, qui sæpenumero etiam Septimaniam suam fastidiunt, ac refundunt, modo invidiosi etiam hujus anguli* (nempe civitatis Arvernensis) *desolata proprietate potiantur*. Quem loquendi modum postea usurpavit Petrus Cluniacensis Abbas, qui seculo duodecimo vixit, scribens Guillelmo Ebredunensi, Ulderico Deensi, & Guillelmo Vapincensi Episcopis, ait: *Quoniam* (2) *inter omnes totius Provinciæ Septimaniæ, seu Alpium Maritimarum Episcopos religione, scientia, eruditione, ac Pastorali solicitudine Divina dispositio specialiter per vos Pontificale culmen exornat*. Quibus verbis partem pro toto accipit, Alpesque Maritimas unam olim ex Septem Provinciis, *Septimaniam* appellat, quod scilicet pars ejus fuerit.

Ceterum posteaquam Gothi maximam *Septimaniæ* partem invaserunt, Gothiæ nomine illi imposito, nonnihil de *Septimania* immutatum fuit, præsertim cum Saraceni Gothis admixti regiones illas occupabant. Ex urbibus tamen, quas Pipinus Rex Saracenis sustulit, id unum discimus Narbonensem I. tunc intra Gothiam clausam fuisse. Ut enim tradit Auctor Annalium Anianensium *ad annum 752.* cum Pipinus ducto exercitu in *Septimaniam* penetrasset, *Ansemundus Gothus Nemauso civitatem, Magdalonam, Agaten, Biterris, Pipino Regi Francorum tradidit. Ex eo die Franci Narbonam infestant*. Narbonam vero post triennii obsidionem Pipinus a Saracenis recuperavit, illis e tota Gothia expulsis, uti referunt idem Auctor Annalium Anianensium *ad ann. 759.* Annalista Metensis *ad annum 752.* & Vetus Chronicon apud Catellum *lib. 3. Histor. Occitaniæ pag. 538.* Porro Ecclesiæ Narbonensi, cum Franci Saracenos e Gallia penitus ejecerunt, hæ suberant civitates, Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Magalonensis, Carcassonensis, Helenensis, Ucecienssis, & Leutevensis. Post expugnatam a Pipino Rege Narbonem, Septimaniæ nomen coarctatum est ad eam Provinciam, quam hodie Occitaniam, seu *Linguadociam* recenti vocabulo nominant. Regio est Galliæ Narbonensis inter Garumnam in Occasum, & Rhodanum ad Ortum, ac inter Montes Cemmenos ad Boream, & Mare Mediterraneum ad Meridiem perstricta. Frumenti, vini, & olei ferax est. Præcipue ejus urbes sunt, Narbo Metropolis: Tolosa itidem Metropolis altera & Conventus: Electa, Carcasso, Biterræ, Mons Pessulanus, Nemausum, Uzecia, Lutava Castra, Vabræ, Thomeriæ, Vaurinum, Agatha.



(1) Sidonius lib. 3. epist. 1.

(2) Petrus Cluniacensis.

CAPUT

CAPUT III.

Synopsis.

I. *Lugdunensis Ecclesia secundo & tertio seculo Metropolis fuit in Galliis. Veterum testimoniis id probatur.*

II. *Gregor. VII. Gebuino Lugdun. Primatum impertiens in quatuor Lugdunenses Provincias, veterem a se instaurari Primatum testatur. Sed Senonensis novum jugum ferre recusavit. Hinc lites excitatæ, quæ tandem extinctæ fuerunt, postquam Lugdunum in ditionem venit Regis Christianissimi.*

III. *Rothomagensis Metropolis a S. Bonifacio instituta, & Sedi Apostolicæ immediate subjecta fuit.*

IV. *Turonensis Metropolis ignota primordia. Dolensis novus Britanniæ Metropolita a Turonensis jurisdictione se subtraxit. Inde graves, & diuturnæ contentiones exortæ, quibus finem imposuit Innocentius III.*

V. *Senonensis Metropolis a Bonifacio erecta. Huic Primatus, & Apostolicæ Sedis delegatio a Joanne VIII. concessa, cui tamen contradixerunt Galliarum Antistites. Non tam Sedi, quam Ansegisi personæ hoc privilegium tributum fuit.*

VI. *Trevirorum Metropolis pervetus est. Olim utrique Belgio imperavit.*

VII. *Postmodum Belgicæ Secundæ Metropolis Remorum civitas facta est. Remigio ejus Episcopo Symmachus Papa Primatum, & vices suas in Galliis commisit.*

VIII. *Moguntia primæ Germaniæ Metropolis. S. Bonifacio vices Apostolicæ Sedis demandatæ in Germaniam, & Gallias.*

IX. *Colonia secundæ Germaniæ Metropolis seculo tantum octavo instituta.*

X. *Maximæ Sequanorum Vesontio; Alpium vero Grajarum, & Penninarum Tarantasia Metropoles sunt.*

XI. *Viennensis, & Arelatensis contentio de jure Metropolitico refertur. Concilium Taurinense non de civili, sed de Ecclesiastica Metropoli agit. Arelatensis Primatûs initia, progressus, & finis: usque ad num. XVI.*

XVI. *Viennensis vetustissima fuæ Provinciæ Metropolis. Callistus II. ei Primatum contulit in septem Provincias: sed privilegium istud effectu vacuum fuit.*

XVII. *Bituriges Aquitaniæ Metropolis. Sub Carolo Magno Primatûs honor huic Sedi datus. Diffecto Aquitaniæ Regno minui cepit Primatus Bituricensis. Dissidia inter Bituricensem, & Burdigalensem nata, & quomodo extincta. Tandem Burdigalensis a Bituricensi Primate exemptus est.*

XVIII. *Auscitana civitas Metropolis Novempopulanæ prius Bituricensi Primatui subjecta, postmodum illi subtracta.*

XIX. *Narbo primæ Narbonensis Metropolis. Primatum in vicinas Galliæ, & Hispaniæ Provincias ejus Episcopus sibi usurpat; sed in Hispanias nullum obtinet: in Narbonensem II. aliquandiu nactus est.*

XX. *Ebredunensis Alpium Maritimarum Metropolis.*

XXI. *Pauca quædam observatu digna circa Metropoleon Galliæ antiquitatem.*

I. Me-

I. Metropoleon Ecclesiasticarum origo in Galliis, si ea inspiciamus tempora, quæ Niceno Concilio præcesserant, non ita facile splendescit. Ejus obscuritas, & longius protracta temporum vetustas plures in eam opinionem traxit, ut crederent, ante Constantini Imperium nullas in Galliis Metropoles Ecclesiasticas extitisse, licet in iis essent Metropoles civiles. Haud diffiteor valde obscuram esse notitiam, quæ de iis superest; si tamen in tenebris lux aliqua effulgere potest, verisimile existimaverim, etiam ante Constantini tempora Lugdunensem Ecclesiam Metropoleos dignitate exornatam fuisse. Cum primis etenim certum est ex epistola Martyrum Lugdunensium ad Fratres per Asiam, & Phrygiam constitutos, cujus verba ex Eusebio retulimus, initio secundi seculi florentissimam Ecclesiam Lugduni fuisse, cum ibi plures Fideles sub Vero Imperatore, ut Eusebius ipse ait in Historia, seu potius sub Marco Aurelio, ut aliis visum est, Martyrium pertulerint, quos inter Photinus nonagenario major ejusdem Ecclesiæ Antistes, de quo hæc tradit idem Eusebius: (1) *Igitur cum Photinus anno ætatis nonagesimo una cum Gallicanis Martyribus cæsus esset, Episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ post eum suscepit Irenæus*. Credere autem par est, virum ætate longævum diutius Ecclesiam illam rexisse. Quamvis autem nulla nobis suppetant antiquitatis monumenta, quibus probare possimus, Photinum tunc temporis Metropolitani munia in Galliis implevisse, cum grassante Gentilium persecutione, nec palam Episcoporum ordinationes habere, aut Synodos cogere permissum esset; tamen Irenæus Photini Successor, quæ Metropolitani sunt propria exequutus est. Nam Eusebius (2) varia enumerans Concilia, occasione celebris controversiæ sub Victore ab Asianis de Festo Paschatis celebrando excitatæ, inter alia unum commemorat *illarum Galliæ Ecclesiarum, quas regebat Irenæus*, nimirum ut Galliarum Metropolita, cujus tantum intererat Synodos cogere, ac Provinciam gubernare. Refert quoque ejusdem Irenæi epistolam Synodicam, quam scripsit nomine Fratrum, idest Episcoporum, quibus præerat in Gallia, qui ob Paschatis controversiam ex tota Lugdunensi Provincia convenerant, & Concilium celebraverant: cujus etiam meminit Auctor Libelli Synodici, affirmans eidem Concilio *Irenæum præsedisse*. Hoc ipso Metropolitani jure usum fuisse Faustinum pariter Lugdunensem Episcopum, indicat S. Cyprianus in litteris ad Stephanum, agens de Marciano Arelatensi Episcopo, qui se Novatiano adjunxerat: (3) *Faustinus Collega noster Lugduni consistens semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nuntiata tam ab eo, quam a ceteris Coëpiscopis nostris in eadem Provincia constitutis, quod Marcianus Arelate consistens Novatiano se conjunxerit*. Hisce verbis significat Cyprianus, Faustinum Lugdunensem Antistitem habuisse Coëpiscopos in una eademque Provincia sub ipso constitutos, una cum quibus Synodum celebraverat ex qua ad Stephanum Papam, atque ad Cyprianum litteras direxerat. Quod etiam inferius insinuat sub finem

(1) Eusebius lib. 5. Histor. cap. 5.
(2) Ibid. cap. 22. & 24.

(3) S. Cyprianus epist. 67.

finem epistolæ: *Ex quibus cum Marcianus esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ, & pietatis extiterit: sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio Sacerdotum, quando ipse sit ab universis Sacerdotibus judicatus.* Quibus postremis verbis declarat habitum fuisse cœtum Episcoporum, in quo Marcianus fuerit condemnatus: ut quemadmodum Cyprianus ipse in Africa, sic & Faustinus in Galliis concilium contra Marcianum indixerit.

Ad hanc ipsam Synodum a Faustino indictam adversus Novatianorum sectam ea pertinent, quæ tradit S. Athanasius epistola ad Rufinianum; cui (1) sciscitanti, quid sentiendum esset de iis, qui persecutionis, ac tormentorum metu a fide defecerant, ita respondet: *Sic habeto multum, dilecte Domine, sedata quæ primum per vim cœperat seditione, præsentibus externarum partium Episcopis, habitam esse Synodum, deinde & ab his, qui Græciam colunt, ejusdem nobiscum muneris sociis: rursus & ab his, qui in Hispania, & Gallia degunt: atque omnes idem, quod hic sensisse: Iis nempe veniam, qui cecidissent, etsi impiorum se duces præbuissent, modo eos pœniteat, nec per vim, aut necessitatem detur, largiendam esse, ac restituendum in Clero locum.* Quamvis enim D. Athanasius Faustini Lugdunensis non meminerit, constat tamen eum indicasse Synodum ab ipso celebratam, cum nulla alia in Galliis contra Novatiani errorem Synodus indicta fuerit, quam quæ a Faustino coacta est..

Cum itaque munus cogendi Synodos Provinciæ proprium sit Metropolitani, nemo inficiari poterit, Irenæum, & Faustinum, quorum alter senescente secundo, alter circa medium tertii seculi floruit, Lugdunensis Provinciæ Metropolitas extitisse, & Lugdunum non civilem tantum, sed & Ecclesiasticam Metropolim habitam sub ipsis Christianæ Religionis primordiis. Atque hoc sensu locutum esse Eusebium plerique putant, cum de Martyribus Lugduni sub Marco Aurelio passis, hæc narrat: (2) *In Gallia stadium ad hæc obeunda certamina, quæ supra explanavimus, constitutum fuit. Cujus urbes sunt facile principes, Lugdunum, & Vienna, per quas utrasque Rhodanum pertransire, ac præcipiti cursu per universam Galliam præterlabi constat. Epistolam de Martyribus illis scriptam, Ecclesiæ quæ sunt ibi illustrissimæ Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ miserunt.* Palam est Eusebium hic loqui de Metropoli nedum civili, sed etiam Ecclesiastica, cum Lugdunum, Viennamque vocat urbes Galliarum Principes: nam paulo post easdem nominat *illustrissimas Ecclesias:* quod scilicet utraque jam tum Ecclesiastica esset Metropolis: præcipue Lugdunensis, cum ea civitas totius Provinciæ, quæ nondum in plures secta fuerat, caput esset, quam idcirco ante Viennensem enumerat. Hinc Lotharius Imperator in edictis (3) Lugdunensem Ecclesiam inter Gallicanas *primam* dictitat: *Lugdunensis Sacræ, & primæ Gallicanæ Ecclesiæ.* Suffragatur quoque Sanctus Odilo in vita Sancti Majoli Cluniacensis Abbatis, eamdem ita celebrans: *Philosophiæ nutricem, & matrem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more, & Ecclesiastico jure non immerito teneret arcem.* Nec parcior in ejus laudes fuit Stephanus Tornacensis. *Prima Sedes Galliarum Lugdunensis.* Quibus præiverat Synodus Cabillonensis II. in Decreto de purgatione Ger-

(1) S. Athanasius.
(2) Eusebius lib. 5. Hist. c. 1.

(3) Spicileg. Tom. 12. pag. 113. & 114.

Gerfredi Monachi ann. 894. *Aurelian.* Lugdunensem Archiepiscopum *Primatem omnium Galliarum* appellans.

II. Hæc existimatio, & fama Lugdunensis Ecclesiæ, sicuti animis hominum insederat, ita & Gregorium VII. Pontificem in illam propensiorem effecit; Gebuino siquidem Lugdunensi Archiepiscopo, ejusque Successoribus perpetuum contulit Primatum in quatuor Provincias Lugdunenses, licet, ut omnem a se invidiam novitatis amoveret, fassus sit, non institui a se novum, sed veterem restitui, ac confirmari Primatum Lugdunensem: [1] *Confirmamus*, ait, *Primatum super quatuor Provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi tuisque Successoribus*. Scripsit etiam idem Pontifex ad Archiepiscopos, Rhotomagensem, Turonensem, & Senonensem. Unus dumtaxat Turonensis Archiepiscopus Rodulfus novum Primatum coluit, qua de re ipsi, ejusque Suffraganeis Gebuinus gratulatus est, datis ad eos litteris. At Richerius Senonensis Metropolita ægre tulit Ecclesiæ suæ dejectionem, novumque jugum subire recusavit; quod & ipse Primatum ambiret, quem ex suis Prædecessoribus Sequinus in Concilio apud Sancti Dionysii Monasterium habito, centum nec dum annis elapsis sibi vendicare conabatur: *Primatum Galliæ in ea Synodo sibi usurpans*, inquit, Aimoinus in Vita Sancti Abbonis Abbatis Floriacensis. Quare Urbanus II. Prædecessoris sui Gregorii VII. Decretum innovavit, confirmavitque in Concilio Claromontano, & Senonensem, atque Rhotomagensem Archipræsules, nisi Hugonem, Gebuino in Sede Lugdunensi suffectum, ut Primatem suum venerarentur, Pallii usu, omnique in Suffraganeos auctoritate multavit. Constant hæc ex Decreto Urbani II. & Synodi Claromontanæ apud D. Petrum de Marca *in Dissertatione de Primatibus*. Frustra Ivo Carnotensis se paucis sequestrem Richerio exhibuit, eum adhortatus *epistola* 50. ut Romani Pontificis, & Synodi Sententiæ acquiesceret, donec Ecclesiæ suæ privilegiis diligenter excussis, ac pervolutis, in tempus magis opportunum differret pristinam libertatem recuperare. Ergo cum Ivo Carnotensis prudens consilium suum a Richerio contemni vidisset, ejus se obedientiæ subduxit, nec interesse voluit consecrationi *Sancionis* Episcopi Aurelianensis tum electi, quam ille ad Castrum Nantonense perficere meditabatur, quo Ivonem, ceterosque Senonensis Provinciæ suæ Episcopos Suffraganeos invitaverat: *Omnino* [1] *recusavimus propter Primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem irrationabiliter refutat illa Sedes, & interdictum Sedis Apostolicæ*. Cum autem Clerus Aurelianensis, & Rex Galliarum Sancionis ordinationem urgerent, Ivo Carnoti cum ceteris Provinciæ Senonensis Episcopis eam celebravit. Non multo post, Richerio vita functo, Daimbertum, qui in ejus locum electus fuerat, sibi sisti jussit ac obedientiam profiteri Hugo Lugdunensis, antequam ille consecraretur; Apostolica insuper Auctoritate prohibens, ne Provinciæ Senonensis Episcopi ordinare illum præsumerent, nisi prius Lugdunensi Ecclesiæ morem gessisset. At illi id molestissime tulerunt, omniumque nomine rescripsit Ivo *epistola* 60. conquerens ab Hugone rem insolitam, nullo jure, & nulla consuetudine fultam postulari, quæ nec ratione Primatus, nec Apostolicæ Legationis munere ipsi competeret. Permitteret idcir-

(1) Gregorius VII. lib. 6. epist. 34. & 35.

(1) Ivo Carnotensis epist. 54. alias 122.

co Episcopis Provinciæ Senonensis, ut suum Metropolitam consecrarent. Se interim cum Daimberto acturum pollicetur, ut Lugdunensis Ecclesiæ Primatum colat; quod si ille renuat, se, & Coëpiscopos suos Sedis Apostolicæ Mandatis parituros. Ne quid vero absque Romani Pontificis consensu fieret, idem Ivo (1) Urbanum II. ea de controversia certiorem reddidit. At Daimbertus moras ordinationis suæ injici longiores minime patiens, Romam profectus ab ipso Pontifice consecratus est. Tum in Urbe habita Synodus, in qua ab Urbano instauratum fuit judicium, confirmatusque Lugdunensis Primatus, cui tandem Senonensis Metropolita se subjecit. Id docet Urbani II. epistola ad Hugonem, quam refert Marca laudatus.

Fato suo defunctus Hugo, Joannes ei in Sede, & Primatu Lugdunensi successor, novam controversiam excitavit, occasione scilicet Concilii, ad quod Episcopos Provinciæ Senonensis vocaverat apud *Ansam*, ubi tractanda erat causa *de Laicorum Investituris*. Omnium nomine reposuit Ivo Carnotensis, id muneris nequaquam convenire Primatibus, ut extra Provinciam Antistites ad Concilium vocent, nisi Summus Pontifex jubeat, aut in causis Appellationum, cum Ecclesia aliqua ad Primatem provocat: quod ille probat *epist.* 236. Cepit ergo deinceps fluctuare Lugdunensis Primatis auctoritas in Senonensem, quæ vix unum Daimbertum, nec sine aliqua contentione, cultorem habere potuit, eo præsertim tempore, quo Ludovicus VI. Rex Christianissimus apud Callistum II. intercessit, scripta ad eum epistola ann. 1121. quam Dacherius *Tom.* 3. *Spicilegii*, *pag.* 147. inseruit. Epistolæ summa hæc erat: numquam se commissurum, ut Francici Imperii Decus novæ hujus servitutis dedecore obscuretur, tametsi adeundum esset Regni, aut vitæ ipsius discrimen. Id siquidem interesse plurimum ad Regii nominis majestatem, & officium, eniti totis viribus, ne vilescat Gallicanæ Ecclesiæ dignitas. Lugdunensem fucato colore prætexuisse Primatus sui antiquitatem; Senonensem vero longe vetustiora ac certiora proferre libertatis Ecclesiæ suæ fundamenta, quibus inhæret. Unius ex Senonensibus Archiepiscopis exemplo nihil minui posse splendoris Senonensis Sedis, nihil auctoritatis superaddi Primatui Lugdunensis Metropolitæ, cum Daimbertus privato, ac furtivo assensu, inconsultis Ecclesiæ suæ Clericis, necnon Provinciæ Episcopis, ipsis denique Regibus ignorantibus, sese Lugdunensi subjecerit, in maximum dedecus Ecclesiasticæ, ac Regiæ dignitatis. Addit postremo loco Lugdunum ea tempestate extra Regni fines, & alienæ ditionis esse; durius proinde videri, Præsules Gallicanos, & Senonensem cum primis, cui ut Metropolitano suberat Regiæ urbis Episcopus, ejus Primatis subjici Imperio, qui Regi Francorum non pareret. Erat enim tunc temporis Lugdunensis civitatis dominium etiam temporale penes Archiepiscopum, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ, a Frederico I. Imperatore concessum Heraclio Archiepiscopo, ejusque in eadem Sede Successoribus: quod postea ad Reges Christianissimos rediit, Philippus Pulcher, conventione facta cum Archiepiscopo, & Capitulo Lugdunensi, urbem illam Gallicanæ Monarchiæ vindicavit. Exinde vero Lugdunensis Primatus, cujus jugum excusserant Gallicani Antistites, Regia etiam auctoritate firmatus, vires suas

(1) Idem epist. 65.

suas repetiit; tametsi Rhotomagensis Archiepiscopus semper ab illo se exemerit: qua de re paulo post agemus.

III. Rhotomagensis Metropolis originem Sancto Bonifacio Germanorum Apostolo, & Moguntiæ Archiep. tribuit Ludovicus Thomassinus, *De Vet. & Nova Eccles. Discip. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 3. Cum enim in Germania, & Galliis Apostolica Legatione fungeretur Bonifacius, ibique collapsam cerneret Ecclesiasticam Disciplinam, nulla tunc in Galliis celebrari Concilia, nullos pæne Archiepiscopos reperiri, Metropolitanos constituit Rhotomagi, Rhemis, & Agendici Senonum, ut patet *ex epistolis* ejusdem Bonifacii, & Zachariæ Pontificis 1. 4. & 5. & ex Flodoardo *lib.* 2. *cap.* 16. Pallium a Sede Apostolica eis concedi impetravit, eos a Primatus sui jure absolvit, immo & ipsos Primates secundi ordinis creavit, quibus nulli quidem Metropolitani parerent, sed nec vicissim ipsi ulli subessent Primati, sed nullo interposito medio a prima Sede penderent. Hanc causam fuisse arbitror, cur Rhotomagensis Archiepiscopus recens instituto a Greg. VII. Primatui Lugdunensi collum subjicere detrectaverit; quod scilicet Romano Pontifici immediate subjectus esset, & Primatis titulo in sua Provincia ornatus. Quod colligitur ex Orderico Vitali *lib.* 13. *Histor. Eccles. ad annum* 1135. ubi de Innocentio II. Pontifice Maximo loquens, ait: *Hugo Rhotomagensis Archiepiscopus ipsum summopere adjuvit, & ab eodem honoratus, Primatum super multos Pontifices accepit*. Idipsum fassus est Gregorius IX. Pontifex Maximus in litteris ad Ludovicum IX. Regem Christianissimum, quas recitat Odoricus Raynaldus *ad ann.* 1232. *n.* 26. in iis quippe prædicat Ecclesiæ Rhotomagensis antiquam libertatem, ac uni Romano Pontifici ejus Archipræsules subjectos affirmat. Excitata iterum controversia a Lugdunensi Metropolita de Primatu supra Rhotomagensem apud Callistum III. Pontifex eam Dominico Capranicæ Cardinali judicandam commisit: *Qui rite, & recte, procedens per definitivam Sententiam, Rhotomagensem Ecclesiam, ejusque Suffraganeos atque suppositos Romanæ Ecclesiæ immediate, & nulli alteri Primatiali jure subesse, ipsi Archiepiscopo Lugdunensi super prætenso Primatiali Jure perpetuum silentium imponendo pronuntiavit: quæ quidem sententia, nulla saltem legitima provocatione suspensa, in rem transivit judicatam*. Quæ verba Callisti III. exscripsit Odoricus Raynaldus *ad annum* 1458. *num.* 37. ibique subdit, Cardinalis Dominici Sententiam a Pontifice fuisse confirmatam, & Lugdunensi Archiepiscopo, ejusdemque Ecclesiæ Procuratoribus sub Anathematis interminatione perpetuum silentium indictum.

IV. Latent initia conditæ Metropoleos Turonensis; eis nihilominus suam antiquitatem conciliat epistola Joannis XIII. (1) ad Episcopos Britanniæ Armoricæ data, eaque extat *Tom.* 3. *Concil. Galliæ*, *pag.* 596. *Arduinus*, inquit, *Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, veniens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui Archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per Decreta Sanctorum Pontificum Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ suis Prædecessoribus concessa, & confirmata fuerunt, a vestro Archiepiscopo sublata fuerunt*. Dolensis Metropolitæ in Britannia minori recens institutio ter-

(1) Joannes XIII. ad Episcopos Britanniæ.

tiæ Lugdunensis, cujus Metropolis erat Turonum civitas, Provinciam detruncaverat. Contra Canones, & citra Apostolicæ Sedis sententiam Nomenojus Britanniæ Dux Dolensem Metropolitam constituit, adjectis ei tribus Episcopatibus, quos Turonensi subtraxerat. Incassum Leo IV. Romanus Pontifex, apud quem de illata a Nomenojo Ecclesiæ suæ injuria Landranus Turonensis Archiepiscopus conquestus fuerat, Britanniæ Ducem admonuit, ut ab hujusmodi rebus Ecclesiasticis abstineret, suamque Ecclesiis redderet libertatem. Nam *Nomenojus patrato scelere pseudo-Episcopos constituit loco ipsorum* (quos scilicet deposuerat). *Cogitans autem Episcopos quos elegerat, a Metropolitano Turonensi benedictionem minime posse consequi, nec accessum ad eum metu Regis* (nempe Caroli) *habere; ex quatuor Episcopatibus* (videlicet Venetensi, Aletensi, Coriopitensi, & Oximensi) *septem composuit. Quorum apud Dolum Monasterium, unum constituit, quem Archiepiscopum fieri decrevit. Monasterium vero Sancti Brioci Sedem constituit Episcopalem. Similiter etiam Sancti Rabutuali hos tres usurpaticios Episcopos constituit, cæteris quatuor in antiquis urbibus derelictis. Provincia itaque Turonensi ita recisa, Nomenojus Dolo Monasterio Episcopos suos congregans, se in Regem ungere fecit.* Verba sunt Indiculi *de Episcoporum Britonum depositione*, a Sirmondo inter Analecta ad Capitula Caroli Calvi publicati. Ob hanc causam Synodus Parisiis convocata fuit anno 849. cui Episcopi viginti duo interfuerunt, quos inter, Turonensis, Senonensis, Rhemensis, & Rhotomagensis Metropolitæ. Hanc quidem Synodum Turonensem vocat Baronius; sed rectius Labbeus Tom. 8. Concil. p. 61. ex *Fragmento Chronici Fontanellensis*, eam Parisiis congregatam asserit, cum in eo ad hunc annum legatur: *Episcopi in Parisio Synodum generalem tenuerunt*. In epistola Synodica, quæ est inter epistolas Lupi Abbatis Ferrariensis, ordine 84. queruntur Patres, quod Britanniæ *Episcopi legitimi Sedibus propriis expulsi, & mercenarii introducti fuerint;* violata itidem S. Martini Diœceseos auctoritas, sicut etiam Vicarii B. Petri, nempe Leonis IV. cujus epistolam ad se missam ne recipere quidem dignatus sit Nomenojus, qui in sua contumacia perstitit. Irritæ non minus fuerunt sequentium Pontificum Romanorum admonitiones controversia diutius protracta. Eam prosecutus est Arduinus apud Joannem XIII. quod pariter ejus Successores præstiterunt. Sopitam aliquando fuisse hanc controversiam constat ex Stephano Tornacensi in epistola 39. ad Guillelmum Rhemensem Archiepiscopum data; tametsi Ludovicus VII. Gallorum Rex Turonensis Archiepiscopi causam ad mortem usque tuitus sit: (1) *De Dolensium autem causa*, inquit, *quæ auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sopita est, miratur admodum Dominus Rex, & eam moveri sic movetur, ut non toleret promoveri. Satagat, obsecro, Paternitas vestra, ut Ecclesia Turonensis, quæ usque ad senectutem Sanctissimi Regis nostri super hac quæstione tranquillitatem habuit & quietem, quasi extremis diebus ejus non amittat, quam hactenus habuit dignitatem.*

Exarsit denuo post Ludovici VII. obitum ea contentio, cujus causa Bartholomæus Turonensis, & Rolandus Dolensis Archiepiscop. apud Apostolicam Sedem de jure Metropolitico decertarunt. Rolandus quippe ob-

(1) Stephanus Tornacensis epist. 39.

obtendebat, ex veteri privilegio se totius minoris Britanniæ Archiepiscopum esse, ac Primatem. Contra vero Turonensis universos illius Provinciæ Episcopos, & Dolensem ipsum suæ Sedi obnoxios dictitabat. Dolensis causam promovebant Britannici, seu Armorici Proceres, & nonnulli etiam Anglicani Principes: Turonensis autem jura tuebatur Philippus Rex Galliæ; fovebant ejusdem Regni Præsules, nec non Schola Parisiensis. Ceterum Lucius III. in partes Dolensis Episcopi multum propendens, Turonensem Romam asciverat finem contentioni impositurus. Cujus animum cum Philippus explorasset, eumque erga Dolensem propensiorem expertus esset, injuriam sibi factam putans, si Primatus Ecclesiæ Turonensis læderetur, vetuit, ne ille Romam versus iter arriperet. Interea pacaturus Pontificis animum, epistolam ad ipsum misit, quæ est 107. inter epistolas Stephani Tornacensis, in qua tres potissimum causas prætexebat, ob quas necessarium duxerat Turonensis Archiepiscopi profectionem in aliud tempus differre: Primum, quia tunc Regnum Franciæ difficillimo bello cum Comite Flandriæ vexabatur: Secundo, propter motus plusquam civiles in Britannia exortos inter ejusdem Provinciæ Principes, & Regis Anglorum filios: Tertio, quod post proximum Paschatis Festum præstolaretur Imperatoris adventum, cum quo colloquium esset habiturus. In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi industria, præsentia, consilio, & auxilio indigebat. Has tamen dilationis causas Lucius inanes, ac prætextu declinandi judicium Apostolicæ Sedis inventas putans, eas recipere noluit, minatus se controversiam diffiniturum, quæ inter Episcopos de Primatu vertebatur. Regis adhuc juvenis animum concitavit Pontificis responsio, ratusque integritatem Regni sui nova illa institutione minui, quamquam tunc Britannia extra Regnum ipsius esset, alteram Lucio III. epistolam dedit, quæ 108. est inter Epistolas Stephani Tornacensis: [1] *Usque ad animam nostram pertinget gladius iste, ut exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti, & abjecti a vobis ultionem quandoque Dei, & hominum expectemus... Et sicut antiquis temporibus occasione dissensionis hujus multorum sanguis effusus est: ita & diebus nostris, nisi per industriam vestram venienti morbo citius occurratur, clades communis, & generalis strages inter Francos, & Britonnes poterit suscitari.* Aliam in eamdem rem direxit epistolam ad Dominum Octavianum in Curia Romana potentissimum, quem paulo post Lucius Cardinalem Tit. SS. Sergii, & Bacchii renuntiavit. Guillelmus itidem Rhemensis Archiepiscopus litteras scripsit ad Magistrum Meliorem Cardinalem, ei significans multa, quæ inde nascitura essent, si Pontifex pro Dolensi sententiam ferret. Extant cum Regis ad Octavianum, tum Guillelmi ad Meliorem epistolæ apud Stephanum Tornacensem, ordine 109. & 110. Quare Lucius III. cum summa prudentia præditus esset, & pacem Ecclesiæ turbatam nollet, controversiam illam indecisam reliquit, quemadmodum & alii, qui ipsi successerunt Pontifices, usque ad Innocentium III. Is [2] etenim, referente Spondano, liti huic gravissimæ, quæ medio circiter seculo nono cepit, atque ad duodecimum usque labentem, Galliam, Britanniamque inter se collisit, anno 1199. finem imposuit,

(1) Stephanus Tornacensis epist. 108.

(2) Spondanus ad ann. 1199. num. 10.

fuit, & sententiam pro Turonensi dixit.

V. Eadem Senonensis Metropolis, quæ & Rhotomagensis fuerunt primordia. Nam & hæc a Sancto Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato instituta fuit. Nova deinde Primatus, & Apostolicæ Legationis dignitas in Galliam, & Germaniam Cis-Rhenanam huic Sedi accessit anno 876. cum Ansegisus Senonensis Archiepiscopus a Carolo Calvo Romam Legatus missus post Lotharii Imperatoris obitum, ipsi Imperium a Joanne VIII. Pontifice Maximo, & Italiæ Primoribus deferendum curavit. Romanus Pontifex, & Carolus Calvus pari studio decertarunt, ut Ansegisi Primatum Galliarum Antistites venerarentur: coacta idcirco fuit Synodus Pontigonensis, cui præter Apostolicæ Sedis Legatos, Carolus ipse Imperator adesse voluit. Sed vehementer obstiterunt Hincmarus Rhemensis, ceterique Gallicani Antistites, ægre ferentes nova hac dignitate minui Metropolitanorum jura. Unus Frotarius Burdigalensis Episcopus in prima Sessione Apostolicis litteris obtemperavit. In septima vero, & ultima Sessione num omnes Episcopi Ansegisi Primatum admiserint, ob varias Pontigonensis Synodi editiones, non satis constat. Annales Bertiniani, & Aimoini Continuator ad annum 876. Acta ejusdem Synodi referentes, nihil ab Episcopis obtinuisse Ansegisum testantur. Actorum vero Synodi hujus editio altera, *cap.* 7. receptum unanimiter ab omnibus Ansegisi Primatum tradit. Verum Annales Francorum Bertiniani asserunt, nihil hujusmodi a Synodo fuisse decretum; sed tantum capitula, rem hanc spectantia, ab Odone Bellovacensi Episcopo cum Legatis Apostolicis condita, in Synodo lecta, at nihilominus ab Episcopis repudiata. Flodoardus quoque *lib.* 3. *Hist. Rhem. cap.* 21. scribit, Hincmarum Ansegisi conatibus *efficaciter* obstitisse. Contra vero Chronicon Antisiodorense, irritos fuisse narrat hac in parte Hincmari conatus, eosque Apostolica auctoritate repressos. Quia tamen magna erat tunc temporis Hincmari, & Rhemensis Ecclesiç auctoritas, aliquod a Pontifice temperamentum adhibitum reor, ut nimirum Ansegisi Primatus staret, sed sua nihilominus jura Sedi Rhemensi integra servarentur. Nam Joannes VIII. anno 878. *epistola* 31. quæ extat *Tom.* 3. *Concil. Galliæ*, scribens ad Quinque Galliarum Archiepiscopos *a Paribus*, Hincmarum Rhemensem Ansegiso Senonensi præponit. In Concilio etiam Tricassino II. quod eodem anno celebratum est, Ansegisus post Hincmarum subscriptus legitur, sed ante Lugdunensem, ac ceteros Metropolitas. An vero Primatus ille personalis esset, uni Ansegiso concessus, vel potius perpetuus, ac Sedi Senonensi collatus, merito dubitari potest. Odorannus Senonensis Monachus, Primatum Galliæ, Germaniæque non Ansegiso tantum, sed cunctis ejus Successoribus concessum testatur *in Chronico*, *& secundum Papam* appellatum: Hoc ipsum & Chronicon Sancti Petri Vivi apud Senonas editum Tom. 2. Spicilegii Dacheriani refert, siquidem Decretum de Ansegisi Primatu in Synodo Pontigonensi editum a Legatis Apostolicis, & Odone Bellovacensi, hac verborum formula adjecta: *Cunctique Successores ejus, in propria urbe Senonica*. Sed hæc clausula interpolatione manifesta fuit addita ab Auctore hujus Chronici, cum absit a Synodi Actis. Quocirca P. Thomassinus *De Vet. & Nova Eccles. Discip. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. rectius sen-

sensit, Ansegisi Primatum personæ, vitæque ejus finibus coarctatum, nec manasse ad Successores. Nam centum amplius post annis eamdem dignitatem a Joanne XV. Seguinus Senonensis Archiepiscopus impetravit, ut tradit Chronicon Antissiodorense: quare & præsedit ut Primas Concilio Rhemensi anno 992. in quo Arnulphus Archiepiscopus Rhemensis depositus est. Cum autem de Arnulphi depositione tribus post annis Leo Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Mosomensi conquestus esset, eamque irritam esse contenderet, utpote inconsulta Sede Apostolica factam, Episcopi, qui Synodo aderant, Leoni responderunt, ratam esse depositionem Arnulphi, nec citra Romani Pontificis auctoritatem factam, cum Seguinus vices agens Apostolicæ Sedis Rhemensi Concilio præfuisset. Quod narrat Gerbertus in Libello de Synodo Rhemensi in causa Arnulphi. Ejusdem Primatus confirmationem postea obtinuit a Silvestro II. Leotericus Seguini Successor, ut scribit Clarius Monachus in Chronico Sancti Petri Vivi. Ea tamen tractu temporis opinio Senonensium Archipræsulum animis insedisse visa est, ut hæc privilegia non tam personis, quam Senonensi Ecclesiæ concessa fuerint. Propterea Richerius, aliique Senonenses Archiepiscopi, cum Decretis Gregorii VII. de Primatu Lugdunensi obsisterent, Primatu, & Legatione Apostolica Senonensem Sedem antea donatam jactabant, ut videre est apud Ivonem Carnotensem *epist.* 50. Hodie Senonensi Metropolitæ soli supersunt tituli, velut imagines quædam antiquæ dignitatis, detruncata insuper ejus Provincia nova erectione Metropoleos Parisiensis, quæ illi subtracta est.

VI. Antequam Trevirorum civitas a Francis e Germania in Gallias irrumpentibus everteretur, (quod sub finem seculi IV. sub Honorii Srincipatu contigit) universæ Galliæ Metropolis ea fuit, & Sedes Sræfecturæ Galliarum, ut ex Ausonii Mosella constat. Quo nomine illam decoravit S. Athanasius *in epistola ad Sollitarios*, de Sancto Paulino in exilium acto anno 355. *Paulinus*, inquit, *Episcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis est*. Sed utrum de civili tantum Metropoli, an etiam de Ecclesiastica iste Athanasii locus sit intelligendus, nondum plene exploratum est. Verisimilis tamen mihi videtur conjectura D. Petri de Marca *lib. 6. Concord. cap.* 17. §. 4. Trevirorum urbem tunc temporis Ecclesiasticam quoque Metropolim extitisse, propterea quod ea tempestate quædam in Galliis habitæ sint Episcoporum Synodi, quas credere par est ab ejus urbis, quæ Sedes erat Præfecturæ Galliarum, Episcopo congregatas fuisse; quod utique proprium est Metropolitani munus. Sane etiam post direptam, eversamque a Francis urbem illam, post translatam ab Honorio Arelate Præfecturam Galliarum, post institutum a Symmacho Papa Primatum Rhemensis Ecclesiæ, stetit Trevirensi sua dignitas, pari cum Primatiali Rhemensi splendore prædita; quod mihi argumento est, Trevirorum Ecclesiam longe ante id tempus, cum urbs illa floreret, Metropoleos auctoritate donatam. Neque enim dirutæ jam Civitati, ac pristina gloria destitutæ id concessissent, quod illa in summo posita honoris fastigio minime obtinuisset. Ante Rhemensis Ecclesiæ Primatum Trevirensis Metropolita in primam, & secundam Belgicam diffuderat suam auctoritatem: aucta postmodum Rhemensi Sede Metropolitica dignitate in secundam Belgicam, quin & Pri-

ma-

matus prærogativa in totum Clodovæi Regnum; quamquam Primatum honoris consequi debuisset Augusta Trevirorum, quod Sedes fuerit quondam Imperii, & totius Belgii, immo & Galliarum caput: præscriptum tamen erat consuetudine quadam mira, nec illaudata, ut quasi *Sorores*, & *Comprovinciales* exæquarentur sibi mutuo eæ civitates, neutra præesset, aut imperaret alteri; sed qui prior duorum Metropolitanorum ordinatus fuisset, is communi ambarum Provinciarum præesset Synodo: viduatæ alterius Ecclesiæ curam cum suis Coëpiscopis haberet Pontifex superstes, novi Metropolitæ consecrationem celebraret: uno verbo antiquior ex duobus Metropolitis primas honoris, ac Sedis prærogativas consequeretur. Quod adnotavit Hincmarus Rhemensis in Synodo Metensi, quæ propter Caroli Calvi in Regno Lotharii coronationem coacta est, & inter Capitula ejusdem Caroli edita, nec non apud Hincmarum ipsum *Tom.* 1. (1) *Quoniam*, ait, *Ecclesiæ Rhemensis, & Treverensis Comprovinciales atque Sorores, & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione, ut qui prior fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo, & sibi mutuo consilio, & auxilio foveantur*. Quamobrem utraque Sedes Primatus honore quodammodo fruebatur. Verum institutа postmodum in gratiam Sancti Bonifacii Germanorum Apostoli Moguntina Metropoli, eidemque Bonifacio collato a Zacharia Pontifice Legationis munere in Gallias, atque Germaniam, ea aliquando Moguntinos Archipræsules incendit cupido, ut suæ Sedi Trevirensem subjicere tentarent, immo Galliarum, Germaniæque Ecclesias universas. Tentatum id fuit in Concilio Moguntino anni 1071. ubi (1) Archiepiscopus Moguntinus Srimatem se inscripsit, appellavitque Ecclesiam suam *Metropolim Orientalis Franciæ, Principalem vero Pontificii Sedem totius Germaniæ, & Galliæ Cisalpinæ*. Speciatim vero sub Callisto II. Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus Legationis Apostolicæ munia, & ornamenta assecutus, curas suas eo vertit, ut Trevirensis Ecclesia a Moguntinæ imperio penderet. Sed repressit Moguntini ambitum Bruno Trevirensis Metropolita, & ut Ecclesiæ suæ libertatem, immunitatemque tueretur, Pontificem adjit tunc in Cluniacensi Monasterio commorantem, ab eoque Rescriptum obtinuit, quo Trevirensis Archiepiscopus soli Romano Pontifici subesset. Hæc narrat Trevirensis Historiæ Scriptor relatus *Spicilegii Tom.* 12. *pagin.* 248.

VII. Alterius Belgicæ nimirum secundæ Metropolis est Rhemorum civitas, licet minus perspecta sint ejus primordia. Quod enim Sanctus Bonifacius Episcopus, quemadmodum Rhotomagi, & Senonibus, ita & Rhemis Metropolitas ordinavit, non recens fuit Rhemensis Archiepiscopatus institutio, sed veteris jam collapsi restitutio. Nam diu ante Bonifacium Sanctus Remigius, immo & nonnulli ejus Prædecessores Metropolitæ fuisse creduntur. In Remigio maximum dignitatis incrementum contigit huic Sedi, cum Symmachus Papa ipsi Remigio vices suas per omne Clodovæi Regnum demandavit, datis ad eum litteris, quas referunt Hincmarus *epist.* 6. *cap.* 18. & Flodoardus *in Histor. Rhemen. lib.* 1. *c.* 19. Non tamen per omnes Gallias divagabatur hæc Primatus Rhemensis auctoritas, sed per eas tantum Provincias,

(1) Apud Flodoardum lib. 3. Hist. Rhemen. cap. 20.

(1) Tom. 9. Concil. p. 1196.

cias, quæ Clodovæo parebant, nempe Belgicas duas, Germanicam secundam, Lugdunensem secundam, quartam, & quintam, seu Maximam Sequanorum: quæ autem Alarici Visigothorum Regis clientelares erant, scilicet tres Aquitaniæ, & prima Narbonensis: quæ itidem Gundobado Burgundionum Regi obtemperabant, nimirum Lugdunensis prima, Narbonensis secunda, & omnes fere Viennenses, Rhemensi Primati nequaquam subjectæ erant. Nam Symmachus in litteris ad Remigium palam fatetur, se ei vices suas committere *per omne Regnum Clodovæi*: & Hincmarus *epist. 6. cap.* 18. *Per Belgicam, & quasdam Provincias Gallicanas*. Aliquibus creditum est, privilegium istud non Remigii Personæ, sed Sedi concessum, ad ejus quoque posteros transiisse. At probabilior est aliorum sententia, quam indicant P. Natalis Alexander *Histor. Eccles. seculi VI. cap. 6. art.* 2. §. 4. & P. Ludovicus Thomassinus *De Vet. & Nov. Eccles. Discip. p.* 1. *lib.* 1. *c.*30. *num.* 11. asserentes Primatum ejusmodi non Sedi, sed personæ Remigii fuisse concessum; Hincmarus enim suorum, suæque Ecclesiæ jurium retinentissimus, de hoc Privilegio disserens, numquam asseruit, ejus hereditatem ad Successores venisse: quod quidem cum in sui, suæque Sedis dignitatem maxime redundaret, hoc nequaquam prætermisisset. Quod ex Testamento Remigii petunt argumentum, elumbe est. In eo siquidem quod Flodoardus Historiæ suæ adtexuit *lib.* 1. *cap.* 18. tot interpolationes occurrunt, quæ nec tempora, nec genium Remigii sapiunt, ut illud plerisque suppositititium visum fit. Aliud sincerum, quod *Brevius* vocant, descripserunt P. Labbeus *Tom.* 1. *Bibliothecæ*; & P. le Cointe *in Annalibus Francor. Tom.* 1. sed ibi nihil commemoratur, quod spectet ad Successores de convocandis ad Synodum Metropolitis, & Episcopis Regni Francorum. Hodie Belgium præter antiquos Archiepiscopatus Trevirensem, & Rhemensem, habet insuper Cameracensem a Rhemensi, Ultrajectensem a Coloniensi subtractos, & Mechliniensem recens creatum, quos omnes Paulus IV. precibus annuens Philippi II. Hispaniarum Regis Metropolitico honore decoravit. His porro tribus Archiepiscopis subjecit non solum antiquos Episcopatus, Atrebatensem, & Tornacensem, Rhemensis Provinciæ antea Suffraganeos, sed tredecim præterea Episcopatus alios recens institutos.

VIII. Ex duabus Germanicis Provinciis, primæ caput & Metropolis est Moguntia, cujus fundamenta jecit Sanctus Bonifacius sæpe laudatus. Contendit tamen D. Petrus de Marca *in Dissert. de Primatib.*, *n.* 76. *& seqq.* Moguntiam, quæ Metropolis fuerat in ordine civili, fuisse etiam in ordine Ecclesiastico; tametsi fateatur, se testimoniis veterum hac in parte destitui. Sed vir doctissimus falso innititur principio, singulis nimirum Metropolibus civilibus Metropoles Ecclesiasticas respondisse. Hæc siquidem regula in universum vera non est, ac multas patitur exceptiones, quemadmodum in Africa, in Ægypto, in Italia, in Hispaniis patet: quin & in Galliis quarto Ecclesiæ seculo quædam Metropoles civiles Episcopos tantum habebant. Rectius scripsit Othlonus, antiquus Auctor vitæ Sancti Bonifacii, Moguntiam prius alteri Ecclesiæ subjectam, & a Zacharia Summo Pontifice Metropolim factam esse. Narrata enim Gervilionis Episcopi Moguntini depositione, subdit: (1) *Quo deposito sta-*

(1) Othlonus lib. 1. c. 37.

statim Sanctus Bonifacius a supradictis Principibus, Carolomanno videlicet, & Pippino fratre ejus, Ecclesiae Moguntiacensi praeficitur, & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes Ecclesiam Moguntiacensem, quae prius alteri subjecta erat, Metropolim omnium in Germania positarum Ecclesiarum efficere: moxque legatione facta illud a Praesule Apostolico impetravere. Othlono consentiunt Baronius, Carolus a Sancto Paulo Abbas Fuliensis, Ludovicus Thomassinus, & Serarius diligens Rerum Moguntinarum Scriptor, qui omnes Bonifacii Decessores Episcopos, ipsum vero ac Successores Archiepiscopos fuisse commemorat. A Regni Principibus Zacharias Pontifex rogatus fuerat, ut Moguntinam Ecclesiam in Metropolim erigeret, eique primum Archiepiscopum praeficeret Bonifacium, quorum votis obsequens optimus Pontifex, novae Metropolis institutionem, & Bonifacii electionem ratam habuit, confirmavitque hoc decreto ad eumdem Bonifacium misso: (1) *Beati Petri auctoritate sancimus, ut Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi, & Successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, idest Tungris, Coloniam, Vormatiam, Spiratiam* (seu Spiram) *& Trectis*, idest Trajectum ad Rhenum, *& omnes Germaniae gentes, quas tua Fraternitas per suam praedicationem Christi lumen agnoscere fecit.* Ad has Bonifacii litteras allusit etiam Hincmarus Rhemensis, brevem complexus narrationem Apostolicae Legationis Bonifacio demandatae, quam ille viginti quinque annorum spatio impigre implevit, ac tandem Moguntinae Metropoli praepositus fuit: *Gregorius* (2) *a primo, secundus, sed & tertius Gregorius, Winfrid, cognomento Bonifacium, Legatum Apostolicae Sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primo Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum dixerunt, cui per annos 25. in eadem praedicatione sive Cardinali Sede laboranti praefatorum Successor Zacharias Papa, inter cetera in Privilegio sibi directo scripsit, atque firmavit ad locum*, nempe ad Moguntinam Metropolim.

Ex hoc Hincmari testimonio discimus, Bonifacio, etiam antequam Moguntiae Archiepiscopus crearetur, Apostolicas vices a Summis Pontificibus Gregorio II. & III. fuisse concreditas: quod munus ipsi etiam confirmavit Zacharias Papa, postquam eum ad Moguntinam Sedem evexerat. Amplissima fuit ea Bonifacii auctoritas, utpote quae non solum in Germaniam, sed etiam in Gallias excurreret, uti idem Pontifex Gallicanis Episcopis significavit: *Habetis* (3) *itaque nostra vice, ad confirmandam dilectionem vestram, & collaborandum vobis in Evangelio Christi, Bonifacium Archiepiscopum Apostolicae Sedis Legatum, & nostram praesentantem vicem.* Quocirca Bonifacius nedum Metropolita, sed etiam Primas fuit. Verumtamen Primatus dignitas non ejus Sedi, sed personae tantum defixa, cum ipso expiravit. Siquidem post Bonifacii obitum nulli Galliarum Metropolitae Moguntino parebant, immo & eorum aliquot Primatis honorem adepti sunt. Magna nihilominus deinceps aestimatione, ac gloria floruit Moguntina Sedes, eo praesertim nomine, quod aliquando ejus Archipraesul Apostolica Legatione defunctus fuerit, & Suessione Pippinum inunxerit Regem. Exinde etenim Moguntini Archiepiscopi Principatum honoris, & potestatis inter Germaniae Praesules sunt consecuti. Ita affirmat Marianus Sco-

(1) Tom. I. Concil. Galliae pag. 581.
(2) Hincmarus epist. 6. cap. 19.

(3) Tom. I. Concil. Gall. pag. 549.

Scotus: (1) *Pippinus in Civitate Suessionum a Sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, Regni honore sublimatus est; & ob id deinde post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus, usque in hodiernum diem.* Huic Metropoli Zacharias subjecerat Tungros, Coloniam, Wormatiam, Spiram, Trajectum ad Rhenum: verum progressu temporis aliæ sunt ei adjectæ urbes, Strasburgum, Curia, Praga, Augusta Vindelicorum, aliæque quædam Civitates, ex ejus tamen subjectione Colonia, & Tungrorum Civitas exemtæ. Quo autem tempore Pragensis urbs Regni Bohemiæ caput Moguntinæ Metropoli subjecta erat, id privilegii Moguntiæ Archiepiscopo concessum fuit, ut ipse BohemiæReges corona redimiret:quod Ottocarus, ejusque Filius Wenceslaus ab aliis usurpari non sunt passi: (2) *Consecrationem Regalem, & diadematis impositionem tenemur de Sacrosanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiscopo, terræ nostræ Metropolitano in perpetuum recipere.* Hunc priscum morem coronandi, consecrandique Bohemiæ Reges, Gregorius IX. Moguntino Archiepiscopo firmavit. Nunc tamen Pragensis Ecclesia in Metropolim erecta est, atque ex Moguntinæ imperio exemta, decreto Clementis VI. Hoc quidem antea ab Innocentio III. impetrare non potuit Ottocarus Rex, (3) ne tantum damni Moguntinæ Sedi inferretur. Ceterum cum Reges Bohemorum impatientius sustinerent in dies Regni sui Ecclesias, & Coronam ipsam suam ab extranea Metropoli pendere; tandem a Clem. VI. obtinuerunt, (4) ut Pragensis Episcopus Pallio exornaretur & posthac inter Metropolitanos sederet.

IX. Coloniam Agrippinam secundæ Germaniæ fuisse Metropolim Ecclesiasticam quarto Ecclesiæ seculo, existimat D. Petrus de Marca laudatus; atque ad hoc probandum utitur auctoritate Sancti Athanasii *in epist. ad Solitarios*, ubi cum in Comitatu ex Aula Principis apud Treveros versaretur, inter ceteros suæ communionis Episcopos recenset *Euphratam* Episcopum *Agrippinæ Metropoleos superioris Galliæ*. Sed hæc verba minime ostendunt fuisse Provinciam quampiam, quæ Gallia superior diceretur, cum nullus unquam id scripserit. Nec etiam juvat asserere, textum esse corruptum, & loco *Galliæ*, *Germaniæ* esse legendum; certum quippe est Coloniam non Superioris, sed inferioris Germaniæ esse civitatem. Quare D. Athanasius hoc unum indicare voluit, Coloniam Metropolim fuisse civilem in Gallia superiori, hoc est, in remotiori Galliarum parte, quoniam ea ætate Germania prima, & secunda Galliarum nomine comprehendebantur. Veteribus enim familiare fuit, Metropoleos voce urbem designare, quæ in rebus politicis esset Provinciæ caput, ceterisque dignitate antecelleret. Ex antiquis itidem Monumentis, Nummis, & Inscriptionibus constat, in una eademque Provincia, plures ejusmodi Metropoles, idest, primarias & nobiliores urbes extitisse. Certe in eadem epistola Athanasius Capuam, & alias urbes vocat Metropoles, quas tamen compertum habemus non fuisse tunc Metropoles Ecclesiasticas, sed civiles dumtaxat. Hujus rei haud leve est argumentum, quod ex Synodo Coloniensi ann. 346. habita apparet, non Euphratem Coloniensem, sed Paulinum Trevirensem fuisse etiam illius Provinciæ Metropolitam. Trevirensi quandoquidem Metropoli sacræ tunc temporis su-

(1) Marianus Scotus lib. 3.
(2) Apud Raynaldum ad ann. 1218. num. 39.
(3) Ad ann. 1204. num. 53.
(4) Ad ann. 1344. num. 64. 65.

fuberant, non solum duæ Belgicæ, sed etiam duæ Germanicæ. Itaque feculo tantum octavo jam senescente, post institutum Moguntinum Archiepiscopatum, Colonia in Metropolim erecta est. Proposuerant quidem Francorum Principes Zachariæ Pontifici Coloniam in Metropolim erigendam, cui Bonifacius præficeretur, ut latè demonstrat Pagius *ad annum* 745. *num.* 2. 3. & 4. ex litteris Zachariæ ad Bonifacium, quæ extant apud Baronium *num.* 45. Verum paulo post eos pœnituit, quod Coloniam Metropolim institui præpropere petiissent, cui Moguntiam prætulerunt, in qua Sedem Archiepiscopalem fixit Bonifacius, quemadmodum ipsius Zachariæ epistola ad ipsum data testatur, quam exscripsit Baronius *ad ann.* 751. *num.* 15. & ex ipso Pagius *ad ann.* 748. *num.* 3. Attamen non multis post annis etiam Coloniæ Metropoleos dignitas accessit: nam Anastasius in Vita Leonis III. eorum, quæ anno 789. gesta fuerant, narrationem instituens, Hildeboldum Archiepiscopum Coloniensem appellat; tametsi adhuc lateat, quis primus ex Episcopis Coloniensibus ad eam pervenerit dignitatem.

X. Vesontionis, quæ erat Metropolis civilis Maximæ Sequanorum, Episcopus sex primis seculis inter meros Episcopos subscriptus reperitur in Conciliorum Actis, ut observat Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis. Quo tempore posthac Metropolitica dignitate cumulatus fuerit, haud plane constat. Id unum certum est, Vesontionem inter Metropoles Ecclesiasticas locum habere in Caroli Magni testamento, in Capitularium libris, & in Conciliis ea ætate posterioribus. Joannes VIII. in quadam epistola ad istius urbis Præsulem scripta, eum appellat Archiepiscopum Chrysopolis, alludens ad vernaculam ejus vocis significationem.

Alpium Grajarum, Penninarumque Metropolis Tarantasia habebatur, cum Octoduro præesset. Eam nihilominus Sanctus Leo Arelatensi Metropoli substratam esse voluit. At fervente controversia de Primatu inter Archiepiscopos Viennensem, & Arelatensem, ea tandem finita est, & profligata in Concilio Francofordiensi, (1) tuncque Tarantasia vinculo Arelatensis absoluta pristinam nacta est libertatem. Statutum quippe fuit, ut Summorum Pontificum Leonis, Zosimi, Symmachi, & Gregorii decreta persisterent; atque ex eorum rescriptis, quatuor Viennensi, novem vero Arelatensi parerent Suffraganei. Ceterum quoad Metropoles Tarantasiam, Ebredunum, & Aquas Sextias, Apostolicæ Sedis judicium expectandum fore: (1) *De Tarantasia vero, & Ebroduno, sive Aquis, Legatio facta est ad Apostolicam Sedem, & quidquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur*. Etsi vero incompertum sit, quid Romanus Pontifex hac in parte sanxerit, conjiciendi tamen est locus, Tarantasiam, & Ebredunum ab Arelatensi exemtas, Metropoleon acquisivisse honorem. Nam ex Caroli Magni testamento patet, Ebredunum, & Tarantasiam suum inter Metropoles possidere locum.

XI. Cum Notitia Imperii in capite septem Provinciarum Viennensem Provinciam collocaverit, una cum ejus Metropoli, quæ est Civitas ipsa Viennensium, occasionem quibusdam præbuit existimandi, Viennam quarto feculo civilem æque, ac Ecclesiasticam fuisse Metropolim, nedum Viennensis, sed etiam septem Provinciarum. Quæ sane opinio permovit Calli-

(1) Tom. 2. Concil. Galliæ pag. 491. 497. 552.

(1) Concil. Francofurd. can. 8.

listum II. ut Ecclesiæ Viennensi ad preces ejusdem Urbis Episcopi septem illas Provincias subjiceret, inquit D. Petrus de Marca in *Dissert. ad Concil. Claromontanum ann.* 1095. *celebratum*, *num.* 123. qua de re postea. In Dissertatione tamen de Primatu Lugdunensi & alibi docet, Viennam fuisse civilem & Ecclesiasticam Metropolim suæ Provinciæ; sed postmodum jus Metropoliticum, & ordinandorum Episcoporum ad Arelatensem Antistitem translatum fuisse, ex eo quod Arelatum Metropolis Galliarum factum esset. Inde gravissimam litem exarsisse inter Viennensem, & Arelatensem Episcopos de jure Primatus, quod unaquæque duarum istarum Urbium se Regni Metropolim jactaret. Dissidium illud ita fuit compositum in Concilio Taurinensi,(1) ut ea civitas frui deberet Primatus honore, quæ doceret Provinciæ esse Metropolim. Quod Concilii decretum de Metropoli civili intelligendum esse censet. „ Frustra enim „ definirent Patres Concilii Taurinensis, inquit Marca, hunc totius „ Provinciæ honorem Primatus habiturum, qui approbaret suam civitatem esse Metropolim, si nulla ex hoc capite fuisset controversia inter Viennensem Episcopum, „ & Arelatensem; quæ nulla esse „ poterat, si Arelas non fuisset tunc „ Metropolis. Compertum habebant, Viennam esse veterem Provinciæ Metropolim, adeoque ad „ illam secundum Ecclesiasticas regulas pertinere ordinationes Episcoporum Provinciæ Viennensis. „ Sed quia tum Arelas erat Metropolis Galliarum in ordine civili, „ contendebatque haud dubie ob eam „ caussam Episcopus Arelatensis transisse ad suam Ecclesiam a Viennensi jura ordinationum, quod „ Vienna tum contributa esset Arelatensi urbi. In eamdem sententiam conspirarunt alii multi, atque in iis Quesnellus *in Dissert.* 5. *Apologetica pro S. Hilario Arelatensi p.* 1. *cap.* 5. In eam & ego aliquando propenderam, quod sub Constantino Arelatum inclyta esset Galliarum civitas, unde ab ipso *Constantina*, & ab Ausonio *Gallula Roma* dicta est. Sed nunc ab ea recedere compellor ea ratione edoctus, quod Constantini ætate, usque ad initium seculi quinti, non Arelatum, sed Trevirorum civitas esset Galliarum Metropolis in ordine civili. Fuit quippe Sedes Præfecturæ Galliarum, quandiu illa stetit; qua a Francis eversa seculo quinto incunte sub Honorii Principatu, tunc Sedes Præfecturæ Galliarum Treveris Arelatum demigravit. Neque enim audiendus est Quesnellus, quando scribit, ante Concilium Taurinense Arelatem Metropolitanam civitatem, & Præfecturæ Sedem factam esse, idque Valentiniani primi, aut secundi beneficio obtinuisse, propterea quod Galliarum Episcopi, in libello supplice Sancto Leoni Papæ oblato, quem recitat Baronius *ad annum* 450. *num.* 52. *& seqq.* de urbe Arelatensi, inquiunt: *Hanc Clementissimæ recordationis Valentinianus, & Honorius fidelissimi Principes specialibus privilegiis, & ut verbis ipsorum utamur, Matrem omnium Galliarum decorarunt*. Hæc siquidem verba accommoda quadam distributione sunt exponenda, ut scilicet a Valentiniano II. aliqua huic civitati privilegia fuerint concessa, non tamen Præfecturæ Sedes eo transportata, quod postmodum ab Honorio factum est. Nam *lex* 50. *Cod. Theodos. de cursu publico*, dicitur PP. 15. *Kal. Jul. Treveris Valentiniano A. IV. & Neoterio Cons.* idest *Treveris proposita*, ubi proinde Præfectus Prætorio Galliarum adhuc residebat anno 390. Et

(1) Apud Baron. ann. 397. num. 42. & seqq.

Et Sulpitius Alexander, apud S. Gregorium Turonensem *lib. 2. cap. 9.* refert, *Marcomeram*, *&* *Sunnonem* Francorum Regulos, Valentiniano II. imperante, & Maximo, Eugenioque tyrannidem exercentibus, sæpius in Gallias irruisse, sed Treveros adhuc stetisse manifeste indicat. Cujus quidem urbis eversio a Francis Gallias iterato invadentibus illata non contigit, nisi aliquot annis post Valentiniani II. obitum, licet proprius ejus annus varie consignetur a recentioribus Historicis, dum alii in annum 406. alii in annum 407. referunt, quorum tamen opinionem recte propulsat Franciscus Pagius *ad ann.* 402. *num.* 30. *& seqq.* ex eo quod Franci contriti sint anno 407. dum pro Romanis adversus Barbaros militarent; & parte alia Honorius Imperator *in Constit.* ad Agricolam Præfectum Galliarum datam 15. *Kalend. Maii acceptam Arel.* 10. *Kalend. Junias Domino Honorio XII. & Theodosio* (subaudi VIII. Coss.) ut in ejus fine legitur, jubeat, ut posthac annis singulis *in Metropolitana, idest in Arelatensi urbe*, Septem Galliarum Provinciæ Conventum habeant: *Siquidem*, subdit Imperator, *hoc rationabili plane, probatoque Concilio, jam & vir illustris Præfectus Petronius observari debere præceperit, quod interpolatum, vel injuria temporum, vel desidia tyrannorum, reparari solita prudentiæ nostræ auctoritate decernimus.* Porro Constantinus, qui ex infima militia tyrannidem in Britannia arripuerat, anno 407. in Gallias venit, sedemque apud Arelatem fixit, ac subinde hæc civitas Sedes Præfecti Prætorio Galliarum fuerat, jamque Conventus illi *Septem Provinciarum*, aut neglecti, aut interrupti fuerant. Igitur anno circiter 402. conventus ille institutus, & Præfectura Prætorii Galliarum urbi Arelatensi attributa, postquam duobus, aut tribus annis rebus Galliæ afflictis certo loco non constitisset. Legendus idem Pagius *ad ann.* 407. *num.* 14. Certe quo anno habitum est Taurini Concilium nondum institutum fuerat corpus Septem Provinciarum, quarum tamen extat mentio in Constitutione Honorii, & Petronii edicto, de Conventu septem Provinciarum Arelate ineundo. Tandem Episcopus Arelatensis, qui in Taurinensi Synodo de Primatu Metropolitico cum Viennensi contendebat, jus suum nequaquam deduxit a Sede Præfecturæ Galliarum, sed a missione Sancti Trophimi; quod tamen non prætermisisset, si tunc Arelate Sedes fuisset Præfecti Prætorio: cum id maxime conduceret ad vendicandam suæ Ecclesiæ Metropoliticam dignitatem. Contra vero postquam Honorii beneficentia urbs illa Præfecturæ Sedes facta fuit, utroque ex capite Arelatem esse Metropolim, Edictaque sibi Imperialia favere contendit.

XII. Quamobrem Taurinensis Concilii canon secundus non de civili, sed de Ecclesiastica Metropoli omnino intelligendus est. Quid enim necesse erat decernere, illi Primatus honorem competere, qui probasset urbem suam esse Metropolim civilem, si jam Arelatum Galliarum Metropolis, & Sedes Præfecti Prætorio extitisset, cum tunc illud neminem latere potuisset? Sed & illud præterea omnibus compertum erat, exploratumque, Viennam esse Metropolim civilem, & caput unius ex quinque Provinciis Galliarum vulgo dictis; absurdum idcirco, & indignum Concilio illud judicium fuisset, rem indecisam relinquere, & utrique contendentium onus imponere probandi, quænam ex suis urbibus Metropolis civilis esset, cum de Viennensi civitate id omnibus innotuisset. Non ergo de civi-

civili Metropoli, sed de Ecclesiastica nata erat Arelatensis Episcopi cum Viennensi contentio, quod ipsa Concilii Acta declarant. Cum primis enim Proculus Massiliensis Episcopus, (1) *se tamquam Metropolitanum Ecclesiis, quæ in secunda Provincia Narbonensi positæ videbantur, præesse debere* affirmabat, *atque per se ordinationes in memorata Provincia summorum fieri Sacerdotum, siquidem asserebat easdem Ecclesias vel suas fuisse, vel Episcopos a se in eisdem Ecclesiis ordinatos*. Ex adverso illius Provinciæ Episcopi negabant, Massiliensem Antistitem umquam fuisse Metropolitam, quod abs dubio verum erat. Non enim Massilia, sed civitas Aquensis Metropolis erat Narbonensis II. Patres tamen Concilii hunc honorem Proculo deferre voluerunt, *Ut non tam civitati ejus, quæ in altera Provincia sita est, cujus magnitudinem penitus nesciremus, quam ipsi potissimum deferretur, ut tamquam Pater Filiis honore Primatus assisteret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate Provinciæ minime tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipsi tantum in diebus vitæ ejus forma servabitur, ut in Ecclesiis Provinciæ secundæ Narbonensis, quas vel suas Parochias, vel suos Discipulos fuisse constiterit ordinatos, Primatus habeat dignitatem*. Istud Concilii decretum plane demonstrat, nullam civilis Metropolis habitam esse rationem. Omnibus enim perspicuum erat, Aquensem civitatem Metropolim esse civilem Narbonensis II. & nihilominus Primatus honorem non istius urbis Episcopo, sed Proculo Massiliensi impertiuntur; cui utique impertiri minime potuissent, si in Ecclesiasticis rebus honor Primatus illi tribuendus foret, qui eumdem in civili politia obtineret. Cum autem in hoc primo canone de Ecclesiastica Metropoli decretum sanxerint Concilii Patres, par judicium esse debet *de canone* 2. in quo caussa Arelatensis, ac Viennensis Antistitum de Primatu pariter agitata est. Alioquin intercessissent statim secundæ Narbonensis Præsules, manifestam sibi injuriam irrogari, nimirum Primatem præfici Episcopum alienæ Provinciæ, scilicet Viennensis, cui Massilia tributa erat, posthabito Aquensi Episcopo, cujus civitas Metropolis esset in ordine civili secundæ Narbonensis. Quinimmo Taurinenses Patres uno eodemque tempore contraria decreta edidissent, secundo canone ea destruentes, quæ primo statuerant. Itaque ne sacri Concilii Patres secum ipsis repugnare velimus, omnino asserendum est, non civiles, sed Ecclesiasticas Metropoles eos spectasse.

XIII. Nec ullus id jure poterit inficiari, qui animo perpendat, non aliam in Synodo Taurinensi rationem ab Episcopo Arelatensi adductam, quam quæ post aliquot annos coram Zosimo, & Sancto Leone Summis Pontificibus adducta fuit. Zosimus siquidem *in epistola ad Episcopos per Gallias, & Septem Provincias constitutos* scripta, & Magnus Leo hac ratione Viennensem, & duas Provincias Narbonenses subjiciunt Episcopo Arelatensi: *Quoniam Metropolitanæ Arelatensium urbi vetus privilegium minime derogandum est, ad quam primum ex hac Sede Trophimus Summus Antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est*. Hanc quoque rationem in Taurinensi Concilio fuisse prolatam credere par est, non jus Metropoliticum civile, quo Arelatum per id Tempus non potiebatur. Ubi enim lis est de una eademque re, eædem proferuntur rationes. Postquam tamen

(1) Concil. Taurinense c. 1.

men Arelatum Sedes Præfecturæ Galliarum facta est, novisque Privilegiis nobilitata, ex his quoque argumenta sumpserunt ejus urbis Antistites, ut quasi ex abundanti jus suum Metropoliticum firmarent; quia nempe Metropoles Ecclesiasticæ in præcipuis urbibus de more institutæ fuerant. Hoc pacto Gallicani Præsules in libello supplice, quem Sancto Leoni porrexerunt, primum Sancti Trophimi Apostolicam missionem, ejusque contemplatione jus Metropoliticum Ecclesiasticum Arelato concessum prædicant, ac fuse amplificant: mox in ejusdem urbis commendationem subjiciunt: (1) *Ceterum multa sunt, quibus secundum instituta Principum, cunctis intra regiones nostras civitatibus præferatur. Hæc in tantum a gloriosissimæ memoriæ Constantino peculiariter honorata est, ut ab ejus vocabulo præter proprium nomen, quo Arelas vocitatur, Constantina nomen acceperit. Hanc clementissimæ recordationis Valentinianus, & Honorius fidelissimi Principes specialibus privilegiis, & ut verbo ipsorum utamur, matrem Galliarum appellando decorarunt. In hac urbe quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum ostentare voluit insignia dignitatis, Consulatum suscepit, & dedit. Hanc sublimissima præfectura, hanc reliquæ potestates, velut communem omnibus patriam, semper inhabitant.* Illud insuper hoc loco observandum occurrit, inter urbis Arelatensis decora Sedem Præfecturæ, Principum privilegia, & id genus alia memorari ornamenta, & insignia nobilitatis, sed antiquæ Metropoleos civilis nullam neque in Taurinensi Synodo, neque apud Zosimum, Leonem, & Gallicanos Præsules mentionem haberi, quia nimirum ante Septem Provinciarum institutionem ea dignitate donata non fuerit, tametsi post Treveros nulli Galliarum civitati splendore cederet. Atque hæc etiam causa erat, cur ante adeptam Præfecturam de Primatus honore cum Viennensi Ecclesia contenderet, quod potioribus se decoratam insignibus cerneret. Quia tamen Vienna totius Provinciæ antiqua erat Metropolis, urbs & ipsa nobilis, & inter Primarias Galliarum recensita, illud Taurinensis Concilii Patribus consilium insedit, ut in utriusque inclytæ civitatis conflictu peropportunum ad pacem conciliandam existimarent, dividi inter utramque urbes, Provinciasque, & Metropoleos jura hinc inde distribui: *Certe* (2) *ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliori decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi inter Provincias vendicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis proximas magis esse constiterit, ita ut memores unanimitatis, atque concordiæ, non alter alterum sibi longius usurpando, quod est alii prius, inquietet.* Quis hic non videat Ecclesiasticas Metropoles a Concilio indicari? Et quoniam ob utriusque Ecclesiæ antiquitatem obscurum erat internoscere, quænam illarum a priscis temporibus Metropoleos jure frueretur, id prudenti consilio admonent, ut unaquæque illarum in viciniores urbes eo utatur. Quod sane de civili Metropoli nullus interpretabitur, cum ejusmodi institutio non Ecclesiasticam, sed politicam exigat potestatem. Sacri Concilii votum tunc quidem effectu caruit, sed tamen aliquot post annis Sanctus Leo perfecit, quod Taurinenses Patres optaverant: nempe anno 450. Provinciam Viennensem in duas partitus est, & quæcumque hactenus tam in Concilio Taurinensi, quam apud Præde-

(1) Libellus Episc. Gall. apud Baron. ad ann. 450. n. 51.

(2) Concilium Taurinense cap. 2.

decessores suos agitata fuerant, definivit, suoque decreto ostendit, litem, quæ inter Viennensem, & Arelatensem Episcopos efferbuerat, fuisse de jure Metropoleos Ecclesiasticæ: (1) *Consideratis allegationibus utriusque partis præsentium Clericorum, ita semper intra Provinciam vestram, & Viennensem, & Arelatensem civitates claras fuisse reperimus, ut quarumdam causarum alterna ratione, nunc illa in Ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret: cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse a gentibus proderetur.* Fatetur S. Pontifex se utriusque civitatis prærogativas ad examen revocasse; cumque accepisset, alternis vicibus, nunc istam, nunc illam civitatem in Ecclesiasticis privilegiis præcelluisse, & utrique civitati commune quondam jus fuisse, Provinciam Viennensem in duas dividendam esse decrevit, quodque Taurinensis Synodus optaverat executioni mandavit. Atque hinc liquido constat, Taurinenses Patres non de civili Metropoli, sed de Ecclesiastica canonem suum edidisse.

XIV. Diffiteri non possum Taurinense Decretum gradum quempiam fuisse ad augendam Arelatensis Ecclesiæ dignitatem. Olim siquidem Arelate Viennæ ceu Metropoli civili subjacebat, ut constat ex Concilio Arelatensi in quo *Marinus Episcopus de civitate Arelatensium Provincia Viennensi*, subscripsit: postmodum vero variis a Principibus decorata privilegiis, ac Præfecturæ Sedes facta, ejus Episcopi sensim caput extulerunt, Primatus honorem in Galliis sibi arrogantes. Suberat utique dubitandi locus, num priscis temporibus Arelate etsi non politica, sacra tamen fuerit Metropolis Provinciæ Viennensis, propterea quod in Epistola Synodica, & Breviario canonibus præfixo, solius Marini Arelatensis Episcopi nomen adscriptum sit; quod Metropoliticæ in eo dignitatis argumentum esse videtur: unde & Concilium Taurinense dubium invasit, utrum Arelate, an Vienna esset Ecclesiastica ejusdem Provinciæ Metropolis. Zosimus quoque verbis antea relatis ex epistola ejus V. ad Episcopos per Gallias, & Septem Provincias constitutos, antiquitatem Metropoleos Arelatensis attestatur, dum istud vocat illius urbis *vetus Privilegium*, ex Apostolica Sancti Trophimi missione deductum. Attamen jus illud adhuc erat ambiguum, nec in omnes septem Provincias Galliarum vulgo dictas excurrebat, sed si quod fuit in una Viennensi coarctabatur. At vero Zosimus Papa jus illud quantumvis ambiguum nedum firmavit, concessa Arelatensi Episcopo Metropolitica dignitate in Viennensem Provinciam; verum etiam in Narbonensem utramque ipsi amplissimam impertivit auctoritatem: ob Sancti Trophimi reverentiam illuc ab Apostolica Sede missum, ex cujus fonte Gallia deinde universa fidei rivulos hausit. Jussit præterea, Clericorum neminem ex quavis Galliarum Provincia, Romam absque Arelatensis Episcopi litteris adire posse, ut ex laudata epistola constat. Ordinationes quoque Episcoporum in tribus illis Provinciis Arelatensi Metropolitæ reservatas voluit: unde vehementer objurgavit, compressitque Proculum Massiliensem, & Hilarium Narbonensem, quod citra Arelatensis assensum Episcopos consecrassent. Verum cum postea Zosimus (2) deprehendisset, sibi ab Arelatensi Episcopo fuisse obreptum, deque Taurinensis Synodi canone II. quo lis illa inter Viennensem, & Arelatensem de Ordinationum jure composita fuerat, certior factus, idipsum & ipse sanxit, nem-

(1) S. Leo Papa apud Baronium ad ann. 450. num. 58.

(2) Zosimus epistolis 6. 7. 8. & 9.

nempe ut uterque Episcopus in viciniores sibi intra Provinciam urbes potestatem obtineat, donec causa plenius ab Apostolica Sede discussa fuisset. Id liquet ex ejusdem Zosimi epistola ad Simplicium Viennensem Archiepiscopum, quam edidit Baronius *in Appendice Tom. 5. Annalium*. Excitata rursus ea est contentio sub Bonifacio I. & Cœlestino, qui Narbonensi reddidere jus ordinandi Provinciæ suæ Episcopos: quod pariter confirmavit S. Leo *epist.* 89. Metropoliticis juribus Viennensi Episcopo redditis; divisisque Episcopatibus, qui in controversiam venerant inter Viennensem, & Arelatensem Metropoles.

XV. Hæc fuerunt prima Arelatensis Primatus fundamenta, quem idem Zosimus novo cumulavit privilegio, Vicariatu scilicet Apostolico per totam Galliam, quem Patroclo istius urbis Metropolitæ commisit, uti ejus litteræ testantur, ad omnes Galliarum Episcopos, & ad Patroclum ipsum datæ. Zosimum deinde imitatus Hilarius Pontifex Leontio Arelatensi facultatem concessit congregandi quotannis Nationales Synodos in Galliis, quin & judicandi causas, ob quas Metropolitanorum aliqui denegassent LitterasFormatas suis Suffraganeis, aut Clericis in aliam Provinciam profecturis. Extant hac de re ejus *epistolæ* 8. *&* 10. Stetit tamen illa divisio Provinciarum a Zosimo facta etiam sub Hilario Papa, ac deinceps, quam etiam Symmachus Papa anno 514. confirmavit. Verumtamen Primatum obtinuit Arelatensis per omnes Galliarum Provincias, nec non per Hispaniæ regiones Galliis conterminas, quas Theodoricus Ostrogothorum Rex in Gallia, & in Hispania, suo vel Amalarici nepotis nomine gubernabat, sicuti doctissimus P. Sirmondus animadvertit. Refert Symmachi Papæ litteras Eminentissimus Cardinalis Baronius *ad annum* 502. *num.* 37. Eadem potestate secutis temporibus donarunt Arelatenses Episcopos Romani Pontifices, Vigilius Auxanium *epistola* 1. *&* 2. & Aurelianum Auxanii Successorem *epist.* 7. *Tom.* 1. *Concil. Galliæ*: Pelagius I. Sepaudum: Gregorius Magnus Virgilium, *lib.* 4. *epist.* 50. 52. *&* 53. Sic paulatim excrevit Primatûs Arelatensis dignitas, ob vices Apostolicæ Sedis huic Ecclesiæ concreditas; & quæ primum personarum meritis magis, quam Sedi tributa fuerat, ideoque temporanea fore videbatur, toties innovata, atque in Successores propagatâ, perpetua quodammodo evasit, ac Sedi affixa fuit. Ceterum Gregorii VII. immo & Nicolai I. temporibus extinctum oblitteratumque fuisse Primatum Arelatensem, satis indicant eorum epistolæ; Gregorii quidem *l.* 6. *ep.* 2. Nicolai vero *ep.* 10. Verisimilem porro arbitror conjecturam P. Thomassini, *de Vet. & Nova Eccles. Discip. p.* 1. *lib.* 1. *c.* 30. *num.* 8. cadente Clodovæi stirpe Regia, cum Majorum Palatii potentia misceret ac perturbaret omnia cum profana, tum sacra, interclusam fuisse Gallicanorum Antistitum & inter se mutuo, & cum Arelatensi Primate concordiam: ac tunc Romanos Pontifices Gregorium II. & III. innovata ejusdem potestatis jura contulisse in Bonifacium, cui Legationis Apostolicæ munus in Galliis, & Germania demandarunt.

XVI. Viennensis Metropoleos antiquitatem satis commendat hactenus exposita contentio inter ejus Episcopos, & Arelatenses. Quemadmodum Arelatensis a Trophimo, ita Viennensis Ecclesia a Sancto Crescente D. Pauli Discipulo exordium duxit. Non minus seculari gloria urbs

urbs ista claruit; olim etenim Romani Senatum ad regendas Gallias Viennæ instituerant, pæne Romani Senatus æmulum. Exinde *urbs Senatoria* appellata est, ut Ado commemorat. Mirum idcirco non est, quod cum Arelate de Primatu Galliarum tamdiu decertaverit. Serius illum obtinuit Viennensis, quando scilicet urbs illa, Regni Burgundiæ Sedes facta, antiquæ nobilitati nova addidit decora. Ejus quippe Archiepiscopus, Comes & Cancellarius Regni, tum Friderici II. Imperatoris beneficio Sacri Palatii Archicancellarius, a Callisto II. Pontifice Maximo nova & eximia auctus est dignitate. Præfuerat antea Callistus Viennensi Ecclesiæ, indeque ad Summi Pontificatus apicem evectus, amantissimæ, quam dimiserat, Sedi Primatum in Septem Provincias contulit, Viennensem, Bituricensem, Burdigalensem, Auscitanam, Narbonensem, Aquensem, & Ebredunensem, quæ caput erat Alpium Maritimarum. Vices ei Apostolicæ Sedis commisit, potestatemque impertiit indicendi Synodos, & Ecclesiastica negotia secundum canones dirimendi. (1) civili Septem Provinciarum partitione Callistum II. occasionem sumpsisse, subjiciendi septem illas Provincias Ecclesiæ Viennensi, docet D. Petrus de Marca *in Dissert. ad Concilium Claramontanum an.* 1095. *celebratum*, *num.* 123. atque id conjicit ex eo, quod cum in capite istarum Provinciarum Civitatem Viennensium Notitia haberet, Pontifex liberum sibi putaverit Viennam Septem Provinciis præficere, quemadmodum Decessoribus suis liberum fuerat Lugdunum iis præficere Provinciis, quæ in Notitia *Lugdunenses* inscriptæ erant. Ne autem nova videretur hæc institutio, Callistus illius originem arcescit a Silvestro I. & aliis Pontificibus, quorum supposititia Rescripta tamquam veros prisci honoris titulos spectabat. Præter septem Provincias nuper recensitas, etiam Tarantasiæ Archiepiscopum, qui præerat Provinciæ Alpium Penninarum extra septem illas positæ, subjecit Viennensi ut Primati exemplo Leonis I. & Symmachi Romanorum Pontificum. Idem Petrus de Marca arbitratur, ex hoc Callisti Decreto initium duxisse divisionem illam, quam aliquot Exemplaria Notitiæ præferunt, in octo Viennenses Provincias: unde merito explodit aliam rationem ejus divisionis a Scaligero excogitatam, qui Vicarium Præfecti Prætorio Galliarum Viennæ quondam constitisse, & in octo illas Provincias jus dixisse sibi, aliisque persuadere nititur; sed sine ullo probabili argumento, immo contra veteris Historiæ fidem.

Concessit Callistus hoc privilegium Ecclesiæ Viennensi anno 1120. 5. Kalendas Martii, cum Valentiæ in Galliis versaretur, cujus hæc sunt verba: (1) *Sanctam Viennensem Ecclesiam diligere, honorare, & B. Petri patrocinio decrevimus confovere. Omnem itaque dignitatem, & omnem munitionem, ac liberalitatem, quam vel per authentica Prædecessorum nostrorum, Silvestri, Nicolai, Leonis, Gregorii, & ceterorum Romanorum Pontificum Privilegia, vel per Imperatorum, Regum, Principum, & ceterorum Fidelium largitionem concessam obtinet, Nos quoque, auctore Deo, concedimus, & præsentis Privilegii pagina confirmamus; ut videlicet super septem Provincias Primatum obtineat, super ipsam Viennensem, super Bituricam, Burdegalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur, super Narbonam, Aquensem, & Ebredunensem, & in eis Viennensis Archiepiscopus Romani Pontificis vices agat, Synodales con-*

(1) Apud Baronium tom. 12. Annal. ad ann. 1120. n. 1.

conventus indicat, & negotia Ecclesiastica juste canoniceque definiat. Porro illa sex oppida, vel civitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, Dia, Alba, Vivarium, Geneva, Maurienna, in ejus tamquam in proprii Metropolitani obedientia, & subjectione permaneant. Tarantasiensis autem Archiepiscopus, licet aliquibus habeatur ex Apostolicæ Sedis liberalitate Prælatus, Viennensi Archiepiscopo, tamquam Primati suo subjectus, obediat. Hoc privilegio fretus Viennensis Archipræsul sibi *Primatis Primatum* nomen indidit, propterea quod Bituricensis Ecclesia, quæ Primatu in Aquitania potiebatur, & Narbonensis, quæ ex Urbani II. decreto Primatum in Narbonensem II. seu Aquensem obtinebat, subjectæ essent Ecclesiæ Viennensi. Quare & monetæ, quam cudi curabat Viennæ, ut urbis Comes, hanc adjecit inscriptionem: *Maxima Sedes Galliarum*. Verum Callisti II. Decretum vim nullam habuit, quod antiquis Primatibus, & Metropolitanis inauditis editum esset. Attamen Diensem & Vivariensem Episcopatus ab Arelatensi Provincia distractos, Viennensis Archiepiscopus in suam Provinciam adscivit, cujus etiamnum partes sunt.

XVII. Biturigum civitas Aquitaniæ caput Metropoleos dignitatem seculo octavo sibi vendicabat. An vero ante id tempus ea potiretur non plane constat. Certe id minime innotescebat Apostolicæ Sedi, ut patet *ex epistola* 9. Hadriani I. Summi Pontificis ad Carolum Magnum data. Sub istius Principis Imperio Primatus honorem obtinuit in Provincias Burdigalensem, Auscitanam, & Narbonensem, earumque Archiepiscopos. Occasionem ornandæ Bituricensis Ecclesiæ Primatus auctoritate arripuit Carolus Imperator a nova Regni Aquitanici institutione in gratiam Ludovici Filii facta. Erat quippe Biturigum civitas caput illius Regni, teste Adrevaldo Floriacensi *in libro de Translatione Sancti Benedicti cap.* 33. Eam idcirco Carolus Magnus etiam in rebus sacris, perinde ac politicis Regni a se nuper conditi principem Sedem esse optabat, quo facilius (inquit D. Petrus de Marca) feroces [1] Aquitaniæ populi jugum Francorum subirent, eorumque mores imbiberent. Cum enim sub prætextu Conventuum Ecclesiasticorum ad partes interiores Galliæ traherentur, & ultima Disciplinæ in Clericos, Laicosque executio, quæ magni erat momenti, Bituricensi Archiepiscopo, & ejus Synodo competeret, hac occasione Aquitani Francorum moribus imbui, eorumque imperium mollius ferre potuissent. Egit propterea optimus Imperator apud Hadrianum I. Romanum Pontificem, ut Archiepiscopus Bituricensis Pallium ab Apostolica Sede consequeretur, quod erat tum insigne Vicariatus Apostolici argumentum, cui Primatus dignitas adnecteretur. Verumtamen Hadrianus, quantumvis enixe a Carolo Magno rogatus, non antea ejus votis annuere voluit, atque Erembertum Bituricensem Antistitem Pallio exornare, quam certior fieret, ipsum alterius Metropolitæ juri subjectum non esse. Id Hadrianus ipse indicavit in litteris ad Carolum Magnum: [1] *Præfatus Sanctissimus vir* (scilicet Erembertus) *nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi jurisdictione esse videretur. Quapropter pro nimio vestro Regali ex intimo cordis amore, prædicto Eremberto a nostra Apostolica Sacrosanctissima Sede, atque Auctoritate Archiepiscopo constituto in Metropolitanam civitatem, quæ Biturica cognominatur, sicut dudum mos extitit,* sub-

(1) Marca in Dissert. de Primatibus.

(1) Hadrian. I. ep. 9. ad Carol. Mag. Tom. 2. Conc. Gall.

sub jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ degenti, usum Pallii concessimus fruendi. Exordium hoc fuit, ac primum veluti crepundium Bituricensis Primatus: neque enim ante id tempus ulla potiebatur auctoritate in Burdigalensem, Auscitanum, & Narbonensem Archiepiscopos, alioquin eam exposuisset, ut facilius gratiam, quam deposcebat, a Romano Pontifice impetraret. Sed hoc unum indicavit, Ecclesiam Bituricensem Metropolitico honore jam antea donatam, nulli alteri obnoxiam esse Metropoli, ac proinde nihil obesse, quo minus ejus Antistes Pallio decorari possit. Fuit ergo primus hic gradus Primatus Bituricensis, cujus deinceps mentio etiam sub Patriarchatus nomine deprehenditur *in epistola* 39. Nicolai I. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem *Tom. 2. Concilior. Galliæ*. Rodulphus siquidem auctoritatis suæ limites prætergressus Narbonensis Diœceseos Clericos, invito eorum Archiepiscopo, ad judicium suum venire compellebat. ac de bonis Ecclesiæ Narbonensis, quasi jure Patriarchatus sui disponebat. Molestissime hoc tulit Sigebodus Narbonensis Metropolita, quod non esset Primatem agere, quem aliqui venerabatur, sed in Metropolitani jura invadere. Quare apud Nicolaum I. conquestus est de invasis a Rodulpho Ecclesiæ suæ juribus. Sigebodi causam tutatus est Sanctissimus Pontifex, nihil licere definiens Bituricensi Primati in Clericos, & bona Ecclesiastica Diœcesęos Narbonensis, nisi cum eæ urgerent causæ, quæ inferioribus permittunt, a Sententia Metropolitani appellare ad Primatem: qua etiam occasione captata, Nicolaus I. Primatum seu Patriarcharum jura, auctoritatemque explicuit, cujus decretum recitat Gratianus *9. q. 3. can.* (1) *Conquestus est*, inquit, *Apostolatui nostro frater noster Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis, quod Clericos suos, eo invito, ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatus tui disponas: cum hoc neque antiquitas, cui Sancti Patres sanxere reverentiam, habeat, & auctoritas Sanctorum Canonum penitus interdicat. Nisi forte pro causis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint per appellationem; vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim, vel Patriarchas, nihil privilegii habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum Sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus: ita ut secundum Nicenas Regulas sua privilegia serventur Ecclesiis: præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam vel Rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare.* Quæ hactenus protulimus Hadriani, & Nicolai I. testimonia palam ostendunt, antiquiorem esse Primatum Bituricensem Primatu Lugdunensi, quo adhuc vigente Gregorius VII. & Urbanus II. Lugdunensi fundamenta posuerunt.

At dissecto postmodum Aquitaniæ Regno minui, ac discindi cępit auctoritas Primatus Bituricensis. Narbonensis quippe, & Auscensis Provinciæ ejus imperio se subtraxerunt; Burdigalensis tamen diutius illi obnoxia fuit. Ad Aquitaniam siquidem pertinebat Burdigala, ut pote Metropolis Secundæ Aquitaniæ. Dum ferveret Anacleti Antipapæ schisma adversus Innocentium II. Gerardus Engolismensis Episcopus, qui Anacleto studebat, in Burdigalensem Sedem transferri, vel potius intrudi curavit favore, & opera Ducis Aquitaniæ Schi-

(1) Nicolaus I. apud Gratian. can. conquestus 9. q. 3.

Schismaticorum principis. Rem indigne ferentes Episcopi istius Provinciæ Vulgarinum Archiepiscopum Bituricensem, ceu Caput & Primatem suum interpellarunt, ut ejus Regisque Francorum tuitione munirentur contra insolescentes Schismaticos, quos anathemate concuti in Provinciis Burdigalensi, & Auscienſi summopere cupiebant: *Insuper*, inquiunt, *Auxiensi Archiepiscopo, & Burdigalensi Ecclesiæ, & eorum Suffraganeis per obedientiam præcipiatis, ut omnes illos publice excommunicent, qui Duci Aquitaniæ auxilium impenderint*. Referuntur horum Præsulum litteræ, & Vulgarini Aquitaniarum Primatis Responsa in libro, qui inscribitur *Patriarchium Bituricense*, Philippi Labbei opera publicatum. Hinc apparet, Primatum Bituricensem in Provinciam Burdigalensem tunc temporis obtinuisse, quem deinceps Rescriptis suis confirmaverunt Alexander III. Eugen. III. Lucius III. Urbanus III. Clemens III. & Cœlestinus III. At ubi Angliæ Reges Aquitaniæ Ducatum suæ ditioni adjecerunt, Burdigalensis Archiepiscopus Primatui Bituricensi se subduxit. Graves inde querelæ Philippi Augusti apud Innocentium III. delatæ his verbis: *Ecclesia Bituricensis licet tenuis in facultatibus; inter alias tamen Regni nostri Ecclesias extitit nobilior, cum Primatiæ obtineat dignitatem, cujus honorem, nostrum, & Regni nostri proprium reputamus. Cum igitur Burdigalensis Archiepiscopus, Prædecessorum non sequens vestigia, se adeo obedientem, & devotum Ecclesiæ Bituricensi exhibere non velit, sicut iidem Prædecessores sui fecisse noscuntur, Paternitatem vestram, cum quanta possumus devotione, rogamus, quatenus jus Bituricensis Eclesiæ, intuitu Dei, & precum nostrarum obtentu conservare velitis, nec sustineatis, quod tantus honor Regni nostri circa hoc in aliquo minuatur: cum sola Bituricensis Ecclesia in toto Regno nostro Primatiæ obtineat dignitatem*. Quamvis autem Innocentius tunc peremptorie, ut ajunt, causam Primatus non judicaverit; tamen ei plurimum favit, cum suspensionis sententiam a Bituricensi in Burdigalensem idcirco vibratam, quod nec ipse Synodo interesse, nec alios, qui vices ejus gererent, destinare voluerit, Pontifex auctoritatis suæ pondere ratam habuit, firmavitque. Id constat ex ipsius *epistola* 45. *lib.* 15. Eam nihilominus sententiam postea laxavit Innocentius, atque a suspensione absolvit Burdigalensem, cum spopondisset, se deinceps Archiepiscopi Bituricensis Conciliis adfuturum: *Firmam promissionem recipientes, quod vocatus accedet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus, quod de jure fuerit faciendum*. Honorius III. Innocentii Successor privilegia Bituricensis Ecclesiæ generalibus tantum verbis confirmavit anno 1223. Sed de illius Primatu nihil sanxit. Gregorio IX. Petri Cathedram moderante controversia ista recaluit, quam provisorio decreto ita sopivit Pontifex, ut Bituricensis Burdigalensem Provinciam perlustrando visitare posset, sed ea lege, ut quinquaginta dierum spatio Visitationem suam absolvat. Gregorii Decretum quisque videre poterit *in cap. Humilis lib.* 1. *Decretalium, tit.* 33. *de Majoritate, & Obedientia*. Unde idem Pontifex cum Archiepiscopum in Civitate Bituricensi instituisset, hoc eam decoravit encomio: *Ei quæ inter universas Metropoles speciali gaudet privilegio*. Occurrunt non pauca horum similia argumenta, quæ collegit Philippus Labbeus in Patriarchio Bituricensi. Eruditissimus P. Mabillonius in Analectis publicavit Acta, & Diurnum Visitationis Primatis Bituricensis, cum anno

no 1284. lustravit Burdigalensem Provinciam. Sed frustra Gregorius IX. tot lites suis Rescriptis finire tentavit: enim vero iis se gravari plurimum Burdigalenses palam conquesti sunt, nec cessarunt quo ad usque Clemens V. Burdigalensem Metropolim a Bituricensi Primatu absolvit anno 1305. uti fidem faciunt Thomas Walsingamus, & Nicolaus Trivetus in Chronico. (1) Extat Clementis V. Diploma in gratiam Burdigalensis Ecclesiæ editum *Tom. 1. Galliæ Christianæ*. Instaurare postmodum Bituricensis Ecclesiæ Primatum nisus est Carolus VII. Rex Christianissimus in ipsam Provinciam Burdigalensem, datis litteris anno 1461. quas eodem anno Ludovicus XI. ejus Successor executioni mandari jussit. Eas legere fas est inter *Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*, *cap. 36. n. 19.* At eæ effectu caruerunt, libertatemque suam servavit Archiepiscopus Burdigalensis, obtinuitque Diploma Clementis V. quo ejus Metropolis immunitatis Privilegio donata est. Itaque jam a quatuor seculis Bituricensi Archiepiscopo vix Primatis titulus superest in sua Provincia. Attamen præter nominis dignitatem hoc sibi vendicat, ut appellationes a sententiis Episcoporum ejusdem Provinciæ ad se prima cognitione delatas, deinde secundo judicio per Vicarium Primatiæ dirimat, si a Vicario Metropolitico appellatio interjecta sit. Simile quidpiam sibi arrogavit etiam Burdigalensis Metropolita; nam, ut tradit Thomassinus, (2) Primatem deinceps se gessit in sua Provincia, tamquam ex Clementis V. concessione, ut nullius Primatis obedientiæ devinctus: & Primatiæ suæ Vicarium peculiarem habuit, ad quem per appellationem referuntur causæ jam disceptatæ a Vicariis, seu Judicibus Burdigalensis Provinciæ. Addit, anno 1542. expresso Francisci I. Regis Christianissimi mandato, a Burdigalensi Archiepiscopo designatum fuisse Vicarium cum Provinciæ, tum Primatiæ suæ, qui jus diceret in eos Provinciæ suæ Episcopatus, qui Parisiensis Parlamenti territorio continentur.

XVIII. Octoginta circiter annis antequam Burdigalensis Archiepiscopus Clementis V. beneficio Bituricensis jugum excuteret, Metropolis Auscitana, anno 1226. faventibus Occitaniæ Ducibus, ad libertatem aspiravit. Ab Ausciis Aquitaniæ populis, qui & Auscenses Sidonio dicuntur, & Auscensis, & Auscitana urbs Provinciæ caput, Augusta Ausciorum a Cæsare, & Plinio appellata est; ab aliis Auxis, Auxitana civitas, & Clara etiam nuncupata. Hodie caput est Comitatus Arminiaci, & situ munita, ad Egirtium fluvium. Provincia ipsa in Imperii Notitia vocatur Novempopulana. Honorii Augusti temporibus Elusa, seu Elusatium Metropolis erat civilis totius Provinciæ, nunc in Arminiaco Comitatu, & in confinio Condomensis tractus, ad Gelisam amnem, alias ampla, & Episcopalis, nunc parva, & obscura, & antiquitate tantum celebris, inter Vasates ad Boream, & Auscios ad Eurum. Hinc populi adjacentes Elusates a Cæsare, aliisque nominantur. Ea excisa, & angustiore facta, civitas Auscitana in Metropolim Provinciæ nedum civilem, sed etiam Ecclesiasticam surrexit, cui Elusæ Episcopatus copulatus est. Quo tempore Auxitanus Archiepiscopus libertatem a Bituricensi Primate sibi vendicaverit, non omnino compertum habeo. Verisimile putat Thomassinus, (3) id contigisse circa ann. 1226.

quod

(1) Spondanus ad ann. 1305. & 1308. num. 7. 8.
(2) Thomassin. de Vet. & Nov. Eccl. Discip. p. 1. lib. 1. c. 35. §. 5. 6.

(3) Thomassinus lib. cit. cap. 34. num. 11.

quod ille colligit ex Historia Matthæi Paris, ab ipso tamen emendata. Refert ille, convocato apud Bituriges Concilio per Pontificium Legatum, sedere non potuisse Episcopos ut in Concilio, propterea quod Archiepiscopus Lugdunensis Primatum sibi arrogaret in Senonensem, & Rhotomagensem, & Bituricensis in Auxitanum, & Narbonensem: *Sed quoniam*, inquit, *Lugdunensis Archiepiscopus vendicabat sibi Primatum super Archiepiscopum Senonensem, & Rhotomagensem, & Bituricensis super Ausciancnsem, & Narbonensem, timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in consilio*. Ex quibus verbis colligit Vir eruditus, Auscienscm, & Narbonensem Metropoles jam inde ab ann. 1226. pristinæ se libertati reddidisse. Antea quidem sub Innocentio II. id tentaverant Aquitaniæ Duces, quo Anacleti Antipapæ Schisma foverent; re tamen infecta: postemodum vero sensim Auscitana Metropolis Bituricensi se subtraxit. At longe verisimilius est ante hoc tempus Narbonensem, & Auscitanum Arciepiscopos pristina jura recuperasse: quandoquidem Alexander III. anno 1164. Eugenius III. 1183. Urban. III. 1188. & Cœlestinus III. 1192. Primatum in solam Provinciam Burdigalensem Archiepiscopo Bituricensi Rescriptis suis confirmarunt. Neque Innocentius III. neque Honorius III. ullam deinceps Auscitanæ, & Narbonensis Metropoleon mentionem faciunt, cum Bituricensis Primatus jura corroborant.

XIX. Regno Aquitaniæ dissipato, ubi primum emerserunt Marchiones Gotthiæ, Principatu citra, & ultra Pyrenæos constituto, cui caput præerat Narbo, istius Urbis Archiepiscopus Bituricensis Primatus imperium declinare, & sibi ipsi Primatus simulacrum aliquod ex Ecclesiis Cataloniæ, & Galliæ Narbonensis efformare meditabatur. Nec difficile erat eum voti compotem fieri, cum Narbo novi Principatus caput evasisset, lateque per Provincias illas diffunderet temporalem jurisdictionem. Præluxerat quoque spiritualis auctoritas in primam Narbonensem, cui ut Metropoli Ecclesiasticæ multis antea seculis præerat; ejusque Archiepiscopus olim Decreto Bonifacii I. (1) Apostolica Legatione interdum exornatus fuerat. His ergo prærogativis fretus Metropolita Narbonensis, Urbano II. in Petri Sedem evecto, spe invadebat jura Primatum, quæ exercere cœpit in Metropolim Tarraconensem, non ita pridem Maurorum jugo, longoque subductam dominio. Quia tamen novi potius Regni præsidio, quam jure aliquo id sibi usurpaverat, statim ab ejus possessione deturbatus est, cum idem Pontifex Primatum totius Hispaniæ contulit Archiepiscopo Toletano. Ita nihilominus sententiam suam temperavit Urbanus II. ut Tarraconensis Episcopus Narbonensi subesset tamquam Metropolitano, obnoxius tamen esset Toletano Primati, donec potuisset Archiepiscopus Narbonensis certis documentis probare jura sui Primatus in Provinciam Tarraconensem. Qua de re litteras suas direxit ad Cardinalem Apostolicæ Sedis in Hispania Legatum: (2) *Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate præcipio, ut interim Narbonensi, tanquam proprio Metropolitano obediant, Toletano sicut Primati; donec Narbonensis Archiepiscopus se eorum Primatem fuisse certo possit auctoritate demonstrare*. Etsi autem Narbonensis quod optaverat in Provincia Tarraconensi obtinere non potuerit, id tamen consecutus est in secunda Narbonensi, Primatus ho-

(1) Bonifacius I. Decretum c. 4.

(2) Tom. 10. Concil. pag. 1841.

norem adeptus decreto Urbani II. in Metropolim Aquensem. Fortassis ipsa Narbonis dignitas novo huic splendori occasionem dedit, quod civitas illa princeps esset Provinciæ Narbonensis, cui & nomen imposuit, & Aquensis Provincia Secunda Narbonensis dicebatur. Reipsa tamen præcipuus Narbonensium Episcoporum labor eo collimabat, ut liberi essent deinceps solutique a jurisdictione Primatis Bituricensis, quod eis jam diu erat in votis, ac tandem Urbani II. beneficio nacti sunt. Huic privilegio vires addidit Paschalis II. litteris ad Narbonensem Archiepiscopum datis: (1) *Primatum vobis super secundam Narbonensem, idest, Aquensis Metropolis, sicut a nostris Prædecessoribus statutum est, confirmamus.* Hac quidem dignitate excidit Narbonensis, cum Callisti II. diplomate Viennensis Archiepiscopus Primatis honore auctus fuit in Septem Provincias, quas inter erant duæ Narbonenses: at libertati suæ nova vicissim præsidia accessisse gratulatus est, privilegio Martini V. Pontificis Maximi, (2) qui eum absolvit a nexibus omnibus, quibus eum nuperrimus Viennensis Metropolitanus devinxerat.

Quæ hactenus diximus palam ostendunt, varias fuisse vices Aquensis Ecclesiæ secundæ Narbonensis Metropolis. Pluribus ea Primatibus olim paruit: primum Arelatensi, deinceps vero Narbonensi, ac Viennensi; tandem & ipsa sibi restituta est.

XX. Parem vicissitudinem quoque experta est Ecclesia Ebredunensis, Alpium Maritimarum perantiqua Metropolis, quo nomine eam appellat Hilarius Papa de Ingenuo Ebreduni Episcopo verba faciens: (3) *Alpium Maritimarum Provinciæ Metropolitani honore subnixus semper.* In Concilio Francofordiensi profligata fuit lis antiquissima, quæ tunc efferbuerat, inter Archiepiscopos Viennensem, & Arelatensem de Primatu, statuumque, ut obtinerent decreta Summorum Pontificum Zosimi, Leonis, Symmachi, & Gregorii, quibus Viennensi quatuor, Arelatensi novem Metropolitani subjiciebantur. Quoad Metropoles vero Ebredunum, Tarantasiam, & Aquas Sextias, quarum vacillabat status, judicium Sedis Apostolicæ expectaretur. Quamquam autem nos lateat, quid de hac re Romani Pontifices definierint, non immerito tamen existimat P. Thomassinus *de Vet. & Nova Eccl. Discip. P. 1. lib. 1. cap.* 44. *n.* 1. vicisse Ebredunensem, & Tarantasiensem; cum Ebredunum, & Tarantasia inter Metropoles in Testamento Caroli Magni recensitas locum habeant, & in Synodo Nemausensi anno 886. congregata a Theodoro Narbonensi, *Ermaldus Ebredunensis Archiepiscopus* subscriptus legatur.

XXI. Jam præsens caput absolveram, cum casu mihi contigit animadvertere subscriptiones Concilii Agathensis, quod anno 506. sub Cæsario Arelatensi celebratum fuit, ex quibus deprehendi, vetustiora esse primordia quarumdam Metropoleon Galliæ, quam ea consignata fuerint a Thomassino, & aliis, quorum antea opinionem amplexus fueram; nam post Cæsarium, ita subscribunt reliqui Metropolitani: *Cyprianus Episcopus de Burdigala Metropoli subscripsi: Clarus Episcopus de Civitate Elusa Metropoli subscripsi: Tetradius Episcopus de Biturica Metropoli subscripsi.* Idipsum apparet ex subscriptionibus Concilii Aurelianensis I. anno 511. coacti, in quo post Cyprianum,

(1) Paschalis II. epist. 48.
(2) Raynaldus ad annum 1418. num. 33.
(3) Concil. Francoford. can. 8.

num, & Tetradium laudatos, sequuntur, *Licinius Episcopus Turonicæ Metropolis: Leontius Episcopus Elusanæ Metropolis: Gildaredus Episcopus Ecclesiæ Rhotomagensis Metropolit.* Quamobrem præfatæ Ecclesiæ initio seculi sexti jam Metropoles suarum Provinciarum censebantur.

CAPUT IV.

Synopsis.

I. Hispaniæ altera Diœcesis Præfecto Galliarum subjecta. Hispaniarum partes olim tres præcipuæ. Varia Hispaniarum nomina, earumque descriptio.

II. Primum Hispaniis bellum a Pœnis illatum Romanos in eas regiones traxit. Duo Scipiones post insignes victorias a Celtiberis deserti interierunt. Scipio Africanus Patris, Patruique mortem ulciscitur pulsis tota Hispania Pœnis.

III. Gravius inde Romanis bellum imminuit ab incolis, quod ducentis prope annis duravit. Cæsar Augustus ei finem imposuit, universamque Hispaniam subegit. Istius belli exordium, progressus, & finem descripsit L. Florus.

IV. Sertorius junctis sibi Hispaniarum copiis contra Romanos concives suos prælium ciet; quo extincto plures Hispaniæ urbes se dederunt Romanis: reliquas Cæsar Augustus domuit.

V. Ante Augustum tamen Hispania Provinciæ formam susceperat, Augustus vero eam stipendiariam fecit. Divitem metallis, auro præsertim, & argento fuisse Hispaniam ex lib. 1. Maccabæorum, & Strabone discimus.

VI. Totam Hispaniam in tres Provincias divisit Augustus, Baeticam scilicet, Lusitaniam, & Tarraconensem. Tarraconensis caput Tarraco Scipionum opus olim urbs clarissima.

VII. Baetica a Baeti flumine nomen habet. Hodie in duas partes scinditur Granatam videlicet, & Andalusiam. Augusti tempore Hispalis Baeticæ Metropolis fuit.

VIII. Lusitania nunc Portugallia dicitur, quamvis hæc in Septemtrionem latius pateat. Olim ejus Metropolis fuit Emerita, nunc pæne diruta.

IX. Tres hactenus recensitæ Hispaniarum Provinciæ duobus Prætoribus regendæ committebantur.

X. Provincia Tarraconensis postmodum distracta fuit in Galleciam, & Carthaginensem. His additæ Tingitana trans fretum, & insulæ Baleares.

XI. Divisio Hispaniarum in sex Provincias non ab Hadriano, sed post Constantini tempora facta videtur.

XII. Nova Carthago a Pœnis condita Provinciæ Carthaginensi nomen dedit: eam a Scipione expugnatam Romani ampliorem, pulchrioremque reddiderunt. A Suevis, & Gotthis eversa; Toletum Provinciæ Metropolis fuit.

XIII. Galleciæ veteres limites describuntur. Ejus Metropolis quondam fuit Iria Flavia: nunc vero est Compostella ex illius ruinis extructa.

XIV. Tingitana Africæ Provincia Hispaniæ tributa est, a qua solo freto sejungitur. A Tingi urbe nomen habet. Claudius Imperator eam a Mauritania distraxit: sed tamen non nisi circa Constantini tempora Hispaniis addita fuit.

XV. Ba-

XV. Baleares circa Honorii tempora Hispaniis tributæ fuerunt. Duæ sunt Insulæ, quarum major Majorica, minor Minorica dicitur. Iis duæ parvæ insulæ adjacent Ebusus, & Ophiusa. Earum descriptionem adornavit Strabo. Quandonam a Romanis captæ sint?

XVI. Honorio imperante Gotthi, Wandali, aliæque exteræ nationes Hispanias invaserunt. Tunc vetus Provinciarum forma periit, & plura ibidem Regna condita fuerunt.

XVII. Quædam tamen urbes, præsertim in Provincia Tarraconensi, tunc temporis parebant Romanis, quibus tandem ereptæ fuerunt. Gotthorum Regnum in Hispaniis postea occupaverunt Mauri, multis ibidem Regnis constitutis.

I. Ispaniæ Galliis conterminæ alteram constituunt Diœcesim, Præfecto Galliarum in Notitia Imperii subjectam. Pars est Europæ celeberrima, a Gallia Pyrenæis montibus separata, & in Austrum recedens, a tribus lateribus Oceano, & Mari Mediterraneo instar peninsulæ circumflua; nam Oceanus ad Boream, ad Occasum, & ad Meridiem, Mediterraneum etiam ad Meridiem, & ad Ortum eam alluunt. Cujus peninsulæ isthmus est Pyrene mons, 80. leucis Hispanicis inter duo maria ab Occasu ad Ortum excurrens. Decem millibus stadiis, ut Appianus scribit, ejus latitudo commensuratur: longitudo prorsus eadem esse videtur. Terra frumenti, vini, olei, gemmarum, metallorumque ferax: ex qua etiam bellicosissimi viri, ac velocissimi equi procreantur. Ex apud veteres, Plinium præsertim *lib.* 2. *capp.* 1. 2. & 3. primum in duas Hispanias, Citeriorem, & Ulteriorem, Ibero fluvio divisas; postea in tres, Tarraconensem, Baeticam, & Lusitaniam partita: quarum quælibet plures continet regiones; sed maxime Tarraconensis, quæ reliquas simul acceptas magnitudine superat. Omnis porro hæc regio a flumine Ibero primum dicta fuit Iberia: postmodum vel ab Hespero Atlantis fratre, vel a Stella ejusdem nominis lucidissima, quæ vespertino tempore in Occidente apparet, solem subsequens, vocata est Hesperia: postremum ab incolis Hispania dicta est. Prolixam Hispaniæ descriptionem adornavit Strabo *lib.* 3. *Geographiæ*: breviorem nos hic exhibemus ex Paulo Orosio: (1) *Hispania universo terrarum situ trigona est, & circumfusione Oceani Tyrrhenique pelagi pæne insula efficitur. Hujus angulus prior spectans ad Orientem, a dextris Aquitanica Provincia, a sinistris Balearico mari coarctatus Narbonensium finibus inseritur. Secundus angulus circium intendit, ubi Brigantia Gallæciæ civitas altissimum pharum, & inter pauca memorandi operis ad speculam Britanniæ exigit. Tertius angulus ejus est, quo Gades insulæ intentæ in Africum, Atlantem montem interjecto sinu Oceani prospiciunt. Hispaniam Citeriorem ab Oriente incipientem Pyrenæi saltus a parte Septemtrionis usque ad Cantabros, Asturesque deducit, atque inde per Vaccæos, & Oretanos, quos ab Occasu habet, positam in nostri maris litore Carthaginem determinat. Hispania Ulterior habet ab Oriente Vaccæos, Celtiberos, & Oretanos, a Septemtrione Oceanum, ab Occasu Oceanum, a Meridie Gaditanum Oceani fretum: inde mare nostrum, quod Tyrrhenum vocatur, immittitur.*

II. Africæ proximior, a qua angusto ad Herculis columnas Gaditano freto sejungitur, Hispania, primum

(1) Orosius lib. 1. Hist. cap. 2.

mum inde ſenſit antiquæ libertatis diſcrimen: [1] Amilcar enim Pœnorum Dux in Hiſpaniam trajiciens, ducto ſecum Annibale filio novem annos nato, Carthaginis Imperio florentiſſimum illud Regnum ſubjicere tentavit. Huic interfecto Asdrubal ſuffectus annis octo eam Hiſpaniæ partem rexit, quæ Pœnorum armis ſuccubuerat. At eo ſublato, cum Annibal Provinciam ſuſcepiſſet, Olcadum gentem aggreſſus, Althæam urbem opulentam expugnavit; [2] tum deinde in Vaccæos expeditione facta Salmanticam debellavit, totamque mox Hiſpaniam intra flumen Iberum ſitam ſibi ſubjecit: ac demum Saguntum urbem Romanorum ſociam tota vi adortus poſt ſeptem menſes captam delevit. [3] Legati tum a Romanis Carthaginem miſsi, qui Annibalem rupti fœderis auctorem depoſcerent, & niſi traderent, bellum indicerent, cum ſe a Carthaginenſibus deluſos cernerent, bellum indixere. Duobus Scipionibus ſumma belli Hiſpanici demandata eſt, a quibus res primum feliciter geſtæ ſunt, hoſtes multis prœliis victi fugatique. Sed cum ambo adhuc Asdrubalem in Hiſpania, ne in Italiam tenderet, retinuiſſent, jamque de finiendo bello agitaſſent, a mercenariis Celtiberis deſerti, prope cum totis exercitibus cæſi ſunt, anno octavo quam in Hiſpaniam iverant; Cn. Scipio poſt Publium fratrem die undetrigeſimo corruit. Amiſſa tunc fuiſſet Hiſpaniæ poſſeſsio, niſi L. Marcii equitis Romani virtute, & induſtria, contractis exercituum reliquiis, ejuſdem hortatu bina caſtra hoſtium expugnata eſſent: ad triginta ſeptem millia cæſa: ad mille octingentos triginta capti; præda ingens parta, uti ex Livio, Appiano, & Floro tradit Carolus Sigonius *Comment. in Faſt. & Triumph. Rom. De Coſ. ann.* 541. Ad ulciſcendos patrem patruumque Scipio, a debellata Africa poſtea Africanus dictus, annos viginti quatuor natus, in Hiſpaniam extra ordinem pro Conſule miſſus eſt, cum reliqui omnes poſt duos occiſos Scipiones imperium recuſaſſent. Inſtar fulminis celeri curſu brevique tempore Pœnis urbes munitiſsimas eripuit, eorum vires contrivit, exercitus fudit, eosdemque tota Hiſpania deturbavit. Paucis præclara Scipionum facinora complexus eſt Lucius Florus: [4] *In Hiſpaniam miſſi Cnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerant; ſed inſidiis Punicæ fraudis oppreſſi, rurſus amiſerunt: magnis quidem illi prœliis, cum Punicas opes cecidiſſent; ſed Punicæ inſidiæ alterum ferro caſtra metantem, alterum, cum evaſiſſet in turrim, cinctum facibus oppreſſerunt. Igitur in ultionem patris ac patrui miſſus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa cognomen facta decreverant, bellatricem illam, viris armiſque nobilem Hiſpaniam, illam ſeminariam hoſtilis exercitus, illam Annibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam a Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperavit; neſcias citius, an facilius: quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel una civitas probat; eodem quippe quo obſeſſa eſt die, capta eſt; omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa eſt Hiſpana Carthago.*

III. Hactenus cum Pœnis in Hiſpania res fuit: ſed iis pulſis, gravius deinceps bellum, ac diuturnius ab incolis ipſis imminere cœpit. Pro libertate Hiſpaniarum populi ducentis prope annis cum Romanis, Romani cum illis decertarunt; hos gloriæ, illos libertatis amor tam longo tempore mutuos hoſtes habuit. Num-

quam

(1) Polybius lib. 2.
(2) Idem lib. 3. & 4.
(3) Livius lib. 21.
(4) Florus lib. 2. cap. 6.

quam tamen universa Hispania palam adversus Romanam Rempublicam arma sumsit; sed singillatim nunc ii, nunc illi ex ejus populis bella ciebant: ad quos coërcendos varii in Provinciam Duces, Consulesque a Senatu directi, donec Cæsar Augustus totam pacavit, & Romani Imperii jugum subire coëgit. Initium diuturni hujus belli, finemque descripsit idem Florus: (1) „ Hispaniæ numquam animus fuit adversus nos universæ „ consurgere: numquam conferre „ vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publice. Alioquin ita undique mari, Pyrenæoque vallata „ est, ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Sed ante a Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret: & sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac prope ducentos per annos dimicatum „ est, a primis Scipionibus in Cæsarem Augustum: non continue, „ nec cohærenter, sed prout causæ lacessierant. Nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispania. „ Inde contagio, & series, causæque bellorum. Prima per Pyrenæum jugum signa Romana P. & „ Cn. Scipiones intulerunt, prœliisque ingentibus Annonem, & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt; raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua „ victoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra marique victores. „ Igitur quasi novam integramque „ Provinciam ultor patris, & patrui Scipio ille mox Africanus invasit. Isque statim capta Carthagine, & aliis urbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis Provinciam fecit, omnem „ citra ultraque Iberum subjecit imperio: primusque Romanorum Ducum, victor ad Gades & Oceani „ ora pervenit. *Plus est Provinciam retinere, quam facere*. Itaque per partes jam huc, jam illuc missi Duces qui ferocissimas, & ad id temporis liberas „ gentes, ideo impatientes jugi, „ multo labore, nec incruentis certaminibus, servire docuerunt. Cato ille Censorius *Celtiberos*, idest „ robur Hispaniæ, aliquot prœliis „ fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum & quinquaginta urbium eversione multavit. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruit cum „ & Contrebiam memorabili cepisset exemplo, & Nertobriges, „ majore gloria pepercit. Lucullus Turdulos, atque Vaccæos, de „ quibus Scipio ille posterior, singulari certamine cum a Rege fuisset provocatus, opima retulerat. „ Decimus Brutus aliquanto latius „ Gallæcos, atque omnes Gallæciæ „ populos, formidatumque militibus flumen oblivionis, peragratoque victor Oceani litore, non „ prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque „ aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu, & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit, & Numantinis: nec immerito; quippe solis „ gentium Hispaniæ Duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus „ Celtiberis: nisi dux illius motus, „ initio belli oppressus esset, summus vir astu & audacia, si res „ cessisset, Salondicus; qui hastam „ argenteam quatiens velut cœlo „ missam, vaticinanti similis, omnium „ in se mentes converterat. Sed cum „ pari temeritate sub nocte castra „ Consulis adiisset, juxta tentorium ipsum

(1) Florus L. 2. cap. 17.

„ ipsum pilovigilis exceptus est. Ceterum Lusitanos Viriatus erexit, vir caliditatis acerrimæ; qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum, & Tagum igni ferroque populatus, castra etiam Prætorum, & Præsidum aggressus, Claudium Unimanum pæne ad internicionem exercitus cecidisset, insignia trabeis, & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixisset: tandem eum Fabius Maximus Consul oppresserat. Sed a Successore Pompilio ideſt violata victoria est: quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem, & insidias, & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse. „ Non minus acre fuit Numantinum bellum, quod & ipsum quatuordecim annorum spatio perduravit, maxima Romanorum cæde. Sed tandem Scipionis Junioris virtute Numantia cecidit, unaque cum ipsa universa Numantinorum gens deleta, adeo ut ne unus quidem Numantinus superstes esset, qui in catenis ductus triumphi spectaculum jucundius exhiberet.

IV. Sertorianum Bellum denuo Hispaniam armavit, eo ferocius, quo audacior fuit sub Romano Duce Sertorio. Tunc Lusitanorum, ac Celtiberorum virtus, nec alias magis apparuit Hispani militis vigor: (1) *Uno Imperatore resistere res Romana non potuit; additus Metello Cn. Pompejus: hi copias viri diu, & ancipiti semper acie attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere, & insidiis extinctus est . . . . Misera inter Romanos Duces Hispania discordiæ pœnas dabat; donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta Calaguris.* Tunc omnes prope Hispaniæ in ditionem Populi Romani redactæ sunt, ut tradit Eutropius *Breviarii lib. 6.* Supererant adhuc Cantabri, & Astures, qui freti montibus resistebant: hos demum debellavit Cæsar Augustus, universamque Hispaniam Romano Imperio subegit, pacavitque victoriis. Suetonius, Florus, Sextus Rufus istius rei testes, sed omnium disertissimus Vellejus Paterculus, de Octaviano Augusto ita loquens: (2) *Hispaniæ nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ, quem usque in tertium Consulatum, & mox collegium tribuniciæ potestatis, amicitia Principis evexerat, multo varioque marte pacatæ. In quas Provincias quum initio Scipione, & Sempronio Longo Consulibus, primo anno secundi Punici, ab hinc annos CCL. Romani exercitus missi essent duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos CC. in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis P. R. Imperatoribus exercitibusque, sæpe contumelia, etiam nonnumquam periculum Romano inferretur Imperio. Illæ enim Provinciæ Scipiones consumserunt: illæ contumelioso viginti annorum bello sub Duce Viriatho majores nostros exercuerunt: illæ terrore Numantini belli Populum Romanum concusserunt. In illis turpe Q. Pompeii fœdus, turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: illa tot Consulares, tot Prætorios absumsit duces, patrumque ætate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispa-*

(1) Florus lib. 3. cap. 22.

(2) Vellejus Paterculus Hist. Rom. lib. 2.

spanis Romanisve in armis plus esset roboris, & uter populus alterutri pariturus foret. Has igitur Provincias tam diffusas, tam frequenteis, tam feras, ad eam pacem ab hinc annos ferme quinquaginta perduxit Cæsar Augustus; ut quæ maximis bellis numquam vacaverant, eæ sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterisque postea etiam latrociniis vacarent.

V. Quamvis autem nonnisi sub Cæsaris Augusti Imperio Hispania universa domita fuerit atque pacata, longe tamen ante id tempus *Hispaniam primam continentis Provinciam factam esse* scribit Livius *lib.* 28. factam porro victoria Scipionis, & Rufus, & alii prodiderunt; & quidem anno Urbis conditæ 547. L. Veturio Philone, & Q. Cæcilio Metello Conf. At Carolus Sigonius *Comment. in Fast. & Triumph. Rom. ad eumdem annum, non hoc anno*, sed 556. C. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Conf. ordinatam existimat. Tunc quippe Prætores duo, qui in eam quotannis mitterentur, primum creati, atque ipsæ terminatæ Hispaniæ sunt, auctore Livio. Augustus postmodum, cum totam subegisset, stipendiariam fecit, teste Vellejo Paterculo: *In Hispanias primi omnium duxere exercitus, Cn. & P. Scipiones, initio secundi belli Punici, ab hinc annis CCL. Inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est.* Certe Macabæorum temporibus Hispaniam Romanorum Imperio paruisse, ibique sub eorum potestatem auri argentique fodinas venisse, Sacra Scriptura testatur: *Et audivit* (1) *Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus . . . . Et audierunt* (Judæi) *quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & quod in potestatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo, & patientia.* Divitem metallis, auro præsertim & argento Hispaniam fuisse locus iste Maccabæorum nos docet. Quod pariter commemorat Strabo, regiones insuper describens, ubi illa nascuntur: (2) *Superiores*, inquit, *partes, quæ sunt ad Clastonem, navigari non possunt: sed dorsa quædam montium a se ubique æqualiter distantia, & Boream versus modo magis, modo minus cohærentia juxta fluvium protenduntur, plena metallorum. Plurimum argenti est in locis circa Ilipam, & Sisaponem tam veterem, quam novum. Apud Cotinas quas vocant æs aurumque nascitur. Ii montes sursum navigantibus ad sinistram sunt. Ad dextram autem planiciei magna, excelsa, fertilis, magnis consita arboribus, & pascuis apta . . . Superjacent autem montes quoque secturas habentes metallicas, qui ad Tagum pertingunt. Loca in quibus metalla sunt, necesse est aspera esse & sterilia fere, qualia sunt Carpetaniæ contigua, magisque etiam ea, quæ Celtiberiam tangunt. Talis ergo est etiam Baeturia, siccos habens campos juxta Anam porrectos.* Plurima ibidem asserit de regionis hujus amœnitate, frugum copia, divitiisque. De qua & Cajus Julius Solinus in Polyhistore scripsit: (1) *Terrarum plaga comparanda optimis, nulli posthabenda frugum copia, sive soli fertilitate . . . Omni materia affluit, quæcumque aut pretio ambitiosa est, aut usu necessaria. Argentum, vel Aurum si requiras, habet: ferrariis numquam deficit, nec cedit vitibus, vincit oleis.*

VI. Posteaquam deletis hostibus, Hispania certa, & stabilis Populi Romani possessio esse cœpit, Octavianus Augustus in tres Provin-

cias

(1) Lib. 1. Maccab. c. 8.
(2) Strabo lib. 3. pag. 98.

(1) Solinus in Polyhistore cap. 26.

cias totam distribuit, Baeticam, Lusitaniam, & Tarraconensem: de quibus Strabo: *Hispania ab Augusto artais comparata per eumdem in tres Provincias divisa est, Baeticam, Lusitaniam, & Tarraconensem.* Eamdem divisionem suis temporibus obtinuisse affirmat (1) Ptolemaeus: *Hispaniae, quae apud Graecos Iberia dicitur, tres Provinciae sunt, Baetica, Lusitania, ac Tarraconensis.* Idipsum Solinus, Pomponius Mela, ceterique veteres Geographi testantur. Prima, & Hispaniarum nobilissima Provincia fuit Tarraconensis, quae ut auctor est Pomponius Mela *lib.* 2. altero capite Gallias, altero Baeticam, & Lusitaniam contingens, mari latera objicit Mediterraneo, qua Meridiem spectat: qua Septemptrionem, Oceano. Reliquis Hispaniae partibus major erat; quippe extendebatur ab Ortu in Occasum ad 660. M. P. nimirum a Templo Veneris, ad Nerium promontorium; sed minus patebat in latitudinem. Vina Tarraconensia olim in magno pretio habita: unde Martialis *lib.* 13. *Epigramm.* 115.

Tarraco Campano tantum cessura Lyaeo.

Cui concinit Silius *lib.* 3.

. . . . dat Tarraco pubem
Vitifera, & Latio tantum cessura Lyaeo.

Huic Provinciae appellationem dedit Tarraco urbs quondam clarissima, Scipionum opus, Maritimarum urbium opulentissima, & totius Regionis caput, teste Solino: (2) *Tarraconem Scipiones condiderunt, ideo caput est Provinciae Tarraconensis.* Immo totius paene Hispaniae Metropolim eam nominat Strabo: (3) *Inter Iberi ostia, & Pyrenes extrema, ubi sunt Pompeii trophaea, prima urbs est Tarracon, portu quidem carens, sed in sinu condita, & aliis satis instructa rebus, nunc non paucioribus quam Carthago frequentata viris. Commode enim sita est ad Praefectorum in Hispaniam peregrinationes, estque Metropolis non tantum intra Iberum sitae Hispaniae, sed & magnae partis ejus, quae extra est.* A Mauris eversa anno 1083. Toleto recepto exaedificata est; sed parvo moenium circuitu angusta, veteris gloriae vix nomen retinet.

VII. Baetica altera Hispaniae pars, a Tarraconensi Marianis montibus, a Lusitania Ana fluvio discreta, in Austrum vergit: a Baeti amne, qui eam mediam perfluit, sic dicta. Fluvius iste ex Argenteo monte in Occasum per Biatiam, Ubedam, ac Illiturgim urbes fluens, inde in Austrum retortus, Corduba, & Hispali irrigatis, Oceano Gaditano ad Fanum Luciferi se se immiscet. Hujus fluvii aquis lanas optime tingi, auctor est Martialis, (4) quum ait:

Baetis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

Eam olim incolebant Bastuli, Turduli, & Tudertani populi, a quibus Turdetaniam nuncupatam tradit Strabo *lib.* 3. Hodie in duas partes dividitur, quarum prior Granata appellatur, a grani tinctorii copia, quod Graeci coccum nominant: altera inferior vulgo Andalutia dicitur. In ea Corduba, & Hispalis urbes clarissimae sunt; & ceteras Hispaniae regiones soli ubertate superat, omnium cultissima. (5) In ea *urbes sunt ingenti numero*, inquit Strabo, *quippe ducentas, ut ajunt, notissimae sunt, quae fluminibus, aestuariis, aut mari appositae sunt, ob usum rerum. Maxime autem gloria ac potentia crevit Corduba,* Mar-

(1) Ptolemaeus lib. 2. cap. 4.
(2) Solinus ibid. c. 25.
(3) Strabo lib. 3. pag. 110.
(4) Martialis lib. 12. epigr. ult.
(5) Strabo loc. cit. p. 97.

Marcelli opus, & Gaditanorum urbs: hæc quidem ob navigationes, & quod Romanis se sociam præbuit: illa ob agri bonitatem, ac amplitudinem, magnam quoque partem Bæti fluvio conferente: inhabitaruntque eam ab initio delecti Romanorum, & indigenarum viri, primamque eo istis in regionibus coloniam Romani deduxerunt. Post has Hispalis claret, ipsa quoque Romanorum colonia, ac nunc quidem emporium ibi durat: honore autem, & recenti militum Cæsaris eo missorum inhabitatione Bætis præcellit, quamvis non splendide condita. Ex postremis hisce Strabonis verbis liquet, Cæsaris Augusti temporibus, quibus ipse vivebat, Hispalim Provinciæ Bæticæ Metropolim extitisse. Quod etiam Philostratus in *vita Apollonii Tyanei lib. 5.* affirmat.

VIII. Lusitania tertia est Hispaniæ pars, a Luso, & Lysa Liberi patris comitibus nomen adepta, ut docet Plinius *lib. 3. cap. 1.* unde & Lysitania a Lyso, populique Lysitani, & Lysiades dicuntur Straboni, Polybio, Dionysio, & aliis: Lusitania vero, & Lusitani a Luso: De his Silius *lib. 3.*

Hos Viriathus agit, Lusitanumque remotis
Extractum lustris . . . .

Eam Provinciam Plinius *lib. 4. c. 12.* ita circumscripsit, ut crediderit, ad Septemtrionem Durio amne a Tarraconensi Provincia, ad Austrum a Bætica Ana fluvio dirimi. Plinio consentit Ptolemæus *lib. 2. cap. 5.* At Strabo *lib. 3.* Lusitaniam ad Austrum Tago flumine terminat. Minus accurata videtur Plinii descriptio; nam Bæticæ Lusitania, non ad Austrum, sed ad Ortum adjacet. Nunc Portugalliam vocant: attamen Portugallia in Septemtrionem latius patet, quam Lusitania, Bracaros siquidem, aliosque populos inter Durium, & Minium fluvios complectitur extra Lusitaniam positos. Contra vero in Ortum Lusitania magis extenditur, quam Portugallia; in Lusitania enim continetur regio illa, quæ a recentioribus Extremadura appellatur, Bæturiam ad Meridiem, & Vettones magna ex parte ad Boream comprehendens, Tago, & Ana fluminibus intermeatur: inter Castellam novam ad Ortum, Portugalliam ad Occasum, Castellam Veterem ad Boream, & Vandaliam ad Meridiem perstricta. Lusitaniæ caput, & Metropolis olim fuit Emerita, cujus meminit Strabo *lib. 3.* quæ & Augusta Emerita dicta est, ab Augusto condita, eoque nuncupata nomine, quod veteranis militibus, & Emeritis ad habitandum tradita fuerit, teste D. Isidoro *lib. 15. Etymolog.* De illa Ausonius in Catalogo Urbium:

Jure mihi post has memorabere nomen Iberum
Emerita . . . .

Hic granum rubrum provenit, quo vellera tinguntur, Tyrio splendori neutiquam cedens, ut refert Plinius *lib. 9. cap. 41.* Urbs quondam ampla, sed hodie nihil ejus superest præter ruinas, & magna antiquitatis vestigia.

IX. Tres hactenus recensitæ Hispaniarum Provinciæ duobus, qui eas administrarent, Prætoribus committebantur. Quod primum constitutum fuit anno U. C. 556. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Cons. ut ex Livio, aliisque probat Carolus Sigonius ad eumdem annum. Divisa in tres partes Hispania, Cæsar Augustus Bæticam Populo Romano tradidit, duas reliquas sibi retinuit. Audiendus de hac re Strabo: (1) *Nostra quidem*

(1) Strabo lib. 3. p. 115.

dem tempestate Provinciis aliis S. P. Q. Romano adsignatis, aliis Principi: Baetica Populo attributa est, mittiturque in eam Prætor cum quæstore, & legato: finis ei versus Orientem constitutus est proxime Castaonem. Reliqua est Cæsaris, & in eam mittuntur duo legati, prætorius, & consularis: quorum ille cum legato jus dicit Lusitaniæ, quæ attingit Baeticam, & porrigitur usque ad Durium amnem, & ejus ostia: sic enim nunc proprie illam regionem nominant: ibique est Augusta Emerita. Reliqua & quidem major pars Hispaniæ subest consulari legato, qui exercitum habet non contemnendum, trium circiter cohortium, ac tres legatos. Horum prior cum duabus cohortibus custodit totum trans Durium versus Septemtrionem tractum, qui olim Lusitania, nunc Callaica dicitur: hunc attingunt Septemtrionales montes cum Asturibus, & Cantabris. Per Astures fluit Melsus fluvius, paulumque ab eo distat Noega urbs, & in propinquo est Oceani æstuarium, quod Astures a Cantabris dividit. Proxima ad Pyrenen usque montana gubernat alter legatorum cum una cohorte. Tertius Mediterranea regit, atque continet pacatos jam populos, & mansuetis moribus, & cum toga formam indutos Italicam: ii sunt Celtiberi, & qui in propinquo utrimque ad Iberum accolunt, usque ad maritima. Ipse Præfectus in maritimis hyemare solet jus dicendo, maxime Carthagine, aut Tarracone: per æstatem obit Provinciam, inspiciens quæ quovis tempore correctionem desiderant. Sunt & Procuratores ibi Cæsaris, equestris ordinis, qui militibus pecuniam ad vitæ necessitates suppeditant.

X. Quoniam vero nimis ampla videbatur Provincia Tarraconensis, ea postmodum distracta fuit in Tarraconensem, Gallæciam, & Carthaginensem; quibus deinde accesserunt, Transfretana, seu Tingitana, & Baleares, totumque Hispaniarum corpus politicum septem constabat Provinciis, quas exhibet Notitia Imperii.

Sub Diœcesi Hispaniæ, Provinciæ VII.

Baetica.
Lusitania.
Gallæcia.
Tarraconensis.
Carthaginensis.
Tingitana.
Baleares.

XI. Ab Adriano Imperatore Hispaniam divisam fuisse in sex Provincias scilicet Tarraconensem, Gallæciam, Carthaginensem, Lusitaniam, Baeticam, & Tingitanam, existimat Brietius *in Parallelis Geographicæ veteris, & novæ*. Hoc idem Onuphrius Panvinius tradit in Notitia Hadriani Augusti, quam ex Sexto Rufo desumsit. At rectius Carolus a S. Paulo Abbas Fuliensis docet, post Constantini Magni tempora eam divisionem fuisse invectam, addita Hispaniis ex Africa Tingitana Provincia. Id non obscure insinuat Sextus Rufus *in Breviario rerum gestarum Pop. Rom. ad Valentinianum Augustum*. Is primum varios Hispaniarum populos a Ro-

Romanorum Ducibus domitos commemorat: (1) *Hispanis primum auxilium adversus Afros per Scipionem tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per D. Brutum obtinuimus; & usque Gades ad Oceanum mare pervenimus. Postea ad Hispanos tumultuantes D. Junius Silanus cum exercitu missus eos vicit. Celtiberi in Hispania sæpe rebellavere: sed misso minore Africano, cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes pæne Hispaniæ occasione belli Sertoriani per Metellum, & Pompejum in deditionem acceptæ sunt: postea prorogato in quinquennium imperio, a Pompejo perdomitæ sunt. Ad extremum quoque ab Octaviano Cæsare Augusto, Cantabri, & Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt.* Mox subjicit divisionem illam sex Provinciarum velut recens institutam: *At per omnes Hispanias sex sunt nunc Provinciæ: Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallæcia, Baetica. Trans fretum etiam in solo terræ Africæ, Provincia Hispaniarum est, quæ Tingitanica Mauritania cognominatur. Ex his Baetica, & Lusitania Consulares, ceteræ Præsidales sunt.* Hæc Sextus Rufus de Provinciis Hispaniæ, cujus verba notanda sunt: *Per omnes Hispanias sex nunc sunt Provinciæ:* his quippe indicat, paulo ante suam ætatem sex in Hispaniis Provincias fuisse constitutas. Unde conjicere fas est, id minime factum Hadriani Imperatoris tempore, sed circa Constantini Principatum. His demum accessere Insulæ Baleares, quarum primа mentio occurrit in Notitia Imperii, paulo post Arcadii, & Honorii tempus edita.

XII. A Tarraconensi igitur excisa est Provincia Carthaginensis, a nova Carthagine, quæ Provinciæ Metropolis est, nomen sortita. Eam urbem Poeni Duce Asdrubale condiderunt, a patria sua nuncupatam, & ab illa perpetuo novæ Carthaginis epitheto discretam. Hæc etiam a sparti copia, quod in ejus agro copiosissime provenit, Spartaria appellata est. A Scipione Africano expugnata fuit, Hannone Poenorum Duce non sine ingenti suorum clade se dedente, ut tradit Livius *lib. 6. Decad.* 3. In Romanorum vero potestatem recepta, ab ipsis frequentata est, novisque, ac pulcherrimis ædificiis amplificata, adeo ut reliquis Hispaniarum urbibus præstaret; qualem eam describit Strabo (2) *lib.* 3. *Ergo post Abdera sequitur Carthago nova, ab Asdrubale condita, eo qui Barcæ Annibalis patri successit, longe præstantissima omnium ejus regionis urbium: nam & loci natura est munitissima, & muro præclare extructo, & ornata est portubus, ac lacu, & argenteis, quæ dixi metallis, & cum ibi, tum in vicinis locis multum confit salsamentorum, estque hoc magnum emporium, ubi & Mediterranei maritimas, & Maritimi mediterraneas mercantur merces.* De istius urbis divitiis, & reditibus ex argenti fodinis Popolo Romano inde provenientibus antea præfatus fuerat: (3) *Polybius*, inquit, *mentionem argentorum metallorum faciens, quæ sunt ad Carthaginem novam, ea ait esse maxima, ab urbe ad 20. stadia dissita, circulo 400. stadiorum contenta: ibi quadraginta millia hominum in labore versari, atque in singulos dies Populo Romano tum temporis 25. millia drachmarum ab iis tributa fuisse.* Romanorum coloniam factam referunt Solinus *in Polybist. c.* 25. & S. Isidor. *Origin. lib.* 5. De illa Ovidius (4) cecinit:

 Nec

(1) Rufus in Breviario.
(2) Strabo lib. 3. pag. 109.

(3) Eodem lib. pag. 101.
(4) Ovidius epist. 7.

Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Moenia . . . . .

Dubium est an ipsa quondam Hispaniæ caput esset, an potius Tarraco. Tamen Cæsaris Augusti temporibus Tarraconem universæ Hispaniæ Metropolin extitisse affirmat Strabo. Hoc unum certum est Provinciæ ab ipsa nominatæ aliquando Metropolin fuisse, donec urbs ista florentissima a Suevis, & Gotthis eversa, Toletum, ubi Gotthorum Reges Sedem fixerant, Metropolis translata est. Exin Carpetania Provincia a Carthaginensi divulsa ortum duxit, cujus caput Toletum fuit.

XIII. Gallæcia & ipsa a Tarraconensi distracta latioribus ac nunc finibus continebatur, totam enim Castellam veterem ambitu suo comprehendebat. Eam Plinius describit *lib.* 4. *cap.* 20. In Occasum maxime extenditur: habet ab Occidente, & Septemtrione Oceanum Atlanticum, a Meridie Portugalliam, & ab Oriente Asturias, & Regnum Legionis. De illa Silius *lib.* 3.

Fibrarum, & pennæ, divinarumque sagacem
Flammarum, misit dives Gallæcia pubem.

Ejus populi Gallæci Plinio, Callaici Straboni, & Ptolemæo, Gallicii Eutropio dicuntur. Metropolis Gallæciæ olim fuit Iria Flavia, urbs Callaicorum Lucensium, ad Ullam amnem: ex cujus ruinis Janasum extructum est, quod nunc Compostellam vocant, eique subrogatam.

XIV. Tingitanam merito Sextus Rufus *trans fretum in solo Africæ* sitam dixit: est enim pars Mauritaniæ Hispaniis contermina, & vix angusto freto ad Gades, extra Herculis columnas, ab illis sejuncta. De Tingitanis a proprio Rege ad Cæsarem Augustum deficientibus mentionem fecit Dio: (1) *Sub idem tempus Bogud Mauritaniæ Rex in Hispaniam, sive Antonii jussu, sive suapte voluntate, navigavit, eique & dedit multum mali, & vicissim accepit: interimque deficientibus ab eo Tingitanis, & ex Hispania recessit, neque suum Regnum recepit*. Tum paulo post subdit, *Tingitanis civitatem datam esse*. Ab urbe Tingi tota regio nomen habet, quam ab Antæo, quem Hercules vicit, conditam ferunt, ad fretum Herculeum. Ejus meminit Strabo *lib.* 3. *pag.* 96. & Tingim Mauritaniæ vocat. Antoninus Imperator in Itinerario, *Tingim Coloniam* nominat. Tingis quoque littora commemorat inquiens: *A Tingi littoribus navigatur usque ad portus divinos*. Strabonis ætate ex urbe non modica, in exiguum oppidulum Tingis redacta erat, fortassis bellorum causa. Regionis situm exhibet idem auctor: (2) *Extra columnarum fretum procedenti, ita ut ad sinistram sit Africa, mons est, quem Græci Atlanteм nominant, Barbari Dyrim. Inde processus quidam eminet, extrema Mauritaniæ pars Occidentem versus, & Cotes appelletur: pone etiam est oppidulum supra mare, id Barbari Tinga vocant, Artemedorus Linga Eratosthenes Lixum, & contra Gades est situm, freto* CCCC. *stadiorum diremtum, ac tantumdem distat a freto columnarum*. De hac urbe Silius *lib.* 3.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Hanc Provinciam a reliqua Mauritania distraxit Claudius Imperator, ut tradit Dio: (3) *Claudius Mauritaniam subditam in duas partes divisit, Tingitanam, & Cæsariensem, duobus iis Equitibus præpositis*. Non tamen ipse Clau-

(1) Dio lib. 48. pag. 439.
(2) Strabo lib. 17. pag. 568.

(3) Dio lib. 60.

Claudius Hispaniarum Diœcesi eam attribuit: immo paulo post Claudium uni Præsidi utramque Mauritaniam, Cæsariensem & Tingitanam Galba Imperator commisit, ut patet ex Tacito *lib.* 2. *Histor.* Quare nonnisi a Constantini tempore, vel paulo post ejus obitum Tingitana Hispaniis contributa est, quo ad civilem administrationem: quod enim spectat ad Ecclesiasticam, ad Diœcesim Africæ pertinebat, & Carthaginensi Primati subjecta erat.

XV. Baleares Insulæ postremo additæ sunt Hispaniis post Valentiniani senioris Imperium, & nonnisi circa Honorii tempora. Nam Sextus Rufus, qui Historiam suam Valentiniano nuncupavit, sex dumtaxat Hispaniarum Provincias enumerat, Balearibus prætermissis. Prima earum mentio obvia est in Notitia Imperii Honorio inscripta. Baleares a mittendo dictæ sunt; Balerides etiam Straboni, Balliarides Ptolemæo, Gymnasiæ, vel Gymnesiæ Græcis. Duæ sunt Insulæ Maris Mediterranei Hispaniæ Tarraconensi adjacentes, a qua vix 70. milliaribus distant, & paulo plus ab ostio Iberi fluvii. Inter se 25. millibus passibus dissitæ sunt. Major, quæ nunc Majorica appellatur, urbem habet cognominem, amplam munitamque, in circuitu 140. M. P. mensuratur. Minor, quæ hodie Minorica dicitur, vix 50. mille passus in circuitu complectitur. Has præter Virgilium, aliosque, memorat Dionysius Afer:

Continuoque jacent Gymnasiæ, at has Baleares
Romani memorant . . . .

Inter Balearem Insulam Majorem ad Ortum, & promontorium Dianium, sinumque Sucronensem ad Occasum, duæ insulæ parvæ interjacent, a veteribus *Pityusæ* dictæ, nunc ab Hispanis *las Islas de yviza*: earum major, quæ ad Boream *Ebusus* nominatur, Castrum habet ejusdem nominis, cum tribus villis tantum, & salis fodinis. Minor vero, quæ *Ophiusa*, ad Austrum extensa, deserta est propter Serpentes, & parvi admodum circuitus. Has omnes ita describit Strabo: *Insularum* (1) *porro, quæ ante Hispaniam sunt sitæ, Pityusas duas, & totidem Gymnesias, Balearidas appellant: sitas ante oram maritimam inter Sucronem, & Tarraconem, supra quam oram situm est Saguntum. Magis in alto jacent Pityusæ, & ad Occasum a Gymnesiis. Harum altera Ebusus dicitur urbem habens cognominem: insulæ ambitus est* 400. *stadiorum æquali fere longitudine, & latitudine. Altera dicitur Ophiusa, vicina huic, sed multo minor, & deserta. Gymnesiarum major duas habet urbes Palmam, & Pollentiam, hanc versus Ortum, illam ad Occasum: longitudo insulæ non multum abest* 10c. *stadiis, latitudo* cc. *Artemidorus utrumque duplicat. Minor ad* 70. *stadia a Pollentia abest, non multo minor priore, neque quidquam ei virtute cedens. Utraque enim fortunata est, & bonos habet portus, quorum tamen aditus saxis, sub aqua latentibus obsiti, faciunt, ut attente cura adhibenda sit intrantibus. Incolæ ob soli præstantiam vivunt in pace, ut & Ebusæi . . . . Ob præstantiam autem illam insidiis petiti, quamquam pacati vivant, funditores tamen sunt optimi, ajuntque eam artem eos magnopere exercuisse, ex quo tempore Phœnices eas insulas occuparunt. Hi primi hominum feruntur gestasse tunicas late prætextas. In pugnam exeunt discincti, scutum manu gestantes, aut jaculum præustum, raro ferro exiguo præfixum. Circa caput fundas tres gerunt*

(1) Strabo lib. 3. pag. 115.

runt e melancræna confectas: junci id genus est, ex quo funes fiunt: inde Philetas in Hermenia, seu interpretatione:

Sordibus est illis toga squalida protinus, atque

Involuit coxas cento melancranius; Scilicet quod scirpeis uterentur amiculis, ex melancræna, aut ex crinibus, aut nervis. Tribus utuntur fundarum generibus, longo (quod macrocolon vocatur) ad ictus longius dirigendos, brevi ad ferienda propinqua, (idest Brachycon) & mediocri ad mediocres missus. A puero autem ita funda exercebantur, ut non alias panis daretur, quam si fundâ scopum tetigissent.

Insolitum illum bellandi morem flocci fecerunt Romani, cum Duce Q. Metello Baleares Insulas subegerunt. Belli istius causam exponit Florus: (1) *Baleares per idem tempus insulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros, atque silvestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendere etiam inconditas rates; & prænavigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed cum venientem ab alto Ramanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere: & primo impetu, ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. Tribus quisque fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus; cum hæc sola genti arma sint, id unum ab infantia studium? Cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione terruêre Romanos. Postquam cominus ventum est, expertique rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga littora; dilapsique in proximos tumulos, quærendi fuerunt, ut vincerentur.* Ante L. Florum eamdem Belearici belli causam aperuit Strabo, licet eam in quosdam potius maleficos prædones, quam in omnes incolas rejiciat; artemque commendat, qua Metellus milites suos a saxorum nimbis immunes reddidit: *Cum autem Malefici quidam societatem coiissent cum prædonibus maritimis, culpati fuerunt universi: & bellum eis fecit Metellus, cognomento Balearicus, qui & urbes condidit . . . . Itaque Metellus, ad insulas adnavigans pelles supra tabulata navium extendit ad excipiendos fundarum ictus: introduxit autem colonos, tria millia Romanorum ex Hispania.* Confecit hoc bellum Metellus anno U. C. 630. ex quo Balearici nomen sibi comparavit; quemadmodum ejus pater, ob res in Macedonia præclare gestas, Macedonicus fuerat appellatus. Rem lepidam sane narrat Strabo invectos primum in Baleares Insulas ex Hispania cuniculos mares, & femellas in tantam excrevisse copiam, ut agros depopularentur, plantas, domosque everterent, petiisse idcirco incolas a Cæsare Augusto Romanos milites, qui ab ejusmodi bestiolarum molestiis terras illas liberarent: quod & factum, doctæque venandi artem gentes illæ, in delicias postmodum verterunt incommoda.

Eæ igitur erant Hispaniarum Provinciæ, quarum omnium administratio, non Præfecto, sed Propræfecto, seu Vicario demandata erat. Unde lex 15. *Cod. Theodos. de Paganis* ab Honorio lata, cui hæc inscriptio præfixa est: *PP. Hispaniarum*, non interpretandæ sunt eæ voces *Præfecto Prætorio Hispaniarum*; sed *Proprefecto Hispaniarum*, ut ibidem observat Gothofredus: Hispania quippe una cum tribus Diœcesibus dispositioni Præfecti Prætorio Galliarum subdebatur.

XVI. Usque ad Arcadii, & Honorii Principatum hæc Provinciarum for-

(1) Florus lib. 3. cap. 8.

forma in Hispaniis permansit, quamdiu illæ Romano paruerunt Imperio. Sed Christi anno 409. qui erat Honorii 17. ex quo cum patre regnare cœpit, 15. vero ab ejus obitu, cum Barbari magnam Hispaniarum partem Romanis eripuissent, varia ibidem Regna ab iisdem fuerunt condita. Per triennium autem Barbari a Gotthis bello pressi, tandem, (1) Idacio auctore, anno 411. *ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad habitandum sibi Provinciarum dividunt regiones. Gallæciam* Wandali *occupant, & Suevi, sitam in extremitate Oceani maris Occidua: Alani Lusitaniam, & Carthaginensem, Provincias: &* Wandali *cognomine Silingi Baeticam sortiuntur*. Me non latet circa annum, quo Barbari in Hispanias intrarunt, non unam esse omnium sententiam. Sanctus Gregorius Turonensis *lib. 2. cap. 2.* tradit, Wandalos Hispanias invasisse post mortem Sancti Bricii Episcopi Turonensis, quæ juxta ejus calculum anno 444. aut sequenti contigit. Verum Hispanis Scriptoribus, & plerisque aliis assentiri lubet, quibus visum est, Barbarorum in Hispanias introitum accidisse, *Honorio VIII.* & *Theodosio Juniore III. Coss.* Ita habet Idacius in Fastis sub Consulibus anni 409. *His Coss. Barbari Hispanias ingressi.* Cassiodorus autem in Chronico: *Wandali Hispanias occuparunt.* Quod totidem verbis affirmat etiam Prosper in Chronico. Sed clarius ceteris tempus adnotavit alter Idacius anno Abrahami 2425. qui Kalend. Octob. superioris Christi anni inchoatur: *Alani, & Wandali, & Suevi Hispanias ingressi Era quadringentesima quadragesima septima, alii quarto Kalendas, alii tertio Idus Octobris memorant die tertia feria, Honorio VIII. & Theodosio Arcadii filio III. Coss.* Cum itaque Era 447. in Christi annum 409. incidat, & Idacius annos Abrahami a Kalendis Octobris cum Eusebio, & D. Hieronymo, quorum Chronica continuat, exordiatur, & feria tertia anni præfati contigerit IV. Kalendas Octob. seu die 28. Septembris; Gregorius Turonensis externæ Historiæ minus conscius hac in re deceptus fuit, quemadmodum in quibusdam aliis, quæ ad domesticas Galliæ suæ historias pertinebant. Redundasse arbitror in Idacii Chronico, & ab aliquo sciolo inserta hæc verba: *alii tertio Idus*, cum dies 13. Mensis Octobris Eræ 457. minime concurrat cum feria tertia, sed cum feria quarta.

Tertio postquam Barbari in Hispanias irruperant anno, 411. subversæ fuerunt Hispaniaruum Provinciæ, ut tradit idem Idacius *in Chronico ad annum Abrahami* 2427. tunc enim bello a Gotthis vexati, fame insuper, ac pestilentia consumti, ad saniora consilia redierunt, ac distributis inter se regionibus, varia ibidem instituerunt Regna, Wandali, & Suevi Gallæciam occuparunt: Alani Lusitaniam, & Carthaginensem Provincias; Silingi vero Bæticam. *Hispani per civitates, & castella residui a plagis Barbarorum per Provincias dominantium se subjiciunt servituti.* Singulis Regnis recens institutis singuli Reges imperabant: Wandalis *Gundericus*, Suevis *Hermericus*, Alanis *Respendial.* Priores duos commemorant Idacius, & Isidorus in Chronico: *Respendialis* vero meminit Frigeridus apud Gregorium Turonensem *lib. 2. cap. 9.* Respendialis mortem Vasæus in Chronico refert in annum 415. cui successit *Atax* postremus Alanorum Princeps. Quod autem ea Regnorum partitio in Hispaniis

(1) Idacius in Chronico ad ann. Abraham 2427.

niis facta fuerit anno 411. docet Sanctus Isidorus in Chronico de Historia Wandalorum: narrat siquidem Gundericum primum Wandalorum Regem in Hispania regnasse *in Gallæciæ partibus annis* 18. ut habent editiones Labbei, & Grotii, non autem annis 16. ut quædam editiones minus accuratæ legunt. Porro Gundericus obiit anno 428. ut demonstrat P. Franciscus Pagius ad eumdem annum *num.* 2. igitur si anni illi 18. quibus in Gallæcia regnavit retro numerentur, primus Regni Gunderici annus exordietur ab initio anni 411. cum ultimus ejus annus incompletus fuerit. Præterea Isidorus in Historia Wandalorum, quam ex Idacio exscribere solet, Regnum Genserici, qui Gunderico fratri successit, consignat Era 467. quæ cum Kalendis Januarii anni 429. inchoat, & cum eodem absolvitur, quia nimirum Isidorus exorditur annos Principum ab eo, qui sequitur mortem Decessoris: quare Gunderici interitus contigit circa initium anni 428. Quod si annus decimus octavus incompletus reducatur ad primum, profecto prior Regni Gunderici annus conveniet cum Christi anno 411. Ad hæc, Orosius & ipse Hispanus, qui ad annum usque 417. Historiam suam perduxit, atque adeo quæ narrat videre potuit, scribit, *Hispaniam cædes vastationesque tunc passam per biennium a Barbaris, quod per ducentos quondam annos passa fuerat, a Romanis;* ubi ut observat Pagius per *biennium*, triennium incompletum intelligit; anno siquidem 409. in Hispanias intraverunt, ibique postea Sedes fixerunt anno 411. *residuosque Romanos* (seu qui hactenus Romanis paruerunt) *ut socios modo, & amicos fovent: ut inveniantur jam inter eos quidam Romani, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere*.

XVII. Quamquam vero exteræ illæ Nationes magnam Hispaniarum partem occupaverint, plures tamen urbes adhuc sub Romanorum potestate permanserunt, nec ante *Sisebutum* Regem Gotthi Romanos ex Hispania expellere potuerunt. Quocirca nullus miretur, quod S. Isidorus in Chronico de Athanagildo Rege loquens, hæc scripserit: (1) *Adversus quos* (nempe Romanos) *hucusque conflictum est: frequentibus antea præliis cæsi, nunc vero multis casibus fracti, atque diminuti*. Paulatim itaque Romanorum Imperium in Hispaniis defecit. Primum diminutum illud fuit, cum Gotthi regnare cœperunt in Hispania Athanagildo Rege, anno Christi 369. ac deinceps Wandali, Alani, & Suevi nova ibidem Regna condiderunt; quibus tota Hispania pulsis, atque in Africam trajicere coactis, Gotthi Regni sui confinia dilatantes, tandem Romanos penitus ab illis regionibus ejecerunt. Sed nec ipsis perpetuum esse potuit Hispanicum Regnum; post annos quippe trecentos quadraginta duos finem accepit, quando Mauri, seu Arabes perfidia Juliani Comitis ex Africa in Hispanias asciti, Roderico ultimo Gotthorum Rege cum suis exercitibus cæso, quod contigit anno 711. florentissimas illas regiones invaserunt, easque in plura Regna discriminarunt, quibus & nova indiderunt nomina, quæ usque ad hanc diem perseverant.

CAPUT

(1) S. Isidorus in Chronico.

CAPUT V.

Synopsis.

I. *Sanctus Paulus in Hispanias profectus ibi Ecclesias fundavit. Veterum de hac re testimonia laudantur.*

II. *Huic sententiæ non adversantur Gelasius, & Innocentius.*

III. *Quo tempore S. Paulus in Hispanias adnavigaverit?*

IV. *Primi recensentur Hispaniarum Episcopi a Sanctis Petro, & Paulo ordinati.*

V. *Ante Constantini Imperium nullæ noscuntur in Hispaniis Metropoles institutæ. A Constantino sex in Hispaniis Provincias totidemque Metropoles erectas putat D. Garsias Loaisa, quarum Notitias exhibet.*

VI. *Hæc opinio exploditur, & ex aliis gravissimis Scriptoribus Hispanis ostenditur, nullas sub Constantino fuisse in illis regionibus Metropoles Ecclesiasticas.*

VII. *Incertum est an tempore Concilii Toletani I. Toletum, an Carthago fuerit Metropolis Ecclesiastica Provinciæ Carthaginensis. Constat nihilominus tunc aliquas in Hispaniis fuisse Metropoles.*

VIII. *Ex variis Conciliis exploratum est seculo quarto & quinto jam fuisse in Hispaniis Ecclesiasticam Provinciarum distributionem. Concilii Toletani I. tempore quinque in his Regionibus erant Provinciæ.*

IX. *Theodomiro regnante Gallæcia in duas Provincias secta est, unius Metropolis Bracara, alterius Lucus.*

X. *Seculo Septimo ineunte Provincia Carthaginensis in duas Provincias divisa est, Carthaginensem scilicet, cujus Metropolis Carthago, & Carpetaniam, cujus Metropolis Toletum. Carthagine diruta, in unam rursus Provinciam coaluit sub Toleto Metropoli.*

XI. *Tres Notitiæ Provinciarum Hispaniæ ex variis Codicibus MSS. hic exhibentur.*

XII. *Hanc Provinciarum Hispaniæ partitionem non fuisse factam in Concilio Toletano XI. sed in alio Concilio Generali Hispaniæ recte probant Baronius, & Pagius.*

XIII. *De Toletana Sede ejusque Primatu. Quas Hispaniarum Provincias olim complecteretur: usque ad num. XVII.*

XVII. *Hispalis Bæticæ Metropolis prima omnium in Hispaniis Primatu insignita. Sed circa Concilii Toletani XII. tempora Primatus iste Toletum translatus est.*

XVIII. *Emerita vetus Lusitaniæ Metropolis. Hac urbe diruta Sedes Metropolitana a Callisto II. Compostellam translata fuit.*

XIX. *Bracara Gallæciæ antiqua Metropolis. Postmodum in Synodo apud Lucum Sedes Lucensis Metropalitico honore aucta fuit; quæ & ipsa Compostellanæ cessit. Istius Primatus a Callisto II. institutus paulo post desiit. Bracarensis cum Toletana Sede de Primatu contentio.*

XX. *Postremum locum inter Metropoles dat Tarraconensi divisio Provinciarum Hispaniæ, licet perillustris & antiqua fuerit hæc Metropolis.*

I. Einceps vestiganda est origo Ecclesiarum Hispaniæ, quod præcipuum est istius operis institutum. In ipso dissertationis limine latus sese objiceret campus expatiandi per celebrem illam, quæ recenti hac nostra ætate non sine animorum contentione agitatur, controversiam, de adventu Sancti Jacobi Apostoli in Hispanias, de quo plures viri eruditi pertractant: (1) sed quia hujusmodi adventum nonnulli in dubium revocant, alii prorsus inficiantur; mihi vero semper religio fuit venerari cujusque Ecclesiæ veteres traditiones, quas inter Hispani jam a tot seculis hanc reponunt de profectione Sancti Jacobi in Hispanias: ne vel iis injurius videar, si de illa fortassis ambigam, vel apud illos nimium credulus audiam, si id affirmem; satius fræna imponenda duxi cupiditati. Præsertim cum alia sint obvia antiquitatis monumenta, a quibus omnis abest suspicio falsitatis, quæque vetustissimam Ecclesiarum Hispaniæ originem produnt. Cum primis enim Sancto Paulo Apostolo consilium fuisse proficiscendi in Hispanias, ut prædicatione Evangelica gentes illas imbueret, ipsemet testatur ad Romanos scribens: (2) *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Tum paulo post adjungit: *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Etsi autem nec ipse eadem epistola ad Romanos, vel alibi, nec Sanctus Lucas in Actis Apostolorum expeditionem Evangelicam in Hispanias executioni demandatam expresse affirment; ex veterum tamen traditione constat, Paulum in Hispanias profectum ibi Ecclesias fundasse. Hujus traditionis testis est D. Athanasius in epistola ad Dracontium: (3) *Studium fuit Sancto viro usque ad Illyricum Evangelium prædicare, neque segnescere, neque omittere quin Romam iret, & in Hispanias ascenderet, ut pro graviori labore, majori frueretur mercede laboris.* Similia habet Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus de eodem Paulo verba instituens: (4) *Ab Jerosolymis usque ad Illyricum disseminavit Evangelium: qui Regiam quoque Romam instituebat; & in Hispaniam usque promptitudinem prædicationis extendit.* Consentit etiam Sanctus Epiphanius: (5) *Paulus in Hispaniam profectus est: Petrus vero sæpe Pontum, & Bithyniam visitavit.* Hoc ipsum affirmant D. Joannes Chrysostomus *Homilia 76. in Matthæum:* & Theodoretus *in cap. 1. Epistolæ ad Philippenses.*

Græcis Patribus concinunt etiam Latini, præcipue S. Hieronymus, de Sancto Paulo ita loquens: (6) *Qui vocatus a Domino effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Jerosolymis usque ad Illyriam: & ædificaret, non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum; sed usque ad Hispanias tenderet, & a mari Rubro, immo ab Oceano, usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum solem justitiæ, de quo legimus: A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus; ut ante eum terra deficeret, quam studium prædicandi;* eadem tradit *Commentar. in c. 11. Isaiæ:* ubi de S. Paulo pariter ait: *In Hispaniam alienigenarum portatus est navibus.* Auctor itidem Commentariorum in Epistolas D. Pauli sub Sancti

(1) Baronius, & Spondanus ad annum 44. 61.
(2) Ad Roman. c. 15.
(3) S. Athanasius in epist. ad Dracontium.
(4) S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 17.
(5) Epiphanius hær. 27.
(6) S. Hieronymus in cap. 1. Amos Prophetiæ.

cti Ambrosii nomine delitescens, laudata verba ex *cap. 15.* ad Romanos: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero videbo vos*; ita exponit: *Venturum se promisit, tempore, quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus*. Paulus itaque, secundum quod promiserat, in Hispanias profectus est: quod etiam fatetur Sanctus Gregorius Magnus: *Paulus* (1) *cum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid se aliud, quam esse aquilam demonstrabat?* Haud aliter S. Isidorus Hispalensis in libro de ortu, & obitu Sanctorum Patrum: *Incipiens enim* (Paulus) *ab Jerosolymis usque ad Illyricum, Italiam, Hispaniamque processit*. Huic tandem Traditioni fidem adstruit Martyrologium Romanum, ad diem 22. Martii, ubi memoriam celebrat Pauli *Narbonensis Episcopi*, quem secum Paulus in Hispaniam ducturus Narbone reliquit: (2) *Narbonæ in Gallia natalis Sancti Pauli Episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui a Beato Paulo Apostolo baptizatus, & cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est: ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum*. Quod de Paulo Narbonensi tradit Martyrologium Romanum, hoc ipsum Ado Viennensis *in Chronico* ad annum 59. de Trophimo, cum scilicet Arelate, uti & Viennæ Crescentem relictos a D. Paulo, cum iter in Hispanias arriperet. Menologium quoque Græcorum, ad diem 25. Septembris meminit Xantippes, & Polyxenæ a D. Paulo ad fidem Christi conversarum in Hispania. Addit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 22. Martii, extare in Bibliotheca Cardinalis Sirleti libellum Sancti Hippolyti Martyris de duodecim Apostolis, in quo firmiter auctor asserit, Sanctum Paulum prædicasse Evangelium in Hispaniis. Profitetur idipsum Sophronius Episcopus Jerosolymitanus *in Sermone de Natali Apostolorum*.

II. Ab his Patribus dissentire videtur Gelasius Papa (3) apud Gratianum 12. q. 2. c. *Beatus Paulus*, ubi hæc habet: *Beatus Paulus Apostolus, non ideo quod absit, fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius; quoniam cum ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione divina, majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere. Quantum enim ad divini secreta consilii* (*quæ ut homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus, agnoscere*) *superna prætermisit dispositione præventus*. Verum nihil a laudatis Patribus dissentit Gelasius, si attente expendatur; quoniam, ut observat Baronius, Gelasii sententia eo tendit, ut Paulus, Deo aliter disponente, quod tunc se facturum pollicitus est, minus implere potuerit: non autem ut neget omnino, numquam Paulum in Hispanias advenisse. Itaque Gelasius minime inficiatur profectionem Apostoli in Hispanias, sed tantum negat, eam tunc temporis susceptam, quando ipse decreverat. Spoponderat enim vero Romanis, se statim ac collectas in subsidium pauperum Jerosolymam deportasset, Romam venturum, indeque in Hispanias navigaturum: at graves ærumnæ, quas Jerosolymis pertulit a Judæis, & Neronis, qui eum bien-nio

(1) Sanctus Gregorius lib. 31. Moralium cap. 22.
(2) Martyrolog. Rom. die 22. Martii.

(3) Gelasius relatus 12. q. 2. c. Beatus Paulus.

nio Romæ in carcere detinuit, sævities, impedimento fuerunt, quo minus tunc iter illud susciperet; quod nihilominus confecit, quando suæ libertati restitutus fuit.

Dubitare poterit quispiam, num & Innocentius I. peregrinationem Divi Pauli in Hispanias nequaquam agnoverit, propterea quod in litteris ad Decentium scripserit, Apostolorum neminem, præter Sanctum Petrum, Hispanias, ac reliquas Occidentis regiones fide Christi imbuisse: (1) *Legant*, inquit, *si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam invenitur; oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est*. Sane si Paulus in Hispaniis Evangelium prædicasset, non asseveret Innocentius, ab uno tantum Petro in Hispanias, ceterasque Occidentis Provincias Evangelii lucem diffusam esse. At enim perinde fuit Innocentio Petri mentionem fecisse, ac Paulum ejus in jaciendis Romanæ Ecclesiæ fundamentis consortem indicasse. Id unum quippe Sanctissimo Pontifici consilium insederat, oportere Ecclesias omnes, maxime Occidentis, Romanæ Ecclesiæ ritus venerari, ac imitari, cum ex ea Evangelium in Hispanias, aliasque Occidentis partes propagatum fuerit: ab illa ritus omnes, ac disciplinam ceu a fonte hauserint. Constat porro Ecclesiam Romanam a Sanctis Apostolis Petro, & Paulo fundatam, & ritus, quos illa colit, ab iisdem institutos. Quare idipsum fuit Innocentio Petrum commemorasse, ac Paulum insinuasse. Quia tamen unus Petrus primæ Sedis Episcopus fuit, idcirco Innocentius ejus dumtaxat exprese meminit, quod scilicet illius Cathedræ, velut Matrici, omnes aliæ Ecclesiæ unitatis nexu compaginantur. Innocentii mentem apprime assequutus est Gregorius VII. in litteris ad Alphonsum, & Sanctium Catholicos Hispaniarum Reges, dum eos his verbis alloquitur: (1) *Cum Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab Urbe Roma, ad instruendos Hispaniæ populos, a Petro, & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa Idololatria Christianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, Ordinem, & Officium in divinis cultibus agendum ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret: quantam concordiam cum Romana Urbe Hispania in Religione, & Ordine Divini Officii habuerit, satis patet*. Et infra ad hoc ipsum confirmandum laudat Innocentii epistolam præfatam ad Decentium scriptam: *Unde enim non dubitatis vos suscepisse Religionis exordium, restat etiam ut inde recipiatis in Ecclesiastico Ordine Divinum Officium: quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant: quod Toletanum, & Bracarense demonstrant Concilia*. In Hispanias D. Paulum profectum diserte testatur: æque ab ipso, ac Sancto Petro Ecclesias ibidem fundatas, & ordinatos Episcopos asserit: indeque colligit, debere Hispaniarum Ecclesias sacros Ritus, ac Divini Officii ordinem a Romana Sede suscipere, quemadmodum ab illa Christianæ Religionis primordia susceperunt.

III. Quo autem anno in Hispanias adnavigaverit Apostolus Paulus, non plane constat: hoc unum liquet, non nisi postquam e Neroniano carcere evaserat, id contigisse: quod refert Sanctus Joannes Chrysostomus: *Cum*

(1) Innocentius I. epist. ad Decentium.

(1) Gregorius VII. lib. 1. Registi epist. 64.

Cum (1) *igitur biennium Romæ exegisset in vinculis* S. Paulus *tandem dimissus est: deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos quoque; ac tunc fortasse Romam reversus est, quando & supplicium jussu Neronis pertulit*. Chrysostomum imitatur (2) Theodoretus: *Quæ Actorum nos docuit Historia, quod duobus annis primum Romæ per se degit, per se habitans in suo conductu: cum autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam divinum Evangelium tradidisset, reversus est, & tunc fuit truncatus capite*. Uterque cum Chrysostomus tum Theodoretus asserunt, postremis ante Martyrium suum annis, Apostolum in Hispanias profectum esse, indeque Romam reversum, jussu Neronis capitis damnatum.

IV. Hæc quidem, quæ hucusque laudavimus, antiquorum Patrum testimonia adeo perspicua sunt, ut citra temeritatis notam negari non posse videatur adventus D. Pauli in Hispanias. Ne tamen clarissimæ Hispaniarum Ecclesiæ vetustatem ex hoc tantum fonte haurire videamur, lubet & aliunde eam deducere. Et quidem ex laudata Innocentii I. epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum patet, a D. Petro missos in Hispanias viros, qui in illis regionibus Christianam Religionem plantarent. Ex Gregorii VII. litteris antea relatis itidem liquet, septem Episcopos ab Apostolorum Principibus ordinatos, atque in easdem Provincias directos, ibidem Ecclesias fundasse. Qui fuerint primi illi Hispaniarum Episcopi, discimus ex antiquissimo Martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis, nec non ex Martyrologio Romano, & Adonis, ad Idus Majas: *Natalis Sanctorum Confessorum, Torquati, Thisephontis*, (alias *Ctesiphontis*,) *Secundi, Indalecii, Cæcilii, Hesicii, Euphrasii, qui Romæ a SS. Apostolis ordinati Episcopi, & ad prædicandum verbum Dei in Hispanias, tunc Gentili adhuc errore implicatas, directi sunt . . . Torquatus Acci, Thysephon Vergii, Euphrasius Eliturgi, Secundus Abulæ, Indalecius Urci, Cæcilius Eliberi, Hesicius Carseсæ, quieverunt*. Eosdem septem Episcopos propriis nominibus designatos recenset Lucius Marineus Siculus in Historia de rebus Hispaniæ, licet eos Sancti Jacobi Apostoli discipulos, e Gallæciæ Provincia electos asserat, sed tamen ab Apostolis Petro, & Paulo consecratos: (3) „ In Hispania, inquit, Divus Jacobus e Gallæcia „ Provincia novem discipulos elegit, „ quorum septem, duobus aliis in „ Gallæcia prædicandi causa rema„ nentibus, cum eo Jerosolymas „ perrexerunt, qui corpus ejus post „ passionem per mare in Gallæciam „ deportarunt. Ex quibus, ut Ca„ listus Romanus Pontifex, & B. Hie„ ronymus scripserunt, nonnulli cum „ Beati Jacobi corpus in Gallæcia „ sepellissent, & Romam se contu„ lerunt, & ab Apostolis Petro, & „ Paulo coronis Episcopalibus orna„ ti, ad prædicandum Dei verbum in „ Hispaniam adhuc errore gentilita„ tis implicatam missi fuerunt, qui „ sua prædicatione innumerabilem „ Hispanorum multitudinem ad Chri„ sti cultum converterunt: Torqua„ tus apud Gaditanos, quos tunc „ Accios vocabant: Tesiphon ad Al„ derenses, quos tunc Vergos, & „ nunc eorum patriam Almeriam di„ cunt: Secundus ad Abulenses, „ quorum civitas adhuc antiquum no„ men retinet: Indaletius ad Ur„ sios, quorum Civitas Urga, vel „ Verga vocabatur: Cæcilius ad Ilibe-

(1) Chrysostomus hom. 76. in Matth.
(2) Theodoretus in cap. 1. epist. ad Philippenses.

(3) Lucius Marineus lib. 4. Historiæ de rebus Hispaniæ.

„ beros, ideſt Granatenſes: Heſi- „ chius ad Cartheſos, ideſt Vento- „ ſanos: Euphraſius ad Illiturgita- „ nos. Qui omnes Idibus Maiis in „ pace quieverunt „ Hactenus Mari neus. Si lucem aſpexiſset *Vita Septem primorum Epiſcoporum, qui ab Apoſtolis Petro, & Paulo ſunt miſſi in Hiſpaniam circa annum Chriſti 65. nunc eruta ex inſigni M. S. Magnæ Eccleſiæ Toletanæ*, quam in Notitia Conciliorum Hiſpaniæ commemorat doctiſsimus Cardinalis de Aguirre, multa erui poſsent ad illuſtrandam primam Eccleſiarum Hiſpaniæ originem ſub ipſis Apoſtolorum temporibus: ſed illa adhuc nos latuit. Alia nihilominus ſuppetunt antiquitatis monumenta, quæ nos docent, Nerone in Chriſtianos ſæviente, quamplures eorum in Hiſpaniis pro Chriſti fide Martyrium oppetiiſse. Id teſtatur columna erecta apud Cluniam Coloniam, cujus mentionem faciunt Aldus Manutius *in Orthographia*, Ambroſius Morales *lib. 9. Hiſt. cap.* 17. & Cardinalis Baronius *ad annum* 69. *num.* 46. in qua hæc ſculpta erant:

NERONI CL. CAES. AUG.
PONTIF. MAX. OB PRO
VIN. LATRONIB. ET HIS
QUI NOVAM GENERI HUM.
SUPERSTITIONEM INCULCAR.
PURGATAM.

Occidendos juſserat nequiſsimus Imperator latrones, atque ſuperſtitioſos, quo nomine Chriſtianos indigitabat, qui apud Cluniam in Hiſpaniis ob fidei confeſsionem glorioſiſsimum ſubiere Martyrium: atque in tanti ſceleris memoriam columna illa erecta fuit, eique inſerta præfata inſcriptio. Hinc recte colligit Baronius, fuiſse Hiſpaniarum Eccleſiam Neronis tempore florentiſsimam, dumtamquam ingens quoddam ab impiis æxiſtimatum eſt collatum a Nerone beneficium, quod Chriſtianis eam Provinciam expurgaſset. Singulorum Martyrum nomina, qui ſub Nerone, aliiſque Gentilibus Imperatoribus in Hiſpaniis paſsi ſunt, exhibent Martyrologia Bedæ, Adonis, Uſuardi, Romanum, Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Martyrum, Aurelius Clemens in libro Coronatorum, Petrus de Natalibus, & Hiſpani Scriptores. Toletanæ itidem Eccleſiæ traditio prodit, Eugenium primum illius urbis Epiſcopum a D. Petro Apoſtolorum Principe in Hiſpanias miſsum.

V. Cum itaque ab ipſis Apoſtolorum temporibus Eccleſiæ in Hiſpaniis fundatæ, & Epiſcopi fuerint inſtituti, inquirendum nunc eſt, quænam ibidem extiterit primis Chriſtiani nominis ſeculis Eccleſiaſticarum Provinciarum forma. Primum illud omnium conſenſione certum eſt, ante Conſtantini Magni Imperium, debacchante in Chriſti fideles Gentilium perſecutione, nullas in illis Regionibus Metropoles, nullas Provincias Eccleſiaſticas fuiſse conſtitutas, „ quoniam, ut obſervat D. Garſias Loaiſa, (1) ſub Romanorum Imperio „ a Nerone uſque ad Conſtantinum „ Magnum, Eccleſiæ amplificatio, „ perſecutione fervente, nequiſsimi „ temporis calamitate oppreſsa radices potius egit, quam trunco, ramis, & foliis in altum dilatata in „ hominum conſpectu creverit. At „ poſt divinæ memoriæ Magni Conſtan-

(1) Garſias Loaiſa in Notis ad Decretum Regis Gundemari Era 648.

„ stantini baptismum, (subdit idem „ Scriptor) postquam veritatis lux „ menti ejus insulsit, & propulsatis „ tenebris lumen clarissimum do„ ctrinæ, & cœlestis consilii mundo „ universo refragante gentibus luxit, „ officia Primatus, quæ parum an„ tea splendoris dederant, usque ad „ Gothicæ gentis in Hispaniam ad„ ventum magnum nitoris, ac digni„ tatis ornamentum Christianis ho„ minibus attulerunt. „ Censet itaque Loaisa, Primates, seu Metropolitanos in Hispaniis, Constantino imperante, ad magnum nitoris, & dignitatis ornamentum evectos, cum ante id temporis Gentilium persecutio non sineret, Hierarchiam Ecclesiasticam pro dignitate sua in sacris muneribus obeundis palam splendescere. Confirmant Loaisæ opinionem duæ Provinciarum Hispaniæ Notitiæ, quas ipse refert in Notis ad Concilium apud Lucum celebratum, in quibus proditum est, a Constantino sex Metropolitas totidem Hispaniarum Provinciis fuisse præfectos. Harum prima ex MS. Codice Bibliothecæ Toletanæ desumpta hæc tradit: *Cæsar Constantinus Imperii sui quarto anno, cum esset in Hispania, convocatis ejus Episcopis, totam Provinciam in sex Archiepiscopatus partitus est, decrevitque omnes peculiaribus Diœcesibus, & finibus contineri. Prima Sedes est Narbo, secunda Tarraco, tertia Bracara, quarta est Spalis, * quinta Emerita, sexta Toletum.* Altera Notitia ex simili Codice MS. ejusdem Ecclesiæ, aut Ecclesiæ Ovetensis, ne dum sex Provincias præfatas, earumque Metropolitanos, sed etiam Episcopatus Suffraganeos uniuscujusque illarum enumerat: *Divisio Provinciarum secundum Imperatorem hoc modo: Cæsar Constantinus anno quarto Imperii sui sex Archiepiscopos, ut dividerent Hispaniam in sex partes, seu Provincias jussit, ita quod unusquisque haberet terminos suos, quos nullo modo quis excedere attentaret.*

Narbonæ subsint Piteus, Tolosa, Cazlora, Albi, Magalona, Nemis, Carcasona.

Bracaræ subsint Dumia, Portucal, Tude, Auria, Iria, Luco, Britona, Astorica.

Tarraconæ Barcinona, Egara, Gerunda, Empuriæ, Ausona, Irita, Ilerosa, Tortosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Calaforra, Tyrasona, Auca.

Toleto subsint Secobia, Arcabrica, Segonica, Valentia, Urgi, Bagastri, Diania, Segorve, Complutum, Oxoma, Valeria, Oretum, Sativa, Beacia, Illici, Mentesa, Acci, Basta, Palencia.

*Meridæ * subsint Pace, Oxonoba, Olisipona, Egitania, Caliabria, Lamego, Viseo, Salmantica, Coria, Elbora, Abela, Numantia.* [* Idest Emeritæ hodie Merida.]

*Spali * subsint Italica, Asidona, Elepa, Malaga, Elberris, Astigi, Corduba, Egabro, Tucci.* [* Idest Hispali hodie Siviglia.]

VI. Nonnulla sunt in ejusmodi Notitiis, quæ certam eis fidem detrahere videntur, duo præsertim: primum est, quod de Constantino asseritur, eum scilicet quarto Imperii sui anno, congregatis ex universa Hispania Episcopis, eam in sex Provincias distribuisse, totidemque Archiepiscopos, qui singulis earum præessent, eligi curasse; quod tamen a veritate Historiarum abest, ex quibus patet, Constantinum quarto Imperii sui anno nec dum Christo dedisse nomen. Alterum de Provincia Narbonensi Hispaniis contributa non minus aberrat ab Ecclesiasticis, profanisque Historiis, quibus docemur, Narbonensem Provinciam cum ante, tum post Constantini ætatem ad Gallias pertinuisse, ejusque Metropolitam usque ad Gotthorum Regnum

* Idest Hispalis, ut Hispania σπανία dicitur a D. Paulo epistola ad Romanos cap. 15.

gnum inter Gallicanos Metropolitas semper recensitum, Arelatensi Primati paruisse, ut supra adnotavimus: & constat ex epistolis Zosimi, & Leonis Magni, ex Dione *lib.* 53. ex Notitiis Imperii sub Augusto, Hadriano, Arcadio, & Honorio concinnatis, aliisque cum sacræ, tum profanæ Historiæ monumentis. Nullum proinde ex præfatis Notitiis a Loaisa laudatis certum argumentum deduci potest, quo illa Provinciarum, & Metropoleon Ecclesiasticarum distributio in Hispaniis a Constantino facta probetur. Quare ante Concilium Nicænum, omnis, quæ de Metropolitis Hispaniæ superest, notitia, valde obscura est. Ante Concilium Illiberitanum, & Constantiniana tempora, nullas fuisse ibidem Metropoles Ecclesiasticas, licet essent Metropoles civiles, optime demonstrat D. Joannes de Segovia Marchio Agripolitanus, Vir in antiquitate versatissimus, in suis Dissertationibus Ecclesiasticis lingua Hispanica nuper editis. Multis id antea docuerat D. Ferdinandus de Mendoza *de Concilio Illiberitano lib.* 3. *cap.* 42. ubi ostendit, tempore Concilii Illiberitani, quod paulo ante Nicænam Synodum celebratum est, nullos Episcopos Primates fuisse in Hispania; sed penes antiquiorem Episcopum jus extitisse, convocandi Provinciæ Antistites ad Synodos. Quod si tempora, quæ Nicænum Concilium statim consecuta sunt, consulamus, nullo certo documento discimus, ante Concilium I. Toletanum, Metropolitas in Hispaniis institutos. Nam Synodo Cæsaraugustanæ adversus Priscillianistas celebratæ anno 380. Fitadius nullius Metropoleos Archiepiscopus primo loco subscripsit. In primo Concilio Toletano anno Christi 400. Arcadii, & Honorii temporibus habito, primus omnium subscriptus legitur, & ante ceteros sententiam dixit Patruinus Archiepiscopus Toletanus, ut D. Loaisæ visum est, vel potius Emeritensis Metropolita, cum Asturius, qui sexto subscripsit loco, fuerit Episcopus Toletanus, teste S. Idelphonso, & aliis.

VII. Consilii nostri non est, hoc loco partractare controversiam illam, quam Joannes Vasæus, (1) Petrus de Marca, (2) Marchio Mondexarensis, (3) Cardinalis de Aguirre, & alii multi ad examen revocarunt, an videlicet a tempore Concilii Toletani I. ac deinceps seculo quinto, & sexto dignitas Metropolitica esset apud Toletum, an apud Carthaginem Spartariam. Utrum enim quis asserat nihil refert, cum nobis satis sit demonstrare, per id temporis in Hispania Metropoles Ecclesiasticas extitisse, quales eas agnoscunt antiqui Scriptores. Nam Sanctus Ildelphonsus *in libro*, seu *Additione Illustrium virorum*, enumerans aliquos Præsules Toletanos, appellat eos Pontifices *Sedis Metropolis Provinciæ Carthaginensis*: nominatim vero *Asturium* sexto loco subscriptum Concilio Toletano I. vocat, *post Audentium in Toletana urbe Sedis Metropolis Provinciæ Carthaginensis Pontificem*. In Concilio Tarraconensi celebrato anno sexto Theoderici Regis, Christi vero 516. (4) tertio loco subscripsit *Hector Episcopus Metropolis Carthaginis*. Et *cap.* 6. statutum fuit: *Si quis Episcopus commonitus a Metropolitano, ad Synodum nulla gravi intercedente necessitate corporali venire contemserit, sicut statuta Patrum sanxerunt, usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur*. Itaque hujus Concilii tempore florebant in Hispaniis Metropolitæ, quorum intererat Episcopos Provinciæ ad Syno-

(1) Petrus de Marca de Primatu Lugdun. num. 124.
(2) Mondexarensis dissert. 4. §. 65.
(3) Aguirre Tom 2. Concil. Hisp. diss. 6. excur. 2.
(4) Concil. Tarraconense cap. 6.

nodos congregare. Unde Concilium Toletanum II. *cap. 5.* hanc potestatem asserit Montano Toletanæ Sedis Archiepiscopo: (1) *Juxta priorum Canonum decreta, Concilium apud fratrem nostrum Montanum Episcopum, si Dominus voluerit, futurum pronunciamus: ita ut frater & Coëpiscopus noster Montanus, qui in Metropoli est, ad Comprovinciales nostros, Domini Sacerdotes, literas de congreganda Synodo, adveniente tempore debeat destinare.* Hæc delibasse satis sit; nam magis illustria fient, cum de singulis Provinciarum Hispaniæ Metropolibus paulo post agemus.

VIII. Ex variis Synodis seculo quarto, & quinto in Hispania celebratis liquido constat, Ecclesiasticam Provinciarum distributionem tunc obtinuisse. De Concilio siquidem Toletano I. loquens Idacius in Chronico, ad annum Abrahami 2416. qui Kalendis Septembr. anni Christi 399. inchoatur, duas Provincias commemorat, Carthaginensem, & Gallæciæ: (2) *In Provincia Carthaginensi in civitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur, Symphosius, & Dictinius, & alii; cum his Gallæciæ Provinciæ Episcopi, Priscilliani sectatores hæresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem Professionis suæ subscriptione condemnant.* Hæc Synodus ab Idacio, sicut & in variis Codicibus MSS. dicitur celebrata *Stilichone primum Consule.* Stilicho autem primum Consulatum gessit anno 400. igitur ante hunc annum, ac subinde seculo quarto Carthaginensis, & Gallæcia Provinciæ jam distinctæ erant. Ejusdem Concilii Toletani I. Canonibus subjicitur Regula fidei, in qua disertis verbis quinque Provinciarum Hispaniæ Episcopi exprimuntur, nimirum Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitaniæ, Baeticæ, & Gallæciæ: huic libello, seu Regulæ fidei hæc inscriptio præfigitur: *Incipit Regula fidei Catholicæ contra omnes hæreses, & quammaxime contra Priscillianos, quam Episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, & Baetici fecerunt, & cum præcepto Papæ urbis Romæ Leonis ad Balconium Episcopum Galliciæ transmiserunt.* Quæ tamen hic fit Leonis mentio aperte indicat, hanc fidei Regulam non fuisse editam in Concilio Toletano I. sed in Concilio Nationali totius Hispaniæ habito tempore Sancti Leonis Papæ anno 447. Turibio Ecclesiam Asturiacensem regente, quod etiam adnotarunt Baronius *ad eumdem annum, num.* 16. Cardinalis Aguirre *Tom. 2. Concil. Hispan.* Pagius *ad annum* 405. *num.* 16. & alii. Verumtamen liquet seculo quinto quinque Hispaniarum Provincias, non in civili tantum, sed & in Ecclesiastico ordine jam viguisse; quæ deinceps Provinciarum distributio retenta fuit, ut videre est in Concilio Bracarensi I. anno 560. coacto, ubi Lucretius Episcopus eamdem fidei Regulam recitavit: (3) *Credo autem vestræ Beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ secta venena serpebant, Beatissimus Papa Urbis Romæ Leo ad Synodum Galliciæ scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, & Baetici facto inter se Concilio, Regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.* Quamvis autem hæc fidei Regula recitata fuerit in Synodo Bracarensi, quæ post medium sexti seculi indicta fuit, ea ta-

(1) Concil. Toletanum II. cap. 5.
(2) Idacius in Chronico.
(3) Concilium Bracarense I.

men diu antea, ut vidimus, edita fuerat in Nationali Concilio totius Hispaniæ jussu Leonis Magni indicto. Porro in hac Regula expressa mentio habetur quinque Provinciarum, quæ intra Hispaniæ limites continebantur, quæque suos habebant Episcopos propriis Metropolitanis obnoxios. Balconium idcirco commemorat Gallæciæ Episcopum, ad quem eadem fidei Regula directa fuit, quia erat Bracarensis Archiepiscopus, & Provinciæ Gallæciæ Metropolita; unde & ipse Synodum Episcoporum suæ Provinciæ tunc temporis convocaverat: quod solius Metropolitani proprium erat munus.

IX. Hanc Provinciarum Hispaniæ partitionem alia postmodum subsequuta est, novæque Metropoles Ecclesiasticæ erectæ. Gallæcia siquidem, quo tempore Suevorum Regibus parebat, in duas Provincias Ecclesiasticas secta est, cum una tantum esset civilis Provincia. Id factum fuit in Concilio Lucensi, cujus initio hæc verba leguntur: (1) *Tempore Suevorum, sub Era 607. die Kalendarum Januarii, Theodomirus, Princeps idem Suevorum, Concilium in Civitate Luco fieri præcepit*. Era 607. incidit in Christi annum 569. quo hæc divisio facta fuit, hortante Theodomiro Rege, ut plures in Gallæcia Diœceses instituerentur, ac insuper præter unam Metropolitanam Sedem, scilicet Bracarensem, designaretur alia, quod & executioni mandatum est; Sede nimirum Lucensi in Metropolim erecta. Recens hæc institutio elucescit ex epistola ejusdem Principis ad Concilii Patres, quæ ibidem lecta est: *Cupio sanctissimi Patres, ut provida utilitate decernatis in Provincia Regni nostri, quia in tota Gallæcia regione spatiosæ satis Diœceses a paucis Episcopis tenentur, ita ut aliquantæ Ecclesiæ præter singulos annos vix possint a suis Episcopis visitari: insuper tantæ Provinciæ unus tantummodo Metropolitanus Episcopus est, & de extremis quibusque Parochiis longum est singulis annis ad Concilium convenire*. Annuerunt Theodomiri votis Concilii Patres, & urbem Lucum novam Metropolim, ejusque Antistitem novæ Provinciæ Metropolitam elegerunt, ut ibidem ejusdem Concilii Acta testantur: *Dum hanc epistolam Episcopi legerunt, elegerunt in Synodo, ut Sedes Lucensis esset Metropolitana, sicut & Bracara*. Hodie tamen Lucus urbs est tantum Episcopalis, Archiepiscopo Compostellæ subjecta.

X. Similem divisionem passa est Provincia Carthaginensis, seculo septimo ineunte. Antequam enim Carthago Spartaria a Gothis excisa esset, sicut una erat civilis Provincia Carthaginensis, ita & una Ecclesiastica ejus Metropolis Carthago. Sed cum Gotthorum Reges Toletum Regni Sedem elegissent, cœpit hæc civitas Metropolis fieri Ecclesiastica novæ Provinciæ a Carthaginensi divulsæ, quæ Carpetania dicta est. Quare in subscriptionibus Concilii Toletani III. legitur: *Euphemius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanus, Episcopus Provinciæ Carpetaniæ, his constitutionibus, quibus in Urbe Toletana interfui, annuens subscripsi*. Post excisam a Barbaris Carthaginem Spartariam, cœpit Toletanus Antistes sensim inter Metropolitas censeri: non audebat tamen se Carthaginensis Provinciæ Metropolitanum vocare, quod etiam post eversam Carthaginem, istius urbis Antistes pristinum antiquæ Sedis nomen dignitatemque retineret. Consulto proinde Euphemius Toletanus, non Carthaginensis, sed Carpe-

(1) Concilium Lucense.

petaniæ Provinciæ Metropolitanum se inscripsit. Sed tandem, cum Carthaginensi Sede spoliatus, etiam ipsa Metropolitani nomenclatione cecidisset, Carthaginensis, & Carpetana in unam rursus Provinciam coaluerunt, cujus caput & Metropolis Toletum evasit. Quod contigisse arbitror in Concilio Toletano sub Gundemaro Rege habito anno 610. quod num. 3. dicitur ab eo tempore, quo Recaredus Rex fidem Catholicam amplexus est: de eo agit Isidorus in Chronico. Eidem Concilio interfuerunt quindecim Episcopi Provinciæ Carthaginensis, qui omnes agnoverunt in Toletana Ecclesia Sedem Metropolitanam jam dudum constitutam fuisse. Lectum etiam fuit coram iisdem Patribus Decretum Gundemari Regis, quo statuit, ut Sedes Toletana Primatus, ac Dignitatis Metropolitanæ honore potiatur, non in Carpetania solum, sed in tota Provincia Carthaginensi. Decreti verba refert Cardinalis Baronius: (1) *Illud autem quod jam pridem in generali Synodo Concilii Toletani a venerabili Euphimio Episcopo manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ Provinciæ Toletanam esse Sedem Metropolim, nos ejusdem ignorantiæ sententiam corrigimus: scientes procul dubio Carpetaniæ regionem non esse Provinciam, sed partem Carthaginensis Provinciæ, juxta quod & antiqua rerum gestarum monumenta declarant. Ob hoc quia una eademque Provincia est, decernimus, ut sicut Baetica, Lusitania, vel Tarraconensis Provincia, vel reliquæ ad Regni nostri regimina pertinentes, secundum antiqua Patrum Decreta, singulos noscuntur habere Metropolitanos; ita & Carthaginensis Provincia unum eumdemque, quem prisca Synodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes Comprovinciales summum honoret Antistitem.* Sub Gotthorum in Hispaniis Principatu Narbonensem Provinciam in Galliis sitam, a Diœcesi Galliarum avulsam, & Hispaniæ contributam fuisse, indeque Narbonenses Metropolitanos Conciliis Hispanicis subscripsisse, jam supra docuimus; & constat ex laudato Gundemari Regis Decreto, cui subscripsit *Sergius Narbonensis Ecclesiæ Episcopus*.

Quæ extra continentem Hispaniæ positæ sunt duæ reliquæ Provinciæ, nimirum Mauritania Tingitana in Africa, & Baleares Insulæ in Mari Mediterraneo, nihil peculiare sibi vendicant in Notitia Ecclesiastica Diœceseon Hispaniæ. Tingitana siquidem licet in dispositione civili Imperii ad Diœcesim Hispaniarum pertineret; in Ecclesiastica tamen ad Mauritaniam in Africa spectabat, ejusque Metropolitanus erat antiquior Episcopus Provinciæ, juxta Africanæ Ecclesiæ morem. De Provincia itidem Insularum Balearium vix quidpiam occurrit notatu dignum; quoniam ex tribus earum urbibus, Palma nobilior esset & civilis Metropolis fuisse credatur; nihil tamen singulare in Monumentis Ecclesiasticis reperire est, quo istius urbis Ecclesiæ Metropoliticam dignitatem vindicare possimus.

XI. Explicata Provinciarum Hispaniæ partitione, opportunus hic se se offert locus ad vestigandam divisionem Sedium Episcopatuum amplissimi ejusdem Regni, de qua multa scripta sunt ab Historicis ejus inclytæ Nationis. In re autem adeo obscura, & fere jam antiquata, nihil consultius faciendum existimavi, quam ipsos veteres, & reconditos fontes, ex quibus illi rem hanc hauserunt, emendatos & puros edere, quales eos exhibuit V. C. Garsias de Loaysa in

(1) Decretum Gundemari Regis apud Baronium ad annum 610.

in Notis ad Concilium Lucense, ex Codicibus MSS. Ecclesiæ Toletanæ, & D. Laurentii Hispalensis, & ex Codice Ecclesiæ Ovetensis, qui inscribitur, *Itacius*. In Codice Hispalensi Divi Laurentii, qui anno Domini 962. scriptus est, hæc Notitia Ecclesiarum Hispaniæ exhibetur.



Divisio Provinciarum Hispaniæ & earum Sedium.

Provincia Gallæciæ.

Brachara Metropolis.
Portucale.
Conimbria.
Equitania.
Veseo.
Lameco.
Vetica.
Dumio.
Auriense.
Tude.
Luco.
Iria.
Britona.
Astorica.

Provincia Galliæ.

Narbona Metropolis.
Caucoliberi.
Carchasona.
Biterris.
Agata.
Luteba.
Magalona.
Nemis.
Enemeso.
Elena.

Provincia Lusitaniæ.

Emerita Metropolis.
Avela.
Salmantica.
Elbora.
Caurio.
Exonoba.
Olisibona.

Provincia Carthaginis.

Toleto Metropolis.
Compluto.
Segontia.
Oxoma.
Palentia.
Valeria.
Oreto.
Valentia.
Dianio.
Setabi.
Carthago.
Barti.
Mentesa.
Acci.

Provincia Baetlcæ.

Spalis Metropolis.
Italica.
Elipa.
Astigis.
Corduba.
Egabro.
Eliberi.
Malacha.
Asidona.

Provincia Tarraconensis.

Tarracona Metropolis.
Dertosa.
Cæsaraugusta.

Tyr-

Tyrasona.
Calagurris.
Auca.
Pampilona.
Osca.
Elerda.
Barcinona.
Egara.
Ausona.
Gerunda.
Impurias.
Orgelo.

In Concilio Emeritensi *cap.* 8. dicitur, Reccesuinthum Regem Provinciæ Lusitaniæ terminos Episcopis, & Parochis divisisse, & juxta Priscorum canonum sententias in antiquam formam reduxisse. Ibique Egitania Provinciæ Lusitaniæ est attributa.

Ex Codice MS. litteris Gothicis Ecclesiæ Ovetensis, in principio sic scriptum est.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Incipit numerus Sedium Hispaniensium: & uniuscujusque Provinciæ Sedes suo Metropolitano subscriptæ, usque in Rhodanum amnem ideſt.

Metropoli Toleto subditæ.

Oreto.
Beatia.
Mentesa.
Acci.
Basti.
Valeria.
Valentia.
Secobriga.
Urgi.
Bagastri.
Illici.
Setabis.
Dianium.
Segontia.
Oxoma.
Secobia.
Arcabrica.
Compluto.
Palentia.

Sub uno XX.

Metropoli Spali subditæ.

Italica.
Asidona.
Elepla.
Malaga.
Elberris.
Astigi.
Corduba.
Egabro.
Tuccis.

Sub uno X.

Meritæ Metropoli subditæ.

Merita.
Pace.
Olixibona.
Oxobona.
Egitania.
Conimbria.
Viseo.
Lamego.
Caliabria.
Cauria.
Elbora.
Albela.
Salmanica.
Numantia ideſt Gamora.

Sub uno XIII.

Bra-

Bracaræ Metropoli ſubditæ.

Bracara.
Dumio.
Portucale.
Tude.
Auria.
Iria.
Lugo.
Britonia.
Aſtorica.

Sub uno IX.

Tarraconæ Metropoli ſubditæ.

Tarracona.
Barcinona.
Empurias.
Auſona.
Urgello.
Lerita.
Egara.
Gerunda.
Cæſarauguſta.
Oſca.
Pampilona.
Calaforra.
Ictoſa.
Tortoſa.
Tiraſona.
Auca.

Sub uno XV.

Narbona Metropolis.

Narbona.
Beterris.
Agatha.
Magalona.
Nemauſo.
Luteba.
Carcaſona.
Toloſa.
Elna.

Sub uno IX.

Et ſub uno Sedes Hiſpanienſes, abſque Provincia Tingitana uſque ad mare Oceani, qui eas circumdat, Sedes LXXXII. exceptis Legione, & Oveto, quæ nulli unquam Metropoli fuerunt ſubditæ.

Ex Codice antiquo Eccleſiæ Toletanæ, & Ovetenſi qui dicitur Itacius.

„ Diviſio Provinciarum Hiſpaniarum ſecundum Regem Wambam, factam tempore Quirici Primatis & Archiepiſcopi Toletani, cum inter Prælatos Hiſpaniarum magna fuiſset exorta diſcordia, eo quod unuſquiſque invaderet terminos Diœceſanos: Rex Wamba Synodum celebrari præcepit Toleti, convocatis, & congregatis Archiepiſcopis, & Suffraganeis ſuis. Præſentato in medio numero Civitatum, & Diœceſum, taliter diffinitur ibidem.

„ Provinciæ Carthaginenſis vel Carpetaniæ Metropolis Regia urbs Toletum.

„ Toleto ſubſint, Oretum, Beatia Menteſa, Acci, Aſtigi, Urgum, vel Almeria, Bagaſtri, Ilici, Setabia, Denia, Valentia, Valeria, Segobria, Arcabrica, Iplicea, Segontia, Oxoma, Segobia, Palentia.

„ Tarraconæ ſubſint, Barcinona, Gerunda, Egara, Empurias, Auſona, Urgello, Ilerda, Ictoſa, Tortoſa, Cæſarauguſta, Oſca, Pampi-

„ pilona, Auca, Calagurra, Tyra-
„ sona.

„ Narbonæ subsint, Caucoli-
„ bium, vel Tolosa, Carcasona, Bi-
„ terris, Agatha, Luteba, Magalo-
„ na, Nemausum, Elena, vel Elna.

„ Spali subsint, Italica, vel
„ Italia, Astigis, Corduba, Egabra,
„ Tucci, Eliberi, vel Eliberis, Asi-
„ dona, & Malaga.

„ Emeritæ subsint, Pace, Olisbo-
„ na, Oxonoba, Egitania, Caliabria,
„ Viseo, Lamego, Curia, Salman-
„ tica, Abella, Elbora.

„ Bracaræ subsint, Dumium,
„ Festabole, vel Portucale, Tude,
„ Auria, Luco, Astorica, Iria, vel
„ Uria, Ovetum vel Britonia, exem-
„ pta a Gallæciæ Bracara.

„ Acta sunt hæc Toleto in
„ Concilio Generali, omnibus una
„ voce dicentibus: placet. Præsen-
„ tibus, ac subscribentibus invicto
„ ac Serenissimo Rege Wamba, &
„ Quiricio Archiepiscopo Toletano,
„ Hispaniarum Primate, ceterisque
„ Archiepiscopis, cum Suffraganeis
„ Diœcesum prædictarum, in Eccle-
„ sia Sanctæ Leocadiæ, Era 710. per
„ manum Petri de Sancta Leocadia.

XII. Doctissimi viri, Cardinalis Baronius, & Franciscus Pagius *ad annum 675. num. 2. & 3.* existimant, hanc Sedium Episcopalium Hispaniæ divisionem factam non esse in Concilio Toletano XI. in cujus Præfatione dicitur celebratum *anno IV. Wambani Principis, sub die VII. Idus Novembris*; cui præfuit *Quiricus Urbis Regiæ Metropolitanus Episcopus*. Eorum fundamenta hæc sunt, quod in ejusdem Synodi capitulis ne verbum quidem de illa divisione legatur. Præterea divisio Sedium Episcopalium ad communem Ecclesiæ utilitatem spectabat, & juxta Decretum Synodi Toletanæ IV. fieri debuit in Concilio Generali, seu Nationali, quod ex omnibus ditionibus Wambæ convocatum esset. In illa quippe quarta Synodo duo genera Conciliorum distinguuntur, Generalia scilicet, & Provincialia, decerniturque, ut si causa fidei est, aut alia Ecclesiæ communis, indicatur Generalis Synodus: (1) *Si causa fidei est, aut alia quælibet Ecclesiæ communis, Generalis totius Hispaniæ, & Galliæ*, idest Galliæ Gothicæ, quæ Hispanis subjacebat, *Synodus convocetur: si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit perogendum*. Porro Synodus Toletana XI. Nationalis non fuit totius Hispaniæ, & Galliæ Gothicæ, sed Provincialis dumtaxat, cui XVII. tantum Episcopi, & duo Vicarii, qui vices suorum Pontificum agebant, omnes ex Provincia Toletana subscripserunt. Non igitur ejusmodi partitio Sedium Episcopalium fieri potuit in hoc Concilio Provinciali, cum ea ad communem totius Ecclesiæ Hispaniarum utilitatem pertineret, ac proinde in Nationali Concilio, cui omnium Provinciarum Episcopi adessent, institui debuisset. Quare Baronius, & Pagius factam quidem putant hanc divisionem, at non in hac Synodo Toletana, sed in alia posteriori, cujus Acta perierint. Præsertim cum Garsias Loaisa in Notis ad Concilium Lucense describat Indices Sedium Hispanarum ex MSS. Codicibus Ecclesiæ Ovetensis, & Toletanæ, in quibus etiam delineatio Provinciæ Narbonensis reperitur, & hæc verba sub finem habentur: *Omnia suprascripta legit gloriosus Rex Wamba in Concilio Toletano, ubi omnes Archiepiscopi, & Episcopi convenerant, quæ subscriptione omnium firmata sunt*, Qui-

(1) Concil. Toletan. IV. art. 3.

Quiriaco Toletano Archiepiscopo Primatiæ dignitate, & fide Catholica consistente. Quæ verba ad Concilium Toletanum XI. nequeunt referri, quod Provinciale fuit dumtaxat, neque ad illud celebrandum convenerunt ex omnibus Regni Wambæ Provinciis omnes Archiepiscopi, & Episcopi cunctarum Diœceseon, quæ in illa divisione recensentur. Itaque divisio illa facta fuit in Concilio Toletano generali, seu Nationali duarum Hispaniarum, idest omnium Ecclesiarum, quæ intra fines Wisigothicæ Ditionis cum in Gallia, tum in Hispaniis consistebant, cujus tamen Acta desiderantur, non autem in Concilio aliquo Provinciali, quale fuit Toletanum XI. ex solis Provinciæ Carthaginensis Episcopis congregatum, ut patet ex ejus Præfatione, in qua legimus: *Collectis in unum Carthaginis Provinciæ Sacerdotibus in Toletana urbe*.

XIII. Prima, quæ in Ovetensi Codice est constituta, ut ibidem refertur, a Rege Wamba Sedium Episcopalium Hispaniæ partitione, Metropolis occurrit, est Toletana, non quidem antiquior, sed tunc temporis nobilior, ac potior ceteris. Toletum Carpetanorum caput, in umbilico Hispaniæ, ad Tagum flumen circumfluens, situm ex Plinio novimus, asserente, *Caput Carpetani & Toletani, Tago flumini impositi*: unde & Livio Carpetanorum urbs, & Romanorum colonia dicitur; ut etiam ex nummis colligitur. Ejus meminit Venantius Fortunatus *lib. 6.*

Quæ me dimittis, dura Tolete, vale.

Priscis temporibus haud magni nominis hæc Civitas fuit, cum Livius *Decad. 4. l. 5. parvam urbem fuisse* dicat, quamvis *loco munitam*. Verum postea quam Gotthorum, & Maurorum Principum Regia, nec non Catholicorum Regum Sedes facta fuit, magnum gloriæ, & amplitudinis nomen nacta, reliquis omnibus præstare cœpit. Aucta igitur temporali dignitate Toletana urbe, etiam Ecclesiastica ejus Sedes paulatim splendorem, claritatemque nominis adepta, ad Metropolis fastigium evecta est: quod tamen tertio & quarto seculo, immo etiam initio quinti seculi nequaquam obtinuit. Antequam enim Sedes Regni fieret, exiguo mœnium circuitu clausa, inter urbes Carthagini Metropoli subjectas censebatur. Quin etiamsi exordio quinti seculi aliquanto major ac celebris evasisset, tamen erat adhuc infra Carthaginis dignitatem, quæ nullam ad illud tempus direptionem passa, integra perseverabat & potens, universæ Provinciæ Carthaginensi imperans. Deleta postmodum a Gotthis Carthagine, indeque Toletum translata Regum Sede, sensim Toletanus Antistes Metropolitani nomen honoremque sibi arrogavit. Non enim adulatoribus nonnullis assentiri umquam patiar, qui ut magnam illam Ecclesiam nullis commentitiis elogiis egentem demererentur, Primatum totius Hispaniæ a primis seculis Christianæ Religionis illi affixum voluerunt, vel potius venali calamo finxerunt. Nam ut recte observat D. Petrus de Marca *in Dissert. de Primatu Lugdunensi, num.* 124. Quamdiu stetit Carthago Spartaria, totius Provinciæ, quæ ab illa nomen accepit, caput, *Toletana Ecclesia tantum aberat olim a Primatu totius Hispaniæ, ut sub Principum Romanorum Imperio nondum assecuta esset Metropoleos dignitatem*. Quatuor autem primis Ecclesiæ seculis Hispaniæ Romano parebant Imperio: quocirca toto illo temporis spatio Toletana civitas ejusque Episcopalis Sedes Carthagini ut Metropoli subdita fuit. Quinimmo vastata a Barbaris

tis Carthagine, ejus Præsul licet Sede exutus, aliquandiu nomen, dignitatemque Metropolitani retinuit, donec Toletani Antistites fere in medio ejus Provinciæ positi, urbis, quæ jam Regni caput evaserat, nobilitate, ac Principum potentia freti, eum sibi honorem acquisierunt. At non sine Carthaginensium Episcoporum contradictione: ii siquidem etiam post eversam Carthaginem, quod accidit circa annum 411. Sedis suæ, quantumvis excisæ, jura & Metropoleos dignitatem, seculis quinto, & sexto pro virili tueri sategerunt, uti animadvertit Cardinalis de Aguirre *Tom. 2. Concil. Hispaniæ dissert. 6. Excursu 2.* Unde in Concilio Tarraconensi habito anno 516. subscriptus legitur *Hector Episcopus Carthaginis Metropolis*. Quare seculis V. & VI. Carthaginenses, perinde ac Toletani Antistites, se ejusdem Provinciæ Metropolitanos nuncupabant: quo ad usque seculo septimo ineunte, & nomen, & dignitas Metropolitani penes solum Toletanum Episcopum mansit, Carthaginensi inter ejus Suffraganeos dejecto. Id factum fuit in Concilio Toletano sub Gundemaro Rege habito anno 610. cum totius Synodi sententia, tum ipsius Regis Decreto, cujus verba supra retulimus. Tunc penitus sedatum fuit dissidium inter Carthaginensem, & Toletanum Episcopos, qui Provinciam illam diviserant, quorum ille Carthaginensis, hic Carpetaniæ Metropolita vocabatur: contorto anathematis fulmine in eos, qui vel Provinciam illam rursus scinderent, vel Toletanum integræ illius Provinciæ Metropolitam minime venerarentur: quod Synodi Patres singulari Constitutione sanxerunt. Gundemari decreto non solum subscripserunt omnes Episcopi Provinciæ Carthaginensis; verum etiam Metropolitæ Hispalensis, & Emeritensis, nec non Episcopi Provinciarum Tarraconensis, Lusitaniæ, Baeticæ, & Gallæciæ.

XIV. Nemo tamen hinc colligat, dignitatem Primatus in universam Hispaniam, tunc Toletano Archipræsuli fuisse concessam; sed tantum in ipsam Provinciam Carthaginensem. Id declarant ipsa Regii Decreti verba: *Honorem Primatus juxta antiquam Synodalis Concilii auctoritatem, per omnes Carthaginensis Provinciæ Ecclesias, Toletanæ Ecclesiæ Sedis Episcopum habere ostendimus; eumque inter suos Coëpiscopos, tam honoris præcellere dignitate, quam nominis.* Ea porro Primatus dignitas lato modo hic accipitur pro Jure Metropolitico Toletanis Episcopis tributo, non pro Primatu proprie sumto; uti sequentia Decreti verba demonstrant: *Juxta quod de Metropolitanis per singulas Provincias antiqua Canonum traditio sanxit, & auctoritas vetus permisit.* Nec aliter Primatus nomen usurparunt hujus Synodi Patres in sua Constitutione: *Fatentes*, inquiunt, *hujus Sacrosanctæ Toletanæ Ecclesiæ Sedem Metropolitani nominis habere auctoritatem, eamque nostris Ecclesiis, & honoris anteire potestate, & meritis;* Ecclesiis nimirum solius Provinciæ Carthaginensis, ex qua dumtaxat Episcopi ad Synodum convenerant. Aliarum quippe Provinciarum Metropolitæ, & Episcopi non interfuerunt Synodo, sed cum ea absoluta Toletum advenissent in occursum Gundemari Regis, ejus Decreto assensum præbuerunt, sicuti illorum subscriptiones testantur: *Ego Isidorus Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Baeticæ Metropolitanus Episcopus, dum in urbem Toletanam pro occursu Regio advenissem, agnitis his constitutionibus adsensum præbui, atque subscripsi. Ego Innocentius Emeritensis Provinciæ Lusitaniæ Metropolitanus Episcopus,* dum

dum in urbem Toletanam pro occursu Regio advenissem, agnitis his constitutionibus adsensum prœbui, & subscripsi. Similiter & eorum Episcopi Suffraganei. Itaque Synodalis Constitutio de sola Provincia Carthaginensi loquitur, & de Jure Metropolitico in eam Toletano Antistiti concesso: quod & sequentia verba confirmant: *Proinde ergo dispositionem nostram instructæ collationis definitione celebrantes, elegimus, ne quis ultra Comprovincialium Sacerdotum inani, ac perversa contentione obnitatur hujus Sacrosanctæ Ecclesiæ Toletanæ Primatum contemnere: neque pervicaci Schismatum studio ad summos Sacerdotalium infularum ordines, remota hujus Sedis potestate, a nobis quempiam, sicut hactenus factum est, provehere. Talem itaque specialiter a nobis, ac Successioribus nostris deferri dignitatis honorificentiam huic Ecclesiæ pollicemur, qualem in Decretis Sanctorum Conciliorum beatissimi Patres Metropolitanis Ecclesiis decreverunt*. Ex quibus verbis perspicuum sit, sublatam tunc omnino fuisse a Synodo contentionem de Jure Metropoleos Ecclesiasticæ, quæ seculis quinto, & sexto exarserat inter Carthaginensem, & Toletanam Sedes, ac tandem pro Toletana Sententiam prolatam, ne diutius eadem Provincia in partes distracta, duos Metropolitanos haberet. Quam causam condendi Decreti aperit Rex Gundemarus: *Neque eamdem Carthaginensem Provinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine, contra Patrum Decreta permittimus dividendam; per quod oriatur varietas Schismatum, quibus subvertatur Fides, & unitas scindatur. Sed hæc ipsa Sedes, sicut prædictum est, antiquo nominis sui, ac nostri cultu imperii, ita & totius Provinciæ polleat Ecclesiæ dignitate, & præcellat potestate*. Enim vero erat tunc Toletum Regni Gotthorum caput, idcirco consentaneum videbatur, ut quæ civili majestate præcellebat ceteris, ita & Ecclesiastica dignitate omnibus ejus Provinciæ anteiret. Cum tamen, Optime Lector, laudari sæpius a me vides Gundemari Regis decretum, nihil sinistrum judices, pæne ac si temporalis Principum auctoritas sanciendis rebus sacris par sit. Sed id unum inde conjicias, quod Ecclesia ea tempestate, præteritis bellorum turbinibus jactata, non satis virium sibi inesse animadvertens, Regis auxilium imploraverit, ut quod ipsa Constitutione sua prius sanxerat, Regia etiam munitum auctoritate, faciliorem consequeretur exitum.

Quamvis autem merum Metropolitani honorem tunc nactus sit Toletanus Præsul, gradus tamen hic fuit, quo paulatim deinceps ad Primatum totius Hispaniæ ascenderet: præsertim postea quam Gotthorum Reges ab ipso in sui coronatione Regiam unctionem accipere consueverunt. A Recaredo Hispaniarum Rege, qui Concilio Toletano interfuit ann. 589. ibique Arianam hæresim palam coram populo abjuravit, mos iste cœpit, teste S. Isidoro in Chronico, quem deinde Rex Wamba, auctore S. Juliano Toletano *in Chronico, ad annum* 672. aliique Principes religiose observarunt. Hinc novus splendor Toletanæ Sedi accessit, ac tandem totius Hispaniæ Primatus decreto Concilii Toletani XII. ipsi collatus in omnes alias Metropoles. Ervigio Rege Hispaniis imperante celebratum est Nationale hoc Concilium anno 681. in quo sancitum fuit, (1) *ut salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicio di-* gnos

(1) Concilium Toletanum XII. cap. 6.

gnos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis, in praecedentium sedibus praeficere Praesules, & decedentibus Episcopis eligere successores. Eximio hoc donati privilegio Toletani Antistites, Primatum in omnes Hispaniarum Provincias sunt adepti: exinde etiam aliarum Provinciarum Episcopos consecrare, & Nationalibus praesidere Conciliis coeperunt, ut videre est in Conciliis Toletanis XII. XIII. XIV. XV. XVI. in quibus Toletani Archiepiscopi primo loco subscripti leguntur, ante Metropolitanos Hispalenses, Bracharenses, Emeritenses, Narbonenses, & Tarraconenses. Non sine Romanorum Pontificum auctoritate Primatus honorem Toletanae Sedi delatum, ad preces Cindasuinthis Regis, tradit Rodericus *lib. 2. cap. 21. Iste Cidasuinthes Rex a Romano Pontifice obtinuit, ut secundum beneplacitum Pontificum Hispanorum Primatiae dignitas esset Toleti*. Hoc modo Pontifex, & cum Pontifice Hispani Episcopi omnes, quod suum erat, ad Toletani Primatus institutionem contulerunt.

XV. Occupata a Mauris Hispania, quemadmodum in illis Provinciis Christi fides summum discrimen passa est, ita & Ecclesiastica Disciplina pessumdata, subversae Episcopales Sedes, perturbata Metropolitanorum jura, & Primatus dignitas penitus antiquata. Trecentis sexaginta & octo annis gemuit Hispania sub Maurorum tyrannide: nulla per id tempus indicta Concilia, nulla Toletani Primatus jura conspicua. Inde contigit, ut cum Alphonsus VI. Rex Castellae Toletum e Barbarorum jugo liberasset, ejusque Urbis Antistes pristinum suae Sedis splendorem recuperare contenderet, votis suis obsistere Tarraconensem, & Narbonensem Archiepiscopos expertus sit. Enim vero petiverat Alphonsus Rex ab Urbano II. Summo Pontifice, ut recens tunc ereptae Maurorum tyrannidi Toletanae Urbi & Ecclesiae antiqua privilegia impertiretur. Catholici Regis precibus annuens Pontifex Pallium, & Primatum Bernardo Archiepiscopo Toletano per totam Hispaniam concessit anno 1088. persuasus non novam conferri, sed priscam a se potius excitari Ecclesiae Toletanae dignitatem, scriptis ea de re ad Alphonsum Regem litteris: (1) *Fratrem Bernardum venerabilem ejusdem urbis Praesulem, tuis exhortationibus invitati, digne ac reverenter excepimus, & ei Pallium contradentes, Privilegium quoque Toletanae Ecclesiae antiquae Majestatis indulsimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum Regnis Primatem statuimus, & quidquid Toletana Ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicae Sedis liberalitate in posterum habere censuimus*. Hoc ipsum fatetur in epistola ad laudatum Bernardum data, cum cum Pallio, & Primatus honore exornaret: *Teque*, inquit, *secundum quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum Regnis Primatem Privilegii nostri sanctione statuimus, & Primatem te universi Praesules Hispaniarum recipient, & ad te si quid inter eos quaestione dignum exortum fuerit referent*. Verum adversus istud Privilegium reclamavit Tarraconensis Archiepiscopus, caussatus obreptum esse Pontifici: cumque apud ejus Provinciae Episcopos paene a quadringentis annis obliterata esset memoria initi olim Primatus a Toletano, videbatur eis non vetus imperium redintegrari, sed novum imponi. Durum praeterea existimabant Tarraconenses Antistites sub proprii Regis ditione constituti, ab alterius Regni Episcopo pendere. At Ur-

(1) Urbanus II. epist. ad Alphonsum Regem Concil. Gen. Tom. 10. pag. 458.

banus Pontifex hisce querimoniis nihil retardatus jussit, ut Tarraconensis Archipræsul Toletano Primati absque ulla cunctatione pareret, contestatus se ea lege ei Pallium contulisse: *Memineris ita te Archiepiscopum institutum, ut tam tu, quam universi Provinciæ Tarraconensis Episcopi Toletano tamquam Primati debeatis esse subjecti. Sic enim a nobis in Toletanæ Ecclesiæ Privilegio constitutum est, quod nos omnino ratum volumus permanere*. Et ut aliqua ratione animum ejus deliniret, scripsit Primatum a se Toletano ea conditione tributum, ut Metropolitanis illibata sua constarent privilegia & jura: *Salva Apostolicæ Sedis auctoritate, & Metropolitanorum privilegiis singulorum*. Siqua vero oborta esset controversia iis obsita difficultatibus, quibus enodandis impar esset Primâs Hispaniæ, tunc Pontificem Romanum adeundum esse pronuntiavit: *Quòd si forte ipsius quoque judicio nequiverit definiri, ad Apostolicam Sedem, ut dignum est, velut Sedium omnium Principem referetur*.

XVI. Pupugit non minus Narbonensis Archiepiscopi animum instaurata Toletani Primatûs auctoritas, suæque Ecclesiæ damnum inferri gràviter conquestus est apud eumdem Pontificem, quod ipsi eriperetur Provincia Tarraconensis, quæ jam a quadringentis annis, nec Primatem alium, nec Metropolitanum habuisset, præter Archiepiscopum Narbonensem: (1) *Cum eos per annos quadringentos sine alterius reclamatione Narbonensis Metropolis possederit*. Ad hujusmodi ergo querelas compescendas Urbanus II. Bernardum Toletanum Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum a Latere creavit, ejusque potestatem non modo in Hispaniam, & Provinciam Tarraconensem, verum etiam in ipsam Narbonensem effudit, quo facilius omnes istarum Provinciarum Antistites auctoritatem venerarentur, quæ Toletani Archipræsulis personæ, non Sedi collata, non videretur transmittenda ad ejus Successores: *Et*, inquit, *nostræ sollicitudinis vices in Hispania universa, & in Narbonensi Provincia ministrandas injunximus*. Provinciæ autem Tarraconensis Episcopis mandavit Pontifex, *Ut Toletano sicut Primati reverentiam exhiberent, donec Narbonensis Archiepiscopus se eorum Primatem fuisse, certa posset auctoritate monstrare*. Etsi vero Legatio Apostolica, ab Urbano II. demandata Toletano Primati, personæ non sedi hæreret, aliorum tamen Pontificum Decretis Toletani Primatus dignitas firmata fuit. Nam Paschalis II. Gelasius II. Eugenius II. Anastas. IV. Hadrianus IV. Alexander III. & Innocentius III. Toletanum Primatum *per Hispaniarum Regna* confirmarunt. Ipsi nihilominus obluctari non destiterunt Bracarensis, & Tarraconensis Metropolitæ. Hadrianus, & Anastasius (2) anathematis fulmen comminati sunt in Bracarenses Archiepiscopos, nisi Toletano Primati fasces submitterent, cui tandem cedere compulsi sunt ab Eugenio III. Ejusdem quoque Pontificis extant ea de re urgentissimæ ad Tarraconensem litteræ. Nec idcirco contentionibus finis impositus: nam ut refert Mariana: (3) „ In Concilio Lateranensi IV. „ sub Innocentio III. de Primatu Ec„ clesiæ Toletanæ disceptatum est, „ quem agnoscere Tarraconensis, Bra„ carensis, Compostellanus, & Nar„ bonensis Episcopi recusabant. Pro„ ductæ pro Ecclesia Toletana vete„ res Pontificum Romanorum, & „ Con-

(1) Urbanus II. ibid. pag. 419.
(2) Ibid. p. 460. 626. 852. 854. 1036. 1092. & seqq.

(3) Mariana lib. 11. de Rebus Hispaniæ cap. 4.

„ Conciliorum tabulæ: Producta argumenta ab ipsa prima Hispaniæ „ ad Christum conversæ antiquitate. „ Roderici Orationem cum Bracarensis, qui aderat, & Ausetanus „ Episcopus pro Tarraconensi refellere aggressi essent, abessent alii, „ quorum interesset, lite integra discessum est, neutro inclinatis sententiis. Roderico tantum Legati „ Pontificii partes per Hispaniam decennio implere datum: concessum„ que si quando Hispalis piorum ar„ mis cederet, Toletano Episcopo „ subdita esset quasi Primati. „ Licet quidem Rodericus vicit in hac Synodo, non ita tamen, ut Primatus confirmationem a Patribus obtineret, sed ut res eo in statu persisterent, quo ante Synodum fuerant. Nunc præter solum Primatis nomen Toletanus Archipræsul nullam ejus potestatis partem exercet in alias Provincias Hispaniæ, neque componendis certe litibus, neque sonibus plectendis, neque legibus promulgandis, tametsi præ ceteris Metropolitanis maximo honore afficiatur. Immo etiam quando tot Summorum Pontificum decretis jus Primatûs sui explicuit Toletanus, illud non omni ex parte completum fuit; non enim leges condere, non appellationes suscipere, non sontes aliarum Provinciarum Episcopos puniri poterat. Quin etiam primam in Conciliis super Archiepiscopos Sedem habere, aut extra Provinciam suam circumgestare Crucem, nequidem pacifice ipsi permissum fuit, contradicentibus aliis Metropolitis Hispaniæ, Bracarensi præsertim, quem inter, & Toletanum perpetua pæne de Primatu dissidia exarserunt, ut late probat Thomassinus *de Vet. & Nova Eccles. Discip. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 38.

XVII. Hispalis Hispaniæ Baeticæ pervetus, & insignis Metropolis, & Vandaliæ caput, ad Baetim fluvium sita est, urbs amplissima, & celeberrimum totius Europæ Emporium, auri, argenti, merciumque Indicarum nunc opulentissimum. Ab Hercule Libyco, Geryonibus victis, condita fertur. Illam commemorant Pomponius Mela, Plinius *lib.* 3. *c.* 1. Strabo *lib.* 3. & Ptolemæus *lib.* 2. *c.* 4. A Mela vocatur urbs clarissima in Baetica: a Plinio *Hispalis Colonia cognomine Romulensis*. De illa Silius *lib.* 3.

Et celebre Oceano, atque alternis æstibus Hispal.

Gotthi *Spalim*, sed Romani *Hispalim* appellarunt, cujus nominis etymon S. Isidorus deduxit a situ, eo quod in solo palustri, suffixis in profundo palis, locata sit. Istius urbis Antistes ante reliquos in Hispania Episcopos Primatus jure potitus est. Zenoni siquidem Hispalensi Metropolitæ Simplicius Papa vices suas in Hispania delegavit, anno 482. ut ibidem Sacrorum Canonum executionem, & observantiam curaret: *Congruum* (1) *duximus*, ait, *Vicaria Sedis nostræ te Auctoritate fulciri, cujus vigore munitus Apostolicæ institutionis Decreta, vel Sanctorum terminos Patrum, nullo modo transcendi permittas*. Eumdem postea Primatum Sallustio Hispalensi Episcopo detulit Hormisda Pontifex, anno 517. ampliata ejus auctoritate per Baeticæ, & Lusitaniæ Provincias, sic ad ipsum scribens: (1) *Vices itaque nostras per Baeticam Lusitaniamque Provincias, salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis detulit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Paternas*

(1) Simplicius Papa epist. 1.

(1) Hormisda epist. 26.

nas igitur Regulas, & Decreta a Sanctis definita Conciliis, omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus .... Quoties universalis poscit Religionis causa, ad Concilium te cuncti Fratres evocante conveniant, & si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, jurgia inter eos oborta, compesce, discussa sacris Legibus determinando certamina. Quidquid autem illis pro Fide, & veteribus Constitutis, vel provida dispositione præcipiet, vel personæ nostræ auctoritate formabis, totum ad scientiam nostram instructæ Relationis attestatione perveniat. Sanctus Leander Hispalensis Episcopus has Apostolicæ Sedis vices gessit, cum Concilio Toletano III. præfuit, teste S. Isidoro Hispalensi: (1) *Interfuit tunc Privatas ille Catholicus, & Orthodoxus, Leander Hispalensis Archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ Legatus Sanctitate, & doctrina perspicuus.* Tribus illum exornat titulis, Primatis nimirum, Archiepiscopi, & Legati Apostolici: primus ei ex Legatione competebat, qua in Hispaniis fungebatur, quo titulo dumtaxat Concilio Nationali totius Hispaniæ præesse poterat. Alter ejus Sedi erat proprius, nec ultra Provinciæ suæ limites potestatem suam fundebat. Eodem procul dubio Apostolicæ Legationis munere donatus fuit Sanctus Isidorus Hispalensis Metropolitanus, qui præsentibus Archiepiscopis Narbonensi, Toletano, Emeritensi, Bracarensi, & Tarraconensi, præsedit IV. Concilio Toletano. Primatus iste Hispalensis Ecclesiæ ad Concilii Toletani XII. circiter tempora perduravit, translata a Concilii Patribus in Toletanam Sedem hac dignitate.

XVIII. Emerita, quam vulgo Meridam vocant, inter veteres Hispaniarum Metropoles censetur, cui Lusitania olim subjecta erat. Nam Concilio Toletano I. Patruinus præsedit, primus omnium Patribus proposuit, quæ discutienda essent, primus subscripsit. Hunc autem fuisse Emeritensem Episcopum recte probat doctissimus Cardinalis de Aguirre *Tom. 2. Concil.* Hispaniæ in Notis ad Epistolam Innocentii I. ad hujus Concilii Patres, in qua *Gregorii Emeritensis Episcopi, qui in locum Patruini* ordinatus fuerat, querelam audiendam esse jubet. Præfuit tamen Concilio Patruinus, non quasi Primatu Hispaniæ potiretur, quo numquam Sedes Emeritensis prædita fuit, sed juxta morem primis Ecclesiæ seculis receptum, quod ipse antiquior esset inter Metropolitas. Ob eamdem causam arbitror contigisse, ut in Toletana Synodo III. Massona Archiepiscopus Emeritensis, post Flavium Recaredum Regem primus omnium Metropolitanorum subscripserit: *Massona in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Emeritensis Metropolitanus Episcopus Provinciæ Lusitaniæ his constitutionibus, quibus in urbe Toletana interful, annuens subscripsi.* Itaque a primis temporibus, quibus in Hispaniis Metropoles Ecclesiasticæ fuerunt institutæ, Emerita inter eas antiquitus locum habuit, ejusque Antistes Metropolitani nomine semper in Synodis, quæ deinceps celebratæ sunt, insignitus legitur. At diruta postmodum inclyta hac civitate, nunc ne quidem Episcopalem Sedem habet, jure Metropolitico Callisti II. decreto Compostellam translato.

XIX. Bracara Gallæciæ Metropolis, quæ Ptolemæo Augusta Bracarum* dicitur, vel potius Bracara Augusta; alias urbs fuerat Callaicorum Bracarorum, nunc Portugalliæ, & Provinciæ intra Durium, & Minium dictæ.

(1) S. Isidorus in Chron. lib. 1.

* Βρακαρῶν idest *Bracarorum* a nomin. neutro plur. *Bracara*

ctæ. Ad Cavarum seu Celandum fluvium sedet, quatuor leucis ab ora Oceani distans: urbs antiqua & satis ampla, sed non æque incolis referta. De ea quidam Poëta Lusitanus dixit:

Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

Veterem & hæc Metropolis originem sibi vendicat, uti testantur nedum variæ Synodi in hac urbe celebratæ, quibus ejus Antistites præsederunt, verum etiam Fidei Regula jussu Sancti Leonis Papæ ex Generali Hispaniæ Concilio ad Balconium Episcopum Bracarensem missa, & ex Conciliis Toletanis, aliisque in Hispania habitis, quibus Bracarensis inter Metropolitas subscripsit. Satis erit ex multis unum laudare Concilium Bracarense I. anno 563. a Lucretio Metropolitano, & Gallæciæ Episcopis celebratum, Theodomiro Suevorum Rege in Hispaniis regnante: *Cum Gallicie Provinciæ Episcopi ex præcepto gloriosissimi Theodomiri Regis in Metropolitana ejusdem Provinciæ Bracarensis Ecclesia convenissent .... Lucretius Episcopus dixit: diu est Sanctissimi Fratres, quod secundum instituta venerabilium Canonum, & decreta Catholicæ & Apostolicæ Disciplinæ, desiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere Conventum*. Viden Bracarensem Ecclesiam Metropolitanam appellari, ejusque Episcopum jure Metropolitani Synodum ex Provinciæ suæ Episcopis indicere, eique præesse?

Paucis post annis, nimirum anno 569. in Synodo apud Lucum, rogante eodem Theodomiro Rege, Sedes Lucensis Metropolitico honore aucta fuit, ita ut duæ in Gallæcia Metropoles essent, Bracara, & Lucum: quod supra ex ejusdem Synodi decreto ostendimus. Hac autem Metropoli extincta, nova postmodum successit, videlicet Compostellana, quam Callistus II. erexit, Metropoli Emeritensi Compostellam translata. Nec Metropolis modo, sed etiam Primatus dignitate illam exornare cupiens, subduxit Provincias Emeritensem, & Bracarensem Toletano Primati, ut eas Compostellano subjiceret. Sed novus iste Primatus cito evanuit, Hadriani IV. edicto, quo Primatia Compostellana extincta fuit. Bracarensis etenim Archiepiscopus, tantum abest, ut Compostellano recens creato subjici vellet, quin potius etiam cum Toletano pro Primatu totius Hispaniæ semper decertavit. Hoc uno potissimum sibi blandiebatur honoris insigni, quod teste Vasæo, quamdiu Arabes clarissimis urbibus Toleto, & Hispali potiti sunt, Primatûs per omnes Hispaniarum Provincias munia obiissent Archiepiscopi Bracarenses: idque testantur Chartæ in Tabulario illius Ecclesiæ reconditæ. Eam (1) quoque laudem promoverat Bracara, quod prima e Saracenorum tyrannide emersisset, & Christiano se reddidisset Imperio: *Quæ prima Metropolitanarum Ecclesiarum a Mahumetistarum tyrannide liberata fuit*. His ergo præsidiis freti Bracarenses Archiepiscopi constanter intercesserunt Urbani II. aliorumque Rescriptis Romanorum Pontificum adversus Primatum Toletanum, cui ne vel ad horam cedere voluerunt; Ecclesiæ suæ jura strenue propugnantes, quæ novissime etiam pro virili tuitus est in Concilio Tridentino Venerabilis Frater Bartholomæus de Martyribus, Bracarensis Metropolita, vir doctrina, & sanctitate conspicuus. Quisquis plura de hac re videre cupit, adeat Ludovicum Thomassinum *De Vet. & Nova Eccles. Discip. p. 1. lib. 1. c. 38.* [illegible] . Po-

(1) Vasæus in Chron. c. 12. Tom. 1. Hispan. [illegible]

XX. Postremam inter Metropoles Sedem dat Tarraconensi divisio Provinciarum Hispaniæ, tametsi antiqua suæ dignitatis primordia explicet. In duabus quippe Epistolis quas circa annum 465. miserunt ad Hilarium Papam, & Romanam Synodum Episcopi Provinciæ Tarraconensis, Ascanius ejus urbis Antistes, velut Metropolita solus nominatur in earum epigraphe: *Domino Beatissimo, & Apostolica reverentia a nobis in Christo colendo Papæ Hilario, Ascanius Episcopus, & universi Episcopi Tarraconensis Provinciæ*. Concilium Tarraconense anno 516. sub Hormisda Romano Pontifice coactum, Tarraconem Metropoleos titulo cohonestavit: *Igitur cum in unum pariter convenissemus in Urbem Tarraconensem, quæ est Metropolitana:* Et inter Episcopos, Joannes Tarraconensis, ut Metropolita, prior omnibus subscripsit; itemque in Concilio Gerundensi anno sequenti habito. In Barcinonensi Synodo indicta anno 540. Sergius Tarraconensis Metropolitanus appellatur. Illustriorem effecit hanc Metropolim Hormisda Papa, cum Joanni Tarraconensi Episcopo vices suas commisit, anno 517. (1) *Servatis*, inquit, *privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quæ a nobis sunt nuper mandata serventur, sive ea, quæ de Ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur.*



CAPUT

(1) Hormisda epist. 24.

CAPUT VI.

Synopsis.

I. Britanniæ Insula antiquis Albion dicta in duas partes dividitur, superiorem, quæ & Anglia, & inferiorem, quæ Scotia appellatur. Ejus situm, & formam Orosius, & Strabo descripserunt.

II. Hibernia altera Insula prope Angliam posita, cui & nunc subjacet. Qui sint ejus limites?

III. Julius Cæsar primus omnium in Britanniam penetravit, antea Romanis ignotam. Agricola sub Tito gentem illam domuit, teste Tacito.

IV. Tacitus castigatur, & a Claudio ante Agricolam cum Britanniam, tum Orcades subactas ostenditur. Partem dumtaxat Britanniæ Claudius subjecit: Cerialis, Agricola, aliique Duces ibi fines Romani Imperii protraxerunt: numquam tota Insula a Romanis domita. Murus in medio Insulæ constructus, qui hodie extat.

V. Sæpe Romanorum jugum excutere tentarunt Britanni, sæpe etiam ipsi a Romanis victi. Constantius Chlorus Britanniam Romanis ereptam recuperavit, at nec ipse totam subegit. Caledonia ad Scotiam pertinens numquam a Romanis occupari potuit.

VI. Picti Scotique feroces inferioris Britanniæ populi Romanis sæpe bellum intulerunt: interdum a Romanis devicti, sed numquam debellati. Ab his Britanni oppressi ad Romanos confugerunt.

VII. Murus inter duo freta a Britannis extructus, quo se contra Pictos Scotosque munirent.

VIII. Hinc constat Britanniam in duas partes sectam; prior magis culta Britanniæ nomen tenuit: altera inculta, olim Caledonia, nunc Scotia dicta. Scoti ultra duos sinus Clottæ, & Bodotriæ habitabant, sicuti & nunc habitant. Sola Britannia superior Romanis paruit, a quibus omnino defecit sub Honorii Principatu.

IX. A Julio Cæsare usque ad Claudium nulla Provinciæ forma in Britannia fuit constituta. Claudius omnium primus aliquam ibi Provinciæ speciem ordinavit, quam deinde Vespasianus perfecit. Sub Severo in duas Provincias divisa fuit, Australem scilicet, & Septemtrionalem. Constantino imperante tres Britanniæ Provinciæ sunt constitutæ: his duæ aliæ accesserunt post Valentiniani obitum.

X. Britanniæ primæ Metropolis Londinum: secundæ Carleona: Maximæ Cæsariensis Eboracum.

XI. Post occupatam ab Anglis, & Saxonibus Britanniam ea Provinciarum forma mutata est. Quo tempore Angli, Saxones, aliique populi Septemtrionales Britanniam invaserint?

XII. Tres præcipue populi Germaniæ Britanniam occuparunt, Angli, Saxones, & Jutæ. Singuli partem Insulæ posiederunt, suoque appellavere nomine.

XIII. Septem Regna ab his populis in Britannia sunt constituta, eaque recensentur. Tandem Regnum Saxonum Occidentalium totius Insulæ Monarchiam obtinuit.

XIV. Antiquis Britanniæ populis vix relictum est Cambriæ, seu Walliæ Regnum.

I. Ostremum in Notitia Imperii locum tenet Dioecesis Britanniæ, & ipsa Præfecto Prætorio Galliarum subjecta, quod scilicet Galliis adjaceat, a qua freto dirimitur. Antiquis Albion dicta est ab albis montibus, qui ad eam navigantibus primo apparent: Britannia vero a Britone Rege. Maxima est Insularum Europæ in Oceano, Galliæ obversa. In duas a veteribus divisa est primam, & secundam, seu Superiorem, & Inferiorem: illa Anglia, hæc Scotia appellatur. Anglia in Austrum, Scotia Arctos vergit. Ejus longitudo 800. M. P. continet inter oram Australem Angliæ, ubi Antona oppidum contra Vectim Insulam, & oram Borealem Scotiæ. Latitudo maxima 320. inter Cantium ad Ortum, & Bolerium ad Occasum promontoria. Ambitus quadragies octies septuagies quinque M. P. teste D. Isidoro. Minorem ei latitudinem dat Paulus Orosius, qui eam, uti & Hiberniam, & circum adjacentes Insulas ita describit: (1) *Quoniam*, inquit, *Oceanus habet Insulas, quas Britanniam, & Hiberniam vocant, quæ in adversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sitæ sunt, breviter explicabuntur. Britannia Oceani Insula per longum in Boream extenditur: a Meridie Gallias habet, cujus proximum littus transmeantibus civitas apparet, quæ dicitur Rhutupi portus, unde haud procul a Morinis in Austro positos Menapos, Batavosque prospectat. Hæc insula habet in longum millia passuum octingenta, in latum millia CC. A tergo autem, unde Oceano infinito patet, Orcadas Insulas habet, quarum XX. desertæ sunt, XIII. incoluntur. Deinde Insula Tile* (idest Tule) *quæ per infinitum a ceteris separata Circium versus medio sita Oceano vix paucis nota habetur. Hibernia Insula inter Britanniam, & Hispaniam sita est, quæ longiore ab Africo in Boream spatio porrigitur. Hujus partes priores intentæ Cantabrico Oceano Brigantiam Galleciæ civitatem ab Africo sibi in Circium occurrente spatioso intervallo procul spectant, ab eo præcipue promontorio, ubi Senæ fluminis ostium est, & Velabri, Lucenique consistunt. Hæc propior Britanniæ spatio terrarum angustior, sed cæli solisque temperie magis utilis a Scotorum gentibus colitur. Huic etiam Mevania Insula proxima est, & ipsa spatio non parvo solo commoda æque a Scotorum gentibus habitatur.*

Britanniæ formam triquetram esse ait Strabo *lib.* 4. *Geograph.* (2) ubi & ejus naturam exponit: *Maxima Insulæ pars*, inquit, *campestris est, & sylvis obsita, multos etiam terrestres habet colles: profert frumentum, pecus, aurum, argentum, ferrum: efferuntur præter hæc ex ea Insula pelles, mancipia, & canes ad venationem naturali præstantes facultate... Urbium loco ipsis sunt nemora: arboribus enim dejectis, ubi amplum circulum sepierunt, ipsi casas ibidem sibi ponunt, & pecori stabula condunt, ad usum quidem non longi temporis.* Hæc quidem Strabo de Britannia, qualis sua erat ætate: nunc tamen multis urbibus frequentata est, quas inter, Londinum totius Regni caput, quod & Lindonium Stephano, & Martiano dicitur, quasi a Lindo Rhodiorum, Colonia Augusta Tacito, & Augusta Trinobantum Ammiano. Urbs est amplissima, & ob-

(1) Orosius lib. 1. c. 2.

(2) Strabo lib. 4. p. 139.

oblonga, ad Thamesim fluvium sita, emporiumque celeberrimum. Mœnibus cincta fuit a Constantino Magno.

Scotia alterum Magnæ Britanniæ Regnum ab ortu Germanico Oceano, a Septemtrione Orcadibus, & Deucaledonio præcingitur, ab Occasu Hiberniæ objacet, ad Austrum Tueda Fluvio, Cheviotæ montibus cum adjacente tractu ad Itunæ, quæ vernacula Anglorum lingua dicitur *Solvvaii*, *æstuarium* pertinentibus, ab Anglia dividitur. Antiquitus dicta fuit Albion Septemtrionalis, seu ulterior, & in duos populos divisa, nempe in Vetturiones, in quorum regione fuerunt postea Picti, & in Caledonios, quorum regionem invaserunt postea Scoti: Vetturionum partes erant, Horestæ, Selyovæ, Novantæ, Damnii, & Ladeni. Caledoniorum autem fuerunt Caledonii proprie dicti, Epidii, Creones, Cerones, Carnovacæ, Cornabii, Carini, Mertæ, Cantæ, Lugi, seu Logi, Vacomagi, Taxali, & Vernicones populi. Nunc Scotia universa in duas secatur partes, Tavo fluvio intermeante. Una Australis, quæ Cis-Taana, & frequentius habitatur, & moribus, divitiis, ac humanitate excultior est. Altera Borealis, seu Trans-Taana, agrestior rudiorque, mores etiam Sylvestris Hiberni genuini, & prisci Scoti recipit ac retinet. Scotia pluribus seculis propriis parebat Regibus; sed ex quo obiit Elizabetha Angliæ Regina, anno 1603. ei successit Jacobus Scotiæ Rex, qui duo Regna Angliæ, & Scotiæ conjunxit, & in Angliam uti majus & opulentius Regnum transmigravit.

II. Hibernia minus nota fuit veteribus, nec satis sibi perspectam fuisse indicat Strabo: (1) *Hibernia*, ait, *versus Septemtrionem juxta Britanniam porrecta, latior, quam longior. De hac nihil certi habeo quod dicam, nisi quod incolæ ejus Britannis sunt magis agrestes, qui & humanis vescuntur carnibus, & plurimum cibi vorant, & pro honesto ducunt parentum mortuorum corpora comedere, ac palam concumbere non cum aliis modo mulieribus, sed etiam cum matribus ac sororibus. Quæ quidem ita referimus, ut fide dignis harum rerum testibus destituti.* Est quidem Hibernia & ipsa ampla Europæ Insula, in Oceano Occidentali, prope Angliam, cujus Occasum spectat, sed multo minor ipsa. Protenditur a Septemtrione in meridiem, vixque 30. milliaribus Anglicis separatur ab Anglia, seu a Wallia Meridionali Mari Verginio, 15. autem a Scotia Australi. Alluitur ab Occasu mari Occiduo, a Septemtrione mari Deucaledonio, & a Meridie mari Verginio. Hiberniam ab Hyberno tempore, quod ibi longum, est, appellatam putant. Juverna etiam appellatur a Pomponio Mela, Iverna a Ptolemæo, Jerna a Claudiano *de laudibus Stilichonis lib. 2.*

Munivit Stilicho, totam cum Scotus Jernam.

Quo pariter nomine illam vocavit Stephanus. Ptolemæus quoque eam nominat Britanniam minorem, Isidorus, & Beda Scotiam a Scotis illius incolis, unde & Scotiæ nomen cum Scotis ipsis in Britanniam penetrasse volunt. Urbes quondam habuit claras Ivernem, & Rhæbam; nunc Dublinum totius Regni est caput, Eblana veteribus. Hæc de Hibernia delibavimus, non quod ipsa ad Diœcesim Britanniæ, de qua in Notitia Imperii, pertineat, sed quia ipsi proxima est, & nunc ejus Regibus obnoxia; & insuper non pau-

(1) Strabo lib. 4. pag. 139.

ea de illius Ecclesiis infra sint pertractanda.

III. Ad Britanniam itaque regredior, præcipuam hic nostræ curæ metam. Eam Insulam ignotam antea Romanis primus omnium adiit Cajus Julius Cæsar, suoque subjecit Imperio: (1) *Aggressus est & Britannos* (inquit Suetonius) *ignotos antea, superatisque pecunias, & obsides imperavit*. Quod & Eutropius narrat: (2) *Cajus Julius Cæsar Britannis bellum intulit; quibus ante eum, ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; & eos quoque victos obsidibus acceptis stipendiarios fecit*. Bis comparata classe illuc appulit, bellum Britannis illaturus, Strabone Auctore: (3) *Divus Cæsar bis in eam Insulam trajecit, ac mox reversus est nulla magna re confecta, neque longe in Insulam progressus: idque cum propter Barbarorum, & suorum militum obortos in Gallia motus, tum quod sub plenilunium multas navium aucto maris æstu amisisset: duobus tamen, aut tribus prœliis vicit Britannos, quamquam duas tantum eo trajecisset legiones: abduxitque, & obsides, & mancipia, & prædæ præterea multum*. Novem æstates eo in bello a Cæsare consumtas tradit Vellejus Paterculus, (4) quod a nullo alio traditum reperio: *Bis*, inquit, *penetrata Britannia, novem denique æstatum vix ulla non justissimus triumphus emeritus*. Vix quidpiam dignum in ea expeditione a Cæsare gestum duo ii Scriptores insinuant, quia nimirum modicam Britanniæ partem debellavit. Alii tamen magnificentius de hac ipsa Cæsaris expeditione loquuntur, veluti Lucius Florus, Aurelius Victor, & Eutropius. Hanc certe gloriam sibi promeruit Cæsar, quod primus omnium Britanniam invenerit, subegeritque. Nullus ante id tempus nedum Insulam illam penetraverat, sed etiam extare ignotum multis erat, paucis creditum. Unde primum audaciæ incusari cœpit Cæsar, quod ultra Orbis fines contenderet: & tamen omnium opinionem superavit: nam, ut Flori utar verbis: (5) *Omnibus terra marique captis, respexit Oceanum, & quasi hic Romanis Orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparata, Britanniam petiit. In Britanniam transit mira celeritate: quippe cum tertia vigilia Morino solvisset a portu, minus quam medio die Insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico littora, & trepidantium ad conspectum rei novæ carpenta volitabant, itaque trepidatio pro victoria fuit: arma & obsides accepit a trepidis, & ulterius isset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reversus igitur in Galliam, classe majore, auctisque copiis, in eumdem rursus Oceanum; eosdemque rursus Britannos Caledonias sequutus in sylvas, unum quoque e Regibus Cavellianum in vincula dedit. Contentus his* (*non enim Provinciis, sed nomini studebatur*) *cum majore quam prius præda revectus est, ipso quoque Oceano tranquillo magis, & propitio, quasi imparem se fateretur*. Rebus igitur prospere gestis, post inventam occupatamque novam regionem, summis laudibus attollere Cæsarem cœperunt, ipsimet qui prius temeritatis eum insimulaverant. Cæsaris facinus ita Plutarchus enarrat, (6) de ipso loquens: *Dehinc in Britanniam expeditionem agere contendit. Cujus facti audacia magnam illi gloriam peperit. Primus namque Occiduum classe ingressus Oceanum, perque Atlanticum pelagus ad belligeran-*

(1) Suetonius in Cæsare c. 25.
(2) Eutropius Hist. Roman. lib. 6.
(3) Strabo loc. cit.
(4) Vellejus Hist. Roman. lib. 2.
(5) Florus lib. 3. c. 10.
(6) Plutarchus in C. Cæsare.

randum transportans exercitum, *adnavigare cœpit*. *Incredibilis namque magnitudinis Insulam*, *de qua non parum inter Scriptores*, *& Historicos disceptatum est*, *cum eam non re*, *sed verbo solum*, *ac nomine fictam nusquam extare contenderent*, *subjugare adortus*, *extra Orbem terrarum Romanum propagavit Imperium*. Creditum est novum Orbem tunc inventum: unde Virgilio piaculum non fuit canere *Ecloga* 1.

Et penitus toto divisos Orbe Britannos.

Lucius etiam Florus Poëtam potius, quam Historicum agens scripsit: (1) *Quamvis toto Orbe divisa*, *tamen qui vinceret*, *habuit Britannia*. Cn. Julius Agricola, Tito post Vespasiani patris obitum solo imperante, Britanniæ Præfectus gentem illam domuit, & circumducta classe, Britanniam Insulam esse deprehendit: de quo hæc Tacitus: (2) *Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta*, *Insulam esse Britanniam affirmavit*; *ac simul incognitas ad id tempus Insulas*, *quas Orcadas vocant*, *invenit*, *domuitque*. Hoc ipsum & Xiphilini Epitome in Pompejo.

IV. A Tacito hac in parte cogor recedere, qua asserit, Insulas Orcades ab Agricola primum inventas, domitasque. Hanc quippe gloriam ante Agricolam primum nactus fuerat Claudius Imperator, teste Eutropio, id operis aggressus, quod Augustus, Tiberius, & Cajus Caligula, post Julii Cæsaris cædem minime præsumpserant, ut scilicet Britanniæ bellum inferrent: (3) *Claudius*, inquit ille, *Britanniæ intulit bellum*, *quam nullus Romanorum post Julium Cæsarem attigerat*: *eaque devicta per Cnaeum Sentium*, *& Aulum Plautium*, *illustres*, *& nobiles viros*, *triumphum celebrem egit*. *Quasdam insulas etiam ultra Britanniam in Oceano positas*, *Romano Imperio addidit*, *quæ appellantur Orcades*: *filioque suo Britannici nomen imposuit*. Quod tamen Eutropius asserit, Britanniam per Cn. Sentium, & Aulum Plautium devictam, non ita intelligendum est, pæne ac si Claudius ipse eo nequaquam adierit, neque in partem venerit victoriæ; sed tantum quod illustres etiam viros facinoris socios habuerit. Enim vero appulisse Claudium Britanniam ceteri affirmant, maxime vero Aurelius Victor *de Cæsaribus* in Claudio: (4) *Britanniæ partes contusæ*, *quam solam adiit*, *Ostia profectus mari*: *nam cetera Duces curavere*. Rem clarius exponit Jornandes: (5) *Fecit hic Claudius expeditionem in Britanniam Insulam*, *quam jam nemo ante Julium Cæsarem*, *neque post eum quisquam adire ausus fuerat*, *exercitum duxit*: *ibique sine ullo prœlio ac sanguine*, *intra paucissimos dies*, *plurimam Insulæ partem in deditionem recepit*. *Orcadas autem Insulas intra Britanniam in Oceano positas*, *Romano adjecit Imperio*: *ac sexto quo profectus erat mense Romam repedavit*. Non Britanniam universam, sed aliquam dumtaxat ejus partem a Claudio in deditionem receptam Jornandes tradit. Aucti postmodum temporis tractu, propagatique in illis regionibus Romanorum fines, Petilii Cerialis præsertim, Agricolæ, aliorumque strenuorum Ducum bellica virtute, ut refert Tacitus *in Agricola*. Quamquam magna pars Insulæ omnium in Europa amplissimæ libera esset, nec adhuc a Romanis domita: Hinc Spartiano auctore, (6) *Hadrianus Britanniam petens multa correxit*, *murumque*

(1) Florus lib. 3. c. 10.
(2) Tacitus in Agricola.
(3) Eutropius Hist. Roman. lib. 7.
(4) Aurelius Victor de Cæsaribus c. 4.
(5) Jornandes de Regn. ac Temp. Success. lib. 1. c. 5.
(6) Spartianus in Hadriano.

que octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros, Romanosque divideret. Alium deinceps murum, sed cæspititium, submotis Barbaris, quos Lollius Urbicus debellaverat, duxit Antoninus Pius apud Capitolinum: (1) *Per Legatos suos plurima bella gessit* Antoninus: *nam & Britannos per Lollium Urbicum Legatum vicit, alio muro cæspititio, submotis Barbaris, ducto*. Quare perspicuum est, non omnem Britanniæ Insulam tunc paruisse Romanis, cum necesse fuerit, muro mediam eam secare, quo tutior esset a Barbarorum incursibus. Protractos postmodum arbitror ibidem Imperii limites, quando sub Commodi Imperio Barbari murum illum transgressi, Perennii aliorumque Legatorum opera protriti fuerunt ingenti bello, quod (2) Dione, Xiphilino, & Lampridio testibus, *omnium longe maximum fuit*: inde Commodus *Britannicus* appellatus est. Sed nondum per id tempus de tota Britannia triumphatum. Enimvero Septimius Severus Commodi successor, qui & ipse Britannos tumultuantes coërcuit, anno Imperii sui decimoseptimo, magnificum opus aggressus, exemplo Hadriani, & Antonini, celebrem murum a mari ad mare per mediam Insulam duxit, indeque & ipse Britannici titulum nactus fuit. Id refert Spartianus in ejus vita: (3) *Britanniam* (*quod maximum ejus Imperii decus est*) *muro per transversam Insulam ducto utrimque ad finem Oceani munivit: unde etiam Britannici nomen accepit*. Hæc eadem tradit Aurelius Victor: (4) Severus *his majora aggressus*, *Britanniam*, *quæ adeo utilis erat*, *pulsis hostibus*, *muro munivit*, *per transversam insulam ducto*, *utrimque ad finem Oceani*. Muri hujus longitudinem minus æquo mensus est idem Aurelius Victor *in Epitome*, dum scripsit: *Septimius Severus in Britannia vallum per trigintaduo passuum millia a mari ad mare deduxit*. Manifestus enim error in textum irrepsit, corrigendus utique ex his, quæ habet M. Aurelius Cassiodorus in *Chronico*, (5) *ad Consulatum Apri*, *& Maximi*, *sub* Severo: *His Coss. Severus in Britannos bellum movit: ubi ut receptas Provincias ab incursione barbarica faceret securiores*, *vallum per CXXXII. passuum millia a mari ad mare duxit*. Non per triginta duo, ut Aurelius Victor scribit, sed per centum triginta duo passuum millia murum deduxit Severus Imperator, ut tradit Cassiodorus, cui consentiunt Eutropius in Cod. MS. Eusebius, & Beda.

V. Sæpe Romanorum jugum excutere tentarunt Britanni, sæpius etiam ipsi a Romanis victi, ab Ostorio præsertim, Claudio Imperii habenas moderante; (6) tum a Paulino Suetonio sub Nerone; a Julio Agricola sub Tito; a Lollio Urbico sub Antonini Principatu; a Calphurnio Agricola, Marco Aurelio imperante; ab Ulpio Marcello Commodi temporibus. Cum deinde Carausii defectione iterum rebellassent, Constantii Chlori Magni Constantini patris virtute subacti sunt, anno Imperii Diocletiani XIII. & Maximiani Herculei XI. quemadmodum narrant Eutropius, Eumenius in Panegyrico Constantio Cæsari dicto, Zonaras, & alii. Verumtamen ipse Constantius Chlorus, qui Carausii primum proditione, mox Allecti tyrannide Britanniam Romanis ereptam prospero marte domuit, ac Imperio restituit, non ultra statutos a majoribus ter-mi-

(1) Capitolinus in Antonino cap. 5.
(2) Dio Xiphilin. & Lamprid. in Commodo.
(3) Spartianus in Severo c. 18.
(4) Aurelius Victor de Cæsaribus c. 20. in Severo.

(5) Cassiodorus in Chronico in Severo.
(6) Tacit. in Agricola. & lib. 14. Capitolinus in Antonino, & M. Aurelio.

minos penetravit nec tota Insula potitus fuit. Auctor siquidem Panegyrici Constantino filio nuncupati, cum is apud Treveros ageret, inter ceteras optimi parentis laudes hanc quidem enumerat, quod Britanniam recuperaverit, Caledoniam vero, & Pictorum terras, sicuti & Hiberniam, & Tylen, & Fortunatas Insulas, licet potuisset, minime tamen adierit, iturus ad Superos, ut longe majores palmas reportaret: (1) *Non Britannica trophæa (ut vulgo certum est) expetivit, sed Diis jam vocantibus ad intimum terrarum limen accessit. Neque enim ille tot tantisque rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumque Pictorum sylvas, & paludes; sed nec Hiberniam proximam, nec Thylen ultimam, nec ipsas, siquæ sunt, Fortunatorum Insulas dignatur acquirere; sed (quod eloqui nemini voluit) iturus ad Deos: genitorem illum Deorum, ignea cœli astra refoventem, prospexit Oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua, jam videret illic diem pæne perpetuum.* Caledonia porro Britannicæ Insulæ pars est, quam hodie Scotiam vocant: vel potius pars est Septemtrionalis Scotiæ: unde Caledonii pro Scotis accipiuntur apud Claudianum: (2)

Inde Caledoniis, australibus inde parentum
Cingeris excubiis.

Caledonii quoque Britanni memorantur a Martiali:

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos.

Extat adhuc Caledonia Sylva, teste Hect. Boethio, apud Sterlingum oppidum, quæ olim regioni nomen dedit, maximos alens Ursos Martiali nequaquam (3) ignotos.

Nuda Caledonio sic viscera præbuit Urso.

Frustra Severus, aliique Imperatores hanc ulteriorem Britanniæ partem subjugare conati sunt, quibus amplissima hæc Sylva perpetuo impedimento fuit, quo minus tota Insula potirentur. Ejus rei testis est Joannes Xiphilinus: (4) *Hujus Insulæ pars paulo minus quam dimidia nostra est: quam Severus cum vellet omnem in suam potestatem redigere, ingressus est in Caledoniam; eamque dum pertransiret habuit maxima negotia, quod sylvas cæderet, & loca alta perfoderet, quodque paludes obrueret aggere, & pontes in fluminibus faceret. Nullum enim prælium gesiit, neque copias hostium instructas vidit; a quibus proponebantur consulto oves, bovesque, ut cum ea nostri raperent, ac longe de via declinarent, facile opprimerentur. Ad hæc nostris aquæ valde oberant, dispersisque insidiæ parabantur: cumque non possent iter facere, occidebantur a suis, ut ne ab hostibus caperentur. Itaque mortui sunt e nostris ad quinquaginta millia. Neque tamen destitit Severus, quousque ad extremam insulam venit; ubi diversum, quam apud nos sit, cursum Solis, itemque noctium ac dierum, æstivorum atque hibernorum magnitudinem diligentissime cognovit. Tandem per omnem terram hostilem vectus (nam plurimum propter imbecillitatem aperta lectica vehebatur) revertit ad Socios, Britannis ad fœdus faciendum coactis, ea conditione, ut non parva regionis parte cederent.* Severus ergo in Caledoniam penetravit, quin & ad extremum Insulæ pervenit, at minime illam debellare potuit, quod Sylvæ paludesque obessent, atque regionis incolæ intra saltus, nemora, montesque sese reciperent, nec ad pugnam sui copiam facerent. Quas autem in illa Britannica expeditione dif-

(1) Auctor Anonymus in Panegyr. Constantini.
(2) Claudianus de laudib. Serenæ.
(3) Martialis in Amphit.
(4) Xiphilinus in Severo.

difficultates Severus, easdem & Constantius Chlorus, & reliqui Imperatores experti sunt, adeo ut numquam totam Insulam subjicere potuerint.

VI. Inter celebriores Caledoniæ seu Scotiæ populos, numerabantur Picti, quos laudatus Anonymus Panegyrici Auctor male Pictones nominat, a quibus Britanniam Insulam olim subactam prodit Polydorus Virgilius *in Historia Anglicana*. E Scythia in Britanniam profectos, ac in ea parte, quæ postmodum Scotia dicta est, consedisse, auctor est Beda, sic a pictura, qua in proprio corpore utebantur, appellatos; quorum meminit Claudianus de laudibus Stilichonis:

Perlegit exangues Picto moriente figuras.

His vero Scoti successerunt. Horum regio in Angliæ confinio posita creditur, ubi hodie Scotia cis Tavum fluvium, seu Meridionalis, versus Angliam jacet, quæ nunc a quibusdam *Laudonia*, ab aliis *Pichriad* vernacula gentis lingua nuncupatur; olim Marcellino *Deucaledonia* dicta, velut regio altera Scotiæ a Caledonia discreta. Feroces quondam populi eam incolebant, omni pæne humanitatis cultu destituti; nam & nulla conjuge adlecta promiscue cum feminis belluarum more commisceri, perinde ac barbaros Scythas, a quibus orti fuerant, humanis carnibus vesci, in sylvis, ac montibus plerumque habitare consueverunt. Efferatos illorum mores descripsit D. Hieronymus, testis, ut ipse ait, oculatus: (1) *Quid loquar*, inquit, *de ceteris nationibus, cum ipse adolescens in Galliis viderim Scotos gentem Britannicam humanis vesci carnibus, & cum per sylvas porcorum greges, & armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates, & feminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari?* Perpetuum gens ista bellum cum Romanis gessit, nec umquam aut patriis sedibus pelli, aut domari potuit. Quare nec prisci Imperatores, qui Constantio anteiverant, nec qui eum postea secuti sunt, remotiorem hanc Britanniæ Provinciam occuparunt. Quinimmo sæpius certaminibus lacessiti ancipitem aleam ierunt. Constans & Constantius Magni Constantini filii, e Galliis in Britanniam trajicere sæva hyeme compulsi sunt, adversus Scotos, & Pictos Britanniam invadentes pugnaturi, auctoribus Marcellino *lib. 20. & 27. & Libanio in Basilisco*. Triumpharunt quidem cum ipsi, tum alii Cæsares de Pictis, & Scotis, ipsorum tamen Provincias nequaquam debellarunt, sed antiquis tantum Britanniæ finibus expulerunt, quos constat a Romanis retentos, usque ad Honorii, & Theodosii junioris tempora. Tunc etenim Roma a Gotthis capta, & Imperii fortuna retro labente, Britanni Romanorum jugum excusserunt, ut tradunt Zosimus *lib. 6. pag. 824.* & Beda (1) in Anglorum Historia; & in Epitome, ubi ait: *Anno 409. Roma a Gothis fracta est: ex quo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt*. At paucis post annis contigit, quod idem Beda refert, scilicet exinde Britanniam militaribus copiis spoliatam patuisse *duabus gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum a Circio, & Pictorum ab Aquilone*. Qua calamitate conterriti Britones Romam Legatos direxerunt, *subjectionem continuam, dummodò hostis imminens longius arceretur*, pollicentes: statimque ab Honorio Imperatore legio illuc missa hostes a Britannia propulsavit, & incolas interim Honorius est hortatus, *instruere inter duo maria trans insulam murum, qui arcendis hostibus posset esse præsidio*. Ceterum Britanni murum, *non tam lapi-*

(1) S. Hieronymus lib. 2. cont. Jovinianum.

(1) Beda lib. 1. Hist. Anglor. c. 11. & in Epitome.

dibus, quam cæspitibus construentes, ad nihil utilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta, vel sinus (de quibus diximus) maris. Quod etiam tradit Gildas in suo *Libello de Excidio Britanniæ*.

VII. Ex laudato Bedæ testimonio colligere fas est, Britanniam duplici pæne freto fuisse a Caledonia, seu Scotorum Pictorumque terris sejunctam, ac inter utrumque fretum, murum a Britannis extructum, nempe a freto illo ductum, quod Tacitus in Vita Agricolæ *Bodotriam* vocat, usque ad Cluidam fluvium, qui ab eodem Tacito *Clotta* dicitur, quo olim loco Agricola Romanæ illic Provinciæ fines præscripserat. Itaque inter utrumque fretum Britanni murum ex cæspitibus ædificarunt, ne Barbarorum incursionibus in ipsorum terras aditus pateret. Verum Romana legione e Britanniis eggressa, Scoti Pictique (1) *mox advecti navibus irrumpunt terminos, cæduntque omnia.* Destinata idcirco altera ad Honorium legatio auxilium adversus hostes a Romanis deposcit: indeque *rursum mittitur legio, quæ inopinata tempore Autumni adveniens, magnas hostium strages dedit. Tum Romani denuntiavere Brittonibus, non se ultra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari. Quin etiam, quod & hoc sociis quos derelinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, murum a mari ad mare recto tramite inter urbes, quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant* (*ubi & Severus quondam vallum fecerat*) *firmo de lapide conlocarunt, & valedixerunt sociis tamquam ultra non reversuri.* Eadem tradit Gildas *in Libello de excidio Britanniæ*, ex quo Beda hanc deprompsit historiam. Hinc recte observat Usserius *in Antiquitatibus Britannicis*, hunc murum lapideum a Romanis sub finem Principatus Honorii constructum citeriorem fuisse: quandoquidem ab *Ithunæ* æstuario, ad usque *Tinæ* ostium productus fuit, ubi Severus per transversam Insulam murum antea duxerat, quem & hodie *Picticum* vocant, quo loci Hadrianus ante Severi Imperium alium erexerat. At murus cæspititius biennio ante a Britannis positus fuerat inter *Bodrotiam*, & *Clottam*, ubi olim Agricola suum constituerat.

VIII. Ea quæ hactenus diximus haud parum lucis afferre possunt ad dignoscendam Britanniæ Diœcesim in Notitia Imperii Præfecto Prætorio Galliarum commissam. I. Ex his patet, Insulam Britanniæ in duas veluti partes sectam fuisse, quarum una proprie Britannia dicitur: & hæc magis culta, & conspicua est, ac nominis celebritate semper illustris. Altera remotior, & Romanis quondam impervia, quæ antiquitus Caledonia, nunc Scotia nominatur: inculta sane, sylvis, montibus, ac paludibus pæne undique circumsepta, ab efferatis populis diutius occupata, quos Britanni transmarinos appellabant, teste Marcellino initio *lib.* 20. non quod extra Insulam essent, sed ut Venerabilis Beda adnotavit: (2) *Transmarinas dicimus has gentes* (Scotos nimirum & Pictos, de quibus loquitur) *non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia a parte Brittonum erant remotæ, duobus sinibus maris interjacentibus, quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longe lateque irrumpit, quamvis ad se invicem pertingere non possint.* Itaque Scoti ultra duos a Tacito celebratos sinus, *Clottæ* scilicet, & *Bodotriæ*, quorum hic in Oriente, ille in Occidente locatus est, habitabant, uti & nunc degunt.

(1) Beda lib. 1. Hist. Anglor.

(2) Beda loc. cit.

gunt. Non longe a sinu Bodotriæ celebris est hodie civitas Edimburgum Scotiæ caput, Ptolemæo dicta *Alata castra*, alio etiam nomine *Castrum Puellarum*, ad Fortheam fluvium. Pars vero magnæ Britanniæ ad Septemtrionem sita, conjungitur cum altera isthmo tam angusto, ut videatur insula a reliqua Britanniæ parte divisa: quod & Tacito (1) observatum fuit: *Clotta, & Bodotria diversi maris æstu per immensum revecti angusto terrarum spatio dirimuntur quod, tùm præsidiis firmabatur, utque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus*. II. Pars illa ulterior Britanniæ Romanis semper impervia fuit, nec subjici umquam potuit. III. Britannia major, qua de loquimur, sub Honorii Imperio a Romanis penitus defecit, & licet paulo post Honorio se dediderit, tamen a Romanis tantum in societatem admissa est, sublatis inde militibus ultimo Honorii anno. IV. Post Honorii obitum, præter fœdus societatis, nullum Romani in magnam Britanniam dominatum exercuisse reperiuntur. Anno quidem 446. Brittones a Pictis Scotisque vexati auxilium Aetii ter Consulis & Magistri Militum in Galliis implorarunt, sed magis amicitiæ legibus, quam ullo tunc Imperii jure. Immo nec impetrare potuerunt, quod Hunnorum copiæ alio Aetii exercitum advocassent, ut videre est apud Bedam *lib.* 1. *Histor. Anglor. c.* 13. Nihil de secutis temporibus dicam, quibus Angli, & Saxones Britannis pulsis, magna Britanniæ parte potiti sunt, nec ulla deinceps occurrit Romanorum mentio.

IX. Hæc propterea adnotavimus, ut inde appareat, Diœcesim Britanniæ in Notitia Imperii descriptam, infra Honorii ætatem nequaquam protendi: nec illa totam Britanniæ Insulam contineri, sed majorem dumtaxat Britanniam, quæ sola Romanorum armis domita, sola itidem Præfecto Prætorio Galliarum parebat. Julius Cæsar tametsi primus omnium in Britanniam exercitum duxerit, nullam tamen ibi Provinciæ formam constituit, quoniam ut ait Tacitus, (1) *Primus omnium Romanorum D. Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, & littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse*. Qui post Cæsaris necem Romanam Rempublicam moderati sunt, Octavianus Augustus, Tiberius, & Cajus Caligula, aliis curis occupati incœptum a Cæsare opus neutiquam sunt prosecuti: quippe *mox bella civilia, & in Rempublicam versa Principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. Consilium id D. Augustus vocabat, Tiberius præceptum. Agitasse Cajum Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent*. Claudius omnium primus post Cæsarem, ut vidimus, de subjicienda Britannia cogitavit, perfecitque, *transvectis legionibus, auxiliisque, & assumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturæ mox fortunæ fuit: domitæ gentes, capti Reges, & monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula; uterque bello egregius*. Tum aliqua Provinciæ forma sub Claudio in Britanniis conspecta est, proxima Insulæ regione subacta, de qua ipse Tacitus subdit: *Redactaque paulatim in formam Provinciæ proxima pars Britanniæ: addita insuper veteranorum colonia, quædam civitates Cozíduno Regi donatæ*. At

(1) Tacitus in Agricola.

(1) Idem loco cit.

At Vespasiano imperante meliorem Provinciæ formam ibi institutam, insinuant hæc ejusdem Taciti verba de Vespasiani Principatu loquentis: *Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus placidius, quam feroci Provincia dignum est*. Post Vespasiani obitum Tito primum, dein Domitiano imperantibus, Britanniam velut jam Provinciæ formam adeptam Agricolæ fuisse demandatam narrat Tacitus toties laudatus: *Post triennium legationis statim ad spem Consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei Provinciam dari . . . . Post Consulatum statim Britanniæ præpositus est, adjecto Pontificatus Sacerdotio*. Antequam igitur Agricola Britanniam administrandam susciperet, quod sub Domitiano contigit, jam ea Insulæ pars, cui Romani dominabantur, in Provinciæ formam redacta fuerat. Secta deinceps fuit Britannia in duas Provincias, quod Septimii Severi temporibus factum existimo: nam de illo Herodianus, deque illius adventu, & bellica expeditione in hanc Insulam agens, scripsit: (1) *Rebus igitur Britanniæ ordinatis, totius Insulæ administrationem bifariam dispertiit*. Quem locum non aliter intelligendum esse video, nisi quod Severus distractam in duas Provincias Britanniam, quæ prius una fuerat, duobus eam Rectoribus gubernandam commiserit. Eæ duæ Provinciæ non aliæ esse posfunt nisi Superior Britannia, quæ Australis est, cujus Metropolis Londinum erat; & Inferior, quæ Septemtrionalis est, & Maxima Cæsariensis dicta, cujus Metropolis Eboracum fuit. Harum Metropoleon Episcopi subscripti leguntur in Concilio Arelatensi I. anno Christi 314. celebrato Constantini Magni temporibus: sub cujus deinceps Imperio nova Britanniarum divisio in tres Provincias præcedenti accessit, nimirum in Britanniam I. Britanniam II. & Maximam Cæsariensem. Harum trium Provinciarum meminit Sextus Rufus: (2) *In Britannia, Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda*. His postmodum adjectæ sunt duæ aliæ post Valentiniani Augusti Principatum, cui Sextus Rufus Breviarium suum nuncupaverat, scilicet Valentia, quam Theodosius, cum sub Valente Imperatore militans recuperasset, in ejusdem Imperatoris honorem Valentiam appellavit. De Valentia id tradit Marcellinus, de Theodosii in Britanniam adventu, rebusque ibi feliciter gestis Historiam texens: (3) *Hinc ad corrigenda plura conversus, & necessaria, periculo penitus dempto, quum aperte constaret nulla ejus cœpta propitiam deseruisse fortunam, instaurabat urbes, & præsidiaria, ut diximus, castra, limitesque vigiliis tuebatur, & prætenturis: recuperatamque Provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, ut eodem referente & Rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio Principis*. Tum deinde addita est Flavia, quam a Flavio Theodosio ejusdem Theodosii filio nomen accepisse, tradit D. Emanuel a Schelstrate *Tom. 2. Antiq. Eccles. Dissert. de Romani Imperii in Provincias divisione, cap. 11*. His quinque Provinciis constabat Diœcesis Britanniæ, quas exhibet antiqua utriusque Imperii Notitia paulo post Arcadii, & Honorii Imperium scripta.

(1) Herodianus Hist. lib. 3.
(2) Rufus in Brev.
(3) Marcellinus lib. 28.

Sub Diœcesi Britanniarum Provinciæ V.

Maxima Cæsariensis.
Britannia prima.
Britannia secunda.
Valentia.
Et Flavia Cæsariensis.

X. Britanniæ primæ Metropolis fuit Londinum, urbs celebris, Tacito, Marcellino, aliisque antiquis commemorata; cui nihil pristinæ gloriæ deperiit, etiam postea quam Saxones in Angliam irruperunt, ut testatur Venerabilis Beda de Orientalibus Saxonibus scribens *lib. 2. Histor. Anglor. cap. 7. Horum Metropolis Londonia civitas.*

Britannia secunda a prima divulsa est. Ejus Metropolim Scriptores Angli statuunt Carleonam, seu Carleolum, cujus nihilominus Metropolitani Episcopi mentio nulla apud veteres obvia est. Eam Luguvallum, urbem antiquorum Brigantum fuisse putat Camdenus, quæ & Luguballia dicitur Bedæ; postea Carleolum appellata. Urbs est munita ad Itunam fluvium tribus a mari milliaribus, & sex a Scotia distans, in Cumbria Provincia, juxta ruinas muri Pictici.

Maxima Cæsariensis est Provincia Britanniæ Septemtrionalis, ejusque Metropolis Eboracum, urbs ampla, Provinciæ Eboracensis caput, ad Urum amnem sita. Ibi quondam fuisse Brigantes populos, Parisiosque, testatur Camdenus. De duabus aliis Provinciis nihil præter ea, quæ antea diximus, peculiare reperire potuimus, nec civiles earum Metropoles perspectas habemus.

XI. Hæc Provinciarum Britannicarum distributio post occupatam ab Anglis, & Saxonibus Insulam penitus commutata est, novaque cum Provinciis, tum civitatibus imposita sunt nomina. Inde accidit, ut difficile sit reperire pristinam Provinciarum formam, atque partitionem. Britanniæ Regnum invaserunt Anglo-Saxones anno 449. prius a Vortigerno Brittonum Rege asciti, ut Regnum a Scotorum, Pictorumque continuis irruptionibus defenderent. Hæc referunt Gildas *in libello de Excidio Britanniæ;* Venerabilis Beda *lib. 1. Hist. Anglor. c. 14.* Etheluverdus *l. 1.* Malmesburiensis *lib. de Reg. Ang. c. 1.* Huntindoniensis *lib. 2.* Florilegus, Chronographus Saxo, & meliores Historici Rerum Anglicarum. Longe prius quam Saxones e Germania in Britanniam a Vortigerno vocati essent, compertum habemus ex antiquis Scriptoribus, alias e Saxonia Gentes in Caledoniam adnavigasse, junctoque cum Scotis & Pictis fœdere, una adversus Britannos conspirasse, ac frequenter in eorum terras irrumpere consuevisse. Initio quippe Imperii Valentiniani Senioris, a Saxonibus, non minus quam Scotis Pictisque, Brittones assiduis ærumnis exagitatos fuisse, auctor est Ammianus Marcellinus *lib. 27.* & alibi passim: qui etiam ad Consulatum Joviani, & Varroniani anno 364. gestum ait: (1) *Picti, Saxonesque, & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vexavere continuis.* Quem locum de veris Saxonibus Scotiæ tunc incolis intelligendum admonet Franciscus Pagi

(1) Ammianus lib. 26. cap. 4. lib. 27. c. 8.

gi *ad ann.* 429. *num.* 10. Ibi enim Saxones adjunguntur Scotis, Pictis, & Attacottis, Scotiæ Septemtrionalis populis. De Scotis Pictisque explorata res est: de Attacottis hoc ipsum docet Nicolaus Sampson insignis nostræ ætatis Chronologus, qui asserit, Attacottos eam Scotiæ regionem olim inhabitasse, quæ nunc Comitatus Buquamensis dicitur, ad Scotiam Septemtrionalem spectans. Unde populi montes incolentes versus Occidentem contra, Insulas, Hebrides hodie dictas, Occidentales Saxones appellari solent, ut advertit Cambdenus *pag.* 90. *&* 95. In eo nihilominus labitur præfatus Auctor, quod existimat hoc nomen ab antiquis Northumbris inferioris Scotiæ habitatoribus deductum; Northumbri siquidem ultra fretum Edimburgense numquam Sedes fixerunt, sicut nec Angli Septemtrionalem partem Regni præsentis Scotiæ umquam incoluerunt: & tamen anno 364. exordio Imperii Valentiniani Senioris Saxones morabantur juxta mare Germanicum. Itaque Ammianus non de Northumbris, sed de veris Saxonibus tunc Scotiæ incolis verba facit. Ad quos etiam allusit Claudianus, cum Honorio imperante inducit Britanniam de Stilichone ita canentem: (1)

Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, nec Pictum tremerem, nec littore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.

Ab his Saxonibus, cum Scotis Pictisque fœdere junctis, bello sæpe lacessiti Brittones, ac prœlio victi, Romanorum opem, Honorii præsertim Imperatoris implorarunt, quorum virtute Barbarorum vires fractæ, a Britanniæ finibus propulsati, intra Scotiæ terminos se se continere compulsi sunt: quod idem Claudianus in quarto Consulatu Honorii, quem gessit anno 398. hisce carminibus indicavit.

. . . . . Maduerunt Saxone fuso
Orcades. Incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Hiberne.

Ubi Claudianus Saxones, Pictos, & Scotos, Orcades, & Thulem Oceani Septemtrionalis Insulas in ditione Scotorum positas ea tempestate incolentes, a Romanis bello fusos interfectosque commemorat. Itaque Saxones antequam Anglo-Saxones Britanniam invaderent, cum Pictis & Scotis fœderati, Septemtrionalem Britanniæ regionem, quam Scotiam vocant, jam tum habitabant, quasi unam gentem ex Caledoniis, & Pictis conflantes. Ad horum idcirco irruptiones in Britanniam superiorem reprimendas, institutus fuerat *Comes littoris Saxonici per Britanniam*, cujus fit mentio in Notitia Imperii. Sed postremo circiter Honorii anno Romanis hinc abductis legionibus, Britannia eo destituta præsidio crebras e littore Saxonico incursiones passa est: ac tandem anno 449. ab Anglis, & Saxonibus Germaniæ populis occupata.

XII. Eo ex tempore instituta prius a Romanis Britannicarum Provinciarum forma mutata est; confusæ Provinciæ sunt; nova a novis incolis nomina urbibus, & regionibus imposita, quæ veterem Imperii Notitiam pæne obruunt. Tres e Germania populi Britannias appulerunt, Angli, Saxones, & Juttæ, quos describsit Venerabilis Beda: (2) *Advenerunt de tribus Germaniæ populis fortioribus, idest, Saxonibus, Anglis, Vitis. De Vitarum origine sunt Cantuarii, &* Ve-

(1) Claudianus lib. 2. de laudib. Stilichonis.

(2) Beda lib. 1. Hist. Anglor. c. 15.

Vectuarii; hoc est ea gens, quæ Vectam tenet Insulam, & ea quæ usque hodie in Provincia Occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur, posita contra ipsam Insulam Vectam. De Saxonibus, idest, ea regione quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porro de Anglis, hoc est, de illa patria quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore usque hodie manere desertus inter Provincias Vitarum, & Saxonum perhibetur, Orientales Angli, Mercii, tota Nordanymbrorum progenies, idest, illarum gentium quæ ad Boream Humbri fluminis inhabitant, ceterique Anglorum populi orti sunt. Duces fuisse perhibentur eorum primi, duo fratres Hengist, & Horsa. Tres in universum Nationes enumerat Beda, a quibus Britannia post discessum Romanorum possideri cœpit, nempe Saxones, Anglos, & Vitas: sed corrupte Vitas appellat, qui Juttæ vocabantur. Saxones incolebant terras Oceano proximas ad ostium Albis fluvii; ubi nunc celebriores extant urbes, Hamburgum, alias Hammonopolis, in Holsatiæ confinio; Lubeca urbs ampla Saxoniæ inferioris in Holsatia, in Wagriæ tractu, ad Travam fluvium; & Brema, olim Phabiranum ad Visurgim flumen sita, nunc caput Ducatus Bremensis. Angli, Ptolemæo Angili, profecti sunt a Ducatu Slesvicensi, olim Jutia Meridionalis dicto, qui nunc Daniæ pars est: licet ipsi potius siti essent inter Holsatiam ab antiquis Saxonibus habitatam, & Jutiam. Id ex laudatis Bedæ verbis colligitur. sed clarius explicat Etheluverdus *pag.* 833. *Porro*, inquit, *Anglia vetus sita est inter Saxones, & Giotos, habens oppidum capitale, quod Sermone Saxonico Sleswic nuncupatur; secundum vero Danos Haithaby*. Civitas hæc præcipua veteris Angliæ, cujus meminit Etheluverdus, Sleswicum nunc vocatur, olim Edeba, caput Ducatus Slesvicensis. Præter hanc, sunt & aliæ præcipuæ istius Regionis urbes, Ripa ad Nipsicum flumen, Hardeslebia, & Flensburgum. Juttæ, quos Beda corrupte nominat Vitas, venerunt a Jutria seu Jutia, olim Cimbrica Chersonesus, ad Septemtrionem posita; quæ nunc Juthlandia appellatur, regio ampla Regni Daniæ. Isti in Britanniam irrumpentes, Cantium, Bedæ *Khenth* dictum, unum ex Regnis Angliæ occupaverunt, Vectam præterea Insulam, & Sudhantoniam. Cantii, seu *Khenth* Metropolis Cantuaria est, prius Durovernum nuncupata.

XIII. Tres hi populi, Saxones videlicet, Angli, & Juttæ, quos in unam Gentem coaluisse, ex Beda, Etheluverdo, Cambdeno, & aliis conjicere fas est, Britanniam appulsi anno 449. eam progressu temporis in Septem Regna distribuerunt. Hengistus unus e Saxonum Ducibus, qui a Britannis adversus Scotos, & Pictos asciti fuerant, primus Cantium pro mercede accepit a Vortigerno Britannorum Rege, qui ejus filiam Rowedam sibi conjugem adlegerat, uti testatur Malmesburiensis *lib.* 1. *de Reg. Angl.* Hinc primum Anglo-Saxonum Regnum in Britannia Cantium fuit, regio contra Galliam Belgicam constituta, ab ea angustiore mari divisa, cujus caput est Durovernum, seu Cantuaria. Nec sine sanguine, & multorum cæde Regnum firmare potuit, ut videre est apud Ethluverdum *lib.* 1. & Wigorniensem ad annum Christi 455. variis postmodum casibus nunc Regno pulsus, nunc iterum in illud reversus: qua de re iidem Scriptores & Florilegus tractant. Ex Hengisti genere postmodum originem duxit Sanctus Edilbertus Cantii Rex, qui San-

Sancto Gregorio Magno Romanam Ecclesiam administrante Christi Baptismate tinctus, subditos suo exemplo ad Christianam Religionem adduxit. Secundum in Britannia Regnum Australium Saxonum dicitur, ab Ella ejus Gentis Principe conditum. Is etenim Australem Britanniæ regionem invadens, Brittones antiquos incolas inde ejecit, novumque sibi, ac suis Regnum comparavit, ut fidem facit Huntindoniensis *lib.* 2. *pag.* 312. Illud autem eisdem claudebatur limitibus, ac hodie Sussexiæ Provincia, & Surræ Comitatus. Sussexia autem est Provincia Angliæ Meridionalis, quæ a Septemtrione Surra, ab Oriente Cantio, ab Occidente Hantonia, & a Meridie mari Britannico terminatur. Præcipua illius civitas Cicestria est. Hujus itidem Regni pars erat Surra, seu Surria Angliæ Meridionalis Comitatus inter Mildesexiam ad Boream, a qua separatur Tamesi fluvio, Cantium ad Ortum, Sussexiam ad Meridiem, & Hantoniam ad Occasum. Cerdicus e Germania in Britanniam contendens, Regno West-Saxonum, seu Occidentalium Saxonum initium dedit, circa annum 519. Wallensibus prospero certamine devictis. Testes sunt Huntindoniensis *lib.* 2. Chronographus Saxo, Etheluverdus *lib.* 1. & Malmesburiensis *lib.* 1. *de Reg. Angl. cap.* 2. Regnum illud compactum fuit ex Hamteschiria, Sommersetia, Wiltonia, & Hantonia. Somersetiæ urbes præcipuæ sunt, Bathonia, Bristolium, & Theordunum. Hantoniæ caput est Vintonia. Haud multo post exortum est Regnum East-Saxonum, sive Orientalium Saxonum, nempe anno 526. teste West-Monasteriensi. Illud non latius patebat, ac hodie Essexia, & Mildesexia, habuitque aliquam Hertfordiensis Provinciæ partem. A situ Insulæ Regio illa Essexia, & Mildesexia, quasi Medio-Saxonia appellatur; parva sane tunc Provincia, quamvis urbs ejus præcipua esset Londinum, nunc totius Regni caput, olim Trinobantum Sedes, unde Ammiano Augusta Trinobantum dicitur, nempe ab incolis sic nuncupata, qui tamen a Tacito Trinovantes, ab aliis Triovantes vocantur. Quatuor hæc fuerunt Regna Heptarchiæ Anglo-Saxonicæ a Saxonibus condita. Quæ enim tria reliqua supersunt, ab Anglis pariter Germaniæ populis initium sumpserunt.

Et vero Regnum East-Anglorum, seu Orientalium Anglorum continebat Provincias Norfolciam, Suthfolciam, & Cantabrigiam, cum Insula Elia, ut notavit Spelmannus *in Prolegomenis ad Tom.* 1. *Concil. Britanniæ*. Norfolciæ urbs primaria Nordovicum, nunc Norvicum dicitur. Cantabriga, alias Camboricum Comitatui Cantabrigensi dat nomen, Eliensis Insula inter duo flumina, Avonam, & Usam, & inter paludes, partemque Oceani Germanici posita, ab Elia urbe nomen sortita est, quæ olim Anglorum Orientalium Sedes Regia fuit, ubi quondam Girvii populi. De ea plura habet Camdenus. Eodem tempore cœpit Regnum istud, quo & alterum Orientalium Saxonum, nimirum anno 526. Sextum quippe Heptarchiæ Anglo-Saxonicæ Regnum, quod Nordanhymbrorum vocant, aliquot post annis exortum est, anno scilicet 547. auctoribus Maldesburiensi *lib.* 1. *de Reg. Angl. cap.* 3. & Chronographo Saxonico. Porro Nordanhymbri appellabantur Angli Aquilonares, propterea quod ad Aquilonarem Humbræ fluminis plagam degerent; ipsorumque Regnum Northumbriæ, idest Aquilonaris Humbriæ dictum est. Idam primum ejus Regem fuisse narrant laudati Scriptores. Ea fuit istius Principatus magni-

gnitudo, quæ nunc est Comitatuum Eboracensis, Dunelmensis, Northumbriæ, Cumbriæ, & Westmollandiæ; reliquam itidem partem Lantcastrensis Comitatus comprehendebat, ut tradit Joannes Speedus. Regnum sane amplum fuit, Scotiæ proximum, cujus præcipuæ urbes erant Novum Castrum Northumbriæ portus & emporium, atque Eboracum. Posteriorem hanc civitatem nobilitavit Sede sua Constantius Chlorus magni Constantini parens, ubi etiam mortalitatem deposuit, teste Eutropio *lib.* 10. In hac Regione Brigantes populi crebris adversus Romanos certaminibus illustres fuerunt, sæpe commemorati Tacito *in Annalibus, & in Agricola*. Antequam Angli istud Northumbriæ Regnum conderent, in duas Provincias, seu Regna divisum erat, Berniciorum videlicet, & Deirorum, auctore Beda *lib.* 3. *Hist. Anglor. c.* 1. Quidquid ab Humbro flumine, ad Murum Picticum erat, Deiri possidebant: reliquum vero, quod inde porrigebatur usque ad Edemburgi fretum, Bernicii. Septimum, & ultimum Heptarchiæ Anglo-Saxonum Regnum in Meditullio Insulæ Britannicæ surrexit anno 626. si Malmesburiensi credimus: vel anno 585. juxta West-Monasteriensis sententiam; cui Regni Merciorum, seu Anglorum Mediterraneorum nomen obtigit. Ejus limites erant, ad Aquilonem Humber, & Merseus amnes: ad Meridiem Thamesis: ad Occasum Sabrina, & Deva: ad Ortum Oceanus Germanicum. Complectebatur proinde totum illum Insulæ tractum, quem alias incolebant populi Cornavii, Coritani, Dobuni, Atrebates Septemtrionales, & Cetieuclani Occidentales. Provinciæ, quas nunc continet, ex enumerantur a Joanne Speedo, Comitatus Cestriensis, Darbiensis, Nottingamensis, Lincolnensis, Ruthlandia, Leicestria, Staffordiensis, Salopiensis, Herofordiensis, Wigorniensis, Warvicensis, Northantonia, Huntingdonia, Bedfordia, Buchinghamia, Oxoniensis, & Glocestriensis. Hanc Anglo-Saxonum Heptarchiam tandem sustulit Regnum West-Saxonum, sive Occidentalium Saxonum, quod tertium fuit ex supra recensitis, & Monarchiam totius Britanniæ instituit: de quo hæc habet Huntindoniensis *lib.* 2. *West-Saxonum Regnum cetera omnia processu temporis subjugavit, & Monarchiam totius Britanniæ obtinuit*. Id tamen non accidit, nisi post annum octingentesimum, cum jam prius omnes Britanniæ non solum, sed etiam Scotiæ, & Hiberniæ populi Christo nomen dedissent.

XIV. Occupata igitur a Saxonibus, & Anglis Britannia, atque in Septem Regna, ut diximus, distributa, Brittones antiqui Insulæ habitatores ac Domini, multis prœliis fracti in Cambriam, quam hodie Walliam vocant, inclusi fuerunt. Est autem Wallia pars Occidentalis Britanniæ, quæ diutius separatam regionem constituens, propriis regebatur Principibus, stetitque illorum Principatus usque ad Leolinum, quo cæso, Eduardus filius primogenitus Henrici III. Angliæ Regis, Walliæ Princeps nuncupatus est, transiitque deinceps in ceteros Regum Angliæ primogenitos eadem dignitas, & nomenclatio. Vulgo nunc dicitur *Principatus Gallis*, sive *Galles*. In tres partes alias dividebatur, nempe Venedontiam, Povisiam, & Dehenbartiam. Ibi olim fuerunt populi Demetæ, Ordovices, & Silures. Nunc tota Wallia dispescitur in Borealem, & Australem: Borealis complectitur Comitatus Flintensem, Denbighensem, Arvoniam, Merviniam, Mongomeriensem, & Monam Insulam. Australis vero Ceti-

ticam, Radnoriam, Brechiniam, Glamorganiam, Maridunensem, & Penbrochiensem. Scotia, & Hibernia, quæ numquam Romanorum armis subjugari potuerunt, quæque proprios habuerunt Principes, hac nostra ætate unius Regis Angliæ imperium sustinent.

CAPUT VII.

Synopsis.

I. De prima Britannorum conversione ad Christum. Lucius Britanniæ Rex ab Eleuthero Papa Presbyteros Romanos impetrat, quorum opera ipse ejusque populi fidem Christi suscipiunt.

II. Præcedens de Lucii conversione Historia Bedæ testimonio confirmatur; licet in consignanda ejus epocha deceptus sit. Ejus error ex aliis Scriptoribus emendatur.

III. Diluvitur quædam objectio, qua nonnulli veritatem istius Historiæ in dubium revocant.

IV. Sub Diocletiani Imperio Christi fides in Britannia pæne extincta fuit. Sub Constantino reflorere cœpit. Sed Anglis Insulam illam occupantibus, denuo Idololatria ibi regnavit. S. Gregorii Magni opera Augustinus Monachus eo missus gentem rursus ad Christi fidem convertit.

V. In Cantio S. Augustinus primum Christi fidem plantavit, Ædilberto Rege baptizato. Cynigilsus, & Osualdus Doricensem Episcopatum erexerant. Wilfridus postea Australes Anglo-Saxones baptismate tinxit.

VI. Reliqua Britanniæ Regna ab Anglis occupata seculo septimo Christi fidem susceperunt.

VII. Scotia sub Victore Papa Evangelium amplexa est. Deinceps vero latius in illis regionibus Evangelii lux diffusa est a Sanctis Niniano, & Columba, erectis ibidem variis Ecclesiis.

VIII. Ante Pictorum Septemtrionalium conversionem Palladius multis Scotiæ populis Dei verbum prædicavit.

IX. Eumdem Palladium primum Hibernorum Apostolum Pagius aliique censent: sed hæc opinio rejicitur. Sancti Prosperi locus non de Hibernia, sed de Scotia intelligendus est.

X. Primus Hibernorum Apostolus fuit S. Patricius illuc a Cœlestino I. directus.

XI. Antiquior Britanniæ Metropolis videtur Londinum. Reducta in hanc Insulam Christi fide, S. Gregorius jussit duas Metropoles institui, Londinum, & Eboracum: at Augustinus non Londini, sed Cantuariæ Metropoliticam Sedem fixit, quod urbs ista esset Cantii caput.

XII. Gregorius Vicariatum Apostolicum in Anglia Augustino impertiit, cui etiam Eboracensem Archiepiscopum omnesque illius Regni Episcopos subjecit.

XIII. A Joanne XIII. Primatus Angliæ Sedi Cantuariensi tributus est. Excitata deinceps inter Cantuariensem, & Eboracensem de Primatu contentione, par utrique Primatus dignitas decreta.

XIV. De numero Episcoporum Britanniæ. Milonis Notitia de Episcopatibus Angliæ.

XV. Wallia diu proprii juris fuit; sed tandem Cantuariensi Metropolitæ subjecta.

XVI. Scotiæ Episcopi initio nulli Metropolitæ obnoxii. Frustra Cantuariensis, & Eboracensis illos sibi subjicere tentarunt. Clementis III. Decreto omnes Scotiæ Episcopi Apostolicæ Sedi immediate subjiciuntur. Notitia Episcopatuum Scotiæ a Milone concinnata.

XVII. Post Sancti Patricii obitum olim Hiberniæ Episcopi suberant Abbati S. Columbæ. Postmodum Armachano Metropolitæ, quin & Primatis Hiberniæ dignitas tributa est, eique tres alii Metropolitæ subjecti. Notitia Milonis Abbatis de Episcopatibus Hiberniæ. Altera ab Episcopo Catharensi edita.

I.  Uæ sub Romani Imperii exordio patuit Romanorum vexillis Britannia, eadem vexillo Crucis Christi, cum ei Ethnici bellum inferrent, aditum aperuit. Et quidem si vera essent, quæ nonnulli Ecclesiastici Scriptores tradunt, (1) nimirum Sancti Petri Apostolorum Principis opera Evangelii lucem in Britanniam penetrasse, nihil ejus nominis celebritati deesset, quod Apostolicis Ecclesiis proprium est. Quod nulli mirum esse debet, cum Claudius, sub cujus Imperio Petrus Romam venerat, eam Insulam subegerit, ut proinde haud difficile fuerit eo appellere. Verum ne obscuris tantæ rei indiciis, & ab hominum memoria procul positis præpropere fidem præbere videamur, iis relictis ea vestigabimus, quæ cum multorum testimoniis innitantur, facile omnium assensum sibi conciliare poterunt. Hujus generis est, quod de missis ab Eleutherio Papa in Angliam Evangelicis Prædicatoribus gravissimi viri testantur, ejusque rei hanc causam pandunt. Lucius Britannorum Rex sæpe auditis, quæ Christi nomine patrabantur, miraculis, ejusque sectatorum admiratus integritatem vitæ, ac morum innocentiam, divina luce perfusus, Legatos gentis suæ ad Eleutherium Summum Pontificem direxit, ab eo efflagitans, ut in Britanniam sacros Ministros mitteret. Optimi Regis legationem benigne suscipiens Sanctissimus Pontifex, eo properare jussit Fugatium, & Damianum, seu Donatianum, qui Britanniam appulsi Lucium ipsum, ejus uxorem, & magnam populi multitudinem Christiana Religione instructos, sacris mysteriis initiarunt. Ita Britannia Eleutherii Papæ opera per Legatos Apostolicos Fugatium, & Damianum Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, anno Christi 183. Lucii vero Regis 14. Christi fidem palam suscepit. Legationis a Lucio ad Eleutherium missæ meminit *liber de Romanis Pontificibus* in Eleuterio, ubi legimus: *Hic accepit Epistolam a Lucio Britannico Rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum.* Integram autem gestorum seriem continent vetustissima quædam monumenta edita apud Baleum *in Catalogo*, Baronium (2) *in Annalibus*, & alios, quæ Lucii Regis, suorumque conversionem ad Christi fidem in hunc modum narrant: *Lucius numquam se Christianæ Religioni infensum exhibuit, hostemve: sed quod Chistianorum miracula simul, & vitæ integritatem admiraretur, in eosdem propensior videbatur; amplexusque fuisset jam ante Christianam Religionem, nisi avita velut nexibus obligatus esset superstitione; nisi etiam conspexisset Christianos ab Ethnicis ipsis ut infames vilesque haberi; a Romanis ipsis, apud quos sum-*

(1) Metaphrastes 29. Junii, & alii. De his infra part. 2.

(2) Apud Baronium Tom. 2. ad Ann 183. num. 4

summa rerum esse videbatur, & gladio, & injuriis assiduo lacerari. Comperit tamen postea, novitque ex Legatis Cæsaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, & inter alios Pertinacem quemdam, atque Trebellium; Imperatoremque ipsum Marcum Aurelium, victoria eorum precibus obtenta, benigne habuisse Christianos. Quibus his aliisque perceptis, Lucius Legationem misit ad Eleutherum Romanum Pontificem per Elvanum, & Meduinum Britannos: rogans per eos Eleutherium, ut per se suosque ministros ad Christianam religionem suscipiendam aditum patefaceret; quod & obtinuit. Nam idem Pontifex Fugatium, & Donatianum, aliter Damianum, in Britanniam misit, qui Regem & alios Christiana Religione imbutos sacris initiarent mysteriis: quod & naviter impleverant. Sed longe ante hæc tempora Eleutherii, & Lucii, Britannos jam inde ab initio orti Evangelii Christianam suscepisse Religionem, prodit Gildas cognomento Sapiens, vetustissimus illius Gentis Scriptor *in libro de Excidio Britanniæ*.

II. Plures a Romana Ecclesia alieni, laudatam Lucii Angliæ Regis Historiam in dubium vertere student, ne dum ab illa divulsi vivunt, erroris arguantur. At Venerabilis Beda (1) & ipse natione Anglus dubium omne e fidelium mentibus expellit eamdem Historiam ita contexens: *Anno ab Incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Antonius Verus decimus quartus ab Augusto Regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit. Quorum temporibus cum Eleutherius vir Sanctus Pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum Rex epistolam obsecrans, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani Principis inviolatam integramque quieta pace servabant.* Hoc ipsum refert *in lib. de sex ætatibus*. In eo tamen fallitur Beda, quod cum Eleutherii Papæ opera Lucium Regem, Britannosque ad Christi fidem conversos dicat, eorum nihilominus conversionis tempus consignet ad annum 156. sub Marco Aurelio, & Aurelio Commodo ejus fratre. Cum primis etenim eo anno Antoninus Pius imperabat, non autem Marcus Aurelius minus autem Aurelius Commodus; qui etiam non frater, sed filius ejus fuit. Præterea Marcus Aurelius, non cum Aurelio Commodo filio, sed cum Lucio Vero, quem sibi adoptaverat, Imperium administravit, ut refert Julius Capitolinus: at Pontificatus Eleutherii tempora minime congruunt cum istorum Imperio. Quod si expleto Marci Aurelii Principatu, ad Commodi ejus filii Imperium protrahamus Lucii conversionem, tunc omnia congruere inveniemus, ita ut primo circiter, aut secundo Commodi Imperatoris anno, Eleutherii autem quarto circiter, aut quinto ea contigerit. Adonis testimonio idipsum confirmatur, qui *in Chronico* hanc eamdem Historiam sub Commodi Principatu collocat. Quod autem ad ejus veritatem spectat, ipsi luculentissimum dant testimonium, omnia Martyrologia, nec non gravissimi Scriptores, Marianus Scotus *lib. de sex ætatibus, ad annum* 177. Polidorus Virgilius *Hist. Angl. lib.* 2. *p.* 35. *&* 39. Nicolaus Sanderus *in Proœm. lib. de Origine, & progressu Schism. Anglic.* Baronius *ad ann.* 183. *& in Notis ad Martyrolog. Rom. die* 26. *Maii:* Alphonsus Ciaconius in Eleutherio, aliique plures. Quibus facem prætulisse videtur Tertullianus, (1) qui his

(1) Beda lib. 1. Hist. Anglor. cap. 4.

(1) Tertulliano adversus Judæos c. 7.

his vivebat temporibus, dum hæc scripsit: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo sunt subdita*. Et inferius de iisdem, aliisque Gentibus loquens, ait: *Quid de Romanis dicam, qui legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires Regni sui possunt? Christi autem Regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur*.

III. Fallitur sane quisquis hanc de Lucio Britannorum Rege narrationem in dubium trahit, propterea quod Romanis tunc Britanniæ imperantibus, nulli proprii essent Gentis illius Principes. Constat siquidem ex iis quæ præcedenti capite docuimus, totam Britanniam numquam a Romanis debellari potuisse; quin & magnam illius partem trans murum Pictum sitam liberam semper extitisse, ac propriis paruisse Regibus. Eam itidem, quæ Romanis suberat, sæpius rebellasse, crebrisque prœliis Romanos vexasse: quod præsertim sub Commodo accidit, cujus imperium Britanni adeo detrectabant, ut alium contra ipsum creare Cæsarem tentaverint, bellumque omnium maximum cum eis gesserit Commodus, testibus Lampridio, & Dione in ejus vita. Quid ni igitur proprium sibi Regem præficere potuerunt, qui Romanorum jugum totis viribus excutere tentabant? Sed & fieri potuit, Lucium adhuc inter Britannos regnantem ex iis fuisse Principibus, qui cum Romanis societatem & amicitiam colebant. Quamvis enim, ut tradunt Suetonius *in Claudio cap.* 17. *& Tacitus lib.* 12. Regibus extinctis, Britannia in Provinciam redacta fuerit, tamen Amicis Regibus interdum contributam fuisse aliquam ejus Insulæ partem ea nos docent, quæ supra adnotavimus. Idque aliis etiam Provinciis fuisse concessum nullus inficiabitur. Sic Judæa posteaquam in Provinciam redacta est, suos habuit Reges, ac Tetrarchas: Armenia Hadriani arbitrio Regem tenuit, auctore Spartiano: Britannia ipsa sub Claudio Provinciæ formam adepta, paulo post Nerone imperante Prasutagum Regem possedit, de quo Tacitus *Annal. lib.* 14. Unus ergo ex amicis Regibus esse poterat Lucius, quo ad fidem converso, facile fuit Gentem illam exemplo optimi Principis Christo nomen dare, maxime cum Eleutherio Petri Cathedram moderante, pax Ecclesiis data esset & quies, nomen Christianum per omnem terram mirum in modum auctum, in ipsa etiam Urbe Imperii Sede, ubi multi nobiles viri, cum conjugibus, & liberis in fidem recepti, sacri Baptismatis unda expiati fuerant, inter quos Apollonius orator insignis, qui Martyrium Romæ passus fuit, habita prius oratione publica de Laudibus Christianæ fidei: quod illis temporibus capitale habebatur; ut in Eleutherio Alphonsus Ciaconius commemorat.

IV. Usque ad Diocletiani tempora floruit in Britanniis Christi Ecclesia, sed cum sævissimus ille Princeps ubique terrarum Christianum nomen perdere moliretur, ac durissimis cruciatibus afficeret, & omni tormentorum genere vexaret eos, qui illud profitebantur, pæne extinctus fuit in illis regionibus veri Dei cultus, & Christiana Religio quasi ad nihilum redacta, uti Gildas, & Venerabilis Beda memoriæ commendarunt. At Imperii sceptro ad Constantinum Magnum translato, reflorere cœpit in illis Regionibus Christi Ecclesia. Nam Arelatensi Concilio I. quod indictum fuit anno 314. qui est Sylvestri Papæ primus & Constantini Imperatoris nonus, ex Britanniæ Episcopis interfuit Londinensis, ut ex subscriptio-

ptionibus patet. Altas deinceps ibi radices egit, ac plurimum crevit; quoad occupata ab Anglis, & Saxonibus Britannia, iterum Idolorum cultus invectus est, protritaque Christiana Religio.

Gemuit sub Gentilitatis jugo Angliæ Regnum usque ad Gregorii Magni ætatem; cujus opera, & sollicitudine Christi fides in illis regionibus denuo lucis suæ radios expandit. Quod ita contigisse narrat Venerabilis Beda: (1) Cum quadam die S. Gregorius nondum Pontifex factus in forum Romanum veniens, tres pueros venales candidi corporis, ac pulcherrimi vultus conspexisset, & Anglos esse accepisset: *Bene*, (2) inquit, *nam Angelicam habent faciem*, convertendæ ad Christum illius Gentis votum statim concepit, idque Romano Pontifici manifestavit, ab eo postulans, ut in Angliam aliqui Dei ministri mitterentur, quin & se ipsum ad hoc munus obeundum exhibuit: quod utique præstitisset, nisi cives Romani, quibus Gregorii præsentia charior erat, sanctum virum procul abire prohibuissent. Ex veterum traditione hoc se accepisse Beda testatur. Perperam hanc traditionem exsuflare nititur Parkerus *in Antiq. Britann. p.* 34. *Pontificii*, inquit, *qui primam in Anglia Evangelii sationem sibi acceptam ferri cupiunt; tradunt de Augustini huc a Gregorio mittendi occasione suis Annalibus non indignam fabulam*. Sed Parkero in odium Romanæ Ecclesiæ sic deliranti silentium indicunt alii Protestantes ipso moderatiores, qui aperte affirmant, cum ante, tum post Gregorii Magni tempora invaluisse apud Anglos impiam illam consuetudinem vendendi pueros suos: qua de re multa scripsit Seldenus *in Analect. lib.* 2. Nec unus Beda ejus meminit, sed & Joannes Diaconus *in Vita Sancti Gregorii lib.* 1. *c.* 21. & Malmesburiensis *lib.* 1. *de Reg. Angl. c.* 3. ubi ait: *Allæ Regis tempore venales erant e Northumbria pueri; familiari scilicet, & pæne ingenita nationi illi consuetudine; adeo ut, sicut nostra etiam secula viderunt, non dubitarent, arctissimas necessitudines sub prætextu minimorum commodorum distrahere*. Alla autem Rex cum annos 31. regnasset, anno Christi circiter 589. obiit, cujus filius & Successor Æthelbertus ab Augustino Anglorum Apostolo baptizatus est. Ex sane inhumana consuetudo adeo in Anglia obtinuerat etiam post receptam Christi fidem, ut vix severissimis Principum legibus antiquari potuerit. Harum legum mentionem facit S. Gregorius Magnus *in epistola ad Candidum*, (3) quam refert Baronius: Inas Occidentalium Saxonum Rex ita cavit hunc barbarum morem lata lege: *si quis popularem suum, sive liberum, vel criminis conscium mercatus fuerit, & trans mare amandarit; integra capitis ejus æstimatione mulctato, Deoque faciat cumulate satis*. Et iterum: *si quis feminam mercatus fuit, & quod conventum est, non confecerit; ipsam dato pecuniam, tantundem persoluito, & graves nihilominus (atque fide jussionem violasse) pænas pendito*. Civilibus hisce legibus etiam Ecclesia suas addidit, ut ejusmodi mercimonia naturæ, & Evangelio contraria penitus extirparet, ut in Concil. Enhamensi ann. 1008. indicto; in Concilio Londinensi sub S. Anselmo Cantuariensi 1102. atque in aliis Conciliis relatis a Spelmanno, & Alfordo in Annal. Anglican. anno 588.

V. Nihil ergo commentitium Beda, aliique Scriptores Annalibus Ec-

(1) Beda lib. 2. Hist. Anglor. cap. 1.
(2) Beda lib. 2. Hist. Anglor. c. 1.

(3) S. Gregorius epist. ad Candidum apud Baronium ad ann. 595. num. 72.

Ecclesiasticis adtexuerunt, cum memoriæ prodiderunt, Gregorium Magnum conspectis Anglorum pueris venalibus in foro Romano, de convertendis ad Christi fidem Britannis consilium agitasse: quod tunc opere complevit, quando Augustinum Monasterii sui Præfectum, virum sanctissimum, cum aliis quibusdam adjunctis sociis in Angliam misit; eumque amplissima donavit facultate, ut quos Romæ, aut in Galliis viros sacri ministerii aptos reperiret, comites sibi adjungeret. Et vero præter paucos, quos Roma abduxerat, plerosque profectionis comites fuisse Francos, tradit Beda *lib.* 1. *Hist. Angl. c.* 25. ita ut Augustinus in Cantium e Galliis transfretaverit, quadraginta ferme sociis stipatus. In Regnum Cantianum Christiana Religio ab Augustino propagari primum cœpit, favente plurimum Æthelberto Rege, bellica fortuna, & morum integritate illustri. Jam pridem enim ab Adilberga, seu Bertha Chariberti Francorum Regis filia, quam conjugem duxerat, multa audierat de Christiana Religione: nec Bertha in ejus nuptias prius consensit, quam liberum sibi esset Christi fidem palam profiteri: *Antea fama*, inquit Beda, (1) *ad eum Christianæ Religionis pervenerat, ut pote qui & uxorem habebat Christianam de gente Francorum Regia, nomine Bertham, quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum Fidei, ac Religionis suæ cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inviolatam servare licentiam haberet*. Optimæ Conjugis exemplo edoctus Æthelbertus Augustinum, sociosque benigne excepit, concessitque ut in suæ ditionis terris Evangelium prædicarent: tum paulo post Rex ipse, & ingens populi multitudo Christianæ Fidei præcepta prius edocti, sacra Baptismatis unda ab eodem Augustino expiati fuerunt. (2) *In solemnitate Dominicæ Nativitatis, plusquam decem millia Anglos baptizatos esse*, scribit S. Gregorius Eulogio Alexandrino. Itaque post Gregorianam missionem, Ædilbertus, seu Æthelbertus, primus ex Cantii Regibus fuit, qui ab Idolis ad Christi castra transierit. Potentissimus erat omnium totius Britanniæ Regum; nam usque ad confinium Humbri fluminis maximi, quo Meridiani Angli a Septemtrionalibus secernuntur, fines Regni sui protenderat, teste Beda *lib.* 3. *c.* 25. Æthelbertum paulo post imitatus Sebertus, seu Saberthus Rex, primus ex Orientalibus Saxonibus, qui imperabant illi Britanniæ parti, quæ ex situ Insulæ *Essexia*, & *Media* appellatur, Regnum illud illustravit. Petiit namque ab Æthelberto, cujus erat ex Sorore nepos, mitti illuc Evangelii Præcones, qui eos populos fidei rudimenta docerent, & anno 604. ut habet Chronographus Saxo, sacris mysteriis initiatus est. Mellitus Abbas unus ex Augustini sociis, quem ipse Londini Episcopum consecraverat, novus Orientalium Saxonum Apostolus fuit, de cujus prædicatione agit Beda *lib.* 1. *c.* 33. Occidentales Saxones, qui & Gevissæ, una cum Cynigilso ipsorum Rege, anno 635. Christo nomen dedere. Illorum conversionem Beda commemorat: (3) *Eo tempore gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur, regnante Cynigilso, fidem Christi suscepit, prædicante illis Verbum Birino Episcopo, qui cum consilio Papæ Honorii venerat Britanniam.* Annum hujusmodi conversionis non expressit Beda, sed indefinite eam refert ad tempus Sancti Osualdi Northu-

(1) Beda lib. 1. c. 25.
(2) S. Gregorius lib. 7. epist. 30.

(3) Beda lib. 3. c. 7.

thumbriæ Regis: at Florilegus, & Wigorniensis eam ad ann. *635*. consignant. Cynigilsum Regem a Birino Episcopo baptizatum, e sacro fonte exeuntem suscepit Osualdus Rex, qui ejus filiam in conjugem accepit. Quia vero Birinus ab Apostolica Sede Episcopus in Britanniam directus nulli Sedi adscriptus erat, sicuti post Bedam, Malmesburiensem, Huntindonium, Wigorniensem, Westmonsteriensem, etiam recentes Scriptores Angli cum Usserio adnotarunt; *ambo Reges laudati donaverunt eidem Episcopo Civitatem, quæ vocatur Dorcic, ad faciendam inibi Sedem Episcopalem*, inquit Beda; qui addit, & ibidem Birinum obiisse. Urbs illa Bedæ *Dorcic* dicta, hodie *Dorcestria* appellatur, estque in Dunbis, & Oxoniensi Comitatu. Postremus ex Anglo-Saxonum Regibus Ediluvalchius, Meridianorum, seu Australium Saxonum Rex Christum professus est anno *661*. ut observat Franciscus Pagius *ad annum 681. num.* 18. & diserte affirmant Westmonasteriensis, Wigorniensis, ac Huntindoniensis *l.* 2. *pag.* 317. Vigesimo anno post susceptum ab Edilwalchio Christianæ Fidei Sacramentum, cum S. Wilfridus Eboracensi Sede, & toto Northumbriæ Regno pulsus, ad Provinciam hanc Australium Saxonum divertisset, brevi temporis spatio ejus incolas Christiana Religione informavit. De illius in eam Regionem adventu, & prædicatione, deque suscepto prius ab Edilwalchio Rege baptismate, hæc tradit Venerabilis Beda: (1) *Divertens ad Provinciam Australium Saxonum, quæ post Cantuarios ad Austrum, & ad Occidentem, usque ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum septem millium, & eo adhuc tempore paganis cultibus serviebat; huic Verbum fidei, & Lavacrum salutis ministrabat. Erat autem Rex gentis illius Edilualch, non multo ante baptizatus in Provincia Merciorum, præsente ac suggerente Rege Vulfhere, a quo etiam egressus de fonte loco filii susceptus est: in cujus signum adoptionis duas illi Provincias donavit, Vectam videlicet Insulam, & Meanuarorum Provinciam, in gente Occidentalium Saxonum. Itaque Episcopus concedente, immo multum gaudente Rege, primos Provinciæ Duces, ac milites sacrosancto fonte abluebat*. Bedæ suffragatur Eddius *cap.* 39. qui & addit, Sanctum Wilfridum, Regis consensu, Gentibus, quibus adhuc Evangelium prædicatum non fuerat, enunciasse, & Paganorum utriusque sexus, quosdam sponte, alios imperio Principis adstrictos, Idololatriam deseruisse; Villam insuper, quam Eddius *Selæsiam*, Beda vero *Seolesеu* vocat, a Rege Wilfrido concessam, ubi Sedem Episcopalem fixit, & fratribus suis cœnobium ad requiem fundavit.

VI. Reliqua Britanniæ Regna ab Anglis occupata, eodem seculo septimo ab Idolorum cultu, ad Christi fidem transierunt. Angli Orientales, Sigberto post Carpualdi fratris obitum Regnum administrante, Christianam Religionem amplexi sunt. *Sigbertus* (1) enim *vivente adhuc fratre, cum exularet in Gallia, fidei Sacramentis imbutus est, quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam suam Provinciam facere curavit*. Quod contigisse anno 627. existimat Baronius: at Beda ad annum 629. transtulisse videtur, dum refert, Eduinum Nordanhymbrorum Regem Carpualdo veritatem Christianæ Religionis persuasisse, sed *non multo postquam fidem accepit tempore, Carpualdum* interfectum; *& exinde tribus annis* Provinciam in errore versatam es-

(1) Beda lib. 4. c. 13.

(1) Idem lib. 2. c. 15.

esse, quo ad usque Sigbertus frater accepit Regnum. Is autem peremti fratris Regnum adiit anno 629. Igitur non nisi hoc anno conversioni gentis suæ initium dedit, cujus studiis favit Felix Episcopus missus ab Honorio Archiepiscopo Cantuariensi in eam Provinciam, quam totam perduxit ad fidem, *accepitque Sedem Episcopatus in civitate Dumnoc*, hodie Dumuicus dicta. Regno Merciorum, qui sunt Angli Mediterranei, Christianæ fidei Sol illuxit anno 653. de quibus Beda in Epitome ad eumdem annum scribit: *Middel-Angli* (idest Mediterranei Angli) *sub Principe Penda fidei mysteriis sunt imbuti*. Gentis hujus conversionem fusius narrat idem Beda *lib.* 3. *capit.* 21. cujus Historiæ summa hæc est: Penda major natu filius, quem alii Wedam appellant, Regno a Patre præpositus, filiam Osuvi Regis Northumbriæ, Alefledam nomine, uxorem ea conditione obtinuit, ut fidem Christi, & baptisma cum gente sua susciperet. Annuit optimæ Princeps indolis, & audita prædicatione veritatis, hortante præsertim Alefrido Principe, filio Osuvi ejus amicissimo, qui sororem ipsius Kineburgam uxorem duxerat, lubenti ac sincero animo se Christo nomen daturum professus est, etiam si Virginem non acciperet. Mox a Finano, cum omnibus quos secum adduxerat baptizatus, assumptis quatuor Presbyteris, qui populos Christianæ Fidei præceptis instituerent, ac Sacramentis initiarent, maximam Regni partem Christo addixit. *Nec prohibuit Rex Penda ejus pater, quin etiam permisit ut in sua, hoc est, Merciorum Natione, verbum, si qui vellent, prædicaretur. Quin potius odio habebat, & despiciebat eos, quos fidei Christi imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos, & miseros esse eos, qui Deo suo, in quem crederent, obedire contemnerent*. Et infra *cap.* 24. Pendam Seniorem Osuvi Northumbriæ Regis ditiones quotidie infestantem, post biennium ab eodem Osuvi divina magis ope, quam humanis viribus fugatum, deletumque illius exercitum, interiisse. Tum Osuvi Merciorum Regnum jure belli adeptus, gentem illam ad Christi Fidem perduxit. Ex quatuor vero Presbyteris, qui Pendam juniorem secuti fuerant, primus Merciis, Lindisfaris, & Mediterraneis Anglis præfectus est Episcopus Diuma: secundus Cellach, uterque Scotus. Ex his colligitur, Northumbriæ Regnum diu ante Merciorum Regnum Christianæ Religioni fasces submisisse. Si quidem Eduinus Rex Christi nomen, & fidem eo intulerat anno 627. ut refert Beda *lib.* 2. *c.* 14. affirmans, Eduinum Regem Nordanymbrorum, scilicet Anglorum Aquilonarem Humbræ fluminis plagam incolentium, baptismate initiatum *anno Regni sui undecimo, qui est annus Dominicæ Incarnationis* 627. *Eboraci die Sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilium; & in eadem civitate Doctori, atque Antistiti suo Paulino Sedem Episcopatus donasse*. Sex annorum spatio in Northumbriæ Regno infinitam hominum multitudinem a Paulino Antistite sacro fonte ablutam, tradit idem Beda *cap.* 14. & 20. Veteres Britanni in Cambriam, seu Walliam retrusi, licet reliquis aliis cum Saxonibus, tum Anglis ejusdem Insulæ populis antiquiores essent in colenda Religione Christiana, quam semper conservaverant, in Ritu tamen de Paschate, & quibusdam aliis ab universali Ecclesia dissidebant. Eos quidem Sanctus Augustinus Anglorum Apostolus haud semel hortatus fuerat, ut Romanæ Ecclesiæ Ritibus se se conformarent: verum odio in Anglos, & Saxones con-

concepto, quod cum ipsi essent legitimi, & antiqui Insulæ Domini, illorum injuria pulsi, Regnoque & Provinciis exuti fuissent, miseriis insuper, & calamitatibus oppressi, ita ab illis abhorrebant, ut non solum cum Augustino communionem habere, & docere Anglos recusarent, sed etiam fidem, & Sacramenta eis invidérent; quod Beda *lib.* 1. *c.* 22. ac ceteri Scriptores Angli in illis reprehendunt.

VII. Pars altera Britanniæ inferior, quæ Scotia nominatur, plerisque consentientibus, jam a tempore Victoris Papæ & Martyris Evangelium ex parte acceperat. (1) Tertullianus etenim supra laudatus de Britannia loquens, affirmat, fuisse ibidem loca Romanis impervia, quæ tamen Evangelio patuerant, & quæ Romanorum armis subjici nequiverant, Christianæ fidei collum submisisse. Porro Tertulliani tempore in Britanniis sola Scotorum Natio Romanis non cessit. Eam igitur Christo cessisse Tertullianus insinuat. Num tota illa Britanniæ pars Tertulliani ævo Evangelii luce fuerit illustrata, compertum non habeo. Sub finem quarti seculi Pictos Australes ad Christi fidem jam conversos insinuare videtur D. Hieronymus in epistola ad Heliodorum: (2) *Ab India*, inquit, *usque ad Britanniam*, *a Septemtrionis plaga*, *usque ad fervores Athlantici Oceani*; *jam innumerabiles populi*, *& tantarum gentium multitudines*, *quam variæ linguis*, *habitu*, *tam vestibus*, *& armis*, *piscium ritu*, *ac locustarum*; *& velut muscæ*, *& culices conterebantur* (*absque notitia enim sui Creatoris*, *omnis homo pecus est*) *nunc vero Passionem Christi*, *& Resurrectionem ejus*, *cunctarum gentium*, *& voces*, *& literæ sonant*. *Bessiorum feritas*, *& pellitorum turba populorum*, *qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant*, *stridorem suum in dulces Crucis fregerunt melos*, *& totius mundi una vox*, *Christus est*. Sed clarius Beda Australes Pictos a Sancto Niniano Christianam fidem edoctos narrat: (3) *Namque ipsi Australes Picti*, *qui intra eosdem montes habent Sedes*, *multo ante tempore* (scilicet ante annum 560. de quo prius locutus fuerat agens de Septemtrionalibus Pictis) *ut perhibent*, *relicto errore Idololatriæ*, *fidem veritatis acceperant*, *prædicante eis verbum Niniano Episcopo Reverendissimo & Sanctissimo viro de natione Britonum*, *qui erat Romæ regulariter fidem*, *& veritatem edoctus*, a Damaso nimirum tunc Summo Pontifice, quo Romanam Ecclesiam administrante, Ninianus Romam profectus est, ut legitur apud Capgravium in hujus Sancti vita; qui addit, Siricium Damasi Successorem, cum accepisset quosdam in Occiduis Britanniæ partibus, nec dum Christianam Religionem edoctos, Ninianum Episcopum consecrasse, atque Australibus Pictis Evangelii Præconem destinasse, quos tunc Britannis subjectos observat Usserius *in lib. de Primordiis Eccles. Britann.* ubi etiam ex epistola Alcuini Diaconi *fratribus Deo deservientibus in loco*, *qui dicitur Candida casa* scripta, quem ipse e tenebris eruit, recte animadvertit, hoc in loco Ninianum Sedem Episcopalem habuisse. Erat autem Candida Casa in extremis Angliæ finibus juxta Scotiam posita, ut docet Malmesburiensis *lib.* 3. *de Pontif.* de qua etiam mentionem facit Beda, eamque in Provincia Berniciorum collocat: *Qui locus*, inquit, *ad Provinciam Berniciorum pertinens*, *vulgo vocatur ad Candidam Casam*, *eo quod ibi* Ec-

Pars Prima. Vvv

(1) Spondanus ad ann. 429. num. 5.
(2) S. Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum.
(3) Beda lib. 3. cap. 4.

Ecclesiam de lapide insolito Brittonibus more fecerit. Pictorum Septemtrionalium Apostolus fuit S. Columba Abbas: tempus adventus, & prædicationis ipsius descripsit idem Venerabilis Beda: *Anno Incarnationis Dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto (quo tempore gubernaculum Romani Imperii post Justinianum Justinus minor accepit) venit de Hibernia Presbyter & Abbas habitu & vita Monachi insignis, nomine Columbanus in Britanniam, prædicaturus verbum Dei Provinciis Septemtrionalium Pictorum, hoc est eis, qui arduis, atque horrentibus montium jugis ab Australibus eorum sunt regionibus sequestrati . . . Venit autem in Britanniam Columbanus, regnante Pictis Bridio filio Meilochon, Rege Potentissimo, nono anno Regni ejus gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Christi convertit*. Vulgares Bedæ Codices Columbanum vocant, quem tamen Codices MSS. ejusdem Bedæ, uti & Martyrologium Romanum, & passim Auctores omnes Anglici eum Columbam appellant, ut eum secernant a S. Columbano, qui pariter ex Hibernia in Britanniam, indeque in Galliam, & Italiam profectus est. A Bridio Pictorum Septemtrionalium Rege Sanctus Columba Hyensem Insulam sibi suisque Sedem accepit, auctore Beda loco citato, *& lib. 5. cap. 4.* quæ Insula hodie Jona seu Jhona, & Rona dicitur. Quamvis autem Beda Pictorum gentem ad Britanniam pertinere asserat, arbitror tamen eos in Scotia degisse: nam ante annum Christi 364. Saxones, Pictosque Septemtrionalem hanc Britanniæ partem inhabitasse, certo colligi videtur ex his, quæ Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 4.* ad Consulatum Joviani, & Varroniani eo anno gestum, habet: *Picti*, inquit, *Saxonesque, & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vexavere continuis*. Erant porro Attacotti populi Scotiæ Septemtrionalis, ubi nunc Comitatus Buquamensis, ut notat Nicolaus Samson. Hoc itidem tempore Provinciæ illæ Septemtrionales ad Orientem sitæ, uti Angus, Marnes, Mouray, aliæque, & populi montes incolentes versus Occidentem, e regione Insularum Hebridum dictarum inferioris regionis, Occidentales Saxones vocari solent, & ad Scotiam spectant, ut docet Cambdenus *pag. 90. & 95.* Quare de Pictis, & Saxonibus Scotiam incolentibus loquitur Ammianus, quos constat Romanorum temporibus in parte Septemtrionali Magnæ Britanniæ commorari. Idipsum insinuaverat etiam Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti anno 456. recitato: (1)

. . . . Victricia Cæsar
Signa Caledonios transvexit ad usque Britannos.
Fuderit & quamquam Scotum, & cum Saxone Pictum,
Hostes quæsivit, quem jam natura vetabat
Quærere plus homines . . . . . .

Ad Julium Cæsarem alludit Sidonius, & ad Caledonios fines, Occiduos ac remotiores Magnæ Britanniæ incolentes, quos Saxones, & Pictos vocat, quia jam a Romanorum temporibus in regione Septemtrionali istius Insulæ degebant. Non enim, ut contendit Sirmondus in notis ad præfatum Panegyricum, intelligi possunt Anglo-Saxones, qui paucis annis, antequam Sidonius Panegyricum illum haberet, Britanniam appulerant, cum Saxones Anglorum Socii partem Britanniæ Meridionalem duntaxat occupassent, non vero Septemtrionalem, quæ jam antea ab aliis Saxonibus, una cum Pictis & Scotis occupata fuerat: propterea idem Si-

(1) Sidonius Apollinaris in Panegyr. Aviti ver. 89.

Sidonius Caledonios, Scotos, Saxonesque simul conjungit, quod gentes illæ secum fœderatæ integrum Caledoniorum Regnum in Scotia positum, constituerent.

VIII. Reliquis Scotorum populis ante Pictorum Septemtrionalium conversionem Dei verbum a Palladio R. E. Diacono enuntiatum fuisse, anno 431. docet Sanctus Prosper in Epitome ad eumdem annum: (1) *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Cælestino Palladius, & primus Episcopus mittitur:* quod etiam habet Beda *lib.* 1. *c.* 13. id contigisse affirmans anno Imperii Theodosii Junioris octavo: quem Baronius ad ann. 429. perperam putat Prospero in nota temporis contradicere. Nam Beda annos Theodosii inchoat ab anno 423. quo post Honorii Imperatoris obitum in Occidente regnare cœpit. Vix leve discrimen est Bedæ a Prospero, quod hic annum commemorat, quo Palladius in Britanniam venit, nempe ann. 431. ille vero more suo annum enumerat, quo Palladius Roma in Britanniam directus fuit a Cœlestino Papa; quod accidit anno præcedenti. Palladius itaque ex R. E. Diacono, Scotorum Episcopus a Cœlestino I. consecratus gentem illam ab Idolorum vanitate, ad unius veri Dei cognitionem, & Christi fidem convertit; tametsi plures ibi jam essent fideles, cum Beda laudatus dicat: *Palladius ad Scotos in Christum credentes a Pontifice Romanæ Ecclesiæ Cælestino primus mittitur Episcopus*. Nihilominus tamen Scotos a Palladio Christianam Religionem edoctos fuisse, ipsumque propterea ex munere Apostolico consecutum quoque fuisse nomen, ut Apostolus Scotorum fuerit nuncupatus, una omnium cum Prospero Sententia est.

IX. Hiberniæ populi, quos interdum a veteribus Scotorum nomine appellatos constat, perinde ac hodierni Scoti, Palladium in suam Insulam missum contendunt: unde utriusque Gentis Scriptores de hac Palladii Apostolica missione inter se digladiantur, eumque singuli Apostolum suum faciunt. De hac re multa disserunt Usserius *in lib. de Britann. Eccles. Primordiis, cap.* 16. Alfordus *in Annal. Britannicis, ad annum* 431. aliique Scriptores Angli, Hibernique. Franciscus Pagius ad eumdem annum, num. 51. pro Hibernis pugnat, ad quos Palladium missum existimat, atque hos Scotorum nomine a Prospero, & Beda designatos censet; persuasus auctoritate ipsius Prosperi *lib. cont. Collatorem* hæc scribentis de Cœlestino Romano Pontifice: (1) *Nec segniore cura ab hoc eodem morbo* (Pelagiana scilicet hæresi) *Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam*. Porro Barbarorum nomine Romani designabant gentes omnes a sua ditione, & cultu alienas, ideoque hæc Prosperi verba, *fecit etiam Barbaram Christianam*, aliqui de Scotia, aliqui de Hibernia interpretantur. Ipse autem Pagius pro Hibernis stat, & duas in hoc Prosperi loco Insulas deprehendit, *Barbaram*, nempe & *Romanam*, cumque Scotia hodierna unicam tunc cum Britannia Insulam componeret, Prosperi verba de recenti Scotia intelligi non posse arbitratur, quia tunc majori ex parte ea Romana erat, non vero libera, & Barbara. Ad hæc: Prosper affirmat, Palladium pro Scotis Episcopum ordinatum esse; tunc

(1) S. Prosper in Chronico ad ann. 431.

(1) S. Prosper lib. cont. Collatorem.

vero præter Hibernos nulli alii Scoti erant, ut infinitis Antiquorum locis probari potest. At ego numquam concesserim Palladii ætate, aliquam Scotiæ recentis, ut Pagius vocat, partem Romani juris fuisse, nec umquam. Id aperte demonstrant, quæ præcedente cap. diximus de Muro Pictico a Romanis constructo, Britanniam superiorem, ab inferiori, seu Scotia dirimente; quem sæpe Scoti, & Picti transgressi sunt, crebris bellis Romanam Britanniam devastantes. Unde etiam posteaquam sub Honorio Romani milites e Britannia discesserant, Scotorum incursionibus vexati Brittones, Romanorum auxilia poposcerunt. Scoti autem, Pictique sub Honorio, ac deinceps Britanniam infestantes, hodiernæ Scotiæ erant populi; quamquam fieri potuerit, Hibernos quoque ipsis fœdere junctos, ejusdem belli consortes extitisse.

Quod utique indicat Claudianus in 2. Stilichonis Panegyrico; (1)

Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cujus vestigia verrit
Cærulus, Oceanique æstum mentitur amictus.
Me quoque vicinis pereuntem gentibus inquit,
Munivit Stilico, totam cum Scotus Hibernam
Movit, & infesto spumavit remige Thetys.

Junctos quidem cum Scotis, & Pictis Hibernos asserit, diversos tamen populos fuisse designat, quos propriis nominibus vocat, omnesque Romani, & Britannici nominis hostes.

Sidonius itidem Caledonios, Scotos, & Pictos commemorans, adversus quos Julius Cæsar pugnaverat, non de Hibernis, quos Cæsar numquam noverat, sed de Scotis proprie dictis intelligendus est, cum ille in Britannia, numquam in Hibernia bellum gesserit. Certe Venerabilis Beda *lib.* I. *c.* 13. *&* 14. Historiam texens eorum, quæ in Britanniis contigerant sub Theodosii Junioris Imperio, quo tempore Palladius in Scotiam adnavigaverat, inter Britannici nominis hostes recenset Hibernos, nativo eos nomine, non alieno Scotorum appellans. Quin & Pictos Scotiæ populos, extremæ Britanniæ gentes vocat: (1) *Revertuntur ergo impudentes grassatores Hiberni domum, post non longum temporis reversuri. Picti in extrema parte insulæ tunc primum, & deinceps quieverunt, prædas tamen nonnumquam exinde, & contritiones de Britannorum gente agere non cessarunt.* Palladius itaque a Cœlestino Episcopus datus est, non Hiberniæ, sed Scotiæ populis, quam Barbaram Insulam vocat, quia nec umquam Romani juris fuerat, nec ea tempestate Christianæ Religionis præceptis exculta erat, sed Barbarorum more ethnicis superstitionibus addicta.

X. Primus vero Hibernorum Apostolus omnium consensu fuit Sanctus Patricius, ab eodem Cœlestino I. in eam Insulam missus, ubi aliquot annis in captivitate positus plures ex illis Barbaris Christianæ fidei rudimentis imbuerat: sed postmodum thesauro divinitus reperto, libertatem emens, ex captivo, Gentis illius Apostolus, ac primus Episcopus effectus est; ut Probus in ejus Vita refert. Totam Insulam illam ex Idololatriæ tenebris, ad veram Evangelicæ veritatis lucem evocavit, ejusque opera, laboribus, ac prædicatione non pauci aliqui, atque ex vulgo homines, sed Reges, & Principes, populique gregatim salutaribus Baptismi aquis abluti, jugo fidei submi-

(1) Claudianus in 2. Panegyr. de laud. Stilichonis.

(1) Beda lib. I. c. 14.

misere cervices. Plurimas sparsim erexit Ecclesias, virorum, ac sacrarum Virginum Monasteria fundavit, Sanctam Brigidam velavit: ab ipso consecrati Episcopi, indicta aliquot Concilia, quæ Spelmannus collegit. Ac tandem Hiberni Sancto Patricio debent, quod Patria sua facta sit *Sanctorum Insula*, & litterarum, scientiarumque fuerit aliquando gymnasium. Nam cum ille Romanis excultus esset disciplinis, sine quibus sacra nequeunt Christiana tractari, eas immenso labore docuit selectos juvenes, quos deinde instituendis populis præficiebat. Cum enim non tanta ei ex Britannia, & Romano Orbe adesset Sociorum copia, ut omnium Ecclesiarum necessitati consultum esset, privatim ipse erudiebat indigenas, quos erectis ab se Ecclesiis idoneos noverat: quibus sua manu scribebat, tradebatque prima litterarum rudimenta, ex quibus novos ipsi discipulos informarent. Nullus enim in Hibernia ante Patricii adventum Latinam Linguam, & excultas disciplinas callebat: quod mihi argumento est, numquam Romanis paruisse Insulam illam. Latina siquidem Lingua, quæ subjectis Romano Imperio in Occidente, & Africæ Provinciis, vetere patria antiquata, facta fuerat naturalis, licet non absque depravatione multiplici, Hibernis tamen peregrina prorsus erat, atque iis tantum nota, qui vel sacra administrarent, vel domi, aut peregre illam operosius didicissent, cum ex adverso in Britannia, Galliis, ac ceteris Occidentis regionibus etiam feminæ Latine loqui, ac scribere nossent. Sexaginta prope annis Patricius Hiberniæ populis præfuit, & prædicatione, vita, exemplisque eos illustravit, cum anno circiter 431. illuc a Cœlestino missus fuerit, ibique anno 491. ultimum diem laboribus, ac meritis plenus clauserit, ad sempiterna præmia in Cœlos evocatus. Plura de illo videri possunt in libro, quem ipsemet *de sua Vita, & conversatione composuit*: & in Actis Sancti Patricii ab Josselino Monacho Ordinis Cisterciensis conscriptis seculo duodecimo: quod utrumque Opus in Acta Sanctorum retulit Bollandus ad diem 17. Mensis Martii.

XI. Origine Ecclesiarum Britanniæ, Scotiæ, & Hiberniæ hactenus exposita, nunc de illarum Metropolibus disserendum est. Antiquior omnium videtur Londinensis, cujus Antistes Concilio Arelatensi I. interfuit, eique subscripsit. Nonnulli etiam de Eboracensi idipsum censent, saltem paulo post Nicæni Concilii tempora; quod eæ urbes etiam ante Constantini Magni Imperium præcipuæ essent inter reliquas Britanniæ civitates. Hinc Sanctus Gregorius Magnus misso in eam Insulam D. Augustino Abbate, cum extinctas Metropoles excitare vellet, jussit illi ut Metropoleos Sedem ipse sibi Londini erigeret; alterum vero quem idoneum nosset, Eboraci Archiepiscopum consecraret, altera Metropoli ea in urbe collocata. Extat de hac re Gregorii epistola ad Augustinum data, *lib. 7. ordine* 15. quam refert Venerabilis Beda: [1] *Quia nova Anglorum Ecclesia ad Omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante perducta est, usum tibi Pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ subjaceant ditioni, quatenus Londoniensis civitatis Episcopus semper in posterum a Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac Sancta, & Apostolica (cui Deo auctore deservio) Sede percipiat. Ad* Ebo-

(1) S. Gregorius apud Bedam lib. 1. c. 29.

Eboracum vero civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare; ita dumtaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque (si vita comes fuerit) Pallium tribuere, Domino favente, disponimus: quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum vero tuum ita Episcopis quos ordinaverit præsit, ut Lundoniensis Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter Lundoniensis, & Eboracensis civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Duas igitur Gregorius Metropoles in Britanniis esse decreverat, Londinensem, & Eboracensem; quarum primam jusserat Augustino, ut Sedem suam sibi deligeret. Verum Augustinus non eam Londini, sed Cantuariæ figendam censuit, quia scilicet urbs ista totius Cantii caput esset, ac Regia, ibique extructum invenisset Templum ab antiquis Britanniæ fidelibus S. Salvatori Domino Nostro dicatum, ut habet Beda *lib.* 1. *cap.* 33. nec dubium quin assensu Divi Gregorii Papæ id egerit. Quia vero Sanctissimus Pontifex Londinensem urbem Metropolim destinaverat, quibusdam occasionem dedit perperam existimandi, Augustinum primum fuisse Londini Archiepiscopum, inde postmodum Sedem suam Cantuariam transtulisse: quod Sigebertus in Chronico tradit: (1) *Per Augustinum Archiepiscopum translata est dignitas Archiepiscopatus, quæ prius Londini erat, ad Cantuariensem Ecclesiam.* Idipsum credidit Johannes Marbanus *in Propileo ad Monasticum Anglicanum.* At his repugnat Beda, qui Augustinum Sedem suam Cantuariæ collocasse affirmat, numquam vero Londini eum sedisse, sed Mellitum huic civitati præfecisse: (1) *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 604. *Augustinus Britanniarii Archiepiscopus ordinavit duos Episcopos, Mellitum videlicet, & Justum: Mellitum quidem ad prædicandum Provinciæ Orientalium Saxonum, quorum Metropolis Lundoniæ Civitas est; Justum vero in ipsa Cantia Augustinus ordinavit Episcopum in Civitate Doroverni.* Nulla itidem apud Anglos memoria extat, quod Augustinus aliquando Londini sederit Episcopus: contra vero Cantuariæ eum sedisse variis monumentis proditum est, præsertim donatione Monasterii ab ipso constructi in suburbiis Cantuariæ, quod maximis quondam opibus ab Ætelberto Rege ditatum duravit usque ad Henricum VIII. Angliæ Regem, qui post apostasiam Monachos inde expulit. In priori autem donatione ex Monastico Anglicano legitur: *Ego Augustinus gratia Dei Archiepiscopus testis consentiens libenter subscripsi.* In secunda: *Ego Augustinus gratia Dei Archiepiscopus libenter subscripsi.* In tertia denique: *Confirmata est hæc donatio præsentibus testibus Reverendissimo Patre Augustino Dorovernensis Ecclesiæ Archiepiscopo primo: Mellito quoque, & Justo, Londoniæ, & Roffensis Ecclesiæ Præsulibus.* Porro Cantuaria etiam Durovernium ab antiquis vocabatur. Tandem Willielmus Malmesburiensis *lib.* 2. in Catalogo Londinensium Præsulum Mellitum primo loco ponit: quod verum non esset, si ante eum Augustinus Ecclesiam illam rexisset.

In Concilio Anglicano sub Agathone Papa celebrato anno 679. Theodorus Dorovernensis, idest Cantuariensis, vocatur *Archiepiscopus Britanniæ Insulæ, & civitatis Doroverni*

(1) Sigebertus in Chronico ad ann. 604.

(1) Beda lib. 2. c. 3.

tis: ipse præfuit Concilio, quod coactum dicitur *ex ceteris Episcopis Britanniæ Insulæ*, ut tradit Beda *lib.* 4. *cap.* 13.

XII. Ex litteris Sancti Gregorii ad Augustinum missis, quas antea ex Beda recitavimus, facile colligitur, Vicariatum Apostolicum eidem Augustino fuisse concessum: ipsi enim non solum Provinciæ Cantii, sed etiam Provinciæ Eboracensis omnes subjicit Episcopos, immo & ipsum Metropolitam Eboracensem: *quem*, inquit, *tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere*. Nullus autem Metropolitanus in alterum Metropolitanum habet auctoritatem, nisi Apostolicæ Sedis vices gerat. Hoc ipsum confirmat epistola Decretalis ejusdem Gregorii ad ipsum pariter Augustinum scripta, qui eum de quibusdam consuluerat, inter quæ septimo loco interrogaverat, qualiter deberet cum Galliarum, & Britanniarum Episcopis se gerere: cui respondit Gregorius: (1) *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis Prædecessorum nostrorum temporibus, Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus*. Pallium, quod erat Vicariatus Apostolici insigne, Gregorius direxerat Augustino, qui proinde ambigebat, num novi honoris incremento, nova quoque, & amplior auctoritas etiam in Galliarum Episcopos sibi accederet. Sed dubitationem sustulit Summus Pontifex, monendo Augustinum, Pallium diu antea a suis Prædecessoribus tributum fuisse Arelatensi Archiepiscopo, cui propterea tributum erat jus Apostolicæ Legationis in Episcopos Galliæ, nec fas esset eum veteri hoc privilegio spoliare. Quo ex responso id consequitur, Augustino Pallii donatione concessum fuisse munus Vicariatus Apostolici in Episcopos Britanniæ, in quos neque Arelatensis, neque alius quispiam ex Gallicanis Episcopis ulla præditi erant potestate: quos tamen Gregorius Augustino subjectos esse voluit his verbis, quæ leguntur in fine ejusdem septimi responsi: *Britanniarum vero omnes Episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur*. Verumtamen Privilegium istud personale tantum fuit, non Sedi, sed Augustino concessum, cum disertis verbis Gregorius scripserit apud Bedam *lib.* 1. *c.* 29. *Post obitum vero tuum, ita Episcopis quos ordinaverit Eboracensis præsit, ut Londinensis Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter Londinensis, & Eboracensis civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus*. Quæ utique verba declarant omnes Britanniæ Episcopos, & ipsum Eboracensem Metropolitam ita Augustino subjectos esse, ut eo e vivis sublato, privilegium istud ad ipsius Successores non transeat, sed cum ipso spiret: ac deinceps pari auctoritate præditi sint Cantuariensis, & Eboracensis Antistites, & siqua potioris honoris dignitas alteri eorum conveniat, non Sedi, sed ordinationis antiquitati alternis vicibus debeatur. Quod etiam confirmavit Honorius Papa *l.* 2. *cap.* 17. & 18. missis in Angliam duobus Palliis, quorum altero Cantuariensem, altero Eboracensem exornavit, servata semper inter utrumque æquali potestate: *Is qui superest, consors ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi in locum ejus qui transierat, Sacerdotem, ne sit necesse pro ordinando Archiepiscopo ad Romanam usque civitatem fatigari*, per

(1) S. Gregorius apud Bedam lib. 1. c. 27.

per tam prolixa terrarum, & maris spatia.

XIII. Posterioribus tamen seculis Vicariatus Apostolici munus affixum fuit Cantuariensi Ecclesiæ, adeo ut ejus Episcopus in tota Britannia esset Legatus natus Apostolicæ Sedis. Primus post Augustinum id obtinuit Sanctus Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus a Joanne XIII. Primatus honore super omnes Angliæ Præsules insignitus. Joannis Diploma excripsit Eadmerus, in quo Summus Pontifex fatetur, Augustinum, aliosque Dunstani Antecessores eo munere in Anglia functos esse: *Primatum* (1) *tuum*, inquit, *in quo tibi ex more Antecessorum tuorum vices Apostolicæ Sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut B. Augustinum, ejusque Successores, præfatæ Ecclesiæ Pontifices plenius habuisse dignoscitur.* Nihil tunc temporis intercessit adversus Privilegium istud Eboracensis, stetitque Primatus Cantuariensis, nullo reclamante, ad annum usque millesimum & septuagesimum. Tum enim Lantfranco ad Cantuariensem Archiepiscopatum assumpto, famosa illa de Primatu contentio inter Cantuariensem, & Eboracensem Ecclesias excitata est, quam refert Willelmus Malmesburiensis: (2) ,, Thomas Eboracensis
,, Ecclesiæ Antistes electus Cantua-
,, riam ex prisca consuetudine ab
,, eo consecrandus advenit. A quo
,, cum Lanfrancus scriptam de obe-
,, dientia Professionem, cum adjectio-
,, ne jurisjurandi, custodito Antecef-
,, sorum suorum more exposceret,
,, respondit Thomas, se id numquam
,, facturum, nisi prius scriptas de hac
,, re auctoritates legeret, nisi testes
,, hujus antiquitatis assertores cerne-
,, ret: Postremo nisi congruas super
,, hac re rationes audiret, quibus id
,, juste & rationabiliter sine suę Eccle-
,, siæ præjudicio facere deberet. Lan-
,, francus in præsentia paucorum Epi-
,, scoporum, qui ad eum pro hac
,, consecratione advenerant, quod
,, postulabat, ostendit. At ille asper-
,, natus omnia: non sacratus abcef-
,, sit. Rex audiens, graviter acce-
,, pit, existimans Lanfrancum inju-
,, sta petere, & scientia litterarum
,, magis quam veritate, & ratione
,, confidere. Lanfrancus ad Curiam
,, venit, a Rege audientiam postu-
,, lavit, redditis rationibus ejus ani-
,, mum mitigavit; Transmarinis, qui
,, aderant, suæ parti justitiam adef-
,, se suasit & persuasit. Angli enim
,, qui rem noverant, assertionibus
,, ejus per omnia constantissime te-
,, stimonium perhibebant. Itaque
,, Regio edicto, communique omnium
,, decreto statutum est, ad præsens
,, debere Thomam ad Matrem to-
,, tius Regni Ecclesiam redire, Pro-
,, fessionem scribere, scriptam lege-
,, re, lectam inter examinandum in
,, præsentia Episcoporum Lanfranco
,, porrigere; in qua præceptis qui-
,, dem ejus in omnibus quæ ad Chri-
,, stianæ Religionis cultum pertinent
,, se obtemperaturum absolute nul-
,, la interposita conditione promit-
,, teret, Successoribus vero ejus non
,, ita, nisi prius vel coram, vel in
,, Episcopali Concilio, competens ei
,, ratio redderetur, qua Antecesso-
,, res suos Dorubernensis Ecclesiæ
,, Primatibus id fecisse & facere de-
,, buisse, evidentissime comprobare-
,, tur. Igitur rediit, quæ jussa sunt
,, implevit, sacratus abscessit. Non
,, multos post dies Lanfrancus ab uni-
,, versis Anglici Regni Episcopis, qui
,, diversis temporibus, diversis in lo-
,, cis, ab aliis Archiepiscopis, vel

Pa-

(1) Joannes XIII. apud Eadmerum lib. 5. Historiæ Novorum pag. 97.

(2) Malmesburiensis lib. 1. de Gestis Pontif. Anglor. pag. 206.

„ Papa, tempore Sitigandi sacrati „ sunt, Professiones petiit, & accepit. „ Paruerat quidem Thomas Eboracensis, sed antea contestatus se id obsequii genus minime exhibiturum Lanfranci Successoribus, nisi in Synodo legitime congregata demonstraretur sibi, qua lege, quove vinculo Eboracensis Ecclesia Cantuariensi obnoxia teneretur. Exinde uterque, Thomas scilicet, & Lanfrancus Romam sequenti anno convolarunt, ubi coram Alexandro II. Summo Pontifice litem de Primatu disceptavere. Tuebatur se Thomas decreto Sancti Gregorii Magni, contendens, *Cantuariensem Ecclesiam, atque Eboracensem parem ad invicem honorem habere, nec alteram alteri secundum B. Gregorii Constitutionem debere ullatenus subjacere: excepto quod alterutrius Archiepiscopum priorem, & digniorem oporteat esse eo, quem constiterit fuisse posterius ordinatum*. Contra vero Lanfrancus reposuit, *Gregorianam illam Constitutionem non de Cantuariensi, & Eboracensi Ecclesia, sed de Londinensi, & Eboracensi esse prolatam*. Litem per se ipsum Pontifex noluit dirimere; sed in Anglia totius Regni Episcoporum, & Abbatum testimonio finiendam decrevit. Quare ipsius mandato anno 1072. habita est Synodus in Anglia, cui præsedit Humbertus Sedis Apostolicæ Legatus. Adesse Concilio voluit Rex ipse Anglorum: causa utriusque Ecclesiæ Cantuariensis, & Eboracensis discussa est coram Legato, Episcopis, Abbatibus, & Rege Serenissimo; Ecclesiæ Cantuariensis Primatum supra ceteras Angliæ Ecclesias, & Eboracensem ipsam, immo & Hiberniæ ex Historia Ecclesiastica Venerabilis Bedæ, ex variis Angliæ Conciliis, ex Ordinationibus Episcoporum, & Professionibus Obedientiæ ab iis factis Cantuariensi Archiepiscopo, ex Romanorum Pontificum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani; itemque Gregorii alterius, Leonis, Joannis, Rescriptis, Lanfrancus vindicavit, & Thomæ objectiones facile diluit. Quare totius Synodi, & Legati Apostolici sententia Cantuariensis Archiepiscopi Primatus confirmatus est. De his omnibus fidem faciunt Gesta Synodalia in Relatione ad Alexandrum II. missa a Lanfranco; & Willelmus Malmesburiensis *lib. 1. de Gestis Pontif. Anglor.* ubi æquitatem istius decreti probat ex eo, quod fides a Cantuariensi Ecclesia, in Eboracensem, & reliquas Britanniæ Provincias & urbes fuerit propagata. Recaluit controversia post Lanfranci obitum, cujus Successor Sanctus Anselmus pari zelo, & animi magnitudine Cantuariensis Ecclesiæ jura tutatus est adversus Thomam alterum recens electum Archiepiscopum Eboracensem, sibi professionem obedientiæ tamquam Primati facere reluctantem. Intercessit Anselmus (1) apud Paschalem II. ne Thomæ Pallium concederet, antequam obedientiam sibi ante consecrationem profiteretur: Thomæ vero comminatus est, se eum anathematis gladio præcisurum a communione, & consortio Episcoporum, & Fidelium totius Regni, nisi debitum obsequium impenderet Sedi Cantuariensi, (2) scripta ad eum epistola, quam etiam ad omnes Angliæ Episcopos direxit. Sed Anselmo paulo post ad superos evocato, Thomas compulsus est omnium Episcoporum Angliæ decreto, & jussu Regis professionem obedientiæ, quam prius detrectaverat, præstare. Thurstanus Thomæ in Eboracensi Sede Successor graviorem de Primatu litem

(1) S. Anselmus lib. 3. epist. 152.

(2) Eadmarus lib. 4. Histor. Novor.

tem Radulfo Cantuarienſi Archiepiſcopo intentavit, nec Henrici Regis juſsu ac minis umquam flecti potuit, ut illi ſe ſe ſubjiceret. Decreta idcirco fuit Legatio a Rege ad Paſchalem II. Pontificem Maximum, quam obierunt Radulſus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Herbertus Noruvicenſis Epiſcopus: quibus primum ſe propitium præbuit Paſchalis, confirmavitque Primatum, & Privilegia Cantuarienſis Eccleſiæ, ſcriptis ad Epiſcopos, & Regem Angliæ litteris. Verum cum paulo poſt Clerus Eboracenſis pro Thurſtani conſecratione, & Eccleſiæ ſuæ libertate apud Paſchalem intercesſiſſet; violarique a Cantuarienſi Sancti Gregorii Decretum conqueſtus esſet; Pontifex reſcripſit ad Henricum Regem, præcepitque Thurſtano Sedem reſtitui, & Gregorianam Conſtitutionem de Cantuarienſi, & Eboracenſi Eccleſiis ſervari. (1) Interea autem ad Sedem Apoſtolicam evocavit quæſtionem de Primatu inter utramque Eccleſiam diu multumque vexatam. Primum hoc fuit vulnus Cantuarienſi Primatui illatum: ſed fortius poſtea Alexandri III. decreto concuſsa fuit Primatus Cantuarienſis dignitas: quippe Gregorii Magni Conſtitutionem obtinere ſancivit, declarans Cantuarienſem, & Eboracenſem Archiepiſcopos pares esſe, & alternis vicibus eum alteri præſtare, qui prior fuerit ordinatus. Videri poteſt Alexandri III. Conſtitutio *in Appendice Concilii Lateranenſis III, Parte 44. cap. 2.* Auxit præterea Alexander Papa Eboracenſem Metropolitam ſingulari Privilegio deferendi ante ſe Crucem in omnibus Angliæ Provinciis, etiam in Cantuarienſi: quæ res novis querelis aditum aperuit, quas Cantuarienſis Archiepiſcopus, ac ceteri Britanniæ Antiſtites ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſerunt, incuſantes Eboracenſem, quod ſubrepſerit Summo Pontifici, ut in Cantuarienſis Eccleſiæ injuriam novum Privilegium ſuffuraretur, quo nuſquam ejus Prædeceſsores potiti fuerant. Quare Alexander Eboracenſi inhibuit, ne extra Provinciam ſuam Crucem circum geſtaret. Sed cum Eboracenſis reclamasſet, repugnare legibus omnibus quempiam inauditum propriis juribus exui: inſtasſet quoque Clerus Eboracenſis, nefas esſe inconſulta parte, nudari Eccleſiam illam Privilegiis, quibus ſemel donata fuerat: Romanus Pontifex proviſorio decreto reſtituit Archiepiſcopo Eboracenſi jus circumgeſtandi Crucem in omnibus Provinciis Angliæ, donec Sedes Apoſtolica litem illam definitiva ſententia dirimeret. Alexandri III. Decretum relatum eſt *in cap. a memoria, Tit. ut lite pendente nihil innovetur.* Nihil ulterius ab Apoſtolica Sede ſancitum circa præſentem controverſiam reperimus. Immo deinceps Eboracenſes Archiepiſcopos, perinde ac Cantuarienſes, Primates Angliæ ſe nuncupasſe, teſtantur Acta Thomæ Volſeii ſub Henrico VIII. & Ludovicus Thomasſinus *De Vet. & Nova Eccleſ. Diſcipl. Part.* 1. *lib.* 1. *c.* 36. *num.* 5.

XIV. Quod ſpectat ad numerum Epiſcoporum Britanniæ, hos recenſent Acta Concilii Anglicani a Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo indicti, anno 1075. (1) *Lanfrancum Dorobernenſis Eccleſiæ Archipræſulem: Thomam Eboracenſem Archiepiſcopum: Willermum Londonienſem Epiſcopum: Walchelinum Wintonienſem: Herimannum Syrabarnenſem: Wilſtanum Wiriceſtrenſem: Gualderum Herefordenſem: Giſonem Wellenſem: Remigium Dorcacenſem, ſeu Lincolnienſem: Herfa-*

(1) Idem Eadmarus lib. 5.

(1) Apud Binium Tom. 3. Concil. part. 2. pag. 1182.

fastum Helmeanensem, seu Noruvicensem: Stigandum Slengensem: Otbernum Oxoniensem: Petrum Licifeldensem. Lindisfarnensis, qui & Dunelmensis Episcopus Concilio interesse non potuit. Roffensis Ecclesia per idem tempus Pastore carebat. Inter cetera istius Synodi decreta illud sancitum fuit, ut Eboracensis primam in Synodis Sedem post Cantuariensem, Londinensis vero secundam post Eboracensem teneret. Longe plures Angliæ Episcopi enumerantur *in Concilio Generali omnium Episcoporum totius Angliæ*, a Guilielmo Cantuariensi Archiepiscopo congregato anno 1127. nempe, (1) ipse *Guilielmus Cantuariensis: Guillielmus Wintoniensis: Rogerus Saresbiriensis: Guilielmus Excestrensis: Alexander Lincolniensis: Herveus Eliensis: Everardus Noruvicensis: Sigefridus Cicestrensis: Ricardus Herefordensis: Godfridus Bathoniensis: Joannes Roffensis: Bernardus de Sancto David: Urbanus Glamorgatensis, sive Landavensis: David Bangornensis.* Aberant a Synodo *Thurstanus Eboracensis Archiepiscopus: Randulfus Dunholmensis: & Simon Wigornensis.* Obierant præterea *Ricardus Londoniensis, & Robertus Conventrensis.* Concilio Londinensi celebrato anno 1138. cui præsedit Albertus Ostiensis Episcopus Innocentii II. in Anglia, & Scotia Legatus, interfuisse dicuntur *diversarum Provinciarum*, Angliæ scilicet, & Scotiæ, *Episcopi num. XVII.* Non abnuerim tamen creberrimas olim in Anglia fuisse Episcopalium Sedium mutationes, ut animadvertit Thomassinus laudatus P. 1. L. 1. c. 55. n. 8. Notitia Milonis Abbatis hos in Anglia Episcopatus recenset.

In Anglia.

Archiepiscopus Cantuariensis hos habet Suffraganeos, Londoniensem, Roffensem, Cicestrensem, Exoniensem, Vinconiensem, Batoniensem, Salsebriensem, Vigormensem, Heridfordensem, Conventrensem, Lincolmensem, Norwicensem, Heliensem, Menevensem, Laudavensem, Bangorensem, de Sancto Asaph. Notitia Episcopi Catharensis addit, *Assanensem, Assensem, Lichefeldensem. Archiepiscopatus Eboracensis hos habet Suffraganeos, Dunelmensem, Cardocensem, aliter Carleonensem, & Candidæ casæ.*

XV. Provincia Walliæ diu proprii juris fuit, nec ejus Antistites aut Cantuariensi, aut Eboracensi Metropolitanis subesse voluerunt, præsertim cum ea Regio proprios habuit Principes. Frustra S. Augustinus Anglorum Apostolus, ejusque Successores Cantuarienses Archiepiscopi eos ad Synodos asciverant, quibus numquam morem gerere voluerunt, quod ipsi ex veteri Britannorum gente, Anglos Regni invasores vehementer detestarentur. (2) Si Rogerio credimus, in Principatu Walliæ, ex quo B. Samson ejus Archiepiscopus migravit in Gallias, Dolensi Episcopatu condito, ejus in Anglia Successores Sedem Meneviæ, quæ Civitas Sancti Davidis appellatur, fixerunt, semperque ut Metropolitas Walliæ se gesserunt, donec Henricus Angliæ Rex Provinciam illam Regno suo adjecit. Is temporali Imperio etiam Ecclesiasticum adnectere voluit, jussitque deinceps Walliæ Antistites Cantuariensi subesse, atque ab ipso tamquam Metropolitano suo consecrari. Sed injuriam fieri Sacris Canonibus, & libertatem Ecclesiasticam conculcari ægre tulit Apostolica Sedes, ejusque convellendæ causa injuriæ Eugenius III. judices in Angliam delegavit, atque prohibuit, ne Cantuariensis jusjurandum ab Episcopo San-

Xxx 2

(1) Ibid. pag. 1321.

(2) Rogerius ad ann. 1159.

Sancti Davidis exprimeret, neve de Jure Metropolitico ullam ei litem intentaret. Eferbuit ea controversia sub Innocentio III. qui ei finem imposuisset, nisi Cantuariensis Archiepiscopi sive jus, sive gratia intercessisset. Quare tunc quidem lis sopita fuit, sed non definita, coactusque deinceps Episcopus Sancti Davidis inter Suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ locum habere.

XVI. Cum Scotia ad Christi fidem accessit, nullam in ea Metropolim erectam fuisse, sed Episcopos, qui illi ad Christianam Religionem adgregandæ collaboraverant, recentes illas Ecclesias rexisse ea simplicitate, qua solent rerum novarum regi exordia, nimirum charitate potius, quam ulla aut lege, aut disciplina Metropolitici Juris, docet Ludovicus Thomassinus *de Vet. & Nova Eccles. Discipl. P.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 11. *& lib.* 3. *c.* 41. *num.* 17. Eboracenses tamen, & Cantuarienses Archiepiscopi Scotiæ Episcopos sibi subjugare haud semel contenderunt, Henrici II. Anglorum Regis potentia freti. Is quippe Regem, & Episcopos Scotiæ ad Concilium Nothantoniæ celebrandum accersivit, atque ab eis exegit, ut eamdem Sacramenti fidem, qua sibi obstricti erant, Ecclesiæ Anglicanæ præstarent, nimirum Angliæ Metropolitis obedientiam profiterentur, quam prædecessores eorum professi fuerant retroactis temporibus. At Scoti Antistites constanter reposuerunt, nulli unquam se, suosque Prædecessores Angliæ Episcopo fuisse obnoxios, sed uni Romano Pontifici immediate subjectos. Rogerius Archiepiscopus Eboracensis privilegia Summorum Pontificum protulit, quibus probare nitebatur, Metropoli suæ subjectos fuisse Glascoviensem, & Gallovajensem Episcopos. Sed ex adverso Glascoviensis obtestatus est, *Glascoviensem Ecclesiam specialem filiam esse Romanæ Ecclesiæ, & ab omni subjectione Archiepiscoporum, & Episcoporum exemptam*. Major spes aderat Cantuariensi, videlicet subjugandi suæ Metropoli omnes Scotiæ Antistites, cum tamen Eboracensis, qui & potior, & opportunior videbatur ei juri obtinendo, in duos tantum Episcopatus auctoritatem suam exerere peroptaret: ut vero Cantuariensis fieret voti compos, tunc Regi persuasit, istius rei judicium in aliud tempus satius esse differendum; quo posset Eboracensis spem deludere, sibique integrum illud jus arrogare. Ceterum uterque causa decidit, & Scotis victoria cessit: Guillelmus siquidem Rex Scotiæ Regni, & Ecclesiæ suæ libertati studens, Rescriptum a Clemente III. Summo Pontifice impetravit, quo omnes Episcopi Scotiæ subjicebantur immediate Apostolicæ Sedi: *Statuendum duximus, ut Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi, cujus filia specialius existit, nullo mediante debeat subjacere*. Eamdem Ecclesiæ Scotianæ libertatem confirmavit postea Cœlestinus III. instante eodem Guillelmo Rege, præcipiens, ut ea nulli Anglicanæ, aut alteri Metropoli subesset, sed dumtaxat Romanæ Sedi, nec ullus in Regno Scotiæ Legationis munere fungi posset, nisi quem Romanus Pontifex destinasset. Recitat Clementis, & Cœlestini Diplomata Rogerius, *ad ann.* 1188. *&* 1192. Attamen neuter ex his Summis Pontificibus ullam tunc Metropolim in Scotia erexit, tametsi novem ea tempestate numerarentur ibidem Episcopatus. Id fortassis in causa fuit, quod advertit Cabdenus, cur tamdiu Metropolitano caruerit Scotia, quia scilicet a prima Evangelii promulgatione

ne, usque ad annum 1070. ejus Episcopi nullas certas haberent Sedes. Inter eos nihilominus præ ceteris semper eminuit Episcopus Sancti Andreæ, quæ urbs sita est in Comitatu Tifæ, cujus est primaria, gaudetque celebri Academia, non longe a Mari Germanico. Abernetho, olim Pictorum Metropoli civili in Strathernia Provincia, huc translata fuit Sedes Episcopalis: cujus Præsul jus sibi vendicabat consecrandi reliquos omnes Scotiæ Episcopos. Verum posteaquam Romani Pontifices omnes hujus Regni Ecclesias ad Sedem Apostolicam immediate traxerunt, cum jus consecrandi illius Provinciæ Episcopos aliis etiam commisissent, Andreapolis Antistites contendebant, id juris suæ Ecclesiæ competere. Quocirca Innocentius III. ita munus ordinandi Episcopos Scotiæ aliis delegavit, ut tamen fieret *fine utriusque partis præjudicio*. Joannes vero XXII. Episcopo Sancti Andreæ privilegium impertiit inaugurandorum Scotiæ Regum, de quo Rainaldus *ad ann.* 1329. *num.* 79. At enim cum non fine gravi dispendio, ac longissimi itineris tædio sæpe cogerentur Scotiæ Antistites Romam proficisci, ut coram Summo Pontifice causas disceptarent, quæ a Metropolitano fiendæ essent, Xistus IV. Andreapolis Ecclesiam Metropoleos dignitate donavit: tum paulo post idem Pontifex Glascoviensem Episcopum Metropolitico auxit jure, ita tamen ut subesset S. Andreano tamquam Primati.

Hinc est quod in Notitia Milonis Abbatis tempore Cœlestini III. scripta ann. 1225. omnes Scotiæ Episcopi tamquam exempti sine ullo Metropolitano numerantur.



In Scotia.

Episcopatus S. Andreæ, Glascuensis, Candidæ casæ, Duncheldensis, Dunblanensis, Brechinensis, Abedonensis, Moranensis, Rosmarchinensis, Cathanensis, Lismorensis, vel Aregarthel. Ceterum Notitia Episcopi Catharensis, ante 370. annos condita, in Codice Vaticano habet: *Archiepiscopus S. Andreæ hos habet Suffraganeos*. Alii tamen Codices legunt: *In Scotia & sunt omnes exempti: Episcopus S. Andreæ &c.*

XVII. Hibernia Britanniæ proxima initio susceptæ fidei proprios habuit Episcopos. Primus omnium, idemque gentis illius Apostolus fuit Sanctus Patricius, quem Primatem suum Hiberni vocant. Post illius obitum nescio unde mos irrepserit in illam Insulam, ut Abbas Monasterii S. Columbæ, qui tantum Presbyter erat, in potestate haberet nedum Monasteria omnia, sed & Provinciam, Insulamque omnem, adeoque & Episcopos ipsos, quod magis mireris; inusitato plane, & inaudito hactenus exemplo. Moris meminit Venerabilis Beda: (1) *Habere solet ipsa Insula semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine insolito debeant esse subjecti; juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit, & Monachus.* (1) Hic honos Sancto Columbæ impendebatur, qui fuit primus hujus Monasterii Abbas, & alter post Sanctum Patricium Apostolus Hibernorum. Ceterum nullus adhuc tunc temporis constitutus fuerat peculiaris Hiberniæ Primas, sed Cantuariensis Archiepiscopus se istius Insulæ gerebat Primatem, & Episco-po-

(1) Beda lib. 5. c. 4.

(1) Baronius ad ann. 565. n. 12.

porum ordinationes celebrabat. Primus quem certo constet fuisse Primatem Hiberniæ, est Celsus Archiepiscopus Armachanus, qui ejus rei gratia aliam recens condiderat Metropolim; sed quoniam novæ hujus Metropoleos institutio citra Apostolicæ Sedis auctoritatem facta fuerat, Sanctus Malachias Celsi in Sede Armachana Succesor vires illi deesse agnoscens, a Romano Pontifice ejus confirmationem impetravit. Testis ejus rei est D. Bernardus in Vita Sancti Malachiæ: (1) *Erat*, inquit, *& altera Metropolitica Sedes, quam de novo constituerat Celsus prædecessor, primæ tamen Sedi, & illius Archiepiscopo subdita, tamquam Primati. Et huic quoque petebat nihilominus Pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis Apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.* Præmiserat autem, Malachiam Romam idcirco contendisse, ut Pallium a Summo Pontifice etiam sibi obtineret, quo Celsus Prædecessor suus caruerat: *Romam proficisci deliberat, maxime quod Metropoliticæ Sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio Pallii usus: quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis suis, si Ecclesia pro qua tantum laboraverat, quem hactenus non habuerat, suo acquireret studio, & labore.* Subdit idem Bernardus, Malachiam cum sui, tum alterius Metropolitani recens instituti confirmationem ab Innocentio II. nactum esse: Pallia tamen quæ pro sua, & nova Metropoli potierat, concedere noluit, nisi prius ab universali Concilio Hiberniæ postularentur. Huic conditioni non statim fuisse satisfactum videtur colligi ex eo, quod nonnisi septimo Eugenii Papæ III. anno, qui fuit annus Christi 1151. quatuor in Hibernia delata sunt Pallia, quatuor Archiepiscopis ibidem institutis tradenda; ut refert Rogerius in Annalibus ad annum 1151. *Hoc eodem anno*, inquit, *idem Eugenius Papa Joannem Paparonem Cardinalem Legatum a Latere in Hiberniam misit, ut in eam Insulam quatuor deferret Pallia, quæ numquam illuc delata fuerant, constituitque quatuor Archiepiscopatus, primum apud Armarc, secundum apud Cassel, tertium apud Diveline, quartum apud Connath.* Quatuor igitur in Hibernia Metropoles constituit Joannes Paparon Legatus Eugenii, vel potius duobus antea constitutis, secundam & tertiam addidit. Extat in Bibliotheca Vaticana plenior descriptio singularum Ecclesiarum, quæ eisdem Metropolibus ab eodem Pontifice fuerunt addictæ. Huic descriptioni præfixus est titulus iste: *Tempore Domini Eugenii Papæ tertii, facta est divisio totius Hiberniæ in quatuor Metropoles per Joannem Paparonem Presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentii in Damaso, Apostolicæ Sedis Legatum.* Totius Hiberniæ Primas est Archiepiscopus Armachanus, cui tres alii Metropolitæ subjecti sunt, & ab eo olim ordinari debuerant. Numerum Metropoleon, & Episcopatuum Hiberniæ exhibet Notitia Ecclesiarum tempore Cœlestini III. edita anno 1225. a Milone Abbate.

In Hibernia.

Archiepiscopatus Armachiæ (1) *Primatus totius Hiberniæ hos habet Suffraganeos; Connerinensem, vel Dedundaltbelas, Lugdundunensem, Cluanirairo, Deconnennas, Deardachad, Deraboth, Derathurigh, Dedamilagg, Dedarrit.*

Archiepiscopatus Dublinensis hos habet Suffraganeos, Dedanlocht, Defer-

(1) S. Bernardus in Vita Sancti Malachiæ.

(1) Differunt omnia nomina.

fernum, *Decamiæ*, *Deglen*, *Decelderum*.

Archiepiscopatus, *Cassellensis hos habet Suffraganeos*, *Decendelvanum*, *de Limineeh*, *de Insula*, *Gathay*, *Deymelech*, *de Cellimabrach*, *Decroscreen*, *de Waltisfordianum*, *de Lismoi*, *de Duavamam*, *Decoicaja*, *de Rosailicht*, *de Ardfret*.

Archiepiscopatus Zuamensis hos habet Suffraganeos, *de Mageo*, *de Collad*, *de Roscomon*, *Deculuamfret*, *de Athad*, *de Corriari*, *Decelinuduach*.

Altera Notitia posterior ista, quæ ante 370. annos scripta fuit ab Episcopo Catharensi, longe plures enumerat Episcopatus Hiberniæ, in quam tamen aliquot Angliæ irrepsisse videntur.

In Hibernia.

Archiepiscopus Armachanus totius Hiberniæ Primas habet hos Suffraganeos, *Convermensem*, *Conerensem*, *Lamdunensem*, *Lugudunensem*, *Ratpotensem*, *Dumbaldensem*, *Connarensem*, *Elocorensem*, *Midensem*, *Olnavensem*, *Ardalzadensem*, *Dumiensem*, *Raclobenensem*, *Dundaletbglas*, *Rathaniensem*, *Subvlriensem*, *Dauligiarensem*, *Datriensem*, *Dambensem*, *Duviriorensem*.

Archiepiscopus Dublinensis hos habet Suffraganeos, *Glaudebatensem*, *Leglimiensem*, *Ossriensem*, *Calderensem*, *Forvensem*, *Darensem*, *Leglimensem*.

Archiepiscopus Casselbensis habet hos Suffraganeos, *Laoniensem*, *Linnirtensem*, *vel Limirujensem*, *Insulanensem*, *Finaborensem*, *vel Finiavorensem*, *Chatay*, *Lismorensem*, *Cartagiensem*, *Derescbukchil*, *Clovensem*, *Umalacentensem*, *de Collebrach*, *Watrafordensem*. *Imilicensem*, *Orkagensem*, *Rossensem*, *Arpserrensem*, *Arofordensem*.

Archiepiscopus Tuamensis habet hos Suffraganeos, *Suacensem*, *Enachdimensem*, *Derosiomonensem*, *Alathendensem*, *vel Aliadensem*, *Effinensem*, *Aladensem*, *Olontortensem*, *Achadebsem*, *de Tholam*, *de Thonarensem*, *Delbemodnach*, *Suacensem*.

Faxit Deus, ut inclytum Angliæ Regnum, tot hæresum, quibus fœdatur, erroribus depositis, pristinam, veramque fidem Catholicam amplectatur, quam semel iterumque a Romana Ecclesia accepit. Ante deplorandum Schisma Henrici VIII. Regis, quondam fidei defensoris, postmodum infelicis apostatæ, Anglicana Ecclesia arctissimo vinculo cum Romana ipsius, & omnium matre ac Magistra colligata semper fuit: ab hac prima fidei rudimenta, primos Episcopos, pastoresque obtinuit, sacros ritus, psallendi morem, doctrinam omnem hausit, retinuitque: illam omni obsequio, ac veneratione præ ceteris nationibus prosequuta est. Quam hodie se putat religionem tueri, dæmonis figmentum est, Luthero, Calvino, Bucero, similibusque Evangelii hostibus non a spiritu Dei revelatum, ut ipsi comminiscuntur, sed a spiritu mendacii insinuatum. Frustra novam Ecclesiæ reformationem prætexit, quæ a majorum suorum moribus, & institutis declinavit. Una est Christi fides, quam Romana tenet Petri Sedes, (1) *Apostolico ore laudata: super illam petram ædificatam Ecclesiam scimus: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Siquis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio*.



LIBER

(1) S. Hieronymus epist. 57. ad Damasum.



LIBER SEXTUS.

Diſtributio Provinciarum, & Metropoleon ſupra recenſita variis Conciliorum Actis illuſtratur. Exarchi Orientis, & Occidentis: quinque Patriarchæ Majores, eorumque Eccleſiæ, ac jura explicantur.

CAPUT I.

Synopſis.

I. HActenus recenſita Eccleſiaſticarum Provinciarum diſtributio ad formam civilis Imperii ex ſacris Conciliis prioribus Eccleſiæ ſeculis celebratis confirmatur. Provinciæ Eccleſiaſticæ in Nicæno Concilio expreſſæ.

II. Synopſis Provinciarum ex Actis Conciliorum Sardicenſis, & CP. excerpta.

III. Altera cum ſuis Metropolibus ex Concilio Chalcedonenſi.

IV. Occidentis Provinciæ, & Metropoles ex Concilio Arelatenſi I. deſcriptæ.

V. Inter has Metropoles, Roma ſemper fuit omnium caput & princeps. Huic proxime accedunt Alexandria, & Antiochia; quibus deinde ſunt additæ Conſtantinopolis, & Jeroſolyma. Præter has in Oriente, Epheſus, Heraclea, & Cæſarea enituerunt.

VI. Aſiana Diœceſis decem Provinciis conſtabat. Caput iſtarum Epheſus. Ab Apoſtolis jacta fuerant Aſianæ Eccleſiæ fundamenta.

VII. Joannes Evangeliſta Epheſinam Eccleſiam rexit poſt Timotheum: inde Epheſinus Exarchatus exordium ſumſit.

VIII. Non in ſolam Aſiam Proconſularem, ſed & in reliquas Aſianæ Diœceſis Provincias Joannes Exarchatus ſui jura extendit: quem etiam ſequentes ætates imitatæ ſunt.

IX. Conſtituto Patriarchatu CP. Epheſi, ſicut etiam Heracleæ, & Cæſareæ Exarchatuum imminuta auctoritas fuit.

X. Pontica Diœcesis undecim Provincias complectebatur. Omnium illarum caput Cæsarea Ponti, ejusque Episcopus Primas & Exarchus totius Ponticæ Diœcesis.

XI. Armeniæ olim Cæsariensi Exarcho parebant. Idipsum de reliquis Ponti Provinciis asserendum est.

XII. Thraciæ sex Provinciæ adscriptæ: earum Exarchus fuit Episcopus Heracleæ, cujus auctoritatem absorbuit Patriarcha CP.

XIII. Cur Theodosius in sua sanctione, quam dedit ad Auxonium Heracleæ non meminerit; Gothofredi, & Petri de Marca de hac re sententia.

XIV. Schelstratis opinio exploditur, præcedenti sententia magis illustrata.

I. N constituendis Ecclesiis, Apostolos & Apostolicos viros quodammodo ad formam civilis Imperii sese accomodasse, quo facilius Christi fides in primariis urbibus primum fundata in minores propagaretur, & erecta in unaquaque Provinciarum propria Metropoli, ad quam in gravioribus negotiis minores civitates convenirent, & fides incrementum, & Ecclesiastica Disciplina obtineret firmitatem, præter ea quæ hactenus juxta Notitiam Imperii de singulis Provinciis expendimus, ante nos observarunt doctissimi Cardinales Peronius, & Norisius; sicuti etiam Petrus de Marca, Christianus Lupus, aliique quamplures viri eruditissimi. Perspicua est ea Provinciarum, & Metropoleon distributio in Nicæno, aliisque Conciliis Oecumenicis, non tamquam recens tunc instituta, sed ab Apostolis, & Apostolicis viris accepta, & eadem prorsus earum nomina sunt obvia, quæ in veteri Notitia Imperii occurrunt. In Nicæni siquidem Concilii subscriptionibus ex numerantur Provinciæ, & pleræque easdem Metropoles habent, quas civilis Imperii Distributio.

Italia, & ex ea Victor, & Vincentius Legati S. Sylvestri Episcopi *Romanæ Sedis*, quæ est Mater, & Caput omnium Provinciarum, & Imperii.
Calabria una ex Provinciis Italiæ, & Marcus ejus Episcopus.
Ægyptus, & ex ea Alexander Episcopus, & Patriarcha *Alexandriæ*, quæ est totius Ægypti Metropolis. Ejus item Provinciæ *Thebais*, & *Libya*.
Syria I. seu Cælesyria, ejusque Metropolis *Antiochiæ* Episcopus & Patriarcha Eusthathius.
Palæstina, cujus Metropolis *Cæsareæ* Episcopus Eusebius subscriptus legitur; sed propter reverentiam Sanctissimæ urbis Jerosolymorum, primus omnium hujus Provinciæ subscripsit Macarius ejus Episcopus.
Asia Proconsularis, cujus Metropolis Ephesus. Ex Conc. Ephes.
Cappadocia I. ejusque Metropolis *Cæsareæ* Episcopus *Leontius*.
Europa Diœcesis Thraciæ, cujus Metropolis *Heracleæ* Episcopus *Pedorus*.
Macedonia I. atque ejus Metropolis *Thessalonicæ* Episcopus *Alexander*.
Africa Proconsularis, cujus Metropolis *Carthaginis* Episcopus *Cæcilianus*.
Arabia, ex qua *Nicomachus Bostræ* Metropolis Episcopus.
Armenia minor, ejusque Metropolis *Sebastæ* Episcopus *Eulalius*.
Armenia major, cujus Metropolis *Melitena*. Ex Conc. Chalcedon.

Acha-

Achaja, cujus Metropolis *Corinthus*. Ex Conc. Chalcedon.
Bithynia, ejusque Metropolis *Nicomediæ* Episcopus *Eusebius*.
Caria, cujus Metropolis est *Stauropolis*: vel potius *Aphrodisias*. Ex Conc. Chalced.
Cilicia I. atque ejus Metropolis *Tharsi* Episcopus Theodorus.
Cyprus, ejus Metropolis *Constantia*. Ex Conc. Chalced.
Dacia, cujus Metropolis *Sardicæ* Episcopus *Protogenes*.
Dalmatia, ejus Metropolis *Salona*.
Dardania, cujus Metropolis *Scupon*. Ex Concil. Sardicen.
Galatia, ejus Metropolis *Ancyræ* Episcopus *Pancratius*.
Ex Galliis Nicasius Divionensis Episcopus.
Galliarum Metropolis *Lugduni Verissimus* Episcopus. Ex Conc. Sardic.
Hispaniæ Hosius Cordubensis Episcopus.
Insularum Metropolis *Rhodus*, ejusque Episcopus *Euphrosinus*.
Isauria, cujus Metropolis *Seleucia*. Ex Conc. Chalced. & CP. I.
Lydia, cujus Metropolis *Sardis*, Episcopus *Artemidorus*.
Lycia, ejus Metropolis *Myra*. Ex Conc. Chalced.
Mesopotamia, cujus Metropolis *Amida*. Ex Concil. Chalcedon.
Mysia, ejusque Metropolis *Marcianopolis* Episcopus *Pistus*.
Pamphylia, atque ejus Metropolis *Perge* Episcopus *Callinicus*.
Pannonia, cujus Metropolis Sirmium: Nicæno tamen subscripsit *Domnus Stridonensis* Episcopus.
Phrygia Pacatiana, ejusque Metropolis *Laodiceæ* Episcopus *Nunechius*.
Pisidia, cujus Metropolis est *Nicopolis*, ex Conc. Chalcedonensi; licet in Nicæno *Eulalius* Iconii, quæ est Metropolis Lycaoniæ, inter Pisidiæ Episcopos primus subscripserit.
Phœnice Maritima, cujus Metropolis *Tyri* Episcopus *Zenon*.
Paphlagonia, cujus Metropolis *Gangræ*. Ex Conc. Chalcedon.
Pontus Polemoniacus, ejusque Metropolis Neocæsareæ Episcopus *Longinus*.
Thessalia, cujus Metropolis *Larissa*. Ex Conc. Chalcedon.
Scythia, cujus Metropolis *Tomi*. Ex Conc. CP. I.

II. Has omnes Provincias, & plerasque illarum Metropoles, iis exceptis, quas ex Synodis Sardicensi, & Chalcedonensi excerpsimus, Nicænum Concilium exhibet. Nunc & alias subjicimus a Sardicensi, CP. I. & Chalcedonensi recensitas, cum Provinciis, tum Metropoles. Ex Italia Synodo Sardicensi subscripserunt Episcopi variarum urbium, quæ postmodum Metropoles Provinciarum fuerunt; (1) nempe *Vincentius de Capua, & Clepodius Neapolitanus Apostolicæ Sedis Legati: Protasius de Mediolano: Severus de Ravenna:* subscripti insuper Episcopi, *Januarius Beneventanus: Maximus a Tuscia de Luca: Lucius de Verona: Fortunatus de Aquileja: Stercorius ab Apulia de Canusio: Ursacius de Brixia*. Additi insuper *in subscriptione Græca* absque nominibus urbium, Episcopi *ex Canali Italiæ* quindecim. *Ex Galliis Verissimus de Lugduno*. At in eadem subscriptione triginta quinque Episcopi sine nominibus designantur. Ex Hispania licet nullus Metropolita commemoretur, Episcopi tamen variarum Provinciarum subscripti cernuntur: *Hosius Cor-*

(1) Tom. I. Concil. Edit. Rom. Græco-Latinæ de Concil. Sardicen. p. 64. & seq.

dubensis Legatus Apostolicæ Sedis. Anianus de Castulona: Florentinus de Emerita: Domitianus de Asturica: Castus de Cæsaraugusta: Prætextatus de Barcellona. Duæ distinguuntur Daciæ, *Ripensis*, *&* *Mediterranea*. *Thraciæ* expressa fit mentio, ejusque urbis *Adrianopolis*. *Osroena* (1) Provincia, & *Edessa* ejus Metropolis conspicua est in Concilio CP. 1. *Euphratesia*, ejusque Metropolis *Hierapolis* ex eodem Conc. CP. 1. innotescit: sicuti *Lycaonia*, atque illius Metropolis *Iconium*.

III. Plures aliæ Provinciæ, earumque Metropoles in Concilio Chalcedonensi commemorantur: (2) *Arabia*, ejusque Metropoles *Bostra*, *&* *Philadelphia*.

Ex Africa Aurelius Adrumentinus Episcopus.
Cilicia II. & illius Metropolis *Anazarbus*.
Cappadocia II. & ejus Metropolis *Tyana*.
Creta, cujus Metropolis *Gortyn*.
Hellas, *&* *Attica*, earumque Metropoles *Thebæ*, *&* *Athenæ*.
Hellespontus, cujus Metropolis *Cyzicus*.
Helenopontus, ejusque Metropolis *Amasa*.
Galatia II. cujus Metropolis *Pisinuntis*.
Epirus vetus, & illius Metropolis *Nicopolis*.
Epirus nova, cujus Metropolis *Dyrrachium*.
Euphratesia, cujus Metropolis *Hierapolis*.
Honorias, ejusque Metropolis *Claudiopolis*.
Ex Italia Paschasinus Lilybæi Siciliæ Episcopus: Gratianus Panormi Siciliæ.
Et Lucentius Episcopus Asculanus Piceni.
Phrygia salutaris, cujus Metropolis *Synnadæ*.
Phœnicia Libani, cujus Metropolis *Emesa*.
Rhodope, cujus Metropolis *Trajanopolis*.
Syria II. cujus Metropolis *Apamea*.
Thracia, cujus Metropolis *Philippopolis*.
Lycaonia, cujus Metropolis *Iconium*.
Ex Macedonia II. subscripsit Chalcedonensi *Nicolaus Stoborum*.
Ex Palæstina III. Paulus Parali.

Extra Provincias Imperii, *Theophilus Gothiæ Metropolis ex Gothia* Nicæno subscripsit. Ex *Perside*, *Joannes Episcopus Persidis*. Chalcedonensi vero subscripsit *Eustachius* Episcopus *Gentis Saracenorum*.

IV. Primis quatuor Conciliis Oecumenicis utpote in Oriente celebratis, cum pauci ex Occidente Episcopi interfuerint, paucæ etiam ex illis innotescunt Provinciæ Occidentis. Harum tamen quamplurium diserta mentio habetur in Synodo Arelatensi I. Sub Sylvestro Papa ante Concilium Magnum Nicænum habita. (3)

Ex Provincia Romana, præter Legatos Apostolicæ Sedis, subscripserunt, *Gregorius Portuensis*, & *Leontius Ostiensis*, Episcopi.
Campania, & ex ea *Protus Capuæ* Episcopus.

Apu-

(1) Ibid. in Conc. CP. 1.
(2) Tom. 2. Conc. Edit. Rom. Græco-Latinæ, de Conc. Chalced. Act. 1. & 3. & p. 3.
(3) Tom. 1. Concil. Binii de Conc. Arelaten. p. 165.

Apulia, & ex illa *Pardus* Episcopus *Arpiensium*.
Sicilia, & ex ea *Chrestus* Syracusarum Episcopus.
Sardinia, & ex ea *Quintus Calaris* Episcopus.
Æmilia, ejusque Metropolis *Mediolani Orosius* Episcopus.
Venetia, *&* *Histria*, atque ejus Metropolis *Aquilejæ Pardus* Episcopus.
Viennensis, ejusque Metropolis *Arelatæ Marinus* Episcopus.
Viennensis, alterius ejusque Metropolis *Viennæ Verus* Episcopus.
Aquitania I. ex eaque *Genialis* Episcopus.
Aquitania II. ejusque Metropolis *Burdigalæ Orientalis* Episcopus.
Narbonensis, cujus Metropolis *Narbona*.
Lugdunensis I. cujus Metropolis *Lugdunum*; ex Conc. Sardicen.
Lugdunensis II. ejusque Metropolis *Rhotomagi Avidanus* Episcopus.
Maxima Sequanorum, ex eaque *Evodius* Episcopus *Niveduni*, seu Noviodun*i*.
Belgica I. ejusque Metropolis *Trevirorum Agricius* Episcopus.
Belgica II. ejusque Metropolis *Rhemorum*, *Betavius* Episcopus.
Germanica, ejusque Metropolis *Agrippinæ Maternus* Episcopus.
Ex Hispaniis, Provincia Tarraconensis, cujus Metropolis *Tarracon*.
Bætica, cujus Metropolis *Ispalis*.
Lusitania, cujus Metropolis *Emeritæ Liberius* Episcopus.
Ex Britannia, *Londini* Metropolis Episcopus *Restitutus*.
Africa Proconsularis, ejusque Metropolis *Carthaginis Cæcilianus* Episcopus.
Numidia, & ex ea *Victor*, & *Vitalis* Episcopi.
Byzacena, ex qua *Eburius*, & *Adelphius* Episcopi.
Mauritania Cæsariensis, ex qua *Fortunatus* Episcopus *Cæsariensis*.
Reliquæ vero cum Orientis, tum Occidentis Provinciæ facile innotescere poterunt ex variis Conciliis utrobique celebratis.

V. Inter tot Metropoles hactenus recensitas, Roma Ecclesiarum omnium caput; & Princeps, deinde Alexandria, & Antiochia reliquis semper anteiverunt dignitate, & auctoritate: quibus deinceps accesserunt Constantinopolis, & Jerosolymæ: quæ ut aliis etiam nomine antecellerent, *Patriarchales* dictæ sunt. Sed de his infra. Præter has in Oriente eminuerunt quammaxime Ephesus Asiæ, Heraclea Thraciæ, & Cæsarea Cappadociæ Metropoles, quæ nulli suberant Patriarchæ, sed ipsæ aliis Metropolibus præerant, unde illarum Antistites Autocephali vocabantur; & in Synodis Oecumenicis post Patriarchas primi omnium sedebant. Hos ut a reliquis Metropolitis discerneret antiquitas, Exarchos appellavit, qui utique Metropolitanis superiores, Patriarchis dignitate inferiores erant, nec iis semper fuerunt subditi. Ii vero tres in Orientali Ecclesia Exarchi semper habiti sunt spectatissimi, Ephesinus, Heracleensis, & Cæsariensis Episcopi. Ephesino Asiatica, Cæsariensi Pontica, Heracleensi Thracica, Diœceses parebant. Hos abs dubio spectavit Nicæna Synodus (1) *can.* 6. cum enim dixisset: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Statim sub-

(1) Concil. Nicænum c. 1.

subdit: *Similiter autem apud Antiochiam ceterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis*. Quæ sane verba indicant, alios in Oriente præter Alexandrinum, & Antiochenum plures Provincias administrasse; & licet tres illos Exarchos non exprimat, eos tamen post Alexandrinum, & Antiochenum, nominat secunda Synodus Oecumenica, & prima Constantinopolitana *can.* 2. (1) Nicænum magis explicando: *Episcopi qui extra Diœcesim sunt, ad Ecclesias quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant Ecclesias: sed secundum regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantum gubernet; Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus Primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo Diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantum Diœcesis habeant curam: Thraciæ vero, ipsius tantummodo Thraciæ*. Distributionem Imperii imitari videntur Patres Constantinopolitani in Ecclesiarum Orientis limitibus definiendis: sicut enim quinque in civili Politia Diœceses numerabantur, scilicet Orientis, Ægypti, Asiæ, Ponti, Thraciæ; ita & totidem in Ecclesiastica illis respondebant: ita tamen, ut Orientis, Antiocheno, Ægypti, Alexandrino, Patriarchis subessent, tres vero reliquæ Diœceses tribus Exarchis antea laudatis, de quibus hic agimus.

VI. Asiana Diœcesis decem quidem Provinciis constabat in Notitia Imperii, scilicet Pamphylia, Lydia, Hellesponto, Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria, & Insulis: sed in Politiæ Ecclesiasticæ ratione undecim Provincias complectebatur, teste Thodoreto *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 28. quod ex Theodosii lege (2) supra explicavimus, quæ Asiam Proconsularem ab Asiatica Diœcesi discernit: ea vero decem aliis Provinciis adjecta, numerum complet undecim Provinciarum a Theodoreto designatum. Solidæ Proconsularis Asiæ Metropolis Ephesus semper habita est, eaque eamdem retinuit dignitatem in Politia Ecclesiastica, cujus auctoritas in totam Diœcesim Asiæ fundebatur, teste Chrysostomo *in Commentar. epistolæ ad Ephesios*; adeo ut ei *jus Patriarchicum* tribuat *Evagrius lib.* 3. *cap.* 16. Nec dubium quin ab Apostolis jacta fuerint prima Ephesini Exarchatus fundamenta: nam Eusebius (3) Timotheum a D. Paulo primum Ephesiorum Episcopum ordinatum refert: *Sed & Lucas*, inquit, *in Actibus Discipulos Pauli enumerans, singulos nominatim appellat. Ex his Timotheus quidem Ephesinæ Ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur*. Hoc ipsum tradit Nicephorus *lib.* 3. *cap.* 1. sed nec obscure insinuat ipse Paulus ad Timotheum hæc scribens: (4) *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam ne aliter docerent*. Biennio siquidem Paulus Ephesi commoratus Ecclesiam illam fundaverat; (5) sed Spiritus Sancti jussu inde in Macedoniam profecturus Ephesinam Ecclesiam Timotheo commendavit, quem illi Episcopum præfecerat, cui propterea in priore epistola ad (6) ipsum data, quæ sint Episcopi munera ab eo exercenda exponit: duas quoque ad eum scripsit epistolas, in cujus primæ argumento Theodoretus ait: *Huic*, scilicet Timotheo, *Asiæ curam commisit Divinus Paulus*, quan-

(1) Concil. CP. 1. c. 2.
(2) Cod. Theodos. leg. 5. de Fide Catholic.
(3) Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 4.
(4) Ad Timoth. c. 1.
(5) Act. cap. 20.
(6) Ad Timoth. c. 5.

quando nimirum eum rogavit, egitque *ut Ephesi maneret*. Alteram itidem Apostolus epistolam ad Ephesios inscripsit, quod Ephesus esset Asiæ Metropolis, uti in ejus Commentar. Chrysostomus observat: *Est quidem Ephesus Asiæ Metropolis*: ut proinde Timotheus non solius Ephesi Episcopus, sed totius Asiæ Exarchus a Divo Paulo fuerit institutus.

VII. Post Timothei Martyrium Exarchatus Ephesinus tunc maxime enituit, cum Sanctus Joannes Apostolus, & Evangelista Sedem suam ibidem fixit. Neque enim hac in parte ulla fides adhibenda est Auctori Actorum Sancti Timothei, dum ait: *Joanne per Domitianum in Insulam Patmon relegato, Timotheus ejus loco suscepit Episcopatum Ephesiorum*: quem & antea ab ipso Joanne Episcopum Ephesinum ordinatum affirmat. Repugnat quandoquidem hæc narratio antiquis Scriptoribus, Eusebio, Theodoreto, Nicephoro, Chrysostomo, ceterisque: immo Chrysostomus eam confutat ejusdem Pauli verbis antea laudatis. Ab his nihil abest S. Irenæus [1] *lib.* 3. *adverf. hæreses*. *Ephesina Ecclesia, quæ a Paulo quidem fundata est, Joannem vero usque ad Trajani tempora habuit præsidentem, testis locupletissima est Apostolicæ Traditionis*. Quamquam etenim nullam Timothei mentionem faciat, fatetur tamen Ephesinam Ecclesiam a D. Paulo fundatam: porro Apostolus Paulus illius regimen Timotheo demandavit, ut paulo antea vidimus. Quare nonnisi post Timotheum Joannes Evangelista Ephesinam Ecclesiam gubernandam suscepit, quam ab exilio reversus usque ad Trajani tempora administravit. Atque hujus rei testes locupletissimos Eusebius laudat Hegesippum Apostolorum Discipulum, & Tertullianum, & alios veteres: loquens enim de Domitiani Principis obitu inquit: [1] *Tunc igitur & Joannem Apostolum insulari exilio liberatum, suum in urbe Ephesò domicilium postliminio recepisse, vetustiorum nobis tradidit fides*. Eumdem vero Ephesi commorantem Asiæ Ecclesias rexisse statim subjungit: *Iisdem temporibus in Asia Apostolus ille, & Evangelista Joannes, quem Jesus præcipue dilexerat, adhuc in vivis agens Ecclesias regionis illius gubernabat, post Domitiani mortem reversus ab exilio, quod in insula pertulerat*. Id duplici probat testimonio Sancti Irenæi Martyris, altero ex *lib.* 3. *adversus hæreses*, quod paulo ante protulimus, altero ex lib. 2. ubi ait: *Et omnes Presbyteri, qui cum Joanne Domini discipulo in Asia familiariter versati sunt, ita sibi a Joanne traditum esse testantur: vixit enim apud illos usque ad tempora Trajani*. Instar multorum est istud Irenæi oraculum, cum fateatur, veterem esse traditionem eorum, qui cum Joanne in Asia fuerant conversati; eamque a Joannis Discipulis ad posteros traductam. Ejusdem traditionis testem Eusebius laudat Clementem Alexandrinum.

VIII. Non in solam Asiam Proconsularem, sed & in Provincias reliquas Asianæ Diœceseos, Exarchatus sui jura extendisse Joannem, manifestum est ex *Apocalypsis cap.* 1. & 2. ubi præter Ephesinam Ecclesiam, Divi Joannis curæ committuntur, Laodiceæ, Sardis, Smyrnæ, Pergami, Philadelphiæ, & Thyatiræ Ecclesiæ, inter quas Sardis Provinciæ Lydiæ, & Laodicea Phrygiæ Metropoles erant; Thyatira vero ad antiquam Mysiam spectasse videtur. Has utique, & plerasque alias Asiæ Ecclesias D. Joannes aut fundavit, aut rexit, quoniam, ut inquit S. Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *Joannes to-*

(1) S. Irenæus apud Eusebium lib. 3. Hist. c. 23.

(1) Eusebius lib. 3. c. 20. & 23.

totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias. Et ante Hieronymum hoc ipsum tradiderat Clemens Alexandrinus apud Eusebium: [1] *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque Provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi a divino spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret.* Accuratam Henrici Valesii versionem secuti sumus, quæ lucis non parum affert iis, quæ nuper docuimus, non solum enim vicinas Asiæ gentes, quod habet vetus versio, sed etiam vicinas Asiæ Provincias a D. Joanne gubernatas affirmat, atque in iis Episcopos ordinatos, res Ecclesiarum rite dispositas, & Clerum in illis constitutum. Quamobrem Ephesinus Exarchatus Joanne adhuc superstite, jura sua protendebat, nedum in Provinciam Proconsularem, cujus Ephesus erat Metropolis, sed etiam in reliquas omnes Asianæ Diœceseos Provincias, quas Eusebius Asiæ finitimas vocat. Atque hanc dicit veterem traditionem, cujus testes laudat, Hegesippum, Clementem Alexandrinum, & Tertullianum *lib.* 4. *cont. Marcionem*. His postmodum accesserunt, Eusebius ipse, Epiphanius *hæres* 51. Chrysostomus *hom.* 1. *in epist. ad Ephesios; & hom.* 34. *in Acta Apostol.* Theodoretus antea laudatus, Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 42. *& lib.* 3. *c.* 11. Certe Polycrates unus ex Sancti Joannis successoribus in Ephesina Sede, qui secundo seculo floruit, omnibus Asiæ Ecclesiis præerat. Exorta siquidem celebri illa controversia de Festo Paschatis, quid de illa censerent Ecclesiæ Asiaticæ explicat Eusebius: *Omnes* [2] *per Asiam Ecclesiæ vetusta, quadam traditione nixæ, quartadecima lunæ salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant.* Non unam, vel alteram nominat, sed omnes Asiæ Ecclesias, quæ luna quartadecima festum Paschatis celebrabant: earum porro Episcopis, qui in eo ritu conveniebant, Polycratem Ephesiorum Antistitem præfuisse postea subdit: *Episcopis* [3] *vero Asiæ, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates præerat.* Huic idcirco tamquam Exarcho Victor Papa mandavit, ut pro illa quæstione componenda Synodum Episcoporum Asiæ celebraret, quo munere ille functus fuit, ascitis ex tota Asia Episcopis, ut in litteris ad Victorem datis fatetur: *Possem*, inquit, *etiam Episcoporum, qui mecum fuere, facere mentionem, quos petistis ut convocarem, sicut & feci, quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur.* Præsidebat ergo Polycrates omnibus Asiæ Episcopis, profecto non alio jure, quam Exarchi Ephesini, cujus Sedes ab ipsa Joannis Evangelistæ ætate hoc privilegio fruebatur. De quo illustre testimonium præbent Ephesini Concilii III. Oecumenici Acta, in quibus Sedes Ephesina ex majoribus Thronis fuisse dicitur, a Patriarchæ Orientis jurisdictione immunis, haud secus ac Proconsul Asiæ ab imperio Præfecti Prætorio exemptus erat, teste Eunapio *in Vita Maximi Philosophi*. Hanc ob causam in Concilio Chalcedonensi [4] Memnone, & Bassiano de Ephesina Sede contendentibus, depositis, cum Patres alium Ephesinum Episcopum constituere, & ordinare vellent in ipsa urbe Chalcedone, obstiterunt Asiani Antistites, atque omnium nomine Leontius Magnesiæ Episcopus coram Synodo obtestatus est, a Timotheo, D. Pauli ob-

(1) Eusebius lib. 3. Histor. Ecclef. c. 23.
(2) Eusebius lib. 5. c. 23.

(3) Ibid. c. 24.
(4) Concil. Chalcedon. Act. 11.

Discipulo, usque ad illud tempus, omnes Ephesinorum Episcopos in Asia electos, & Ephesi ordinatos esse: *A Sancto Timotheo*, inquit, *usque nunc viginti septem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati*. Nam Ephesinus, uti & Heracleensis, & Cæsariensis Primates & Exarchi, instar Patriarcharum in ipsa sua Primatiali Sede, ac Synodo eligendi erant, & consecrandi.

IX. Ceterum Ephesini, sicut etiam, Heracleensis, & Cæsariensis Exarchorum brevis admodum fuit auctoritas, cœpitque ea paulatim decrescere posteaquam in secunda Synodo Oecumenica jacta sunt Patriarchatus Constantinopolitani fundamenta, fortius vero stabilita & ampliata ejus potestas can. 28. Chalcedonensi. Regiæ siquidem urbis Antistites nova aucti dignitate sensim Asiam, Pontum, & Thraciam sibi subjicere tentarunt: qua de re inferius. Verumtamen in Synodo Ephesi habita anno 476. Basilisco imperante, jus ordinandi Metropolitanos Asiaticæ Diœcesis decreto Synodi Chalcedonensis act. 16. ablatum, Ephesino Exarcho restituit Timotheus Ælurus, dum Paulum in laudata Synodo Ephesina Ephesiorum Episcopum ordinavit, eique pristinum jus reddidit, ut ex Zacharia Rhetore narrat Evagrius: *Idem Zacharias*, (1) ait, *Timotheum Constantinopoli digressum in Ephesiorum urbem venisse, atque illic Paulum in Archiepiscopali Sede collocasse. Qui cum jam prius ab Episcopis illius Provinciæ juxta antiquiorem consuetudinem ordinatus fuisset, Sede sua exciderat. Reddidit etiam Timotheus Ephesinæ Ecclesiæ jus Patriarchicum, quod illi ademptum fuerat, a Chalcedonensi Synodo*. In quem Evagrii locum recte notat Valesius, verissimum esse, quod ait Zacharias Rhetor, vetustiorem scilicet consuetudinem fuisse, ut Episcopus Ephesi ab Episcopis suæ Provinciæ ordinaretur. Jus autem Patriarchicum appellat Zacharias ejus Primatum, seu jus ordinandi Metropolitanos. In hoc siquidem proprie consistit jus Patriarchicum: quod deinde Theodorus Ephesiorum Antistes in sexta Synodo Oecumenica *Exarchicum* nuncupavit: ita enim ejus Synodicæ subscripsit: *Theodorus misericordia Dei Episcopus Ephesiorum Metropoleos, & Exarchus Asianæ Diœceseos pro me, & Synodo, quæ sub me est, similiter subscripsi*.

X. Pontica Diœcesis totum tractum a Bithynia usque ad Armeniam, adjectis Galatia, & Cappadocia complectebatur, & Vicario parebat. In civili distributione Imperii decem Provinciis conflata erat, quas Notitia Arcadii, & Honorii temporibus edita sic exhibet: *Diœcesis Pontica habens Galatiam, Bithyniam, Honoriadem, Cappadociam I. Cappadociam II. Pontum Polemoniacum, Hellenopontum, Armeniam I. Armeniam II. Galatiam Salutarem*. In dispositione tamen Ecclesiastica undecim Provinciis constabat, teste Theodoreto *lib. 6. Hist. Eccles. c. 9*. Eadem quæ Vicarii Præfecti Sedes, etiam totius Ponticæ Diœcesis caput, & Metropolis fuit Cæsarea, quam S. Gregorius Nazianzenus in Orat. de laudibus Basilii ceterarum *Matrem* appellat. Illius propterea Episcopus non solum Cappadociæ I. Metropolitanus, sed etiam totius Ponti Exarchus jam a primis Ecclesiæ seculis habitus est. Id testatur maxima auctoritas, qua in totam Ponticam Diœcesim usus est Firmilianus Cæsareæ Metropolita, cum gravis illa quæstio excitata esset de hæreticorum baptismate. In litteris quippe ad S. Cyprianum datis fatetur, se Iconii Synodum cele-

(1) Eugenius lib. 3. c. 5. & seq.

brasse, conflatam ex Episcopis Galatiæ, Ciliciæ, & ceteris proximis regionibus: (1) *Hæretico*, inquit, *sicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare, nec quidquam sancte, nec spiritualiter gerere, quando alienus sit a spirituali, & deifica sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum, convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur*. Hæc Firmilianus, cum adhuc in errore de iterando hæreticorum baptismate detentus esset. Verumtamen inde perspicuum fit, eum cum suis ex Galatia, & Cappadocia Episcopis, aliisque finitimarum regionum, utique Diœceseos Ponticæ Iconium ad Nationale Concilium profectum esse: & licet Phrygia, cujus Metropolis erat Iconium, sicut & Cilicia alterius Diœceseos Provinciæ essent, hoc unum tamen constat, Firmilianum veluti Ponti Exarchum Episcopos istius Diœcesis ad hanc Synodum, uti & ad alteram Synadis habitam convocasse, in quibus ipse primas partes egerit. Hinc Dionysius Alexandrinus *in epist.* ad S. Stephanum Papam, quam refert Eusebius *lib. 7. Hist. Eccles. c. 5.* inter *Illustriores Orientis Episcopos*, Firmilianum Cæsareæ nominat: (2) *Firmilianum, denique*, inquit, *cum universa Cappadocia*. Quamvis autem solius Cappadociæ expressam mentionem fecerit, ceteras tamen Ponticæ Diœcesis Provincias deinde insinuavit, de Stephano ita loquens: *Antea quidem litteras scripserat de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas Provincias constitutis: sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent*. Porro Helenus erat Archiepiscopus Tarsi, & totius Ciliciæ Metropolita: Firmilianus vero Cæsareæ Archiepiscopus, Cappadociæ Metropolita, & totius Ponti Exarchus, idcirco post Cappadociam, cunctas quoque finitimas Provincias memoravit, quæ utique aliæ esse non poterant, quam Ponticæ Diœcesis, cui Firmilianus præerat. Quare Eusebius *lib. 7. Hist. Eccles. c. 28.* inter Episcopos illos, qui eo tempore, quo Synodus Antiochena contra Paulum Samosatenum indicta est, præ ceteris insignes erant, primo loco nominat *Firmilianum Cæsareæ Cappadocum*. Et (3) ipsa Synodus Antiochena in epistola adversus eumdem Paulum ad omnes Episcopos scripta testatur, se nominatim litteras direxisse *ad Dionysium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Antistitem*: quod scilicet alter Alexandriæ, & Ægypti Patriarcha, alter Ponti Exarchus, præ ceteris eminerent.

XI. Armeniæ Provincias Cæsariensi Metropolitæ, ac Primati olim subjectas demonstrat Gregorii primi Armenorum Episcopi ordinatio ab Episcopo Cæsariensi facta, de qua hæc narrat Metaphrastes apud Surium: *Rex* (4) *Armeniæ Tiridates sexdecim viros elegit, quos in Cæsaream Cappadociæ cum Gregorio mittit, ut a Leontio* (is quippe tunc ibi residebat Pontifex) *acciperet donum Pontificatus*. Et infra: *Leontius magnum Gregorium, & Legatos accipit honorifice, & cum eum simul adhibitis aliis qui aderant Episcopis consecrasset, cum pari humanitate dimittit, & honore*. Non solum autem Gregorius Armeniæ Episcopus a Leontio Cæsariensi Exarcho consecrari voluit, verum etiam

(1) Apud S. Cyprianum epist. 75.
(2) Apud Eusebium lib. 7. Hist. Eccles. c. 5.
(3) Ibid. c. 28.
(4) Metaphrast. apud Surium die 30. Septembr.

etiam posteris suis mandavit, ut Armeniæ Episcopos non paterentur ab alio, quam a Metropolita Cæsariensi consecrari. Disertissimum ejus rei testimonium nobis exhibet Sanctus Nicon in epistola ad Enclistium: *Deinde* [1] *cum magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus, cavisset Armeniæ Episcopum a nullo alio esse ordinandum, quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, ut ipse fuerat ordinatus, & horrende execrationes, & anathema in eos sit intentatum, qui aliter faciunt, hæc quidem illi transgrediuntur.* Hunc Niconis locum transcripsit Baronius *Tom.* 3. *Annal.* atque hæc a Gregorio sancita existimat ob Leontii famam, & nominis celebritatem: cum potius rejicienda sint in eximiam illam auctoritatem, quam ut Ponticæ Diœcesis, cui Armenia tributa fuerat, Exarchus obtinebat. Alioquin cum uno Leontio expirasset hæc Armenorum subjectio, nec Gregorius ad ejus etiam Successores illam extendisset. Et vero Magnus Basilius neutiquam censuit, se auctoritatis suæ limites prætergredi, cum intrusum Nicopolitanum in Armenia Metropolitam Throno dejecit, hæc in quadam epistola obtestatus: [2] *Non agnosco Episcopum, nec Christi illum Sacerdotibus adnumerarim.* Aliis præterea litteris datis ad Senatum, & ad Clericos Colonienses [3] *in extremis Armeniæ angulis constitutos*, significat, Nicopolitanum Metropolitam â se ordinatum, eosdemque hortatur, ut ipsi obtemperent: *Nolite litigare cum Nicopolitana illa vestrum Metropoli Ecclesia, neve durius in eos animati sitis, qui vestrarum animarum curam susceperunt. Certe cum Nicopolitana res probe ordinatur, & vestra etiam portio conservabitur. Quod si illam tempestas apprehenderit, utcumque sexcentos, qui vos custodient, obtineatis; tamen partem necesse est pessumdari, & cum suo capite interire.* Paucisque interjectis, de Euphronico Nicopolis Episcopo subdit: *Suscipiat proinde Nicopolis curam, & accedat ad illam ibi sollicitudinem, & vestræ quoque res loco additamenti.* Tandem epistolam claudit: *Nostram quoque præsentiam expectate, qui, si Deus concesserit, adventuri sumus, & quæ non potuimus per litteras commonefacere, ea coram & præsentes pietati vestræ suggeremus.* Ex quibus postremis verbis patet, a Basilio tamquam Cæsareæ Exarcho non solum Sede pulsum Nicopolitanum Armeniæ Metropolitam, & alium in ejus locum suffectum, suffragio tamen plebis, ut moris erat; sed etiam omnium Ecclesiarum Armeniæ curam susceptam, quas proinde se lustraturum pollicetur. Et re ipsa eum Armenias lustrasse, & statum illarum Ecclesiarum disposuisse, fidem facit ejus epistola *Apologetica* ad Terentium Comitem data, quem ex Ammiano *lib.* 27. discimus, tunc in Armeniam cum exercitu ad cohibendos Persas directum a Valente.

Quæ de Armeniis diximus, de aliis quoque Provinciis Ponticæ Diœcesis intelligenda sunt: nam Eusebius, qui ante Basilium Cæsariensem Ecclesiam rexit, Thyanis, quæ secundæ Cappadociæ Metropolis est, Synodum celebravit, auctore Sozomeno *lib.* 6. *c.* 12. qui etiam *lib.* 8. *c.* 6. narrat, Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuisse ab Helladio Divi Basilii in Cathedra Cæsariensi successore. In universum vero totius Ponticæ Diœcesis curam Exarcho Cæsariensi commissam fuisse, declarant litteræ Sancti Basilii [4] *Ponticæ Diœcesis Episcopis* inscriptæ, quibus eos ad solemne Eutychii, & Damæ Martyrum festum celebrandum invitat, quod singulis annis celebrari consueverat: qua

(1) Nicon epist. ad Enclistium Tom. 1. Biblioth. PP.
(2) S. Basilius epist. 192.
(3) Epist. 190. & 192.
(4) Idem epist. 191.

qua itidem occasione Cæsarienses Metropolitæ Synodum ex Episcopis ejusdem Diœcesis collectam habebant; ut insinuat D. Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 3. §. 11. & alii viri eruditi expresse affirmant, atque in iis Gothofredus in Comment. *ad Tom.* 6. *Cod. Theodosiani*, *Tit.* 1. *leg.* 3. ubi ait: *Basilius expresse epistola* 291. *Ponticæ Diœcesis Episcopos Cæsaream ad Synodum de more convocavit*. Eumdem Cæsariensis Ecclesiæ Exarchatum confirmat lex Theodosii Imperatoris, quam refert Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 9. ea siquidem lege Ponticæ Diœcesis Helladio Cæsariensi tribuitur, ejusque limites *a Bithynia*, *usque ad Armenos extenduntur*. Per id tamen tempus Constantinopolitani Antistites in Ponticam, sicuti etiam in Asiaticam, & Thracicam, Diœceses, auctoritatem suam diffundere satagebant; sed eis Exarchos illarum initio obstitisse patet ex his, quæ de Ephesino supra docuimus, & quæ Sozomenus laudatus de Cæsariensi narrat. Prævaluit tandem Constantinopolitana Sedes, & Imperatorum auctoritate freta, tres illas Diœceses sibi obnoxias fecit, quarum Metropolitæ sola Exarchorum nominis gloriola contenti, præcipuo jure Primatûs exciderunt. Usque ad sextæ Synodi tempora Cæsariensis Episcopus Exarchi titulum retinuit; siquidem *Act.* 18. decretis ejusdem Synodi subscriptus legitur, *Philalethes indignus Episcopus Cæsareæ magnæ civitatis primæ Cappadociæ Provinciæ*, *Exarchus Ponticæ Diœceseos*. Post id tempus ab hoc etiam titulo abstinuit, & Synodo Oecumenicæ VII. post Vicarios Patriarcharum Orientis subscripsit primo loco *Agapius Cæsareensis Cappadociæ Episcopus*.

XII. Diœcesis Thracica sex Provinciis, cum in Imperii, tum in Ecclesiæ Notitia constabat, *Europa* nimirum, *Thracia*, *Hæmimonto*, *Rhodopa*, *Mæsia II. & Scythia*. In his autem Provinciis primum locum Europa obtinet, ob causam a D. Petro de Marca designatam *lib.* 1. *Concord. c.* 3. §. 11. quia in Diœcesi Thracica post deletum a Severo Byzantium, Heraclea, seu Perinthus Europæ civitas præcipuam Metropoleos dignitatem nacta est, ut testantur Zosimus *lib.* 1. *& Procopius lib.* 4. *de ædificiis illustr.* Inde quæsitus Heracleæ Episcopo Exarchi Thraciæ titulus, & auctoritas. Non adeo antiqua videntur hujus Exarchatus primordia, sicut & præcedentium, vel saltem non adeo explorata. Cœpisse tamen creditur Heracleensis Exarchatus a tertio seculo, & fere ad quarti seculi finem jus suum in Thraciam obtinuisse. Constantinopolitana Synodus *canone* 2. juxta Nicænæ regulas, quas laudat, Thraciam tertio loco inter Diœceses autocephalas enumerat: sicuti etiam Theodosius Magnus in lege, quam dedit ad Auxonium Proconsulem Asiæ de Episcopis Catholicis restituendis, apud Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 9. Quamquam per id tempus, cum decreto ejusdem Synodi secundæ Oecumenicæ Episcopo CP. secundæ honoris partes tributæ essent, imminui cœpisset auctoritas Exarchi Heracleensis, & Diœcesis Thraciæ caput ac Metropolis videretur Constantinopolis. Hinc Theodosius Imperator in prædicta lege Nectarium Episcopum CP. præfert Patriarchis Orientis, & Asiana, ac Pontica Diœcesibus commemoratis, Thracicam siluit, quod hæc jam Constantinopolitano adjudicata esset: en Theodosii verba: (1) *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, quos constabit communione Nectarii Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ*, *Timothei*, necnon in-

(1) Cod. Theodos. tit. 1. de fide Catholica l. 3.

intra Ægyptum Alexandrinæ urbis Episcopi esse sociatos: quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi; in Asia necnon Proconsulari, atque Asiana Diœcesi Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno: in Pontica Diœcesi Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otrejo Meliteno, & Gregorio Episcopo Nysseno, Terentio Episcopo Scythiæ, Marmario Episcopo Marcianopolis communicare constiterit. Thraciæ Diœcesim non commemorat Theodosius, tametsi Terentium, seu, ut Sozomenus vocat, Terentium Scythiæ, & Marmarium, quem Sozomenus appellat Martyrium, Marcianopolis Episcopum recenseat, ad Diœcesim Thraciæ pertinentes. Ceterum Sozomenus ipse Theodosianam hanc legem referens, qua & confirmari canonem 2. Synodi CP. 1. asserit, quemadmodum Asianæ, & Ponticæ, ita & Thraciæ Diœcesis disertam mentionem facit his verbis: *Imperator* (1) *namque* Theodosius *statuta a Synodo Constantinopolitana suffragio suo comprobavit, legemque tulit, ut fides eorum, qui Nicææ olim convenerant, rata esset, utque omnibus in locis Ecclesiæ iis traderentur, qui in trium Personarum subsistentia, honore, ac potestate æqualium, unam eamdemque deitatem confiterentur Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti. Hos autem esse definivit, qui Constantinopoli quidem communicarent cum Nectario; in Ægypto vero cum Timotheo Episcopo Alexandriæ; in Orientis autem Provinciis eos, qui communicarent cum Diodoro Tarsi Episcopo, & Pelagio Episcopo Laodiceæ in Syria; in Asiana autem Diœcesi cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ Antistite; in Pontica vero Diœcesi a Bithynis usque ad Armenios eos, qui communione juncti essent cum Helladio Cæsareæ Cappadocum Episcopo, & Gregorio Nysæ, & Otrejo Melitinæ: in urbibus denique Thraciæ, ac Scythiæ eos, qui cum Terentio Tomitano, & Martyrio Marcianopolis Episcopo communicarent*. Cum ergo Theodosii lex a Sozomeno relata Thraciæ expressam mentionem faciat, hinc conjici potest, hujus Diœceseos nomen in Theodosiano Codice excidisse.

XIII. Hic tamen non vacat dubitationi locus, cur lex Theodosiana Antistitum Tomorum, & Marcianopolis meminerit, nihil vero commemoret de Heracleensi vetere Exarcho totius Thraciæ? Eruditissimus vir Gothofredus existimat, consulto in hac lege prætermitti Heracleensem Exarchum, propterea quod tunc temporis Diœcesis Thraciæ juris esset Patriarchæ Constantinopolitani. Ea quippe lex lata fuit 3. Kalend. Augusti *Eucherio, & Syagrio* Coss. hoc est eodem anno, quo jam 7. Iduum Juliarum conditus fuerat canon secundus Concilii Constantinopolitani, quo Regiæ urbis Episcopo secundæ honoris partes tributæ fuerant, eo quod in ea sederet urbe, quæ erat secunda Roma. Cum autem Regia hæc civitas in Thracia esset constituta, illius Episcopus nova hac honoris accessione Metropoliticam Thraciæ Diœceseos dignitatem obtinuerat. Favere videtur Gothofredi sententiæ Socrates, (2) qui agens *de can.* 2. Constantinopolitano ait: *Ac Nectarius quidem regiam Urbem, & Thraciæ Provincias sortitus est*. Idipsum confirmat Dom. Petrus de Marca (3) ex Sessionis ordine, quem in Synodis Oecumenicis servabant Patriarchæ, & Exarchi: In Synodo siquidem Chalcedonensi omnium frequentissima ante cancellos Altaris in medio sedebant glorio-

(1) Sozomenus lib. 7. c. 9.
(2) Socrates lib. 5. c. 5.

(3) Petrus de Marca lib. 1. Concord. c. 3. §. 11.

riosissimi Judices, & amplissimus Senatus: ,, ab eorum læva sedebant Legati Romani Pontificis, Anatolius Episcopus CP. Maximus Antiochiæ, Thalassius Cæsareæ, Stephanus Ephesi, [1] *& ceteri Episcopi Orientalis, Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ Diœceseon, exceptis Palæstinis*. Ex quo loco patet Exarchos Diœceseon fuisse, Maximum quidem Antiochenum Orientalis, Thalassium Cæsareensem Ponticæ, Stephanum Ephesinum Asianæ, & Anatolium Constantinopolitanum Thracicæ. A parte dextra Judicum considebant Dioscorus Archiepiscopus Alexandriæ, Juvenalis Jerosolymorum, Quintillus Heracleæ primæ Macedoniæ vices agens Anastasii Thessalonicensis Episcopi, cum reliquis Episcopis Ægyptiacæ Diœceseos, quæ suberat Alexandrino, & Illyricianæ, quæ a Thessalonicensi Vicario Romani Pontificis regebatur. Aderant præterea in hoc latere Palæstini Episcopi, quos ab Orientali Diœcesi distractos Episcopus Jerosolymorum sibi asserebat. Ceterum Thracica Diœcesis jam tum a Constantinopolitano Episcopo pendebat, depulso Heracleensi, quod per consequentiam e privilegio Primatus in ea Diœcesi facile invaluit, ad cujus Synodum Constantinopolitana Ecclesia pertinebat. Quod in fraudem impulit Socratem, cum jura communionis per Thraciam Nectario tributa fuisse scripsit. Huc alludit [2] epistola Marciani Imperatoris, qua præcipit Anatolio, ut accedat ad Concilium Chalcedonense una cum Episcopis sub Sacerdotii sui cura constitutis, idest cum Episcopis Thracicæ Diœceseos. ,, Hactenus D. Petrus de Marca.

XIV. At huic sententiæ objici posse videtur cum Schelstrate *Tom. 2. Antiq. Illustr. dissert. 5. cap. 2.* etiam post secundam Synodum Oecumenicam Thraciæ præfuisse proprium Exarchum, & quidem Heracleensem usque ad annum 451. quo statutum fuit a Concilio Chalcedonensi: [3] *ut si adversus Provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur*. Hoc ipsum inferius confirmat: [4] *Quod si quisquam a suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud Constantinopolitanam Sedem judicetur, sicut superius dictum est*. Ubi Græcus textus loco *Primatis Diœceseos* legit, *apud Exarchum Diœceseos*. Nec dubium, quin Chalcedonenses Patres eo loci loquantur de tribus Exarchis Ephesino, Cæsariensi, & Heracleensi, cum ii dumtaxat decreto ejusdem Synodi Chalcedonensis subjiciantur Patriarchæ CP. Igitur Heracleensis Episcopus nec dum jure Exarchatus ceciderat tempore Concilii Chalcedonensis, minus vero tempore Constantinopolitani, quod diu præcesserat. Sed non video cur cogamur asserere iis canonibus etiam Thraciam comprehendi, & non potius alias tantum Diœceses designari, Asiaticam scilicet, Ponticamque. Nec fundamento destituitur conjectura hæc nostra: siquidem Constantinopoli nec dum ad Primatus, sed & Patriarchatus fastigium sublimatæ necesse erat peculiarem Diœcesim adjudicare: porro nulla opportunior erat, quam Thracia, cum & Urbs illa intra ejus limites sita esset. Quare a vero non abest, tunc temporis jam excidisse Exarchatum Heracleensem. Atque argumento mihi est, quod absoluta Synodo CP. Ephesina, & Cæsarien-

sis

(1) Concil. Chalced. Act. 1.
(2) Part. 1. Conc. Chalcedon. c. 37.

(3) Conc. Chalcedon. c. 9.
(4) Can. 17.

sis Metropoles aliquando recusaverint subire jugum Patriarchatus CP. immo Ephesina etiam post Chalcedonense Concilium pristinis juribus saltem ad tempus fuerit restituta; secus Heracleensis, cujus Episcopus deinceps ab Exarchi titulo abstinuit, quem tamen retinuerunt Ephesinus, & Cæsariensis, ut constat ex quinta, & sexta Synodo, in quibus se Exarchos inscribunt, Heracleensis autem se Episcopum dumtaxat nominat *Heracleæ Metropolis Provinciæ Europæorum*. Quare postquam Sedes Constantinopolitana in Patriarchicam dignitatem evecta est, Thracicam Diœcesim primum ad se traxit, ejusque Exarchum Heracleensem inter Metropolitanos dejecit, & si quid honoris Primatus ei reliquit, solius nominis fuit. Tum deinde & duo reliqui Exarchi, nimirum Ephesinus, & Cæsariensis ab auctoritate sua dejecti sunt, eorumque Diœceses in Sedem Constantinopolitanam transcriptæ, unum veluti corpus hujusce novi Patriarchatus composuerunt. Exinde tres Exarchi antea immunes Constantinopolitano subesse cœperunt, sola primi post Patriarchas in Synodis Oecumenicis consessus prærogativa contenti, qua & paulo post pæne spoliati sunt; cum in quinta Synodo Thessalonicensis Archiepiscopus statim post Patriarchas Orientis, & etiam Carthaginensis ante Heracleensem sederint.

CAPUT II.

Synopsis.

I. *IN Occidente Primates & Exarchi ii erant, quibus Vicariatus Apostolicæ Sedis commissus erat. Inter quos celebris fuit Thessalonicensis Illyrici Exarchus. Tres Illyrici Diœceses cum suis Provinciis illi parebant.*

II. Aucta fuit ejus dignitas Apostolica Legatione, quam ipsi Damasus, Siricius, & secuti Pontifices demandarunt. Usque ad num. V.

V. Sex Diœcesis Macedoniæ Provinciæ Thessalonicensi subjectæ ab Innocentio I. itemque omnes Diœcesis Daciæ.

VI. Omnes hujusmodi Provinciarum Metropoles numerantur. Post Thessalonicam, Corinthus omnibus nobilior fuit, & totius Achajæ Metropolis.

VII. Aliarum quoque Metropoleon Illyrici antiquitas commendatur.

VIII. Quantus honor Thessalonicensi Primati in Conciliis Oecumenicis delatus sit.

IX. Imminuta fuit Thessalonicensis Episcopi auctoritas, quando Prima Justiniana totius Illyrici Occidentalis caput instituta fuit. In quas Illyrici Provincias sese diffunderet Episcopi Primæ Justinianæ potestas.

X. Erepto Patriarchatui Romano Illyrico Orientali a Leone Isaurico, Exarchatus Thessalonicensis penitus corruit. Rursum excitatur ab Innocentio III. cum Latini capta Constantinopoli Regnum Thessalonicæ fundaverunt. Tamdiu stetit Exarchatus iste, quamdiu & Latinorum Imperium in Græcia, quo extincto, & ille desiit.

I. Oc-

I. Ccidens, non secus ac Oriens, suos habuit Exarchos; hoc tantum discrimine, quod Orientis Exarchi primitus nulli Patriarchæ erant subditi; Occidentis vero omnes Romano Pontifici ut Patriarchæ parebant. Iis plerumque adnexum fuit munus Apostolicæ Legationis, seu Vicariatus Apostolicæ Sedis: de quibus antea propriis locis egimus. Unus est ceteris illustrior, & antiquior Thessalonicensis, totius Illyrici Exarchus, cujus origo, & progressus hic vestigandi sunt. Quamvis enim Thessalonica urbs sit Illyrici Orientalis, quia tamen utrumque Illyricum Romano Patriarchatui semper fuit obnoxium, idcirco Thessalonicensis Exarchus Occidenti accensetur. Amplissima fuit ejus auctoritas, utpote quæ sese porrigebat in tres vastissimas Diœceses, Macedoniæ nimirum, Daciæ, & Illyrici proprie dicti; cui proinde suberant ex Diœcesi Macedoniæ, Achaja, Macedonia, Creta, Thessalia, utraque Epirus vetus, & nova, & Macedonia Salutaris; ex Diœcesi Daciæ, Mœsia I. Dardania, Prævalitana, Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis: ex Diœcesi Illyrici proprie dicti, duæ Pannoniæ, Savia, Dalmatia, Noricum Mediterraneum, Noricum Ripense. Tam late patens jurisdictio ex Vicariatu Apostolicæ Sedis ortum duxit, tametsi etiam sub ipsis Christianæ Religionis primordiis, cunctis Græciæ, & Illyrici Ecclesiis præstaret Thessalonicensis. Hæc una antiquitus Metropolis fuit Provinciæ Macedoniæ, quæ in distributione Ecclesiastica omnem illum terræ tractum comprehendebat, qui e Thracia Dyrrachium usque pertingit: ad quam D. Paulus binas epistolas scripsit, in qua idem Paulus aliquando commoratus est: quamquam in eadem Macedonia esset etiam Philippensium civitas, quam prædicatione sua pariter, & litteris ipse Apostolus illustravit. Plurimum sane Thessalonicensi Ecclesiæ detulerunt Nicæni Patres, dum inter præcipuos Episcopos, quibus cura demandata fuit distribuendi per omnes Christiani Orbis Ecclesias Acta Magni Concilii, Alexandro quoque Thessalonicensi hanc provinciam commiserunt. Id enim testatur Catalogus prædictorum Episcoporum in Nicæna Synodo editus apud Gelasium Cyzicenum *lib. 2. cap. 35. Alexander Thessalonicæ per eos, qui sub ipso censentur, Ecclesiis in Macedonia prima, & secunda cum iis, quæ in Græcia, & Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Thessalia, & Achaja*. Sunt hæc veluti prima quædam delineamenta Primatus Thessalonicensis, quæ paulatim magnam perfectamque ejus imaginem repræsentarunt. Nam paucis post annis Aëtius Episcopus Thessalonicensis in Concilio Sardicensi *can. 16.* dixit: (1) *Non ignoratis qualis quantaque sit Thessalonicensium Metropolis. Sæpe itaque ad eam ex Provinciis Presbyteri, & Diaconi accedunt, & brevis temporis mora non contenti permanent, & omne tempus illic agentes transigunt, vel vix tandem post plurimum tempus in suas Ecclesias reverti coguntur*. Aliqua igitur Primatus jura jam tunc exprimebat Thessalonicensis Metropolis, ad quam non ex una, sed ex variis Provinciis Presbyteros, Diaconosque accessisse Aëtius commemorat.

II. Ex hac, qua jam ab antiquis temporibus Ecclesia Thessaloni-cen-

(1) In Conc. Sardicensi can. 16.

censis fulgere cœperat, splendida dignitate, factum arbitror, ut Romani Pontifices ipsi vices suas demandarint. Primus omnium Sanctus Damasus Papa Acholium Thessalonicensem Episcopum Apostolicæ Sedis Vicarium per totum Illyricum constituit: Siricius deinde Damasi successor Anysium eodem honore ac munere cumulavit; quam illi dignitatem etiam confirmaverunt Anastasius, & Innocentius I. quemadmodum testantur eorum litteræ, quas Bonifacius II. recitavit in Synodo Romana, & publici juris fecit Vir Clarissimus Dominus Lucas Holstenius *in Rom. Historia Bipartita* ex quibus liquet, a Siricio statutum fuisse, *ut nulla licentia esset sine consensu* Anysii *in Illyrico Episcopos ordinare*. Quod pariter indicat fragmentum epistolæ Innocentii ad eumdem Anysium datæ: (1) *Cui etiam*, inquit, *anteriores tanti ac tales viri Prædecessores mei Episcopi, idest, Sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir* (Anastasius) *ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ traderent cognoscenda: meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem, te decet recognoscere*. Generalia quidem sunt ista mandata, (ut recte observat Stephanus Baluzius *in Supplemento ad lib. 5. Petri de Marca de Concordia*, ubi de hoc Vicariatu pluribus disserit,) sed quæ tamen ostendunt, magnam a Sede Apostolica potestatem Anysio tributam fuisse, scilicet, ut omnia, quæ in Provinciis Illyricianis gererentur, ad notitiam & tribunal Thessalonicensis Episcopi essent referenda, cujus sententia & auctoritate ea componi oportebat. Istud tamen non ita intelligendum est, pæne ac si tum primum causæ omnes Illyrici ad curam Thessalonicensis Antistitis pertinere cœpissent, quando Apostolicæ Sedis Vicaria dignitate ornatus fuit; nam ex ejusdem Innocentii epistola ad Rufum, ea tantum delegatione effectum est, ut causæ secundum morem ad Romanum Pontificem, velut Patriarcham Occidentis referendæ, ad curam Thessalonicensis Episcopi spectarent, ut qui primus erat inter Primates Illyricos, idest primus Provinciarum illarum Metropolitanus, etiam ut Apostolicæ Sedis delegatus causas, quæ in illis Provinciis inciderent, terminaret. Nondum enim præfixi fuerant limites Vicariæ huic potestati, sed omnes omnino totius Illyrici causæ commissæ fuerant Episcopo Ecclesiæ Thessalonicensis. Immo ex laudatis Siricii Papæ litteris ad Anysium constat, absque consensu Thessalonicensis neminem illarum Provinciarum Episcopum ordinari potuisse.

III. Anysio e vivis erepto, Rufo, qui in Thessalonicensi Sede illi suffectus fuerat, quique de Sede Apostolica bene meritus, post acceptum ejus Vicariatum plurimis beneficiis Romanos Pontifices sibi devinxerat, ut Leo Magnus testatur, vices suas delegans idem Innocentius I. his eum verbis alloquitur: (2) *Nec aliter Apostolorum forma promulgata est, quam ut ipsi Principes Evangelii constituti ceterarum rerum causas necessitudinesque suis discipulis curandas obeundasque mandarint. Ita denique tota miseratione mirabilis Paulus, Tito quæ curet apud Cretam, Timotheo quæ per Asiam disponat, commisit ..... Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis a me disterminatis Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, causasque, siquæ exoriantur per Achaje,*

(1) Innocentius I. in epist. ad Anysium.
(2) Apud Holstenium in Collect. Romana pag. 49.
(3) Innocentius I. in epist. ad Rufum apud Holstenium ibid. pag. 48.

jæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mæsiæ, Dardaniæ, & Prævalis Ecclesias, Christo Domino annuente, censeam. Et infra: *Non primitus hæc ita statuentes, sed Prædecessores nostros Apostolicos imitati; qui beatissimis Acholio, & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt*. Tum paulo post addit. *Arripe itaque, dilectissime Frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo earum Primatu, curam, & inter ipsos Primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur; aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. Licitum autem, & Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ Fraternitati cognosce, ut cum aliqua Ecclesiastica ratio, vel in memoratis Provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum, socios, quibuscumque de Ecclesiis assumimus tecum, quorum & fide, & moderatione, quidquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor*. Hisce postremis verbis Innocentius eam Rufo potestatem facit, ut quoties ea emerserint, quæ congregationem Sacerdotum requirant, Synodos etiam extraordinarias ex Provinciis Illyricianis celebrare possit. Honorem illum retinuit Rufus etiam sub Zosimo, & Bonifacio, & Cœlestino successoribus Innocentii. Plures de hac re Bonifacii epistolas ad Rufum datas collegit Holstenius, in quarum secunda hæc habet: (1) *Te ergo, Frater charissime, omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ a nobis creditas recognosces: ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini judicii timore distringas: ut creditis tibi a Sede Apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum juste & prudenter utaris*. Hinc idem Pontifex severe animadvertit in Thessaliæ Episcopos, propterea quod in causa Perigenis Episcopi a Corinthiis postulati tumultuantes, Synodum citra consensum Rufi Thessalonicensis celebrare præsumpserant. Cœlestinus Bonifacii successor eumdem Rufum sui in Illyrico Vicarium adlegit, vel potius collatam ipsi a suis Prædecessoribus auctoritatem confirmavit, ut patet ex ipsius epistola ad Perigenem, & octo alios Illyrici Episcopos directa: (2) *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: simus subjecti, cum Canonum præcepta servamus. Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ Provinciis ad nos, cum simus longius, non possunt pervenire; aut jam semotis omnibus, non ita ut sunt acta, interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione Fratris & Coepiscopi nostri Rufi, volumus reservari. Cui vicem nostram per vestram Provinciam noveritis esse commissam: ita ut ad eum, quidquid de causis agitur, referatur. Sine ejus consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi Provinciam. Colligere nisi cum ejus voluntate Episcopos non præsumant; per eum etiam ad nos, si quid est, referatur*.

IV. Eumdem ordinem sequuti alii Pontifices hoc ipsum Apostolici Vicariatus munus concesserunt Thessalonicensibus Episcopis. Anastasium hujus Ecclesiæ Præsulem eo honore insignivit Xystus III. cujus rei fidem facit epistola, quam ipse scripsit universis Episcopis Thessalonicæ congregandis: (3) *Nos*, inquit, *Fratri, & Coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus; quantum Decessoribus ipsius a no-*

(1) Bonifacius I. epist. 2. ad Rufum.
(2) Cœlestinus I. in epist. ad Perigenem.

(3) Xistus III. in epistola ad Anastasium.

a nostris Decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur, hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta.... Habeant honorem suum Metropolitani singularem, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In Provincia sua jus habeant ordinandi; sed hoc inscio, vel invito, quem de omnibus volumus Ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur Antistitem, ipsum major cura respectet, eos qui ad Episcopatum vocantur discutiendi solicitius & probandi. Hoc ipsum continent aliæ ejusdem Pontificis epistolæ ad Proclum, & ad Illyrici Episcopos. Hanc eamdem prærogativam auctoritatemque impertiit Anastasio Thessalonicensi Sanctus Leo, inhærens, ut ipse ait, exemplo Siricii Papæ, qui Anysio vices suas certa ratione demandaverat. Istius rei causa ad ipsum litteras direxit, in quibus privilegia illi concessa enumerat: (1) *Nullus*, inquit, *te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes. Ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ Dilectionis examinatio formidetur. Quisquis vero de Metropolitanis Episcopis contra nostram præceptionem, præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem .... singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio .... Ad Synodum quisquis Fratrum fuerit evocatus, occurrat; nec Sanctæ Congregationi se deneget: in qua maxime constituendum esse noverit, quod ad Disciplinam poterit Ecclesiasticam pertinere.*

Ex Sancti Leonis, uti & præcedentium Summorum Pontificum litteræ declarant, quænam fuerint Privilegia Episcopo Thessalonicensi ab Apostolica Sede collata. De causis fere omnibus supremam ferebat sententiam: confirmabat electos Episcopos, & Metropolitas: tum jubebat eos consecrari. Ipsi quidem ordinationem Episcoporum omnium reservaverant Siricius, & Damasus: at Sanctus Leo Metropolitanis permisit ordinationem Suffraganeorum: Vicario autem Apostolico reservavit solam Metropolitarum consecrationem. Congregabat ex suæ Diœceseos Provinciis Concilia, quibus præerat, ibique causas omnes dirimebat, majoribus exceptis, quibus terminandis par non erat, aut quæ appellatione interjecta Romam potuerint referri, quas propterea ad Summum Pontificem remitti necesse erat. Has quippe excepit Leo Magnus in laudata ad Anastasium epistola: *Siqua vero*, inquit, *causa major evenerit, quæ a tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut revelante Domino, cujus misericordiæ profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus: ut cognitioni nostræ pro traditione veteris instituti, & debita Apostolicæ Sedis reverentia, nostro examine vindicemus. Ut enim auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerunt, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.* Ob hæc privilegia Thessalonicensi Episcopo concessa, is magno in pretio olim habebatur: quare in Conciliis Oecumenicis III. IV. V. & VI. post Patriarchas sedit, & subscripsit.

V. Nunc vestigandum est, quænam Illyrici Provinciæ Thessalonicensi Primati fuerint subjectæ? Quod ut assequi possimus, illud cum primis recolendum est, quod supra docuimus, nimirum Macedoniam in plures

(1) S. Leo in epist. ad Anastasium Thessalon.

res Provincias a Romanis dissectam Severi Imperatoris ætate, sub cujus Principatu facta est sequens Inscriptio, quam ante 270. annos Cyriacus Anconitanus Corinthi reperit: THEO PREPES. AUG. LIB. PROC. DOMINI.N.M.AURELII. SEVERI ALEXANDRI PROVINC. ACHAIAE ET EPIRI ET THESSALIAE. Qua inscriptione discimus, tunc a Macedonia jam avulsas fuisse, Achajam, Epirum, & Thessaliam; idque Hadriani temporibus factum indicat ejus Notitia Imperii superius exhibita. Unde Sextus Rufus in Epitome affirmat, in Diœcesi Macedoniæ per Achajam, & Macedoniam, fuisse Thessaliam, utrumque Epirum veterem scilicet, & novam: quibus addita Creta, consurgunt sex Provinciæ, quibus constat Diœcesis Macedoniæ. Has Romani Pontifices subjecerant Episcopo Thessalonicensi Apostolicæ Sedis Vicario, easque enumerat Innocentius I. in epistola ad Anysium: *Si quæ exoriantur causæ per Achajæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ*, Ecclesias. His adjungi debet Provincia Macedoniæ, quæ propria erat Thessalonicensis: quo pacto Provinciæ omnes a Notitia Imperii sub Diœcesi Macedoniæ collocatæ Thessalonicæ Antistiti tribuuntur. Præter Diœcesim Macedoniæ, alteram quoque Illyrici Orientalis, nempe Daciam prædictus Innocentius Thessalonicensis curæ commisit, singulis ejus Provinciis recensitis: *Daciæ Mediterraneæ*, inquit, *Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævalis Ecclesias &c.* Totidem Provincias Ecclesiasticas in Illyrico enumerat Innocentius, quot Civiles exhibet Notitia Imperii. Mœsia tamen anno 412. quo hæc epistola scripta est, nondum divisa fuerat in superiorem, seu primam, & inferiorem, seu secundam: quæ divisio a Theodosio Juniore facta fuit ante Concilium Ephesinum anno 431. celebratum; cum quædam contestatio ad illum directa fuerit, quæ extat *cap. 7. Synodici adversus Irenæum*, in qua legitur: Dorotheus Episcopus *Marcianopoleos Mœsiæ secundæ subscripsi*.

VI. Istarum Provinciarum unaquæque, sicuti civilem, ita & Ecclesiasticam habebat Metropolim temporibus Innocentii, excepta Mœsia II. Achajæ Metropolis erat Corinthus, Thessaliæ Larissa, Epiri veteris Nicopolis, Epiri Novæ Dyrrachium, alias Epidamnus, Daciæ Mediterraneæ Sardica, Daciæ Ripensis Rhetiaria, seu Razaria, Dardaniæ Scupi, Prævalis Scodra, Cretæ Gortyn; Mœsiæ Viminacium, cui tandem in duas distractæ accessit altera Metropolis Marcianopolis dicta. Tot inter Metropoles Thessalonicensi Ecclesiæ obnoxias, insignis semper fuit Corinthus, quæ a D. Paulo Apostolo fundata prærogativam illam semper retinuit. Quam late pateret Provincia Achajæ, cui Corinthus imperabat, patet ex epistola Petri ejus Metropolitæ, quam anno 451. ad Leonem Imperatorem misit cum hac epigraphe: (1) *Piissimo & invictissimo Domino totius terrarum Orbis, & Christianissimo Imperatori Leoni Petrus Episcopus Metropolis Corinthi, & reliqui Episcopi Reverendissimi sub me constituti, Athanasius, Rufinus, Alexander, Candidus, Agatheros, Alexander, Architimus, Cyriacus, Thales, Domitius, Hosius, Constantinus, Isicius, Joannes, Athanasius, Timotheus, Aphobius, Zoilus, Plutarchus, Gerontius, in Domino salutem*. In subscriptionibus autem epistolæ quisque Episcoporum nomen propriæ urbis exprimit. *Petrus Episcopus Metropolis Corinthi: Athanasius*

(1) Petrus Corinthius in epist. ad Leonem Augustum: post Concil. Chalced. epist. 56.

sius Episcopus Atheniensis : Rufinus Episcopus Thespiensis : Alexander Episcopus Patrenus : Candidus Episcopus . . . Agatheros Episcopus Megarensis : Alexander Episcopus Elatæ : Architimus Episcopus Thebarum : Cyriacus Episcopus Carystenus : Thales Episcopus Argi : Domitius Episcopus . . . . Hosius Episcopus Lacedæmonis : Constantinus Episcopus Chalcidis : Isicius Episcopus Tanagrensis : Joannes Episcopus Messenæ : Athanasius Episcopus Propontidos : Timotheus Episcopus Megalopoleos : Aphobius Episcopus Coronæ : Zoilus Episcopus Carfiæ : Plutarchus Episcopus Platæensis. Eæ subscriptiones nos docent, usque ad Leonis Imperium nedum Peloponnesum, sed & totam Atticam, seu Helladem, Insulamque Euboeam Provincia Achajæ fuisse comprehensas, & uni Corinthiorum Metropoli subjectas. Nondum enim per id tempus ab Achaja discerptæ fuerant, immo nec etiam Gregorii Magni ætate. (1) Nam ad Episcopos Helladis ita scripsit: *Universis Episcopis per Helladem constitutis . . . . Pallium Joanni Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite; cui vos magnopere convenit obedire, præsertim dum hoc sibi, & antiquæ consuetudinis ordo, & bona ejus, quibus ipsi testimonium perhibetis, invitent.* Per Helladem intelligit Gregorius illam Græciæ partem, quæ Attica appellatur, in qua Thebarum, & Athenarum civitates sitæ sunt, quarum Episcopos sub Corinthi Metropolitano constituit laudata Petri epistola. Quare nonnisi post Gregorii Magni tempora Athenæ, Patræ, aliæque istarum regionum Metropoles fuerunt erectæ, quæ in Notitia Leonis Sapientis a Romana Sede discerptæ in Constantinopolitanum Patriarchatum translatæ sunt.

VII. Ceterarum quoque Provinciarum Illyrici Metropoles suam habent antiquam originem. Cretæ Metropolis Gortyn Apostolum Paulum agnoscit Auctorem. Thessaliæ Larissam, Epiri veteris Nicopolim, Epiri novæ Dyrrachium Metropoles extitisse liquet ex Catalogo Metropolitanorum, quibus Leo Augustus scripsit post Concilium Chalcedonense. Siquidem inter eos epistolæ inscriptæ leguntur *Vigilantio Episcopo Larisseno, Eugenio Episcopo Nicopolitano, & Lucæ Episcopo Dyrrhacheno.* Idipsum testantur epistolæ, quas Episcopi Epiri veteris, & novæ direxerunt ad eumdem Leonem Imperatorem, quæ extant *Part. 3. Concilii Chalcedonensis.* De Metropolitano itidem Thessaliæ fidem faciunt Acta Concilii Romani sub Bonifacio II. anno 531. ubi Sessione I. Theodosius Thessaliæ Provinciæ Echinensis civitatis Episcopus per interpretem dixit: *Stephanus Sanctissimus, & Beatissimus Larissæ civitatis Episcopus, quæ civitas Metropolis est Thessaliæ, libellum per humilitatem meam ter venerandæ Beatitudini vestræ transmisisse cognoscitur.*

VIII. Tot igitur insignes Metropoles, quemadmodum & aliæ Diœceseon Macedoniæ, & Daciæ parebant Thessalonicensi Archiepiscopo Apostolicæ Sedis Vicario: cui idcirco tantum honoris detulit antiquitas, ut pæne par Patriarchis haberetur. Nam ipsi primus post Patriarchas locus dabatur in Conciliis Oecumenicis, sicuti exploratum est ex Act. 1. Concilii Ephesini, ubi post Cyrillum Alexandriæ, & Juvenalem Jerosolymorum Patriarchas, ante Ephesinum, Cæsareensem, & Heracleensem Exarchos, subscriptus legitur: *Flavianus Philippensium Episcopus una cum Sancta Synodo decernens*

(1) S. Gregorius lib. 4. epist. 56.

nens subscripsi. Ut enim notat Labbæus in margine, *hic Flavianus Rufi Thessalonicensis vices gerebat*. Quod sane Labbæus hausit ex ipsis Concilii Ephesini Actis, quæ initio Actionis primæ id affirmant; quandoquidem ita habent: *Flavianus Philippensium, qui Rufi quoque Reverendissimi Thessalonicensium Episcopi locum gerebat*. Numquam etenim tres Orientis Exarchi passi fuissent sibi præponi Philippensium Antistitem, sed hunc ei honorem impertierunt, quod vices gereret Rufi Thessalonicensis. Qua pariter ratione Concilio Chalcedonensi *Act. 6.* post Patriarchas, ante Ephesinum, & Cæsareensem Exarchos subscripsit *Quintillus Episcopus Heracleæ, tenens locum Anastasii Sanctissimi Episcopi Thessalonicensium*. Et quintæ Synodo Oecumenicæ ante eosdem Exarchos, *Benignus misericordia Dei Episcopus Heracleotanæ civitatis, quæ est prima Macedoniæ, agens vicem Heliæ Sanctissimi Archiepiscopi Thessalonicensium civitatis*.

IX. Imminuta plurimum fuit Thessalonicensis Episcopi auctoritas, ubi a Justiniano Imperatore detruncatæ sunt ei illæ Provinciæ, ex quibus conflata est ad delicias, & gloriam Principis Justiniana prima. Hæc prius Acris dicebatur, ipsius Justiniani patria, quam ille totius Illyrici caput esse voluit, ac Præfecti Prætorio Sedem, atque a proprio nomine Justinianam primam nuncupavit. Ut autem in rebus etiam Ecclesiasticis claram, illustremque efficeret, a Vigilio Summo Pontifice obtinuit, ut ejus Episcopus Apostolicæ Sedis Vicarius per Illyricum Occidentale crearetur, ejusdemque Illyrici Primas. Ipsi Diœcesim Daciæ a Thessalonicensi abstractam subjecit. In quas Provincias sese diffunderet novi hujus Vicarii Apostolici, & Primatis Illyrici potestas, ex verbis ipsius Justiniani in sua Novella hac de re edita novimus: *Per tempus* (1) *autem beatissimum Primæ Justinianæ nostræ patriæ Archiepiscopum habere semper sub sua jurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, Prævalis, & Dardaniæ, & Mysiæ Superioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari; ipsum vero a proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apostolicæ Romæ, secundum ea, quæ definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio*. Nedum Provinciæ Prævalitanæ Metropolitanus instituitur Primæ Justinianæ Episcopus, sed etiam Primas utriusque Daciæ, Mediterraneæ nimirum, & Ripensis, Mysiæ Superioris, & Pannoniæ. Qua sane nova istius Sedis institutione multum detruncata fuit amplissima illa auctoritas Thessalonicensis Antistitis, quæ prius in Diœceses Macedoniæ & Daciæ excurrebat.

X. At funditus eversa est atque extincta augustissima hæc Thessalonicensis Ecclesiæ dignitas, cum Leo Isauricus sacris Imaginibus, non minus ac Fidei Catholicæ bellum indixit. Impiam Iconoclastarum hæresim nedum asseruit nequissimus Princeps, sed etiam edicto roboravit. Adversus quam Gregorius II. Concilium Romæ indixit eamque, uti & ejus fautores, assertoresque anathemate confodit anno 726. cujus meminit Hadrianus I. in epistola ad Carolum Magnum. Frustra Sanctissimus Pontifex laboravit, ut perditum hominem ab errore ad semitam veritatis revocaret, gravissimis ad eum litteris scriptis, quæ extant in Collectionibus Conciliorum. Nefariam quippe hæresim pro viribus fovere non de-

(1) Justinianus Novella 131. cap. 3.

destitit, Catholicos vexare Episcopos, pro fidei Orthodoxæ conservatione jugiter excubantes propriis Sedibus pellere, atque in iis Sanctum Germanum Regiæ urbis Antistitem, intruso in ejus locum Anastasio Presbytero Iconoclasta. Quare Grogorius III. alterius Gregorii successor, cum nihil prætermisisset, quo Leonem Isauricum ab hæresi, & impietate abstraheret, celebrata Romæ Synodo anno 732. iterato anathemate perculsit Iconomachos, ut refert Anastasius Bibliothecarius in ejus vita. Sed pessimus Princeps exasperatus infracta constantia optimorum Pontificum pro sacrarum Imaginum defensione, a quibus increpitus fuerat, quod usum illarum in templis abrogasset, ac confringi jussisset, Provincias quæ a Sicilia usque ad Thraciam per Illyricum, Epirum, Achajam, & Macedoniam porrigebantur, ab Ecclesia Romana avulsit, & Constantinopolitanæ adgregavit; Thessalonicensi autem Episcopo solam reliquit Macedoniam, in qua Metropolitam ageret. Eas porro Provincias a Patriarchatu Romano distraxit, ut & a Fide Catholica distraheret. At enim non minus ille sibi, & Imperio intulit damni, quam Ecclesiæ. Siquidem ejus Imperio deperiit, quidquid in Occidente hactenus possederat. Sapienter quippe animadvertit Thomassinus, extenuari, & inanescere Imperia, quibus per Ecclesiæ claves robur & incrementum non quæritur. Revixit paululum ineunte seculo XIII. Exarchatus Thessalonicensis, quando a Latinis capta Constantinopoli, Regnum Thessalonicæ sub Innocentio III. fundatum est. Tunc namque Innocentius (1) Vicariatum Apostolicæ Sedis innovavit, atque istius Urbis Episcopo contulit, data ad illum epistola eruditionis plena, in qua commendat ejus Ecclesiæ antiquitatem dignitatemque, ac simul exponit, quam late se funderet olim auctoritas Thessalonicensis Antistitis, cum perpetua fungeretur Romanorum Pontificum Legatione, & post Patriarchas primam in Synodis Oecumenicis occuparet Sedem. Tamdiu stetit Exarchatus iste, quamdiu & Latinorum Imperium in Græcia, quo extincto, & ipse rursum contumulatus est.

CAPUT III.

Synopsis.

I. *Sedes Patriarchales a S. Petro institutæ. Eliæ Du-Pin contraria opinio proponitur.*
II. *Aliæ sunt Ecclesiæ Apostolicæ, aliæ Patriarchales. Illas Apostoli singuli, has solus Petrus fundavit.*
III. *Jerosolymitana Ecclesia inter Apostolicas recensetur. Petrus non fuit ejus Episcopus, sed Jacobus Apostolus.*
IV. *Cur Romana, Alexandrina, & Antiochena sint Patriarchales, nulla aptior assignari potest ratio, nisi quod Petrus in iis Sedem suam collocaverit. Veterum Patrum de hac re testimonia. Usque ad num. VII.*
VII. *Richerii convicium in SS. Leonem, & Gregorium propulsatur. De Romana, & Alexandrina Sede Eu-*

se-

(1) Innocentius III. Reges 15. epist. 18.

sedit aliorumque veterum dicta laudantur.

VIII. Sanctum Petrum Antiochiæ primum sedisse plerique tradunt. Diluitur objectio ex Sancti Lucæ silentio petita.

IX. Ante Concilii Chalcedonensis tempora ignotum erat Patriarcharum nomen, sed tamen illorum dignitas, & auctoritas in Conciliis Niceno, & Constantinopolitano I. agnita fuit.

I. Xarchis seu Primatibus antecellunt Patriarchæ, veluti ipsum Episcopatus apicem consequuti. A præcipuis Sedibus quas moderantur nomen dignitatemque obtinent. Tres illæ sunt omnium nobilissimæ ac vetustissimæ; Romana ceterarum Princeps, Alexandrina, & Antiochena. Constantinopolitana siquidem, & Jerosolymitana serius ad tantum honoris fastigium advolarunt. Itaque trium illarum dumtaxat, quæ antiquiores sunt, originem hoc loco perscrutamur. Eam porro assignant cum veteres Patres, tum Theologi pæne omnes, quod Ecclesias illas D. Petrus fundaverit, & per se ipsum rexerit, ut de Romana, & Antiochena perspicuum est; Alexandrinam vero per Marcum Discipulum suum, quem eo direxit, ut Sedem illam suo nomine erigeret, ac gubernaret. Receptam a tot seculis apud omnes sententiam, & antiquorum Patrum unanimi consensione firmatam, explodere nituntur Edmundus Richerius *lib.* 3. *suæ Defens. cap.* 5. *num.* 16. Marcus Antonius de Dominis *lib.* 3. *Reip. cap.* 2. *& cap.* 10. Et nuper Ellies Du-Pin *de Antiq. Eccles. Discip. Dissert.* 1. §. 6. *&* 7. Satis erit postremi hujus Auctoris verba proferre: (1) „ *Nullam*, inquit, *inter Ecclesias, & Episcopos prælationem, nullam Patriarchicam, aut Metropoliticam dignitatem ab Apostolis proprie institutam fuisse jam demonstravimus.* „ Quæ de Metropolitica dignitate asserit, jam supra a nobis rejecta sunt. Videamus nunc quantum roboris habeat demonstratio illa, qua credit se probasse Patriarchicam dignitatem a D. Petro non fuisse institutam.

„ Nec magis, ait, probabilem „ Patriarchatuum institutionem asserunt ii, qui volunt eas Sedes esse Patriarchicas, quas Petrus fundarat, atque hac de causa Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ „ Ecclesiis jura Patriarchica concessa esse volunt. Nam si inde repetenda esset Patriarchatuum dignitas, innumeræ forent Patriarchales Sedes, quia innumeras Petrus fundavit, & rexit Ecclesias. „ Latum ergo discrimen est inter „ Apostolicam Sedem, & Patriarchalem: multæ enim Ecclesiæ, „ quas Apostoli instituerunt & rexerunt, dici possunt, & olim dictæ sunt Apostolicæ, Patriarchicæ „ non item. Sic Tertullianus in lib. „ de Præscriptionibus: *Percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur*. Inter eas „ nominat Corinthum, Philippos, „ Thessalonicam, Ephesum, quæ Sedes Patriarchales nec sunt, nec „ umquam fuerunt. Quin etiam Jerosolymitana, in qua Christus tamdiu habitavit, in qua non modo „ Petrus, sed & ceteri Apostoli primis Ecclesiæ seculis sederunt, Patriarchalis non fuit. Hanc tamen „ Augustinus *cont. litter. Petiliani lib.* 2.

(1) Elies Du-Pin de Antiq. Eccles. Discip. dissert. 1. §. 6. & 7.

„ *lib.* 2. *cap.* 5. Apostolicam facere, „ & cum Romana comparare non „ veretur. Alexandrina vero, quam „ Marcus Petri discipulus fundavit, „ & rexit, secundum habuit inter „ Patriarchales Sedes locum, quem „ deinceps Constantinopolitana ob- „ tinuit. Ergo Patriarchalis digni- „ tas non repetitur a dignitate eo- „ rum, qui Ecclesiam fundaverunt, „ & primi rexerunt.

II. Papæ! quam grande acumen istius Auctoris! quam subtilis demonstratio! Ne primam quidem difficultatis corticulam penetrat. Quid enim attinet ad præsens institutum discrimen illud Ecclesiarum Apostolicarum a Patriarchalibus? Quorsum de Ecclesiis Apostolicis mentio, quæ nulla a nobis aliisque Theologis in præsentia interjicitur? Immo illud ipsum discrimen Ellies Du-Pin demonstrationem enervat. Siquidem Ecclesias ab Apostolis fundatas esse, vocarique Apostolicas ultro fatemur, Patriarchicas non item; sed eas tantum quas D. Petrus erexit. Sunt quidem Romana, Alexandrina, & Antiochena & Sedes Apostolicæ, & Patriarchales; at ceteræ ab aliis Apostolis institutæ, licet Apostolicæ sint, non tamen Patriarchicæ. Ut enim Ecclesiæ cuipiam Apostolicæ nomen obtingat, necesse est eam a quopiam Apostolorum constitui. Sic Ecclesiæ Corinthi, Philippensium, Thessalonicæ, Gortynæ, quas Sanctus Paulus erexerat, eisque Episcopos præfecerat, a veteribus inter Apostolicas sunt habitæ. Jerosolymitana similiter, cujus primus Episcopus fuit S. Jacobus eadem prærogativa donata est. Præ ceteris Romana, Alexandrina, & Antiochena, quod originem suam ab Apostolorum Principe traxissent, id honoris sunt adeptæ. Magna proinde semper extitit dignitas ejusmodi Ecclesiarum; Romanæ cum primis, quam Petrus, & Paulus sanguine suo consecraverant, cui per antonomasiam Apostolicæ nomen inditum est. Hinc factum, ut non modo Tertullianus laudatus, verum etiam Irenæus, Optatus, & Augustinus, quoties novitatem objiciunt hæreticis, adducant discrimen, quod intercedit inter novam eorum doctrinam, & traditionem Ecclesiarum Apostolicarum, præcipue autem Romanæ omnium Principis: ac præterea adversus hæreticos adferunt successionem personarum, & doctrinæ earumdem Ecclesiarum. Idipsum postea observatum fuit a Pelagio I. itemque a Pelagio II. quorum hic scribit ad Episcopos Istriæ, ille vero ad Episcopos Tusciæ, qui Schisma adversus Romanam Sedem, & Orientis Ecclesias fecerant propter tria Capitula in Quinta Synodo Oecumenica damnata: *Ubinam Ecclesia sit constituta, licet ipsius Domini voce in Sancto Evangelio sit apertum, quid tamen beatus Augustinus ejusdem memor sententiæ definierit, audiamus. In his namque, ait esse Dei Ecclesiam constitutam, qui Sedibus Apostolicis per successionem Præsulum præsidere noscuntur. Et quicumque ab earumdem Sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in Schismate demonstratum.*

III. Inter has Ecclesias Apostolicas Jerosolymitanam esse recensendam nemo ambigit. Nam præterquam quod Christus ipse prædicatione sua, miraculis, & sanguine urbem illam consecravit, etiam Apostoli Ecclesiam ibi fundaverunt, suis eam sermonibus docuerunt, constituto insuper Jacobo primo illius Episcopo, ut alibi ex D. Hieronymo *de Scriptoribus Ecclesiasticis in Jacobo*, & Eusebio *lib.* 2. *Histor. Eccles. cap.* 1. adnotavimus; quod & diserte tradit Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Stroma-*

natum, ubi refert, eum a Petro, & altero Jacobo, & Joanne Episcopum fuisse creatum: [1] *Petrus, Jacobus, & Joannes post Servatoris ascensum, Jacobum cognomine Justum, Hierosolymorum Episcopum elegerunt*. Si igitur statim post Servatoris nostri Ascensionem Jacobus a D. Petro constitutus est Episcopus Jerosolymitanæ Ecclesiæ, falsum est, eumdem Petrum, ceterosque Apostolos ibi sedisse. Aliquot utique annis ea in urbe Apostoli ex Christi mandato commorati sunt, at solus Jacobus istius Ecclesiæ proprius fuit Episcopus, eamque triginta annis rexit, nec deinceps ullus Apostolorum in ea sedit. Nam duodecimo post Jacobi obitum anno, a Romanis Vespasiano, & Tito imperantibus capta est Jerosolyma, & solo æquata, uti Christus antea prædixerat apud Lucam cap. 22. suisque ruinis consepulta jacuit usque ad Ælium Hadrianum Imperatorem, a quo rursus exædificari cœpit, atque ex ejus nomine Ælia nuncupari; ita tamen ut Cæsareæ Palæstinæ tamquam Metropoli subjecta esset. Quocirca Jerosolymitanus Antistes primis quatuor Ecclesiæ seculis, usque ad Theodosii Junioris tempora Cæsareensi tamquam Metropolitano, & Antiocheno Patriarchæ paruit, quod *can*. 7. *Concilii Nicæni* confirmatum fuit, testaturque D. Hieronymus *in epist. ad Joannem Jerosolymitanum*. Fuit ergo Jerosolymorum Ecclesia una ex Apostolicis, perinde ac Ephesina, Thessalonicensis, Corinthia, ac reliquæ ab Apostolis fundatæ: at Patriarchica nequaquam fuit quatuor prioribus Christiani nominis seculis. Seculo dumtaxat quinto nova hæc dignitatis accessio Jerosolymitanæ contigit, decreto Chalcedonensis Synodi *Act*. 7. quod primum Apostolicæ Sedis Legati approbaverunt; deinde vero Leo Magnus confirmavit. Verum tres illæ Sedes Patriarchales Romana, Alexandrina, & Antiochena potiori quodam jure Apostolicæ sunt dictæ, quod D. Petrum Apostolorum Principem habuerint Auctorem. Ad istarum exemplar non solum Jerosolymorum, sed etiam Constantinopoleos Throno, idem titulus accessit, posteaquam Patriarchatus illi assertus fuit *can*. 28. *Concilii Chalcedonensis*, licet initio Apostolica Sedes contradixisset. Quamquam Græcorum potius quodam fastu Apostolicæ Ecclesiæ nomenclatio Constantinopolitanæ fuerit attributa. Ac tandem tractu temporis Apostolicarum Ecclesiarum dignitas restricta est ad Patriarchales, quod aliæ continerentur in Diœcesibus Patriarcharum in Oriente. Nam in Occidente nulla Ecclesia Apostolica fuit præter Romanam, ut advertit Dom. Petrus de Marca *lib*. 7. *Concord*. *c*. 16. §. 8. Quapropter Justinianus Imperator *in Novella Constitutione* 109. decernit eos, esse hæreticos, qui neque communicant, neque consentiunt professioni fidei, quæ summo consensu prædicatur a Patriarchis Occidentis & Romæ, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolymitano, & ab Episcopis qui eorum subsunt potestati.

IV. Alio igitur ex capite, quam ab Apostolicæ Ecclesiæ notione, quæ etiam nonnullis Sedibus Patriarchicis convenit, Patriarchatus origo est repetenda. Nec ulla aptior causa afferri potest, quam quæ veteribus observata fuit, nempe D. Petri Sedes, quam Romæ, & Antiochiæ ipsemet fixit, Alexandriæ autem per discipulum suum Marcum eo missum, ut vice sua Ecclesiam illam erigeret, ac gubernaret. Innocentius I. in epistola

(1) Clemens Alexandrin. lib. 6. Stromatum.

stola ad Alexandrum Antiochenum data docet, Nicæno canone, nimirum sexto, confirmatum esse jus Antiocheno, non in unam Provinciam, sed in majorem Diœcesim; idque ex eo fluxisse, quod ibi Sanctus Petrus Sedem suam primum collocasset, quam postea Romam transtulit: *Revolventes* (1) *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per Orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, de Antiochena Ecclesia . . . super Diœcesim suam, non super aliquam Provinciam, prædictam Ecclesiam recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam pro Civitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quam quod prima Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ Sedi non invideret, nisi quod illa in transitu meruit, susceptum ista apud se consummatumque gauderet.* Non urbis magnificentiæ, quod aliquando Græcorum in Syria Imperii caput extitisset, Innocentius adscribit ejus Ecclesiæ splendorem, sed Cathedræ quam primum Sanctus Petrus ibi constituit. Quod de sola Antiochena ille dixit, ad Alexandrinam quoque protraxit Leo Papa in litteris ad Anatolium Episcopum CP. quem vehementer objurgat, propterea quod ex depositione Dioscori occasionem captasset extollendi Thronum suum super Alexandrinum, & Antiochenum, cosque luxandi; ut nimirum ipse post Romanum primus esset inter Patriarchas; idque in Chalcedonensi Concilio tentasset contra Nicænæ Synodi canones: (2) *Tamquam*, inquit, *opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit . . . Tamquam illa Nicænorum Canonum per Sanctum vere Spiritum ordinata conditio, in aliqua sit umquam parte solubilis.* Istarum Sedium eminentiorem ceteris dignitatem ab Apostolorum Principe, velut a primo suæ originis fonte scaturiisse mox indicat, quoniam Antiochenæ ipsemet fundamenta jecerat, Alexandrinæ vero suis auspiciis, cum Marcum discipulum suum istius rei gratia ad urbem illam direxit: *Nihil Alexandrinæ Sedi, ejus quam per Sanctum Marcum Evangelistam Beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata numquam se fiat inferior. Nihil deperire potest dignitatis Apostolicis Sedibus ob Pastoris nequitiam; Aliud enim sunt Sedes, aliud præsidentes.* Rursus hoc argumentum versat in sequenti epistola, ubi pariter Anatolii ambitum elidit, quod suam Sedem protruderet supra Alexandrinam, & Antiochenam, prætextu Regiæ civitatis, quæ post translatum Roma Imperium in Orientem, Principis Thronus evasisset. In præcelsum siquidem illud dignitatis fastigium evectæ sunt Roma, Alexandria, & Antiochia, non quod prima fuerit quondam Imperii Arx, reliquæ autem Græci Principatus in Ægypto, & Syria Regales Sedes: sed quod eas præ cunctis elegerit, suoque solio nobilitaverit is, cui Christus Dominus concredidit universæ Ecclesiæ regimen: (3) *Alia ratio est rerum sæcu-*

(1) Innocentius I. in epist. 18. cap. 1.
(2) S. Leo epist. 53.

(3) Epist. 54. & 62.

larium, alia divinarum. Nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Potest quidem Imperator præsentia sua urbem sublimare, ac Regiam facere, secus vero Apostolicam: *Non dedignetur Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem.*

V. Unum istud fuit privilegium a Christo Apostolorum Principi concessum, ut præcipua quadam honoris, & auctoritatis prærogativa præstarent aliis omnibus tres illæ Sedes, quas Petrus sessione sua decoraverat: quasi ab una ejus Cathedra se se fundat in alias maxima hæc potestas. Hinc Gelasius Papa in Synodo Romana, cui septuaginta Episcopi interfuerunt, in hunc modum loquitur: (1) *Quamvis universæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit: Tu es Petrus, & super hanc petram . . . Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Ecclesia Romana. Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine a Marco ejus discipulo, & Evangelista consecrata est, ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia vero Sedes apud Antiochiam ejusdem Beati Apostoli Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum Novellæ gentis exortum est.* Earumdem Ecclesiarum originem ab hac ipsa radice derivatam ostendit Gregorius Magnus in litteris ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: (2) *Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus a Petra vocaretur. Cui veritatis voce dicitur: tibi dabo claves Regni Cælorum. Cui rursus dicitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: iterumque: Simon Joannis amas me? Pasce oves meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis. Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua Septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Quibus verbis Gregorius tres laudatas Sedes omnium nobilissimas indicat a Sancto Petro erectas, Romanam scilicet cunctarum caput & Matrem, quam proprio sanguine illustravit, & in ea post mortem quiescere voluit: Alexandrinam, cujus, per Marcum Evangelistam discipulum suum fundamenta posuit: Antiochenam, cui ipsemet septem annorum tractu præfuit, antequam sese Romam conferret. Quia vero unus idemque fuit Apostolus Petrus, qui tribus hisce in locis sedit propterea dixit: *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est.* Inde explosa manet Eliæ Du-Pin demonstratio ex discrimine Apostolicæ, & Patriarchicæ Sedis deducta: nam ab aliis Apostolis constitutæ Ecclesiæ, Apostolicarum titulo fuerunt decoratæ; at illæ, quas Petrus ædificavit, solæ Patriarchales dictæ sunt, atque eminentiorem dignitatem adeptæ. Id autem totum rejicit in auctoritatem Principis Apostolorum eas instituentis; a quo Alexandrinus, & Antiochenus

An-

(1) Gelasius Papa apud Gratianum c. *Quamvis* dist. 21.

(2) S. Gregorius lib. 6. epist. 37.

Antistites sollicitudinem nacti sunt ampliorem. Ad illos sane allusit Leo Magnus, cum in epistola ad Anastasium Thessalonicensem scripsit: (1) *Quidam in majoribus urbibus sunt constituti, ut sollicitudinem reciperent ampliorem*. Quos nihilominus subdit ita institutos, ut per illos *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret*.

VI. Hæc perpetua extitit Romanæ Ecclesiæ traditio, cujus præter laudatos Pontifices, testis etiam locupletissimus est Nicolaus I. Papa, sanctitate, doctrina, & rerum gestarum gloria cum Leone, & Gregorio facile comparandus. Is quippe Bulgaris sciscitantibus, num Episcopo Constantinopolitano secundus inter Patriarchas thronus debeatur, respondit: (2) *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ? Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, idest qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam: Romanam quam Sanctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus, & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt: Alexandrinam, quam Evangelista Marcus discipulus, & de baptismate Petri filius a Petro missus instituit, & Domino Christo cruore dicavit: Antiochenam, in qua conventu magno Sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, & quam Beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit*. Tres igitur dumtaxat Sedes, illas omnium maximas, & antiquissimas, vere Patriarchales esse affirmat Nicolaus, nec aliam collatæ eis tantæ dignitatis caussam affert, nisi quod ab Apostolorum Principe fuerint institutæ.

(1) S. Leo epist. 84.
(2) Nicolaus I. ad Consul. Bulgar. n. 92.

VII. Tot tamque præclari Pontifices sufficere possent ad veritatem hanc comprobandam, nisi Edmundus Richerius pro innata sibi audacia ipsis insultaret, ac veluti propriæ caussæ judices in suspicionem domesticæ gloriæ plus æquo efferendæ adduceret: (1) *Sanctum Leonem*, inquit, *dixisse, Petrum Sedes Patriarchales instituisse, quid mirum? Cum permulta alia blandiente Cathedra fimbrias suas dilatando scripserit. Sanctus vero Gregorius hanc bona fide opinionem, quæ Romæ invaluerat propter Leonis Magni auctoritatem sequutus est. Certe ubi aliquis Pontifex, vel Auctor quidpiam in Ecclesiæ Romanæ prærogativam scripsit, sive id verum, sive falsum sit, mos est aliorum Pontificum id ardenter amplecti, & propalare, ut ex eorum scriptis facile comprobatur*. In Lutheri, & Calvini cœno calamum tinxit Richerius, nec nisi putida consinxit mendacia. Leonis sanctitas toti terrarum orbi notissima, candor ejus animi ab omni inanis gloriæ fuco alienus nævum hunc non admittit. Veterum Ægyptiorum more insaniens Richerius Solem telis obnubilare incassum nititur. Num & Innocentium I. tanti criminis reum traducet? Abstinuit ignorans & eum sibi adversum.

Sed curemus delirantis insaniam aliis remediis, quibus nulla subesse possit suspicio. Nempe adhibendi sunt testes nullis partium studiis occupati. Talis est Eusebius Cæsariensis, qui trium illarum Ecclesiarum Primatum effluxisse affirmat a D. Petro, in quo videlicet ejus primarium fontem Christus collocaverit. Ex hac radice asserit pullulasse vim illam efficacissimam Christianæ veritatis ac religionis, quæ Apostolorum opera potentissimos quosque orbis Principes Christo subjecit, atque in tribus Regiis

(1) Richerius lib. 3. Defens. c. 5. num. 16.

giis civitatibus cunctarum maximis, in quibus Idololatria dominabatur, de ea triumphum reportaverit, trophæo crucis proterens adversantia quæque munimenta: (1) *Dum potentiam verbi respicio, ut ab agrestibus Jesu Christi Discipulis numerosissimæ Ecclesiæ constitutæ sint, non in quibusdam obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus, in ipsa, inquam, aliarum urbium Regina Romana urbe, in Alexandrina, in Antiochensi, cogor fateri non aliter audax adeo facinus ipsos obtinuisse, quam diviniore quadam longeque humanam superante potentia, ejus, qui dixerat, Docete omnes Gentes: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Sapientissimo Dei consilio in præclarissimis Rom. Imperii urbibus primas collocavit Sedes Apostolorum Princeps, ut ubi maxime se jactabat vana Idolorum superstitio, & Dæmonum superbia, ibi Crux Redemptoris nostri, & humilitas, ac sinceræ Religionis veritas triumphum ageret. Seorsim vero a ceteris Ecclesiis Romanam extollit, quod ad illam extruendam Petrus omnium Apostolorum primus, & fortissimus fuerit destinatus: (2) *Clementissima*, inquit, *Dei providentia fortissimum ac maximum inter Apostolos Petrum, & virtutis merito reliquorum omnium primum ac Patronum Romam perducit.* Deinde subdit, perenni traditione constare, Marcum Petri discipulum Roma profectum esse Alexandriam, ut ea in urbe tunc temporis nobilissima Ecclesiam Apostolicam conderet, eamque illustraret Evangelio, quod a se scriptum Sanctus Petrus approbaverat: *Librum illum sua auctoritate confirmasse Petrus dicitur .... Hunc Marcum in Ægyptum profectum, Evangelium quod conscripserat, primum prædicasse perhibent, & in ipsa urbe Alexandria Ecclesias constituisse.* Quibus consentanea sunt, quæ tradit Sanctus Epiphanius: (3) *Post Matthæum secutus est Marcus jussus a Sancto Petro Romæ Evangelium edere: & ubi scripsisset, mittitur a Sancto Petro in Ægyptiorum regionem.* Et hæc una pæne omnium veterum Scriptorum sententia est, Marcum a D. Petro Alexandriam missum, ibi Ecclesiam illam fundasse: quod præ ceteris referunt, S. Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiast. in Marco:* Palladius *in Lausiaca Historia cap.* 113. Gregorius Turonensis *lib.* 3. *Histor. Francor. cap.* 10. Nicephorus *lib.* 2. *c.* 43. aliique plurimi. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Athanasii Alexandrini panegyrim contexens, asserit, eum canonica electione ad S. Marci Thronum evectum: (4) *Apostolico ac spirituali modo ad Marci Thronum evehitur.*

VIII. De Antiochena Sede idipsum testantur ex veteribus plerique magni nominis Scriptores, præcipue Eusebius *in Chronico* (5) ad annum ultimum Tiberii: *Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique Cathedram adeptus sedit.* Ex antiqua Traditione id se accepisse fatetur Sanctus Hieronymus: (6) *Denique Petrum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ fuisse accepimus, & Romam deinde translatum.* Qui etiam argumentum ex silentio Sancti Lucæ nihil in Apostolorum Actis de fundata a D. Petro Antiochena Sede narrantis, ita explodit: *Nec mirum si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit, & non est contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit.* Chrysostomus itidem dum Presbyteri partes adhuc obi-

(1) Eusebius Præpar. Evang. lib. 3. p. 138.
(2) Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 14. 15. 16.
(3) Epiphanius hær. 51.
(4) Gregor. Nazianz. Orat. 21.
(5) Eusebius in Chronico.
(6) S. Hieron. lib. 1. Comment. in epist. ad Galat. cap.

obiret Antiochiæ, inter ceteras istius urbis prærogativas hanc enumerat, quod ibi Petrus Ecclesiam condiderit, cujus proinde singularis, & eximia dignitas ab illius Principatu exorta fit: (1) *Hæc est una nostræ civitatis prærogativa dignitatis, quod Principem Apostolorum ab initio doctorem acceperit. Æquum enim erat, ut ea quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum Pastorem acciperet. Sed cum eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed Regiæ civitati Romæ illum concessimus.* Nihil igitur blandiente Cathedra de tribus Sedibus Patriarchicis a Divo Petro erectis Sanctus Leo scripsit, quod prius alii Patres non docuerint; quos proinde imitatus est nedum ipse Leo, verum etiam Gelasius, Gregorius, Nicolaus I. aliique nuper laudati Doctores sunt prosequuti: quibus etiam consensit Hincmarus Remensis *Opusculo 55. Capitum cap. 16. Alexandrina, & Antiochena Sedes, sicut & Romana, Beati Petri sunt Sedes.*

IX. Nec quemquam movere debet, ante Chalcedonensis Concilii tempora neminem veterum Scriptorum Patriarchicum nomen iis sedibus impertiisse: ignotum quippe illud erat, sed tamen spectatissimæ erant in Ecclesia tres illæ Sedes primariæ, quæ ceteris omnibus præstabant, quod a Sancto Petro fundatæ essent. Illarum Episcopi jurisdictione ampliori fruebantur, multisque non solum Provinciis, sed etiam Diœcesibus præerant. Nicæna Synodus, quæ trium istorum Patriarcharum jura sarta tecta esse voluit, ea ex antiqua consuetudine proficisci profitetur: (2) *Antiqua consuetudo*, inquit, *servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem, & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Hunc canonem laudat, atque confirmat secunda Synodus Oecumenica: (3) *Secundum regulas constitutas* (scilicet Nicеæ) *Alexandriæ quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto tantum gubernet: Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur.* Nullam Romani Patriarchæ mentionem facit, quia ejus jurisdictio, & auctoritas, utpote in totum Christianum Orbem diffusa, nullis poterat limitibus circumscribi. Huc respexit Theodoretus in ea quam scripsit epistola ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, ubi conqueritur de præfracta Dioscori Alexandrini temeritate, qui Nicænos, & Constantinopolitanos Canones conculcans, obtentu Sedis suæ, quam Sanctus Petrus Marci interventu condiderat, aliarum Ecclesiarum jura invadebat, minime animadvertens, Antiochiæ pariter præfulgere Petri Sedem: (4) *In Regia tua urbe congregati beati Patres, cum iis qui apud Nicæam convenerant, conspirantes, Diœceses distinxerunt, & sua unicuique Diœcesi adsignarunt, aperte interdicentes ex altera quosquam Diœcesi alteram invadere: sed Alexandriæ Episcopum Ægypti tantummodo res administrare, & suas singulas Diœceses. Hic vero legibus istis acquiescere non vult, sed sursum ac deorsum Beati Marci Sedem obtendit, idque cum liquido intelligat, Megalopolim Antiochiam magni Petri Sedem habere, qui Beati Marci Magister erat, Chorique Apostolorum Princeps, ac Coryphæus.* Itaque

(1) Chrysostomus Tom. 1. hom. 42. & Tom. 5. p. 180.
(2) Nicænum Conc. c. 6.
(3) Secunda Synodus c. 2.
(4) Theodoretus epist. 86.

que dubitare nullus poteſt, quin hæc fuerit totius Eccleſiæ conſenſio, & traditio conſtantiſſima, ab ipſis Chriſtiani nominis primordiis derivata, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Sedes, Patriarchatus dignitate inſignitas, nec aliam iſtius rei fuiſse cauſam, niſi Primatum Sancti Petri illas inſtituentis.

CAPUT IV.

Synopſis.

I. Romanus Pontifex non ſolum eſt Primâs totius Eccleſiæ, ſed etiam Patriarcha Occidentis.

II. Intra Regiones Suburbicarias Patriarchatum Romanum coarctant quidam Anglicani, quibus adhæret etiam Ellies Du-Pin. Exploditur hæc opinio auctoritate Concilii Arelatenſis I.

III. Baſilius, Hieronymus, Cyrillus, & Auguſtinus diffuſam agnoſcunt Romani Patriarchatus juriſdictionem in omnes Occidentis Provincias.

IV. Innocentius I. hanc Romanæ Sedi prærogativam vendicat, quod ipſa omnes Occidentis Eccleſias conſtituerit. De Illyrici Eccleſiis idipſum alibi affirmat. Quod etiam colligitur ex Synodo Romana ſub Bonifacio II.

V. Synodus Chalcedonenſis, Juſtinus & Juſtinianus Romanum Pontificem Patriarcham vocant. Heſperiæ nomen apud Juſtinianum ſignificat Occidentem. Alia pro Patriarchatu Occidentis veterum teſtimonia proferuntur.

VI. Sextus Canon Nicæni Concilii juxta varias ejus verſiones deſcribitur.

VII. De ſenſu iſtius canonis variæ ſunt Auctorum ſententiæ, quæ hic refelluntur.

VIII. Salmaſii opinio de Regionibus Suburbicariis reicitur. Quid de illa ſentiat Dom. Petrus de Marca? De jure ordinationum agi eo in canone exiſtimat. Uſque ad num. XI.

XI. Sed hæc ſententia Petri de Marca non probatur. Rufini interpretatio de Suburbicariis communiter acceptis Canoni Niceno minime congruit.

XII. Aliqui tamen Rufini paraphraſim admittunt quatenus per ſuburbicarias intelligit decem Provincias Vicario Urbis ſubjectas.

XIII. Baronius putat ſuburbicariarum nomine ſignificari non ſolum Suburbicarias proprie dictas, ſed etiam alias Provincias extra Italiam poſitas olim eodem vocabulo deſignatas.

XIV. Perronius per Urbicarias regiones a Rufino nominatas interpretatur omnes Imperii Romani Provincias.

XV. Verior paraphraſis Rufini interpretatio eſt, ſuburbicariarum vocabulo comprehendi omnes Provincias Occidentis, quæ poſt tranſlatam Conſtantinopolim Imperii Sedem ſuburbicariæ dicebantur.

XVI. Nunc veſtigatur Nicæni canonis ſenſus: ac primum conſtat in eo non agi de jure Metropolitico, ſed de Jure Patriarchatus: quod probatur uſque ad num. XIX.

XIX. Non de ſola ordinatione, ſed de omni Jure Patriarchico loquitur canon præfatus.

XX. Licet canone ſexto Niceno Patriarcharum jura firmata ſint ad normam Romani Epiſcopi, male tamen he-

re-

retici asserunt eo everti Primatum Romanæ Sedis, quem canon ipse confirmat.

XXI. Nihil obest Primatui Romanæ Sedis ejus Patriarchatus in Occidente. Utriusque dignitatis diversa munia explicantur.

XXII. Quænam Provinciæ Occidentis ad Patriarchatum Romanum pertinerent exponit Nilus Doxapatrius.

XXIII. De jure ordinandi Metropolitanos, & Episcopos Occidentis, quo gaudet Romanus Pontifex.

XXIV. Quamquam sæviente Gentilium persecutione Synodos ex Provinciis Occidentis cogere non possent Romani Pontifices, ea tamen sedata, sæpe ex Italia, nonnumquam etiam ex aliis Provinciis Occidentis Episcopos ad Synodos convocabant. Cujus rei varia proferuntur exempla.

I. Unc singillatim agendum est de unaquaque Sede Patriarchica, ac de Romana cum primis omnium principe. Nam Romanus Pontifex præter universalis Ecclesiæ Primatum, id peculiariter obtinet, ut sit etiam Patriarcha totius Occidentis. Ea prærogativa tantum a ceteris Patriarchis administratione distat, quantum dignitate, & auctoritate iisdem præstat. Uniuscujusque enim eorum jurisdictio unius Diœceseos finibus coërcetur, Alexandrinus scilicet Ægypto, Antiochenus Orienti, præsunt; Constantinopolitanus post invasa Primatus jura, eaque adempta Ephesino, Heracleensi, & Cæsariensi Exarchis, in tres quidem illorum Diœceses, Asianam, Thracicam, & Ponticam potestatem suam porrigit: at Romanus totius Occidentis Diœceses amplissimas gubernat. Eo respexisse Concilii Arelatensis Patres cum in epistola Synodica ad Sylvestrum Papam testantur, eum *Majores Diœceses* tenere, viri eruditi existimant: quod nimirum septem vel octo Diœceses Occidentis obtineat, in Italia duas, totidem in Illyrico, Gallias, Britannias, Hispanias, Africam. Non possum in quorumdam ire sententiam, qui putant a Græcis Schismaticis excogitatum esse, hunc Patriarchatum Occidentis, & Romano Pontifici attributum, ut hos limites præfigerent ejus auctoritati. Quamquam enim Zonaras, & Theodorus Balsamon in notis ad sextum canonem Concilii Nicæni istius Patriarchatus meminerint, non ideo tamen inter commenta recensendus est, quod Græcis sit approbatus, cum tot veterum Pontificum, & Patrum disertissimis testimoniis, quæ supra adduximus, palam fuerit assertus. Quare inter Catholicos nullus eruditorum est, qui de hac re dubitet, multique Romanum Occidentis Patriarchatum doctissimis lucubrationibus illustrarunt; quam præ aliis provinciam subierunt, Bellarminus, Sirmondus, Petrus de Marca, Natalis Alexander, Christianus Lupus, Leo Allatius, Emanuel a Schelstrate, ut innumeros alios prætercam.

II. Recentium quorumdam Anglicanorum animos ea invasit opinio, ut intra Regiones Suburbicarias, quarum mentio apud unum Rufinum in sexto canone Nicæno occurrit, Patriarchatum Romanum concluderent. Plurimum in hoc argumento pertractando desudat Eduardus Stillingfleet Decanus Londinensis in *libro de Originibus Britannicis*. Eidem sententiæ adhæsit Ellies Du-Pin Doctor Sorbonicus *De Antiq. Eccles. Discip. dissert.* 1. §. *ultimo*. Nos veterum vestigiis insistentes haud difficulter istud com-

commentum refellemus. Et initio testes laudare lubet Patres Concilii Arelatensis I. in epist. ad Sanctum Sylvestrum data anno 314. ac proinde ante Nicænam Synodum, in qua affirmant, Romanum Pontificem majores Diœceses tenere: *Tu qui majores Diœceses tenes*. Diœceseon nomine illas intelligit, in quas Occidens tunc distribuebatur, cum ea tempestate Illyricum nondum in tres Diœceses distractum fuisset. In eas omnes sese fundebat Romani Patriarchæ auctoritas; nam ad illud Concilium convenerant soli Patriarchatus Occidentis Antistites, nempe Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Britanniæ, Africæ. Ad has igitur Diœceses alludunt Arelatenses Patres. Pondere rationis pressus Decanus Londinensis, [1] eo sese exonerare incassum tentat: „ Quo ad voces, inquit, *Majores Diœceses*, dubium est an Constantinus tempore Synodi Arelatensis distribuerit Imperium in Diœceses? Et verisimilius est, nec id factum fuisse tempore Nicænæ, cum ibi sola mentio fiat Provinciarum, non Diœceseon. Quod si verum sit, corruptus fuit iste locus in ista expressione, sicut certum est corruptum fuisse in aliis. Admisso tamen locum esse sincerum, nihil inde deducitur, nisi quod Episcopus Romanus haberet Diœcesim majoris extensionis, quam alii Episcopi Occidentales, quod non negatur. „ Hæc ille: qui & alibi asserit legendum esse, *Qui majorem Diœcesim tenes*. Sed hunc errorem supra confutavimus in hoc eodem libro: nam ante Nicænam Synodum certum est, Imperium in plures Diœceses fuisse dispertitum: idque Constantinus ipse manifeste declarat in epistola tempore Nicænæ Synodi scripta, quam refert Socrates. Agens quippe de Paschatis Festo cum præcipuis Christiani Orbis Ecclesiis celebrando eadem die, disertam mentionem facit Diœceseon Asiæ, & Ponti: [2] *In urbe Roma*, inquit, *in Italia, in Africa, in Hispania, in Gallia, & Britannia, in Ægypto ac Libya, & universa Græcia, in Diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique, una & consentiente sententia conservatur*. En expressa mentio Diœceseon Asiaticæ, & Ponticæ; ac proinde nomen illud tempore Concilii Nicæni jam notum erat. Falsum igitur est Synodum Arelatensem eo nomine intellexisse Provincias, non Diœceses proprie dictas. Porro non aliæ esse poterant, nisi quas Notitia Imperii in Occidente collocat, & nos paulo ante enumeravimus. Hinc facile exploditur Eliæ Du-Pin singularis expositio eorumdem verborum, quæ ita reddit: *Tu qui majoribus praees Occidentis Ecclesiis, ceteris Pascha diem per litteras significabis*. Quas enim Arelatense Concilium vocat Majores Diœceses, ipse Majores Ecclesias exponit, non quascumque, sed eas duntaxat, quæ erant in Provinciis Suburbicariis. Novum plane, & inauditum commentum. Quis unquam per majores Diœceses intellexit Majores Ecclesias? Neque enim Arelatensis Synodus scribit *Majoribus Ecclesiis*, *sed Majoribus Diœcesibus*. Præterquam quod in Suburbicariis Provinciis una tantum erat Major Ecclesia, nempe Romana: cum igitur Arelatenses Patres non unam, sed plures nominent Majores Ecclesias, non eas indicare possunt, quæ ad Suburbicarias pertinent Regiones, sed illas quæ in Provinciis Occidentis Majores habebantur, videlicet Thessalonicensem in Illyrico, Carthaginensem in Africa, Mediolanensem in Italia, Arelatensem, aut Lugdunensem in Galliis,

(1) Eduard. Stillingfleet in lib. de Origin. Britann. p. 13c.

(2) Apud Socratem lib. 1. c. 9.

liis, ceterasque Diœceseon Occidentalium Metropoles.

III. Et ne videar effusam illam Romani Pontificis in omnem Occidentem administrationem uno Arelatensis Concilii testimonio adstruere, lubet alios ejusdem rei testes advocare. A Basilio Magno exordiar, qui *epist.* 10. Episcopum Romanum vocat *Occidentalium Coryphæum*, idest Ecclesiæ Occidentalis Caput. Ad solam Romanæ Sedis dignitatem hæc verba refert Decanus Londinensis: At Ellies Du-Pin acerbus eorumdem verborum interpres, contendit eo loci *Romanum Episcopum appellari* a Basilio Coryphæum Occidentalium, *non in laudem, sed potius in vituperium, Occidentalium fastum incusante: Sin autem*, inquit Basilius, *ira Dei permanserit, quale vobis auxilium ab Occidentalium superbia, & fastu aderit? qui veritatem neque norunt, neque dicere sustinent, verum falsis opinionibus præpediti illa nutu faciunt, quæ prius in Marcello patrarunt, nempe cum iis qui veritatem ipsis annuntiant contendentes, hæresim autem per se ipsos stabilientes. Ego sane volebam ad eorum Antesignanum scribere*. Verum oportebat ut Auctor iste animadverteret,[1] Basilium ea quidem in epistola aliquantulum subirasci, quod Occidentales, apud quos a suis æmulis fuerat variis calumniis appetitus, epistolis suis minime respondissent: attamen in ipso etiam contentionis æstu Romanum Pontificem proprio cohonestat titulo, eumque appellat *Coryphæum, seu Antesignanum Occidentalium*. In aliis sane litteris, quæ postmodum pacato magis animo ad Damasum Papam, & alios Occidentis Episcopos scripsit, eumdem Damasum nominat,[2] *Caput universalis Ecclesiæ*: quod utique augustius est, quam ipsum nuncupare dumtaxat *Coryphæum Occidentalium*. Quia enim Romanus Pontifex duplici jure potitur, nempe Primatis totius Ecclesiæ, & Patriarchæ Occidentis, ipsum *epist.* 77. *Caput universalis Ecclesiæ; epistola autem* 10. *Coryphæum Occidentalium vocat*. Neque inficiari id poterit quicumque animadvertat, eumdem Basilium aliis in locis de Episcopis Occidentis ita loqui, pæne ac si proprium aliquem cætum suo Patriarchæ adhærentem efficiant. Satis erit unum indicare ex epistola ad Athanasium data, ubi asserit,[3] *se unam olim novisse auxilii viam, quæ res Ecclesiis nostris cum Occidentalibus Episcopis conspirat, & convenit. Si namque voluerint illi eumdem zelum, quo contra unum, & alterum, qui in Occidente diffamabatur, usi sunt, & pro nostrarum partium incolatu solliciti demonstrare: forte fiet aliquid, quod proderit communiter omnibus*. Extant quoque ejusdem Basilii *epistolæ* 74. & 77. Damaso & aliis Occidentis Episcopis inscriptæ, ex quibus constat, eum Occidentales ab Orientalibus sejunxisse, atque hoc sensu Romanum Pontificem appellasse Occidentalium Coryphæum, tamquam peculiare illorum caput, quod ipsum velut Patriarcham veneraretur, cui subjectæ erant Diœceses Occidentis. Basilio adnectam Hieronymum: is in epistola ad Marcum ait:[4] *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent*. Quem locum expendens eruditissimus P. Sirmondus, hæc[5] habet: *Quid aliud intelligi voluit, quam ut Petri Alexandrini Ægyptum, sic Damasi Episcopi Romani Diœcesim fuisse Occidentem? Specialis ergo, & Patriarchalis, ut ita dicam, Episcopi Romani Diœcesis Occidens fuit*, qua-

(1) Vide Baronium Ann. 371.
(2) S. Basilius epist. 77.
(3) Epist. 48.
(4) S. Hieronymus in epist. ad Marcum.
(5) P. Sirmondus de suburbicariis P. 2. c. 3.

quatenus is Patriarcha erat, quo nomine cum Alexandrino, atque Antiocheno in Nicænæ Synodi canone comparatur. Quam Sirmondi sententiam illustrat alter Hieronymi (1) locus adversus Vigilantium, ubi trium Patriarchatuum limites describit: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerunt, mariti esse desistunt*. Perspicuum est a D. Hieronymo indicari tres, qui sua ætate vigebant, totius Christiani Orbis Patriarchas, nimirum Antiochenum, qui præerat Diœcesi Orientis: Alexandrinum, cui suberat Diœcesis Ægypti: & Romanum, qui totum Occidentem gubernabat, ejusque Ecclesias Sanctus Doctor speciali Apostolicæ Sedis titulo decorat, denominatione sumpta a Romana illarum Principe. Eo sensu etiam Cyrillus Alexandrinus (2) in litteris Joanni Antiocheno scriptis, illum admonet, oportere ut ii omnes, qui *totius Occidentis* communionem amplecti volunt, sententiam sequantur a Cœlestino Papa latam adversus Nestorium. Allusit Cyrillus ad Provincias Occidentis, quarum Legati ad Synodum Romæ a Cœlestino indictam convenerant. Id testantur Ephesini Concilii Patres, qui insuper in epistola ad Imperatores missa de Joannis Antiocheni procacia ita scripsere: (3) *Perabsurdum enim est ducentorum & decem Sanctorum Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium Sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta numero se opponere*.

Augustinus præclarum Occidentalis Ecclesiæ lumen mirum in modum hoc ipsum confirmat. Cum enim contra Julianum Pelagianum urgeret testimonia Sancti Cypriani ex Africa, Irenæi, Reticii, Hilarii ex Galliis, Olympii ex Hispania, & Ambrosii ex Italia, hæreticum illum sic perstringit: (4) *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses*. Frustra hic Novatores hæc verba ad Romanam tantum Ecclesiam referunt, cujus nequidem meminit Sanctus Doctor; sed Ecclesiam, cui præsidere asserit Beatum Innocentium intelligit Occidentalem, de qua paulo ante locutus fuerat. Quia vero Occidens ea est Orbis pars, in qua Apostolorum Princeps Martyrium subiit, eo nomine præstantiorem Oriente insinuat; propterea Julianum redarguit, quod Episcopis Occidentis, cum primis Romano, qui cunctis præsidet, morem non gesserit. Certum itaque est, Augustinum hoc loco agere de Innocentio Primo tamquam Patriarcha totius Occidentis, dum ait: *Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses*. Ecclesiam quippe Occidentalem ab Orientali discernit. Quare falsus est Ellies Du-Pin cum asserit, hinc nihil aliud colligi posse, quam Pontificem Romanum inter Occidentis Episcopos primum esse; cum manifestum sit, Augustinum loqui de Ecclesiis Occidentis, & auctoritate Innocentii, qua in illis potiebatur, cui Julianum obtemperare oportebat: ac proinde non de primo honoris gra-

da

(1) S. Hieronymus adver. Vigilantium.
(2) S. Cirill. in ep. ad Jo: Antioch. rel. in Conc. Ephes. P. 1.
(3) Ibid. in epist. Synodica.
(4) S. Augustinus lib. 1. cont. Julianum c. 2.

du agit, ſed de ſpeciali Primatu jurisdictionis, ſeu de jure Patriarchatus, quo Occidenti præſidebat.

IV. Nullus ſane vim propriæ auctoritatis melius dignoſcere poterat, ac ipſemet Innocentius. Is porro ſcribens Decentio Epiſcopo Eugubino, nedum Eccleſiam univerſam toto terrarum Orbe diffuſam Apoſtolicæ Sedis judicio ſubjectam eſſe affirmat, verum etiam peculiari quadam ratione Occidentis Eccleſiis id incumbere, ut ad eam fidei quæſtiones referre debeant. Cauſam reddit, quia Romana Eccleſia caput eſt, & origo inſtitutarum in Occidente Eccleſiarum: (1) *Præſertim*, inquit, *cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi aut quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes: aut legant, ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Deſiderantur quidem hoc loco Illyricanæ Diœceſeos Eccleſiæ, quarum non meminit Innocentius; eas tamen ad Apoſtolicam Sedem pertinere alibi docet, præcipue in epiſtola ad Ruſum Epiſcopum Theſſalonicæ, & reliquos Macedoniæ Epiſcopos data, cum eorum litteris a Vitali Archidiacono delatis reſcriberet: (2) *Adverti Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio tamquam ad caput Eccleſiarum miſſa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum ſententia duceretur.* Videri etiam poteſt *in Decretis, cap.* 35. & 50. Hic afferri poſſent varia judiciorum exempla, quæ in cauſis Illyrici ab Apoſtolica Sede terminatis paſſim obvia ſunt, niſi ea alio loco eſſent excutienda. Unum proferre fas erit in cauſa Stephani Lariſſæ Theſſaliæ Metropolitæ, quæ Romæ in Synodo Romana ſub Bonifacio II. diſcuſſa eſt anno Domini 531. edidit hanc Synodum Lucas Holſtenius, ejuſque indicendæ occaſionem ita aperuit: (3) „ Stephanus Lariſſenſis „ Epiſcopus Theſſaliæ Metropolita „ legitime ac regulariter electus, & „ ordinatus, mox Probiani Suffraganei ſui aliorumque improborum „ factione irregulariter Epiſcopatu „ privatus ab Epiphanio Patriarcha „ Conſtantinopolitano, Sedem Apoſtolicam appellat, & lugubrem calamitatum ſuarum hiſtoriam duobus libellis, prætexens, reſtitui „ petit. In ſecundo vero illorum „ libellorum profitetur Stephanus Lariſſenſis, *ſeſe recuſaſſe Sedis Conſtantinopolitanæ judicium, eo quod* „ *Apoſtolicam Sedem, ideſt, veſtram* „ *Beatitudinem cauſas noſtræ Provinciæ & audire convenit & finire.* Plura addit, quibus probat, Theſſaliam ceteraſque Illyrici Provincias ſpectaſſe ad Patriarchatum Romanum ex veteri conſuetudine ſacris etiam Canonibus firmata. Huic inhærens conſuetudini Theodoſius Echinenſis Epiſcopus, *Seſſ.* 2. ejusdem Synodi dixit ad Bonifacium Papam: *Ex relatione libellorum veſtra cognovit Beatitudo, quæ acta ſunt contra ſanctos Canones, & ordinationem Deceſſorum veſtrorum. Nam conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi vendicet Principatum, & ſolam Eccleſiaſticis in cauſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vin-*

di-

(1) Innocentius I. epiſt. ad Decent. Eugubin.
(2) Epiſt. 22.

(3) Holſtenius in Notis ad Synodum Romanam ſub Bonifacio II. ann. 531.

dicasse. Quæ verba expendens laudatus Holstenius recte ea observanda esse admonet. „ In his enim clarissime distinguitur duplex in Romano Pontifice potestas: prior universalis in omnem Ecclesiam, jure Supremi Primatus, & Officio Pastoris Oecumenici ei competens: altera conveniens eidem tamquam peculiari Patriarchæ totius Ecclesiæ Occidentalis, ad cujus Diœcesim Illyrici quoque Ecclesiæ pertinerent.

V. Ne quis autem hæc testimonia parvi pendat, quod in iis Patriarchæ nomen minime appareat, illud ipsum ex aliis monumentis duximus adstruendum. Et quidem Chalcedonensis Synodus *Actione* 3. disertis verbis Leonem vocat *Patriarcham veteris & Magnæ Romæ*: Justinus itidem Imperator eodem titulo compellat Hormisdam Pontificem. Eum imitatus Justinianus anno 541. (1) cum quinque Patriarchas recenseret, primo loco meminit Patriarchæ Hesperiæ, & Romæ: *Totius Orbis terrarum Patriarchæ, scilicet Hesperiæ, & Romæ, & hujus Regiæ civitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos* (idest Antiochiæ) *& Jerosolymorum, & omnes qui sub eis constituti sunt Sanctissimi Episcopi Apostolicam prædicant fidem atque traditionem*. In quem locum adnotat Doctissimus Petrus de Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 5. §. 4. perperam Glossatores aliquos istius Novellæ Constitutionis Hesperiam reddidisse Italiam, ac si solius Italiæ Patriarcha censendus sit Episcopus Romanus: *Cui ergo cedent reliquæ Occidentis Provinciæ? Qua ratione si eas a Romano Patriarchatu excipias, omnes totius Orbis tractus quinque Patriarchis suberunt, ut Justinianus hac Novella contendit? Itaque Hesperia Occidentem significat*. (2) *Qua voce usus est antiquus Novellarum interpres, utpote a mediæ ætatis Scriptoribus frequentissime usurpata ad significandos Occidentis tractus; etsi apud veteres & alios quoque auctores Italiam non raro significet*. Ita plane veteribus Italia *Hesperia* dicebatur, quod Occasui subjecta sit, teste Macrobio; quo nomine Græci præsertim illam vocabant, tamquam illis Occiduam, ut videre est apud Theodoretum *lib.* 5. *Hist. Eccles. c.* 23. & Socratem *lib.* 2. *c.* 29. A Græcis ad Latinos eadem vox derivata est, ac pro Italia usurpata: de qua Virgilius:

(3) *Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt*.

Et alibi eam nominat *Magnam Hesperiam*. Sæpe itidem apud profanos Auctores Hispania nuncupatur Hesperia, non quidem absolute, sed cum adjecto, quando nimirum affixum habet hoc adjectivum *extrema*, vel *ultima*. Sic Horatius: (4) *Qui nunc Hesperia victor ab ultima*. Et hæc ab Hespero Stella Occidentali: Italia vero ab Hespero Atlantis fratre dicta est, qui a germano pulsus Italiam tenuit, eique nomen vel suum, vel pristinæ religionis imposuit. Quia vero utraque hæc Europæ pars Græcis Occidua est, hinc profectum reor, ut a mediæ ætatis Scriptoribus in universum Hesperia pro Occidente fuerit accepta: quo sensu Justinianus Imperator Romanum Pontificem appellavit *Patriarcham Hesperiæ*, scilicet Occidentis. Id confirmat ipsa Justiniani Scringeriana editio, quæ Patriarchatum Romanum non dividit in Hesperiam, & Romam, sed uno membro completitur, legens: *Occidentalis Romæ*, nempe ut secernatur a nova Roma Orientalis Imperii, quæ quidem a Sy-

(1) Justinianus Novell. 109.
(2) Novella 123. C. de Sum. Trinit.
(3) Virgil. lib. 1. Æneid.
(4) Horatius lib. 1. Carm.

nesio (1) Orientalis Roma, nuncupatur, quemadmodum vetus illa Occidentalis nomine exprimitur. Antiqui Codices MSS. Bibliothecæ Colbertinæ signati *num.* 215. & 244. habent: *Et Hesperiæ Romæ, & hujus Regiæ Civitatis*. Hinc valide roboratur conjectura Dom. Petri de Marca. Eamdemque dilucidat epistola nondum edita Joannis VIII. ad Paulum Episcopum Anconitanum Apostolica Legatione fungentem in Germania & Pannonia: (2) *Non solum*, inquit, *intra Italiam ac ceteras Hesperiæ Provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines, consecrationes, ordinationes, & dispositiones Apostolica Sedes patrare antiquitus consuevit*. Hujus epistolæ fragmentum transtulit in Decretum suum Gratianus 16. *q*. 3. *c*. 14. *Porro*.

Nullus itaque restat ambigendi locus, Romanum Pontificem a veteribus habitum fuisse totius Occidentis Patriarcham: quam in eo dignitatem veneratæ sunt sacræ Synodi Oecumenicæ, Nicæna *can*. 6. quem paulo post expendemus, Chalcedonensis *Act*. 3. & Sexta Synodus *Act*. 18. ubi (3) Principem rogat, ut transmitti jubeat Acta Concilii *quinque Patriarchalibus Sedibus*. Ea vero transmissa fuisse jussu Principis quinque Patriarchalibus Sedibus, Romanæ cum primis, sequentia verba declarant: *Apostolicæ Sedi Sancti, ac Principis Apostolorum Petri, nempe Agathoni Sanctissimo Papæ Senioris Romæ; Sedi Sanctissimæ Catholicæ & Apostolicæ Magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, &c*. Ex quibus constat, Romanum Episcopum a reliquis Patriarchis Orientis velut Patriarcham Occidentis fuisse discretum, atque ad ipsum Synodi istius acta transmissa, ut per eum in partibus Occidentis promulgarentur. Earumdem quinque Sedium Patriarchalium meminit Octava Synodus Oecumenica, in cujus *Act*. 6. Basilius Imperator allocutus Photiani Schismatis Episcopos, dixit: (4) *Ecce audistis sensum Patriarcharum, tam Romani, quam Jerosolymitani; quid vobis videtur ad hæc?* Et ne extra Orientem divagemur, placet in medium proferre testimonium Sancti Joannis Damasceni, in Oratione adversus impium Imperatorem Constantinum habita, in qua reprobat Concilium ab ipso Constantinopoli indictum adversus Sacras Imagines, nec illud fuisse Oecumenicum, aut legitimum ex eo demonstrat, quod Patriarchæ ipsi nequaquam interfuerint: (5) *Nam quæso te*, inquit, *quis ei Patriarcharum inventus est interesse? Romanus ire noluit &c*. En primum inter Patriarchas locum deferri Romano, utpote Occidentis Patriarchæ. Inde progressus ostendit, nullam Synodum esse Oecumenicam, cui non adsunt quinque Patriarchæ: *Ea Synodus sit, cum quinque Sedes Patriarchales unam sanxerint fidem*. Eamdem rationem persequitur Theodorus Studita, Abbas Studiani Monasterii, in epistola ad Leonem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Cancellarium, ubi eum hortatur, ut curet Concilium congregari, cui si nolint interesse Patriarcharum Vicarii, saltem intersit Vicarius Patriarchæ Romani: (6) *Si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis adsint Vicarii, quod certe fieri potest, si velit Imperator, Occidentalem interesse*. Occidentalem Patriarcham Romanum Episcopum appellat.

VI. Hactenus ea protulimus antiquitatis monumenta, quæ Patriarchatus Occidentis Romano attributi di-

(1) Synesius Orat. de fratr.
(2) Joann. VIII. in epist. ad Paulum Anconit.
(3) Sexta Synodus Act. 18.
(4) Octava Synodus Act. 6.
(5) Damascenus in Orat. adver. Constantin.
(6) Theodorus Studita.

sertam mentionem faciunt. Nunc expendendus superest Canon Sextus Magnæ Synodi Nicænæ, de quo inter eruditos dissidium est, num de Patriarchica, an Metropolitica tantum auctoritate sit intelligendus. Canonis verba hæc sunt: (1) *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, ceterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc Magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum.* Integrum Canonem exhibuimus juxta Dionysii Exigui versionem. Fateor tamen varias esse illius editiones. Legati Sancti Leonis in Synodo Chalcedonensi, cum inter ipsos & Græcos res esset de institutione Patriarchatus Constantinopolitani, Canonem hunc ex scriniis Romanæ Ecclesiæ ita reddiderunt: *Teneat autem & Ægyptus ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam etiam Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Paulo diversus ab Anatolianis ibidem ita productus est: *Antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc consuetudo est.* Editio vulgata Nicænorum canonum parum a Dionysiana differt: *Antiqui mores teneant in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quoniam & Urbis Romæ Episcopo eadem est consuetudo.* Et hac forma expressus, atque ex Archivis Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopolis descriptus, ad Sextum Concilium Carthaginense missus est. Varias istius canonis versiones idcirco protulimus, ut inde constet, quantum a legitimo illius sensu aberret illa Rufini, quæ tantopere exercet eruditorum ingenia; & hujusmodi est: *ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Siqua in hunc canonem obscuritas irrepsit, ea ex Interpretum sententiis magna ex parte fluxit, & Rufini interpretatio præ ceteris caliginem eam offudit, quam canon ipse minime habuerat. Hinc diversæ de sensu istius canonis prodierunt opiniones, quæ omnes ad tres referri possunt.

VII. Prima censet Alexandrinum, & Romanum Episcopum inter se dumtaxat componi quo ad jus Metropoliticum ordinationum. Eam tuetur Joannes Launojus Parisiensis Theologus *in Dissertatione de recta Nicæni canonis sexti intelligentia.* In hanc Launoii sententiam venisse videtur eruditus D. Benedictus Bacchinius Abbas Ordinis Sancti Benedicti Casinensis *in lib. de Eccles. Hierarch. Ordinibus P. 2. §. 13. & seqq.* existimat quippe hunc Canonem Nicænum de jure Metropolitico esse intelligendum. Attamen etiam in hoc Jure longe ampliorem facit Romani Episcopi potestatem, quam eam Launojus statuat; tametsi postmodum ad solas Provincias Vicario Urbis subjectas illam coarctet. Hoc ille nititur fundamento, quod serius in Occidente instituti sint Metropolitæ, & nonnisi circa Nicæni Concilii tempora: (2) „ Nullum, ait, ab initio in Oc-

(1) Nicæna Synodus c. 6.

(2) Bacchinius in lib. de Eccl. Hierarch. Ord. P. 2. §. 13.

„ Occidente Metropolitam fuiſſe, ſed „ omnes longe lateque fundatas Ec- „ cleſias unum Romanum agnoviſſe „ Epiſcopum Metropolitam. Qui igi- „ tur Nicænæ Synodi ævo Metropo- „ litæ Occidentales erant, Romanos „ Pontifices auctores agnoſcebant, „ qui quod in diſſitis Provinciis or- „ dinare in demortuorum locum „ Epiſcopos immediate non pote- „ rant, re Criſtiana amplificata, & „ cetera negotia Eccleſiaſtica cu- „ rare, id certis Epiſcopis deman- „ dandum cenſuerunt, qui ſuo no- „ mine illud peragerent, aliaque cu- „ rarent. Inde concludit: Sexto Ca- „ none Nicæno Metropolitanum cum „ Metropolitano comparari, at non „ Metropolitanum utcumque, ſed „ Metropolitanum ad plures Provin- „ cias diffuſum, cujus per ea tem- „ pora nullus ea plenitudine frueba- „ tur, quæ ad Romanam accederet, „ in Oriente, præter Alexandrinum. „ Huic Antiochenus proxime acce- „ debat, at cum Metropolitis infe- „ rioribus adhuc recens inductum „ jus ordinationum perſeveraret in- „ dependens, quippe ut Innocen- „ tius loquitur epiſt. 18. c. 1. Epi- „ ſcopos hi ſuo arbitratu initiabant, „ iidem nullam querimoniæ cauſam „ habebant, cum quod prætendeba- „ tur unicuique Provinciæ ſuus Me- „ tropolitanus, qui Eccleſiaſtica ne- „ gotia curaret, exiſteret. Metro- „ politicum itaque Antiocheni jus ex- „ tra ſuam Provinciam minime ex- „ tendebatur, illudque quo in plu- „ res Provincias Eccleſiaſticam ſol- „ licitudinem exercuit, certis limi- „ tibus ſiſtebatur, qui non niſi quar- „ to ad finem vergente ſeculo ablati „ ſunt, Patriarcharum, & Exarcho- „ rum nominibus juribuſque introdu- „ ctis, mutataque in multis, & con- „ formata civili politiæ Eccleſiaſtica „ Diſciplina. Romanorum itaque „ Pontificum liberalitate, cum & in- „ tra Italiæ fines Metropolitæ ſint „ inſtituti, tributaque eiſdem Syno- „ dorum, & Ordinationum libera in „ ſuis Provinciis facultas, Alexan- „ drini, & Romani Metropolitæ com- „ paratio cœpit ſubobſcurior fieri, quip- „ pe Provinciæ plures, quæ huic ſu- „ bijcebantur, illæ tandem erant, „ quæ Urbis Vicario parebant, avul- „ ſis a Romana Metropoli, Medio- „ lanenſi, Aquilejenſi, Ravennatique „ Metropoli. „ Huсuſque Bacchi- nius: cujus tamen duo opinionis ca- pita, nimirum de Metropolibus in Occidente nonniſi circa Nicæni Con- cilii tempora inſtitutis, deque Patriar- chico jure quarto dumtaxat ad finem vergente ſeculo Antiochiæ, & Alexan- driæ conceſſo, ſupra jam exploſa fue- runt: tertium quod cum Launojo com- mune habet, videlicet ſexto Canone Nicæno comparationem de jure tan- tum Metropolitico inter Romanum & Alexandrinum, paulo poſt refel- lemus.

Ante Bacchinium eamdem ſen- tentiam vulgaverat Salmaſius, qui duo quædam excogitavit pro Canonis Ni- cæni cum epitome Rufini conciliatio- ne: (1) *Primo hoc Canone nullam juris Patriarchici mentionem fieri; ſed tan- tum Alexandrinum, & Antiochenum Epiſcopum in iis, quæ ad jus Metropo- liticum pertinent cum Epiſcopo Romano conferri. Alterum vero Metropolim Romanam Rufini temporibus circa an- num 400. iis Provinciis definitam (Pi- ceno ſcilicet, Tuſcia, Latio, & Vale- ria) quæ ſuburbicariæ dicebantur, quod a juriſdictione Præfecti Urbi pen- derent, & ad centeſimum ab Urbe la- pidem porrigebantur.* Sic mentem Sal- maſii proponit Dom. Petrus de Marca *lib. 1. Concord. cap. 3. §. 6.* cui jam innotuerat Auctor lucubrationis de Su-

Pars Prima. Dddd

(1) Salmaſius.

Suburbicariis, antea ignotus doctissimo Sirmondo, qui propterea librum Parisiis edidit anno 1618. cum hac inscriptione: *Censura conjecturæ de Suburbicariis regionibus, & Ecclesiis*.

Altera sententia docet, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum Episcopos sexto Canone inter se componi quoad jus Patriarchicum. Illam propugnant, Dom. Petrus de Marca, Sirmondus, Valesius *in Ecclesiast. Observationibus ad Socratem & Sozomenum*: P. Natalis Alexander *Dissert.* 20. *in Hist. Eccles. seculi IV.* Et Dom. Emanuel a Schelstrate *Antiq. Eccles. Tom.* 2. *dissert.* 6. *cap.* 2.

Tertia Novatorum est propria: contendunt siqu idem Novatores, hoc Canone Romani Pontificis Primatum everti, quod ejus auctoritas ad regiones Suburbicarias, idest ab Urbe Roma centesimo lapide dissitas coarctetur; eaque confirmetur potestas Alexandrino Episcopo per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, quæ Romano Pontifici convenit in præfatis regionibus ad peculiarem Episcopatus Romani, qua privatus Episcopus est, pertinentibus jurisdictionem.

VIII. Priusquam primam, & tertiam ex nuper expositis opinionibus refellamus, operæpretium erit, præposteram Salmasii, & quorumdam aliorum de Regionibus Suburbicariis interpretationem explodere ex his, quæ contra illam laudatus Sirmondus scripsit: (1) Salmasius quippe Dioecesim Præfecto Urbi commissam definit intra centesimum ab Urbe lapidem; sed turpiter errat, cum Notitia Imperii tredecim dumtaxat Dioeceses sub quatuor Præfectis Prætorio collocet, quas inter nulla apparet Præfecto Urbi assignata. Immo nec assignari poterat, cum centum mille passuum tractus plures Provincias minime complectatur, quæ tamen ad componendam Dioecesim necessariæ tunc erant. Variæ quidem sub Præfecto Urbi administrationes erant, sed nulla Dioecesis, nulla Provincia. Suburbicariæ vero Regiones ad Vicarium Urbis spectabant. Meminisse etenim oportet, quæ alibi documus, nempe duos in Italia fuisse Vicarios Præfecti Prætorio, Vicarium Urbis Romæ, & Vicarium Italiæ: prioris Sedes Roma fuit, alterius Mediolanum. Inter hosce duos Vicarios distributæ erant omnes Provinciæ Italiæ; hoc tamen appellationis discrimine, quod quæ Vicarii Italiæ Regimini parebant, præcipuo titulo Italicæ dicebantur; reliquæ Urbicariæ, & Suburbicariæ, quod Vicario Urbis subjectæ essent. Has posteriores supra recensuimus, scilicet Campaniam, Tusciam, Umbriam, Picenum Suburbicarium, Apuliam, Calabriam, Brutios, Lucaniam, Samnium, Valeriam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam. Ceteras autem Italiæ Provincias, nimirum Venetias, Istriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, & Picenum Annonarium regebat Vicarius Italiæ. Inde patet Urbicarias, & Suburbicarias regiones appellari illas, quæ Urbis Vicario suberant. Perperam igitur Salmasius contraxit Regiones Suburbicarias ad has quatuor Provincias, Tusciam Suburbicariam, Picenum Suburbicarium, Latium vetus, & Latium novum. Non minus futile est, quod idem Auctor confinxit de comparatione Romani Pontificis cum Præfecto Urbis suo quoad Regiones Suburbicarias intra centesimum ab Urbe lapidem sitas, ut ex hucusque assertis apparet.

IX. De hoc eodem argumento agit Dom. Petrus de Marca adversus Salmasium: (1) *Neque enim*, ait, *exi-*

(1) P. Sirmondus in Censura Conject. Anonymi Scriptor. de Suburbicariis regionibus & Ecclesiis P. c. 2. & 4.

(1) Petrus de Marca lib. 1. Concor. c. 3. §. 12.

ſtimo Rufini ætate Regionibus illis Suburbicariis ad centeſimum uſque lapidem Romanæ Metropoleos fines fuiſſe circumſcriptos. Vetat namque Notitia illa Vaticana vetus, quæ 69. Epiſcopatus, ex quibus Romana Provincia conflata erat, nobis exhibet: qui quidem non ſolum Latinam Regionem, ſeu Campaniam recentiorem ad Sinveſſam, Marſos, ſeu Valeriam, Picenum, & Tuſciam Suburbicariam complectebantur, ſed etiam Tuſciam Annonariam, Umbriam, & Picenum Annonarium. Veterem illam Notitiam inſeruit Baronius *Tom. XI. Annal. ad ann.* 1057. ex antiquo Codice Vaticano exceptam, eamque & nos ſupra deſcripſimus. Hinc idem Petrus de Marca optime colligit, Salmaſium male interpretatum fuiſſe Rufini mentem, qui longe aliud per Suburbicaria loca intellexit, quam regiones illas, aut Provincias Romæ circumadjacentes. Quare laudatus Archipræſul cenſet, canone ſexto Nicæno (1) Alexandrinum Epiſcopum cum Romano conferri quidem, quoad Jus Patriarchicum, quo tamen utebatur in Ordinationibus celebrandis, non in toto Occidente, ſed in Provinciis Urbicariis, illis nimirum decem, quæ Vicario Urbis parebant. Sententiam ſuam probat ex cauſa, qua Nicæni Patres permoti Canonem illum condiderunt, videlicet ut repararent Alexandrini Antiſtitis auctoritatem in ordinandis omnibus Ægypti Epiſcopis, quam Meletius invaſerat. Eam fuiſſe edendi iſtius Canonis cauſam conſentiunt etiam Leo Allatius *lib.* 1. *de Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ conſenſione cap.* 12. *num.* 1. & P. Chriſtianus Lupus *Par.* 1. *in Notis ad hunc Can.* 6. quam a ſua origine hic repetendam duximus. Meletius Lycopolis Epiſcopus, Athanaſio referente *in Apolog.* 2. ob varios graveſque exceſſus, præcipue crimen Idololatriæ, in quod lapſus fuerat graſſante Diocletiani perſequutione, a Sancto Petro Alexandrino Patriarcha in Synodo damnatus ſchiſma conflavit, neque ſolum obedientiam excuſſit, ſed etiam, auctore Theodoreto *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. c.* 4. *exercuit tyrannidem contra Primatem Alexandrinum:* ſeu ut Gelaſius Cyzicenus ait, *contra prærogativam Sedis Alexandrinæ;* juxta Athanaſium vero, *ambitione ut rebus præeſſet.* Atque hiſce ſtimulis percitus, Thebaidem, vicinaſque Ægypti Provincias invadens, Patriarchicum jus illic ſibi arrogavit: quod ut magis firmaret, conjurationem iniit cum Arianis antea inimicis. Injuriam Sedi ſuæ illatam moleſte ferens Alexander Epiſcopus Alexandrinus, graves, ſed juſtas de iſta re querelas Nicænis Patribus detulit, a quibus propterea ſancitus fuit Canon ſextus, quo reparantur privilegia Eccleſiæ Alexandrinæ a Meletio invaſa, læſa, ac mutilata. Id perſpicuum fit ex epiſtola Synodica Concilii Nicæni ad Eccleſias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, in qua legitur: (1) *Quæ per petulantiam Meletii geſta ſunt, & eorum qui ab eo ſunt ordinati, etiam ex hac parte, quæ placuerunt Synodo, ipſis inſinuantur, Meletium nimirum manere quidem in propria civitate, nullam vero omnimodis habere poteſtatem, neque eligendi, neque ordinandi, nec in Provincia, nec in qualibet civitate videri, purumque nomen tantummodo poſſidere. Eos autem, qui ab ipſo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem, & miniſterium, ut tamen ſequentes ſint modis omnibus, univerſorum in ſingulis Parochiis, & Eccleſiis, a chariſſimo, & comminiſtro noſtro Alexandro conſecratorum, ut his nulla poteſtas ſit, pla-*

(1) Ibid. c. 7. §. 3.

(1) Concil. Nic. in ep. ad Epiſc. Ægypti, Lybiæ, & Pent.

placitos sibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem Ecclesiæ Catholicæ Præsulis Alexandri. Gratia namque Dei & orationibus vestris, in nullo schismate repertos, sed sine macula in Catholica, & Apostolica Ecclesia permanentes, dignum est potestatem habere eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero sunt digni, & absolute facere omnia secundum legem, & sanctionem Ecclesiæ. Si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumti sunt, solummodo si videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul, & designante, maxime Alexandriæ Civitatis Episcopo. Hoc itaque aliis quidem concessum est omnibus: in persona vero Meletii nequaquam eadem placuerunt propter priorem indisciplinationem ejus, & propter procacitatis ejus ac petulantiæ voluntatem, ne ulla daretur auctoritas, vel potestas homini, qui posset rursus easdem indisciplinationes instruere. Hæc sunt præcipua & competentia Ægypto, & Sanctissimæ Alexandrinorum Ecclesiæ. Refert hanc Synodicam epistolam Concilii Nicæni Theodoretus *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6. integramque recitat Baronius *ad ann.* 325. *num.* 117. *& seq.* Hinc liquet Canonem Nicænum de ordinationibus Episcoporum intelligi.

X. Idipsum confirmat Dom. Petrus de Marca ex veteris Disciplinæ axiomate, ut ejus Synodo sese sisterent Episcopi, cujus arbitratu ordinati erant, unde profectum est, ut *pertinere ad alicujus Concilium, vel ad consecrationem* promiscue & passim dicantur Episcopi, qui a Primatibus suis pendent. Huc tendit Justiniani Imperatoris Constitutio, qua decernit, (1) *convenire apud Beatissimos Patriarchas illos, qui ab illis ordinati sunt, & qui non habent jus alios Episcopos ordinandi: ut apud Sanctissimos Metropolitas cujuscumque Provinciæ eos, qui ab eis sunt ordinati.* Quam constitutionem sic interpretatur Photius, ut (2) Metropolitanorum Synodos apud Patriarchas, & Episcoporum apud Metropolitas, cogendas esse statuerit. Jam vero omnium Regionum Urbicariarum Episcopos ad Romani Episcopi Concilium, & ejusdem ordinationem pertinere, patet ex Cœlestino Pontifice, qui Apuliæ, & Calabriæ ordinationes sibi attribuit, dum universis Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis scripsit: (3) *Audivimus quasdam propriis destitutas rectoribus civitates Episcopos sibi petere velle de Laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc his qui non Deo, sed seculo militaverunt, æstiment nos posse conferre, non solum male de suis Clericis, in quorum contemtum hoc faciunt, vindicantes, sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere, sentientes.* De Campania & Brutiis idem affirmat D. Athanasius *in Epistola ad Solitarios,* (4) ubi allegat Episcopos Synodi Romanæ sibi communicantes *e magna Roma, Italiaque universa, ex Calabria, Apulia, Campania, Brutiis.* De Sardiniæ, & Siciliæ Episcopis hoc ipsum constat ex variis epistolis D. Gregorii ad eos scriptis: quod & de aliis alibi demonstravimus, & infra magis patebit. Ex his tandem omnibus infert laudatus Parisiensium Archiepiscopus *lib.* 1. *c.* 7. §. 6. juxta Rufini versionem, Canone Sexto Niceno componi inter se Alexandrinum, & Romanum Episcopum in eo, quod illa Ægyptiacæ Diœceseos curam habere debeat eodem jure, quo Episcopus Ro-

(1) Justinianus Novella 137. cap. 4.
(2) Photius in Nomocanone tit. 8. cap. 8.
(3) Cœlestin. I. in epist. ad Episcopos Apuliæ & Calab.
(4) S. Athanasius epist. ad Solitar.

Romanus utebatur in Diœcesi Urbicaria, seu ut Rufinus loquitur, in Ecclesiis Suburbicariis, idest, in iis Ecclesiis, quæ decem Provinciis Suburbicariis continebantur. Earum siquidem Provinciarum, & Synodus, & ordinatio, & plena ac libera administratio ad Episcopum Romanum spectabat, sicut Episcopo Alexandrino in Diœcesi Ægypti, & Antiocheno in Diœcesi Orientis id juris concessum erat. Hanc autem comparationem Rufinus his finibus coërcuit, quod scilicet ulteriori jure fruebatur Romanus Pontifex, quam ceteri Diœceseon singularum Exarchi; etenim *& plures, & majores Diœceses tenebat*, & insuper Principatu totius Ecclesiæ donatus erat: atque in his duobus capitibus duos illos Patriarchas cum Romano nequaquam confert Rufinus, sed tantum ratione habita Ecclesiarum Suburbicariarum. Quare hæc Rufini interpretatio nihil lædit Primatum totius Ecclesiæ Romanæ Sedi a Deo concessum.

XI. Quamquam Dom. Petrus de Marca illustrare conatus sit Rufini mentem, ægre nihilominus viri eruditi in ejus sententiam concedunt, cum Nicænus Canon nec de solis ordinationibus agat, nec Suburbicariarum Provinciarum limitibus claudat Jus Patriarchicum Romani Episcopi; nec sensum Canonis assequatur Rufini interpretatio, quæ potius paraphrasis est, quam versio. Id constabit illam conferenti cum ejusdem Canonis versionibus antea relatis: nulla enim ex iis Suburbicarias regiones commemorat; non Dionysius Exiguus, non vulgata versio, non Chalcedonenses Patres tale quidpiam habent; uti nec Socrates, nec Sozomenus, qui Canonis verba proferunt, Suburbicariarum regionum meminerunt. Textus Græcus istius Canonis, Exemplaria Gelasii, & ea quæ ad Patres Sexti Concilii Carthaginensis missa sunt, ne verbum quidem faciunt de Suburbicariis Ecclesiis, quas Rufinus intrusit in Canonem. Sapienter proinde scripsit Leo Allatius *lib. 1. de consensione Orient. & Occident. Eccl. cap. 12. num. 4. Quid hic Urbicaria, & Suburbicaria somniamus, de quibus nec vestigium in verbis Concilii?* Quod si Rufini mentem nonnulli frustra perquirere satagunt, hoc unum animo recolant, eum Romanæ Ecclesiæ fuisse inimicum. Audiant potius Anastasium Papam *in epistola 30. ad Joannem*, de illo scribentem: *Rufinum scito ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, aut ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit ubi possit absolvi.* Romana siquidem censura inustus summi Pastoris judicio se sistere numquam voluit, adversa quæque potius sustinens, quam ejus tribunal ferre: cujus pertinaciam ita compressit D. Hieronymus: *Quid* (1) *innocentem te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit? Absentem qui, accusatus respondere non audes, tantum Romanæ urbis fugis judicium, ut magis obsidionem Barbaricam, quam pacatæ urbis velis sententiam sustinere?* Et alio in loco: *Ego* (2), inquit, *scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me legere putem; tamen non doleo, nec me pænitet tarditatis: id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.* Ubi etiam ipsi Græcæ simul & Latinæ linguæ imperitiam objectat: atque inter alia ait: (3) *Omne iter dictionis tuæ, absque Palladis arte salebris, & voraginibus vitiorum incidi-tur.*

(1) S. Hieronymus Apolog. 3. cont. Rufinum.
(2) Apol. 2.
(3) Apolog. 2.

tur. Idque adeo notum credebat Josephus Scaliger, ut exclamaret: *Quis ignorat inſcitiam Rufini?* Fruſtra igitur Joannes Launojus, Salmaſius, & Ellies Du-Pin unam hanc Rufini paraphraſim a Nicæni Canonis ſenſu deviam ſequuti, intra Suburbicariarum Regionum confinia coarctant Romani Patriarchatus jura. Et ſane cum Nicæni Patres Alexandrino, & Antiocheno Epiſcopo, quoad Patriarchicam auctoritatem, Romani exemplum proponant, ut juxta veterem conſuetudinem huic obſervatam, & ipſi in Diœceſim ſuam propria jura exerceant, quis credat Romano omnium Principi inter Patriarchas præfigi anguſtos limites Suburbicariarum Regionum, Alexandrino autem, & Antiocheno vaſtiſsimam Diœceſim? Etenim Nicænus Canon effundit Alexandrini poteſtatem in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, quibus ampliſsima ejus Diœceſis conſtabat; Antiocheni vero jurisdictionem in Diœceſim Orientis extendit. Qua ergo ratione contraheret unius Romani auctoritatem vel intra centeſimum ab Urbe lapidem, vel intra decem Italiæ Provincias Suburbicarias Vicario Urbis ſubjectas? Perinde eſſet ac Pygmæum Giganti comparare, atque illius parvitate, iſtius magnitudinem velle metiri: *Non puto*, inquit Sirmondus, *Chimæram ipſam Poëtarum commentitiam magis videri poſſe, quam abſurda, & aliena ſunt, quæ hoc capite continentur*. Accedit, regiones centum mille paſſuum tractu ab Urbe diſſitas Diœceſim non facere; decem vero Provincias Urbicarias ante Nicænæ Synodi tempora, licet in Politia civili diſtinctas, in Eccleſiaſtica tamen unam dumtaxat fuiſſe Provinciam, cujus Metropolis erat Roma. Hic autem non de Metropolitica, ſed de Patriarchica poteſtate, inter Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum Epiſcopum inſtituitur comparatio; ut paulo poſt conſtabit.

XII. Attamen ſi quiſpiam Rufini paraphraſim amplectendam putet, uti & non pauci eam amplectuntur, neceſſe erit ad eas confugere interpretationes, quibus Viri Eruditi mentem Rufini obſcuris verborum ambagibus involutam extricare ac dilucidam reddere non parum inſudarunt. Eorum aliqui fatentur, Rufinum Suburbicariarum Regionum nomine illas deſignaſſe, quæ decem Provinciis Urbicariis continebantur; & Alexandrinum Epiſcopum cum Romano compoſuiſſe quoad Jus Patriarchicum, quod ille per Ægyptiacam Diœceſim exercebat, ſicut iſte per Eccleſias Suburbicarias, ſcilicet in decem Provinciis præfatis contentas. Non quod Rufinus crederet, Romani Epiſcopi Patriarchicam auctoritatem, multo minus Pontificiam hiſce Provinciis coërceri: ſed quia videbat non eadem ratione illam obire, & explicare in ceteris Provinciis Occidentis, ſicut in Suburbicariis. In iſtis namque Epiſcoporum Ordinationes celebrabat, Synodos cogebat, majores cauſas judicabat: in reliquis autem Provinciis Occidentis, licet eodem jure potiretur, non tamen illud pari modo, & in omnibus, ac ſemper exequebatur, ſed non pauca conſuetudinibus Eccleſiarum relinquebat. Hoc ſenſu intelligendum eſſe Nicænum Canonem juxta Rufini interpretationem exiſtimat Dom. Petrus de Marca *lib.* 1. *de Concord. cap.* 7. ita ut ille ſic exponendus ſit: Epiſcopus Alexandrinus curam gerat Ægypti, ordinando Epiſcopos, convocando Synodos, majores cauſas diſcutiendo, omnia denique Patriarchica munia obeundo; ſicut in Suburbicariis Eccleſiis hæc omnia præſtat Romanus Epiſcopus. Ideo autem

tem

tem Rufinus hanc inivit comparationem, quoniam Romanus Episcopus ampliori jure, ac ceteri Patriarchæ, fruebatur. Nam & plures majoresque Diœceses gubernabat, & totius gerebat Ecclesiæ Principatum: in quibus duobus capitibus Patriarcham Alexandrinum cum Romano Antistite Rufinus merito non credidit comparandum, sed in ea dumtaxat auctoritate, quam in Decem Provinciis Urbicariis exercebat.

XIII. In eamdem fere sententiam recidit doctissimus Cardinalis Baronius, licet non eodem modo Suburbicarias regiones explicet. Non enim eas tantum sic dictas censet, quæ prope Urbem positæ essent; (1) sed complures quoque cum intra, tum extra Italiam constitutas: quo sensu Julianus Augustus ad Taurum rescribens *l. 9. de extraord. Muner.* Cod. Theodos. ait: *Non enim per Italiam tantum, sed etiam per Urbicarias regiones, & Siciliam Patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vires servandas esse perspeximus.* Mox observat, intra Italiam Suburbicarias Regiones esse nominatim Picenum, & Tusciam. Unde Honorius, & Theodosius Imperatores *l. 12.* Cod. Theodos. *De Indulg. debitor.* ajunt: *Picenum, & Tusciam Suburbicarias Regiones, septimam tributorum jubemus agnoscere.* Valentinianus quoque Picenum Suburbicarium nominat *l. 9.* Cod. Theod. *De annona, & tribut.* Addit præterea, Suburbicarias Provincias dictas esse, quæ certo pacto Urbi obstrictæ, in eam statis temporibus annonam conferre deberent. Hinc *Urbicarium canonem*, qui & frumentarius Canon in Jure appellatur, *l. 3. & 6. de canone furmentario urbis Romæ* Cod. Theod. & Justin. Cod. *l. 2. & 3.* Regiones itaque Suburbicariæ forsan dictæ sunt, quod deficientibus regionibus Urbis, ipsi annonam subministrarent, ut etiam notat Pancirolus *Commentario in Notitiam Imperii*. Tandem concludit, quod sicut illæ dictæ sunt Provinciæ Urbicariæ, quæ Urbi debentes annonam, eidem peculiari nexu tenebantur obstrictæ; ita eodem exemplo constat, pariter appellatas esse a Rufino Ecclesias Suburbicarias illas, quæ Romanæ Diœcesi peculiariter præ ceteris viderentur esse subjectæ: ita ut Alexandrinus Episcopus eodem jure omnes Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Ecclesias administrare posset, quo Romanus supradictas Ecclesias jure Patriarchico moderabatur.

XIV. Aliam explicandi ejusdem Canonis viam inivit Eminentissimus Cardinalis Perronius. Adnotat siquidem nomen antonomasticum *Urbis*, duplici ratione impositum Romanæ civitati: primum ut eo nomine per antonomasiam a reliquis urbibus imperio Romano addictis, subjectisque distingueretur. Juxta quam Urbis appellationem S. Cyprianus *ep. 40.* Clericos Romanos vocat *Clericos Urbicos:* Concilium Arelatense *can. 18.* Diaconos Romanæ Ecclesiæ *Diaconos Urbicos:* & Optatus *lib. 1. cont. Parmen.* Zephyrinum Papam nuncupat *Zephyrinum Urbicum:* in quem locum Albaspinæus ait: *Urbicus in antiquis Auctoribus pro Romanis accipitur.* Nec dubium quin ejusmodi nuncupatio Romæ indicta fuerit, ut propter sui eminentiam, etiam hoc ipso nomine ceteris præstaret civitatibus, quæ cum illa comparatæ, pagorum instar, & villarum censerentur. Secundo, eadem illa antonomastica appellatio *Urbis*, Romam ab illis potissimum civitatibus discernebat, quæ Romanæ suberant Præfecturæ: hæc porro Romana, seu Urbica Præfectura centesimum ab Urbe lapidem minime præter-

(1) Baronius Tom. 3. Annal. ad ann. 325. num. 135.

tergrediebatur. Quamobrem ficuti nomen iftud, *Urbs*, de Romana civitate acceptum duplicem exprimebat relationem, unam ad Territorium Imperiale, alteram ad Territorium municipale, Urbis Romæ: ita eæ voces *Suburbicariæ Regiones*, earum etymologia infpecta, duplicem continebant fignificationem: communem unam, quatenus civitates omnes in Territorio Imperiali Urbis Romæ pofitas defignabat, quas veteres uno Romaniæ vocabulo comprehendebant: quo fenfu D. Athanafius *in epist. ad Solitar.* Romam vocat *Sedem Apoftolicam, & totius Romaniæ Metropolim*. Altera earumdem vocum fignificatio magis propria, & Jurifperitis familiaris erat, quæ civitates in territorio municipali Urbis Romæ fitas indicabat, Suburbicarias idcirco appellatas, ut ab aliis civitatibus Præfecto Prætorio Italiæ fubjectis diftinguerentur. Hinc colligit Cardinalis Perronius, Rufinum primo, non fecundo modo Ecclefias Suburbicarias intellexiffe; huncque ad ejus mentem effe Nicæni Canonis fenfum: Alexandrinus Epifcopus totam Diœcefim Ægyptiacam eadem regat auctoritate, qua Romanus omnes Ecclefias Imperio Urbis Romæ fubditas. Mihi tamen hæc explicatio non omnino probatur. Neque enim Rufinus componeret Patriarcham cum Patriarcha, Alexandrinum videlicet cum Romano, fed Patriarcham cum Primate Ecclefiæ univerfæ, qualis eft Romanus Pontifex ea ratione, qua ne dum Ecclefiis Occidentis, fed etiam Orientis, fub ditione Romani Imperii pofitis præeft.

XV. Quare mihi longe verior videtur aliorum fententia, qui Ecclefias Suburbicarias, non omnes Imperio Urbis Romæ fubditas, nec eas tantum, quæ in decem Provinciis Urbicariis erant conftitutæ, fed omnes Occidentis Ecclefias interpretantur. Quod ut facilius intelligamus, oportet animadvertere, a Cæfare Augufto, ufque ad Conftantini Magni Principatum, univerfum Orbem Romanum, qua late per Orientem, & Occidentem patebat Suburbicarium fuiffe, ideft, Urbis Romæ imperio fubjectum. Nulla etenim civitas eo temporis fpatio divifum habuit cum Roma Imperium. Poftquam vero Conftantinus Magnus Byzantium exædificavit, ampliavitque, ac proprio nomine donatum, Conftantinopolim appellari voluit, eoque tranftulit Imperii Sedem, nova hæc civitas divifum cum Roma Imperium accepit, ac deinceps *Regia civitas*, *Nova Roma*, & *Civitas imperans* nuncupata eft. Hæc vero Imperii Romani bipartita diftinctio maxime innotuit poft Conftantini obitum, cum ejus filii Imperium teftamento Patris inter fe difpertiti funt: deinde fub Valentiniano, & Valente fratribus: tertio fub Valentiniano II. & Theodofio Seniore: poftmodum fub Arcadio, & Honorio, quibus clavum Romani Imperii moderantibus Rufinus fcribebat. Ea igitur ætate, qua Rufinus Hiftoriam fuam adornavit, Romanum Imperium in duos veluti Orbes difcerptum erat, Orientalem, & Occidentalem. Orientalis caput Conftantinopolis: Occidentalis Roma. Quam partitionem fpectans Claudianus Romam de Conftantinopoli ita loquentem exhibet: (1)

Cum fubito par Roma mihi, divifaque fumpfit
Æquales Aurora togas.

Itaque Rufini ævo totus Orbis Suburbicarius effe defierat, ideft, Urbi Romæ fubditus ac mancipatus. Solus Occidens tunc Suburbicarius erat, nempe Romæ Imperio addictus. Inde

(1) Claudianus de Bello Gildonico.

de exploratum sit, Suburbicarias Ecclesias non alias a Rufino dici, nisi Occidentales. Ita Rufini mentem aperiunt Clarissimi Viri, Joannes Morinus *lib.* 1. *Exercitat. Ecclesiast. Exercitatione* 30. Henricus Valesius supra laudatus, *cap.* 7. Jacobus Sirmondus *Dissert.* 2. *de Suburbicariis*, *cap.* 4. & Christianus Lupus P. 1. in Scholiis ad Can. 6. Nicænum, ubi ait: (1) *Non vacat de Suburbicariis Romani Imperii Provinciis disputare, atque ex illis quærere naturam Suburbicariarum Ecclesiarum. Eam jam audivimus non esse aliud, quam eos qui Romæ subditi, idest, qui subditi sunt juri Patriarchico Ecclesiæ Romanæ, nempe totum Occidentem, Septemtrionem, Africam, atque Illyricum*. Secundum hanc Rufini interpretationem Nicæni Canonis sensus iste est: Alexandrinus Episcopus Patriarchicam per totam Diœcesim Ægyptiacam exerceat auctoritatem, juxta mores antiquos, sicut Romanus Episcopus omnes Occidentis Ecclesias Patriarchica auctoritate administrat.

XVI. Plurimum in enucleanda Rufini paraphrasi cum tot viris eruditis operæ impendimus. Nunc inspiciendum est, in quonam sita sit comparatio illa Alexandrini cum Romano Episcopo, quam Nicænus Canon statuit. Atque illud cum primis nobis probandum incumbit, in eo Canone non agi de solo jure Metropolitico: nam illud antea sancitum fuerat Canone quarto præcedenti, quo Metropolitanorum auctoritas luculentissime asserta fuerat: ut quid ergo opus erat eamdem rursum stabilire sexto Canone? Alio igitur collineant posterioris hujus Canonis verba, nempe Episcopos spectant, qui non simplices Metropolitæ sunt, sed Patriarchæ, nec unam Provinciam regunt, sed integram Diœcesim ex multis Provinciis conflatam. Siquidem disertissima fit mentio Alexandrini, Antiocheni, & Romani Episcopi. Porro Alexandrinus Ægyptum, Libyam, Pentapolim, Thebaidem, Maræotidem, & Ammoniacam, gubernabat, teste Epiphanio *Hæresi* 68. ac proinde decem ad minus Metropolitæ ipsi suberant, ut colligitur ex epistola Theodosii Imperatoris ad Dioscorum recitata in Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. Antiocheno quoque Episcopo parebant omnes Provinciæ Orientis, exceptis Asiana, Pontica, & Thracica Diœcesibus, quibus proprii præerant Exarchi: ut videre est apud Chrysostomum *hom.* 3. *ad Populum Antiochenum*: & Hieronymum *in litteris ad Pammachium*. Romani tandem Patriarchæ auctoritas per totum Occidentem sese fundebat, ut supra demonstratum est, indicantque Innocentius I. *in epist. ad Decentium*: Hieronymus *in lib. cont. Vigilantium*, & *in epist. ad Marcum*: Basilius *epistola* 10. & Augustinus *lib.* 1. *cont. Julianum cap.* 2. Igitur Canon sextus Nicænus non agit de Metropolitis, qui unam tantum Provinciam, sed de Patriarchis, qui Diœceses ex multis Provinciis compositas administrabant, & quibus plures Metropolitæ subjecti erant. Unde Innocentius I. in epistola ad Alexandrum Antiochenum hunc Canonem de Patriarchis interpretatur: (1) *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis Fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam, recognoscimus constitutam*. De Antiochena Ecclesia expresse loquitur, eamque non supra unam dumtaxat Provinciam constitu-

tam

(1) Christianus Lupus in Can. 6. Nicæn.

(1) Innocentius I. epist. 18.

tam affirmat, ſed ſupra integram Diœceſim. Hoc autem privilegium ipſi tributum aſſerit, *non ob civitatis. Amplitudinem, ſed quod prima extiterit Sedes Principis Apoſtolorum: Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apoſtoli Sedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ Conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque Urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet*. Poſtmodum ſtatuit, quod ſibi præcipue in ea epiſtola explicandum propoſuerat, ex auctoritate ſcilicet Canonis Nicæni ab Antiocheno Epiſcopo Metropolitanos eximio quodam jure ordinari conſueviſſe: *Itaque arbitramur, Frater chariſſime, ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros, non ſine permiſſu conſcientiaque tua, ſinas Epiſcopos procreari*. Quocirca cum ſoli Patriarchæ Diœceſi præſideant, & Metropolitanos ſibi ſubditos præcipuo jure ordinent; conſequens eſt juxta Innocentii ſenſum Canonem illum de Patriarchis eſſe intelligendum.

XVII. Illuſtrat ejuſdem Pontificis mentem D. Hieronymus *in epiſtola ad Pammachium*, occaſione diſſidii, quod inter Joannem Jeroſolymitanum, & Sanctum Epiphanium exarſit, ſcripta. Quandoquidem Epiphanius pertranſiens Palæſtinam, exoratus a Monachis Paulinianum Hieronymi fratrem Presbyterum ordinaverat. Quod indigne ferens Joannes, quaſi injuriam paſſus eſſet, litteras ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham ſcripſit querelarum plenas adverſus Epiphanium, quod in Parœcia ſua ordinationes celebraſſet; multis etiam criminationibus Hieronymum laceſſens. Ut autem ſibi Theophilum demereret, ea ipſi adulatione blandiebatur, quaſi qui Jeroſolymitanæ Eccleſiæ curam ſuſtineret. At Hieronymus hanc in Joanne audaciam damnans, illum velut alieni juris invaſorem ita redarguit: (1) *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, & alienos Clericos cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi: ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid attinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia*. Ex hiſce Hieronymi verbis patet, juxta Nicænum Canonem, totum Orientem Antiocheno Antiſtiti parere. Porro in Oriente ſolido plures Provincias eſſe, earumque ſingulis Metropolitas ſuos præfectos, nullus dubitat. Plures ergo Provincias Antiochenus gubernabat, non tamquam Metropolitanus, ſed tamquam Patriarcha: nam ex Decreto Nicæni Concilii plures Provinciæ non ſubſunt uni Metropolitæ. Igitur neceſſe eſt, ſextum Canonem Nicænum non de Metropolitanis agere, ſed de Patriarchis. Verum utique eſt olim etiam eos, quos Patriarchas dicimus, etiam Metropolitanos, & Archiepiſcopos fuiſſe appellatos, quod nondum Patriarchæ nomen in Eccleſia uſu receptum eſſet, ſed tamen erant Metropolitæ majores integram Diœceſim regentes. Quod conſulto adnotavimus, ut Launojo faceremus ſatis, qui Cæſareenſem Epiſcopum ex æquo Palæſtinæ Metropolitanum conſtituit, ac Antiochenum totius Orientis. Quod probare ſe putat teſtimonio ejuſdem Hieronymi dicentis: *Sed novi cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid ageres, quid vitares. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere*.

At

(1) S. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium.

At in Hieronymo nihil videt Launojus: quia enim ejus ætate necdum invectum erat Patriarchæ nomen, tam Antiochenum, quam Cæfareensem Metropolitanum vocat, non tamen eodem modo. Cæfareenfem quippe fimplicem Metropolitanum agnofcit unius Provinciæ Palæftinæ: Antiochenum vero Metropolitanum majorem totius Orientis, cui plures Provinciæ obnoxiæ fint, ac pluribus præfit Metropolitis: quod reipfa idem fuit, ac ipfum appellare Patriarcham.

XVIII. Quod Hieronymus contra Joannem Jerofolymitanum, idipfum Magnus Leo adverfus Anatolii ambitum egit; uterque hoc Nicæno Canone fretus. Anatolius fiquidem in Concilio Chalcedonenfi Ecclefiæ Conftantinopolitanæ Patriarchicam dignitatem adjicere tentaverat. Ejus aufibus obftitit Sanctus Leo, ea ratione permotus, quod nova hæc Patriarchatus Conftantinopolitani inftitutio Nicænis Canonibus adverfetur, & Metropolitanorum primatum evertat: (1) *Contra ftatuta*, inquit, *paternorum Canonum, quæ ante longiffimæ ætatis annos in Urbe Nicæna fpiritualibus funt fundata decretis, nihil cuiquam addere conceditur; ita ut fiquis diverfum aliquid decernere velit, fe potius minuat, quam illa corrumpat . . . . . Superbum nimis eft, & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius crefcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus, quietifque Provinciis, & olim Sanctæ Synodi Nicænæ moderatione difpofitis, bellum novæ perturbationis referre, atque ut venerabilium Patrum decreta folvantur, quorumdam Epifcoporum proferre confenfum, cui tot annorum feries negavit effectum*. Ita loquitur Magnus Leo in litteris ad Pulcheriam Auguftam. Quod & luculentius inculcat in epiftola ad Anatolium, ejufque ambitum his graviffimis verbis retundit: (1) *Doleo etiam in hoc Dilectionem tuam effe prolapfam, ut facratiffimas Nicænorum Canonum Conftitutiones conareris infringere, tamquam opportune fe tibi hoc tempus obtulerit, quo fecundi honoris privilegium Alexandrina Sedes perdiderit, & Antiochena Ecclefia proprietatem tertiæ dignitatis amiferit, ut his locis juri tuo fubditis omnes Metropolitani Epifcopi proprio honore priventur*. Secundum antiquos mores Sanctus Leo Patriarchas Metropolitanos appellat, quia revera funt Metropolitani Majores, feu Metropolitani Metropolitanorum, atque hoc fenfu id nominis eis a Nicænis Patribus delatum in hoc Canone fexto affirmat Zonaras. In iis autem epiftolis laudatus Pontifex afferit, Canonem Concilii Chalcedonenfis, quo inftituitur Patriarchatus Conftantinopolitanus, adverfari Nicænis Canonibus: Nullus porro alius Canon ex Nicænis proferri poteft, qui de Patriarchis agat, nifi fextus ifte; igitur de Patriarchis, non de Metropolitanis eft accipiendus. Uti reipfa illum interpretati funt Patres Octavæ Synodi *Act.* 17. Joannes Scholafticus Patriarcha CP. *in Collectione Canonum tit.* 1. Zonaras, & Theodorus Balfamon in Nomocanone Photiano, in Notis ad *can.* 6. *Nicænum*. Cum itaque exploratum fit hoc Canone de Patriarchis Sermonem inftitui, confequens eft eo componi Alexandrinum cum Romano quoad Jus Patriarchicum: alioquin nihil opus fuiffet Alexandrini auctoritatem in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, Antiocheni vero in totam Orientis Diœcefim protendere, fi ibi comparatio fieret vel de fola Parœcia. Ur-

(1) S. Leo epift. 55.

(1) Epift. 55.

bis Romæ, vel de sola Metropoli Romanæ Provinciæ.

XIX. Inter Patriarchicæ Dignitatis jura maxime enituit jus celebrandi Ordinationes Metropolitanorum, confirmandique Episcoporum electiones. Istud integrum esse voluerunt Nicæni Patres Alexandrino, & Antiocheno, ad normam Romani, cum quo illos conferunt. Romanus enim Episcopus vel per se ipsum, aut per alios, quibus vices suas committebat, Metropolitanorum ordinationes in Occidente celebrabat, ut infra ostendemus. Idque confirmat etiam occasio, qua Canon ille conditus fuerat, ad reparandum scilicet jus ordinationum, quod Meletius in Diœcesi Ægyptiaca usurpaverat. Verumtamen recte adnotat Henricus Valesius in eodem Canone sexto non de sola ordinatione agi, sed de omni jure Patriarchico. Si namque Patres Nicæni de sola ordinatione agere voluissent, eam proculdubio decreto suo expressissent, cum tamen nullam omnino ejus mentionem faciant. Occasione quidem edendi istius Canonis desumpta ex usurpata per Meletium auctoritate in Patriarchatu Alexandrino, generaliter provisum esse voluerunt omni juri Patriarchico, ne ulli Patriarcharum, aut majorum Sedium in minimo quidpiam juris periret. Et hoc ipsum patet in Antiocheno Episcopo, & aliis trium Exarchorum Sedibus, quibus etsi nihil commune esset cum Schismate Meletiano, tamen sua cuique decreta fuerunt privilegia antiquitus observata. Quare cum Nicæni Patres antiquas consuetudines in Ægypto firmaverunt, non de solo ordinationum jure, sed de ceteris quoque Ecclesiasticis negotiis sunt loquuti: quemadmodum ipsius Canonis verba insinuare videntur: *Ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia & Episcopo Urbis Romæ parilis mos est*. Nam potestatis nomen generale est, atque in omnia divagatur, nisi limite aliquo fuerit circumscriptum: & qui omnium potestatem alicui impertitur, nihil excipit. Certe omnes Ægypti, Episcopi ita semper hunc Canonem intellexerunt, quemadmodum videre est in Concilio Chalcedonensi *Act.* 4. ubi Hieracius Episcopus Ægypti, nomine Episcoporum illius Provinciæ hæc effatus est: (1) *De Epistola autem Sanctissimi & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis sciunt omnes Sanctissimi Patres nostri, quia in omnibus expectamus sententiam Sanctissimi Archiepiscopi, & petimus vestram clementiam expectare Præsidis nostri præsentiam, quia eum in omnibus sequimur. Nam & Sancti Patres qui in Nicæa congregati sunt CCCXVIII. hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca Diœcesis Archiepiscopum magnæ urbis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo*. Non solas ordinationes, sed quævis majoris momenti negotia, secundum Canonem Nicænum, Alexandrino Patriarchæ servata fatentur Ægyptiaci Antistites. Hunc pariter in modum Octava Synodus eumdem Canonem interpretata est: *De* (1) *potestate*, inquit, *Patriarcharum, & Metropolitanorum ad eos adventu. Sancta, & universalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias quæ sub ipsa sunt, ita ut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: quia & in Romanorum civitate hujusmodi mos prævaluit: qua pro causa & hæc magna & Sancta Synodus tam in Senioris, & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ, ac Jerosolymorum, priscam con-*

(1) Concil. Chalced. Act. 4.

(1) Octava Synodus Act. 17.

consuetudinem decernit in omnibus observari; ita ut earum Præsules, universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coërcendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Viden non ad Ordinationes dumtaxat, sed ad alia quoque Patriarchica jura extendi Canonem Nicænum? Quod & postea magis explicat: *Consueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque, sicut dicunt, ad Patriarchale penitus non posse concurrere Caput. Sed Sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia quæ a Metropolitanis fiunt interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ a Patriarchali Sede congregantur; & idcirco hæc fieri exigit: a Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur: a Patriarcha vero sæpe totius causa Diœcesis dispensatur.*

XX. Etsi autem sexto Canone Nicæno Patriarcharum jura firmata sint ad normam Romani Episcopi, quatenus est Patriarcha Occidentis; perperam tamen Novatores inde inferunt eo Canone everti Primatum Romanæ Sedis: quem errorem tertio loco refellere aggredimur. Absit quidem sexto Canone Nicæno convelli Primatum illum, quin potius diserte confirmari probat *Canon* 39. ejusdem Concilii ex Arabica Collectione translatus, quo sancitum est, Patriarchas, & Episcopos omnes subjici Romano Pontifici, velut membra Capiti universalis Ecclesiæ: (1) *Est tamen*, inquit, *Patriarcha iis omnibus, qui sub potestate ejus sunt; sicut ille qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps est omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Christi Domini nostri Vicarius super cunctos populos, & universam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contradixerit a Synodo excommunicatur.* Quid clarius? Nicæna Synodus hoc Canone statuit, Romanum Pontificem habere in Ecclesia Dei Primatum, esse Petri successorem, Caput Ecclesiæ universæ, Vicarium Christi, atque exercere potestatem supra omnes Patriarchas, Episcopos, Principes, & populos Christianos. Verum quia Collectio Arabica Nicænorum Canonum est dubiæ auctoritatis, operæ pretium arbitror ex aliis certæ fidei fontibus eamdem haurire veritatem. Prodeat cum primis integer idem Canon Nicænus ex Codice Romanæ Ecclesiæ, qualem in Synodo Chalcedonensi illum recitavit Paschasius Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus contra Canon. 28. in eadem Synodo a Græcis conditum: (1) *Trecentorum decem & octo Patrum Canon sextus decernit. Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem, & qui in Antiochia constitutus est, & in ceteris Provinciis, Primatus habeant Ecclesiæ civitatum ampliorum.* Nemo Chalcedonensium Patrum adversus hanc lectionem reclamavit: immo gloriosissimi Judices dixerunt: *Perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari.* Extat Canon ille cum eadem epigraphe: *Ecclesia Romana semper habuit Prima-*

(1) Canon. 39. Collectionis Arabicæ.

(1) In Concil. Chalcedon. Act. 16.

matum, in Codice Claudii Hardii Senatoris Parisiensis, in Fossatensi, in Codice antiquissimo Henrici Justelli, ex quo descriptus est pag. 284. Bibliothecæ Canonicæ aliisque plurimis. Atque ut multa alia præteream, hoc Canone assertum esse Romani Episcopi Primatum luculentissime testantur, Felix III. in epistola ad Bithyniæ, & Constantinopoleos Presbyteros, & Archimandritas: Gelasius I. in epistola ad Anastasium Augustum, & in litteris ad Orientales, de nomine Acacii: Bonifacius I. in epistola ad Episcopos Thessaliæ, cujus fragmentum refert Nicolaus I. *epist.* 41. ad Episcopos Gallicanos.

Et vero Canon iste cum nihil peculiare decernat de Episcopo Romano, qui tamen de ceteris Patriarchis quidpiam decrevit, eisque exemplum Romani Episcopi velut causam proponit, cur in Diœceses sibi subjectas sacram exerceant auctoritatem, profecto ne vel minimum lædere potest ejus Primatum, utpote qui non humano, sed divino jure sancitus sit. Propterea Nicæni Patres licet Antiocheno, & Alexandrino certos limites præfigant, nullum tamen terminum Romano imponere ausi sunt, eo quod *Romano Episcopo Vineæ custodia a Salvatore commissa sit*, ut loquuntur Synodi Chalcedonensis Patres in Relatione ad Sanctum Leonem. Hinc Nicolaus I. in epistola ad Michaëlem Imperatorem scripsit: *Ecclesiæ* (1) *Romanæ privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a Ss. universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus.... Ista igitur privilegia huic Sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a Synodis non donata, sed solummodo celebrata, & venerationi habita.* Tandem concludit, Nicænam Synodum nihil Romanæ Sedi contulisse: *Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter sumpsit exemplum.* Tantum abest, ut Nicæna Synodus Primatum Romanæ Ecclesiæ auferret, quin potius illum venerata, *ex ejus forma particulariter sumpsit exemplum, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret.* In cujus rei signum, Nicæni Patres auctoritatem Patriarcharum Orientis confirmarunt, secus Romani, quia scilicet noverant eam divinitus institutam, & ut scribit ad Innocentium I. S. Augustinus, *ex Sacris Scripturis depromtam.* Ea idcirco semper usi sunt Romani Pontifices, etiam post sancitum Canonem Nicænum, cum de personis aliorum Patriarcharum, & de sententiis ab ipsis latis judicium tulerunt: nec ullus unquam eam ob rem usurpatæ auctoritatis, violatique Nicæni Canonis crimen ipsis objecit.

XX. Nec obstat, sexto Canone Nicæno Romani Pontificis auctoritatem intra Occidentis saltem confinia coërceri: nam, ut ex antedictis constat, duo in hoc Canone continentur, videlicet Primatus Romanæ Sedis, quem ejus epigraphe exprimit, & Patriarchatus Occidentis, quem textus indicat. Prior nullis definitur limitibus, nec definiri potest. Posterior certa habet confinia, intra quæ jura sua exequitur, absque ulla Primatus, & supremi capitis diminutione, cum hac ex parte incircumscripta sit ejus potestas. Id confirmare solent Viri eruditi illustri exemplo Præ-

(1) Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperat.

Præfecti Prætorio Urbis, qui duplici ornatus erat dignitate; altera Urbanæ Præfecturæ, in qua aliarum Diœceseon Præfectis coæquabatur; altera qua caput Senatus Romani, & Vicarius Imperatoris erat, qua ceteris Præfectis anteibat, e quorum judiciis atque sententiis, ad ipsum ultimo provocabatur, uti fidem faciunt Dio Cassius *lib.* 25. Vopiscus *in Floriano;* & Rescriptum Constantini ad Julianum Urbis Præfectum, relatum in Cod. Theodos. *Tit.* 30. *l.* 13. quo decernit, ut appellationes omnes ad ejus tribunal deferantur, cui scilicet vices suas commiserit. Haud secus Pontifex Romanus duplici, immo & quadruplici ornatus est dignitate: nempe Episcopus est Urbis Romæ: Metropolitanus Romanæ Provinciæ: Patriarcha Occidentis: & Ecclesiæ universæ supremus Pastor, & Caput. Verum Nicæna Synodus Alexandrinum Episcopum non componit cum Romano, quoad Primatum quo is fruitur in totum Christianum Orbem; sed quoad jus Patriarchicum dumtaxat, quo in solidum Occidentem potitur; adeo ut quemadmodum Romanus Episcopus Synodos celebrat, Episcopos ordinat, & majores causas judicat per totum Occidentem: ita ad illius normam hæc eadem præstet Alexandrinus per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim. Quam comparationem his verbis exprimunt Nicæni Patres: *Quoniam Episcopo Romano parilis mos est*. Sic Canonis istius sensum explicant nedum Latini, sed etiam Græci Interpretes: Zonaras, *Antiquas*, (1) inquit, *Consuetudines, quod aliis quoque posterioribus Canonum, Legumque Civilium decretis cautum est, retineri vult Canon. Alexandrinum igitur Episcopum iis, qui in Ægypto, Libya, ac Pentapoli sunt, præsidere: Antiochenum subjectis sibi Provinciis, Syriæ nimirum, Cœlesyriæ, Ciliciæ utrique, Mesopotamiæ: ac alios Episcopos, suis quemque regionibus: quemadmodum & Ecclesiæ Romanæ Præses in Occidentales Provincias Principatum diuturna consuetudine obtinet, præesse jubet*. Ita ex Græco reddidit Leo Allatius *lib.* 1. *de Consensione Orientalis*, *& Occidentalis Ecclesiæ c.* 12. Zonaram imitatur Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus in Nomocanone Photii ad cap. *6.* Nicænum: ubi exponens hæc eadem verba: (2) *Quoniam Episcopo Romano parilis mos est:* ait: *Quoniam Episcopus Romanus præest Occidentalibus Provinciis*. Hoc ipsum Nilus *lib.* 2. *de Primatu Papæ:* recensito enim sexto Canone Nicæno, subdit: (3) *Audis quo pacto veterum Patrum decreta Canon amplectenda esse censeat, qui singulis Ecclesiis prærogativas tribuerunt: ut nimirum aliæ gentes Alexandrino subjectæ essent, aliæ Antiocheno: quæcumque videlicet Syriam, & utramque Ciliciam incolunt, & Cœle-Syriam, & Mesopotamiam: quodque Romano Episcopo hoc datum est, ut Occidentalibus præsit*.

XXII. Quas vero Occidentis Provincias moderaretur Romanus Episcopus peculiari sui Patriarchatus jure, exponit Nilus Archimandrita cognomento Doxapatrius, & ipse Græcus, in Tractatu de quinque Thronis Patriarchalibus anno 1043. Rogerio Siciliæ Regi nuncupato; quem primum Leo Allatius *lib.* 1. *c.* 10. deinde post ejus obitum edidit Græco-Latinum Stephanus le Moyne *in Sylloge variorum Opusculorum*. En Nili verba: (4) „ Possidebat itaque Romanus Europam universam ad confinia usque Mazorum, & Gallorum, Hispaniæ, Franciæ, & Illyrici,

(1) Zonaras in can. 6. Nicæn. Concilii.
(2) Balsamon. ibid.
(3) Nilus lib. 2. de Primatu Papæ.
(4) Nilus Doxapatrius de quinque Patriarchal. Thronis.

„ rici, usque ad Gadira & Columnas „ Herculeas; Oceanum, qui in Occasum solis vergit, in quo sunt „ demortuæ aquæ & paludosæ, & Insula prope fines Oceani omnibus „ abundans, & est Christianorum „ universa multitudo usque ad Ravennam, Longobardos, & Thessalonicam, & Sclavos, Abaros, & „ Scythas ad Danubium fluvium Ecclesiastica confinia extendit; & „ Mancariam possidet, & partem regionum Occidentalium, partem „ Siciliæ, & Calabriæ, in quibus „ perflant venti Septentrio, Pareas, Chobeus, Zephyrus Occidentalis, & Libonotus, & totam plagam Occidentalem usque „ ad Byzantium, & insulas omnes interjacentes, nempe Sardiniam, Siciliam, Cretam, Eubœam, & ipsam „ Majoricam, & Peloponesum, & „ Helladem universam, & Provincias, ac civitates omnes Europæ, „ nec non Hispaniam, & Superiores „ Alpes, & quæ ultra has extenduntur, & Insulas Britannicas usque „ ad Occidentalem Oceanum, & Gadira, & Columnas Herculeas; nec „ non inferiores Gallias, quæ Italiæ „ sunt, sive Lombardiam, quæ nunc „ dicitur Longibardia, & Apuliam, „ & Calabriam, & Campaniam „ omnem; item Provinciam Byzaciæ, in qua est Carthago, & Mauritaniam, & Venetiam, & Provincias quæ ultra sinum Adriaticum sese effundunt, nempe Pannoniam, & totum Illyricum, Macedoniam, & Thraciam, in qua „ est Byzantium, & quæ ultra sese „ extendunt Regiones Occidentales. „ Hæc omnia Romano subdebantur. Hucusque Nilus Doxapatrius: qui tamen fallitur in eo quod Thraciam sub Patriarchatu Romano collocat: hæc siquidem Diœcesis paruit Romano Episcopo ut Pontifici, numquam ut Patriarchæ. Non minus labitur cum ait, ab ipso possideri partem regionum Occidentalium, & Siciliæ, & Calabriæ: nisi forte spectet tempora Leonis Isaurici Imperium subsequuta, quibus Princeps ille in odium Catholicæ fidei Siciliam, Calabriam, & magnam Illyrici partem a Romano Patriarchatu divulsam, Constantinopolitano tribuerat. Ceterum ante Leonis Isaurici Principatum, Europa universa, Africa, & Illyricum ad Romanum Patriarchatum pertinebant.

XXIII. In omnibus hisce Occidentis, & Africæ Provinciis Romanus Episcopus jura Patriarchica exercuit; inter quæ præcipuum est jus ordinandi, confirmandique Episcopos; quo ille in Provinciis Occidentis fruitur. Id inficiari poterit nemo, qui recolat, quod supra ex Innocentio I. *in epist. I.* ad Decentium perpendimus, initio nascentis Ecclesiæ omnes Occidentis Episcopos a D. Petro, ejusque Successoribus fuisse institutos: quod sane satis est ad jus Patriarchicum acquirendum. Eo cum primis usos esse Romanos Pontifices in Italia, veteres testantur: de Ecclesia Mediolanensi, & Aquilejensi Pelagius I. alibi laudatus, Gregorius Magnus *lib. 2. epistolar. Indict. II. ep.* 30. *&* 31. *lib.* 7. *Indict.* 2. *epist.* 30. *& lib.* 8. *epist.* 65. De Ravennatensi refert Hieronymus Rubeus in Hist. ejusdem civitatis *lib.* 2. *ad ann.* 432. De Suburbicariis Provinciis nihil dicam, cum eæ omnes olim a Romano tamquam a proprio Metropolita pendebant; ut videre est apud Joannem Diaconum in Vita Sancti Gregorii *lib.* 3. *cap.* 7. In Galliis plures Episcopos ordinatos fuisse a Xisto I. memoriæ proditum est a Sancto Gregorio Turonensi *lib.* 2. *Histor. Francor.* ab Usuardo in Martyrologio *ad* 7. *Idus Octobr. & ad Kalend. ejusdem* men-

mensis: & ab Hincmaro Remensi *Opusc.* 53. *cap.* 16. Nec obscure indicat Sanctus Cyprianus *in epist.* 67. quo auctore discimus, Marcianum Arelatensem Metropolitam a Stephano Papa deponi, & in locum ipsius alium ordinari jussum. Rem in aperto ponunt epistolæ Zosimi, Symmachi, Vigilii, Pelagii I. & Gregorii Magni superius relatæ, quibus Arelatensis Ecclesiæ Episcopis Primatus, & vices Apostolicæ Sedis in multis Galliarum Provinciis conceditur, & potestas consecrandi earum Metropolitanos, de qua Zosimus scripsit in epistola ad universos Episcopos per Gallias, & septem Provincias constitutos: *Ut præcipuam Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis, in ordinandis Sacerdotibus teneat auctoritatem*. Quidquid de Galliis diximus, idipsum de Hispaniis, Britanniis, & Illyrico dicendum suadent, quæ de constitutis iis in locis ab Apostolica Sede Primatibus, atque Vicariis antea expendimus. Unum de Illyrico sufficiat hic adjicere testimonium Sancti Leonis in epistola ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, quam Holstenius in lucem edidit: in ea de Anastasio Thessalonicensi hæc tradit: (1) *Ut vero vestræ Dilectioni Provinciæ suæ Ordinatio permittitur Sacerdotum; ita Fratrem, & Coëpiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consulatis: cui Metropolitani Episcopi consecrationem statuimus reservari; ut eo inquisitore atque custode, cum certus licentiæ modus imponitur, Ecclesiasticæ Disciplinæ in omnibus ordo servetur*. De Africa fortassis dubium posset subrepere, ubi Primas Carthaginensis Episcopos consecrabat, quemadmodum patet ex Concilio Africano *can.* 22. & Possidio *in Vita Sancti Augustini*. Verum & jus illud ab Apostolica Sede profluxit, cum illa priscis Ecclesiæ temporibus Carthaginensem totius Africæ Primatem creavit, teste Leone IX. *epist.* 4. in quem propterea transtulit jus consecrandi Episcopos illarum regionum. Qua in re illud adnotandum est, quod alibi admonuimus, juris exercitium ab ipso jure accurate secernendum esse. Quocirca licet Romani Pontifices hanc in Ordinationibus celebrandis potestatem non in omnibus Provinciis exercuerint, sed illam reliquerint Synodis, & Metropolitanis; hinc tamen deduci nequit penes illos non residere hujusmodi auctoritatem.

XXIV. Quemadmodum jus ordinandi, ita & convocandi Episcopos suæ Diœcesis ad Synodos proprium est Patriarcharum munus. Sæviente Gentilium persequutione licet eo defungi non potuerint Romani Pontifices tribus primis Ecclesiæ seculis; ea tamen sedata Italiæ Synodos congregare cœperunt, in quibus de Ecclesiasticis negotiis deliberabant. Prima occurrit sub finem tertii seculi Aureliano imperante, quam Dionysius Papa ex Italiæ Provinciis adversus Paulum Samosatenum coëgit, ejusque meminit Eusebius *lib.* 7. *Hist. cap.* 24. quam *ex Italiæ, & Urbis Romæ Episcopis collectam* refert. Re Christiana postmodum amplificata, & frequentiores illas habuerunt, & numerosiores. Siquidem Concilio Romano, quod Julius I. in causa D. Athanasii indixit, Episcopos supra quinquaginta interfuisse commemorat ipse Athanasius initio *Apologiæ* 2. quos omnes fuisse Italos affirmant Ariani apud Hilarium *in Fragmentis lib.* 1. Athanasius *epist. ad Solitar.* & Julius in litteris ad Orientales apud Athanasium *Apologia* 2. Ex veteri consuetudine hanc disci-

(1) S. Leo in epist. ad Episcopos Illyrici.

plinam fluxiſse teſtantur Patres Synodi Romanæ ſub Felice III. circa annum 484. in epiſtola ad Conſtantinopolitanos: [1] *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas, præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut Succeſſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ, ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum juxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium.* Et in inferiori loco ejusdem epiſtolæ addunt: *Felix Caput noſtrum, Papa, & Archiepiſcopus.* Ubi autem graviores cauſæ expoſcerent, ex omnibus Provinciis Occidentis Generale Concilium congregabant. Ejuſmodi fuit Concilium Ariminenſe, ex ſolis Patriarchatus Occidentis Epiſcopis conflatum, auctore Athanaſio de Synodis: [2] *Ariminum ex omnibus ad Occidentem poſitis civitatibus in unum convenimus.* Juſsu Conſtantii Imperatoris ad hoc Concilium aſciti ſunt Epiſcopi Provinciarum Occidentalium, quas enumerat Sulpitius Severus: *Miſſis* [3] *per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliaſque Magiſtris, Officialibus, acciti, atque tracti quadringenti, & aliquot amplius Occidentales Epiſcopi Ariminum convenere.* Hinc recte colligit D. Emanuel a Schelſtrate *Antiq. Eccleſ. Tom. 2. Diſſert. 6. cap. 4. art. 2. §. 5.* Ariminenſe Concilium fuiſse plenum Patriarchale Romanum, in quo Romano Epiſcopo, non ſolum ut Pontifici, ſed etiam, ut Patriarchæ Occidentis Primatus competebat. Juxta duplicem hanc, quæ ipſi inerat prærogativam, Damaſus Papa ejusdem Concilii Acta vi, & potentia Principis extorta, reſcidit, ut narrat Theodoretus *lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 22.* Alterum de Occidentali Concilio exemplum aliqui repetunt ab Aquilejenſi ſub D. Ambroſio, adverſus Palladium Arrianæ factionis Epiſcopum indictum. Ex Italia, Galliis, Africa, & Illyrico eo convenerant Epiſcopi; Orientales quoque a Præfecto Italiæ invitati adeſse recuſarunt, hanc prætexentes cauſam abſentiæ apud Ambroſium: *Quia ſcierunt conſuetudinem hujuſmodi, ut in Oriente eſſet Orientale Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non eſſe veniendum.* Secernit Ambroſius Occidentis Concilium ab Orientali, & ſeparatim celebrari conſueviſse affirmat: nam per idem tempus Orientales Conſtantinopoli Synodum indixerant, quæ tamen cum in odium Occidentalium indicta eſſet, ac vergeret in præjudicium fidei, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, eam improbavit Damaſus in Synodo Romæ habita: *Quod etiam ſi indictum Concilium non fuiſſet, jure & more majorum, ſicut & Sanctæ memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus Alexandrinæ civitatis Epiſcopus, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugiſſe judicium viderentur.* Quibus verbis Damaſus deſignat Concilium Patriarchatus Occidentalis compoſitum ex Epiſcopis Italiæ, & totius Occidentis, cui Romanus preærat ut Patriarcha. De Galliarum Provinciis etſi hoc loco nulla habeatur mentio, eas tamen ſpectaſse ad Romanum Concilium docet D. Petrus de Marca *lib. 1. Concord. cap. 7.* quem conſulere poterit optimus Lector, ſicuti & P. Chriſtianum Lupum *P. 5. Diſſer. de Romana Epiſcoporum Conſecrat.* & Schelſtratem loco laudato. Quamquam nobis aliter viſum ſit, & Aquilejenſi Concilio Ambroſium præfuiſse, non Damaſi legatione, ſed Me-

(1) Synodus Romana ſub Felice III.
(2) Athanaſius de Synodis.
(3) Sulpitius lib. 2.

Metropolitani Italiæ proprio jure, licet Imperatoris rogatu eo etiam aliarum Provinciarum Episcopi se contulissent. Qua de re supra disseruimus.

Alterum hic superesset explicandum Jus Patriarchicum in eo situm, quod relationes, & judicia majorum causarum ad Patriarchæ tribunal sint referenda. Verum de hac re prolixius erit tractandum, cum de Appellationibus ad Apostolicam Sedem agemus. Quæ enim ad Occidentem pertinent, referri eæ poterant ad Romanum Episcopum duplici ex capite, nimirum ut Patriarcha est Occidentis, & ut Summus Pontifex, & caput totius Christiani Orbis.

CAPUT V.

Synopsis.

I. *Propinquior Romano est Alexandrinus Patriarcha. Hanc Sedem S. Petrus per Marcum Evangelistam fundavit. Quam late sese protenderet ejus auctoritas. Provincias ipsi subjectas enumerat Nilus Doxapatrius.*

II. *Perperam tamen Alexandrino tribuit Palæstinam, quæ Antiocheno erat obnoxia, sicuti & Tripolim Carthaginensi subjectam.*

III. *Æthiopiam Alexandrino subjicit Nilus. Quinam in ea Evangelium primum prædicaverint, Indiam supra Ægyptum veteres illam appellarunt, sicuti contra Baronium probat Holstenius.*

IV. *Hanc Africæ partem Patriarchatui Alexandrino adjecit S. Athanasius, cum Frumentium primum Æthiopibus Episcopum dedit. Ejus rei historiam Rufinus adornavit.*

V. *Æthiopia a Rufino India appellata, male a Baronio pro India proprie dicta accipitur. Auxuma olim Æthiopiæ urbs primaria, cujus Episcopus fuit S. Frumentius.*

VI. *Æthiopum Patriarcha Abuna dictus ab Alexandrino consecrabatur. Jacobitarum secta ex Ægypto in Æthiopiam penetravit. Pluries Æthiopes unionem cum Romana Ecclesia sanxerunt, pluries etiam fregerunt.*

VII. *Ante Demetrium unum duntaxat in tota Ægypto fuisse Episcopum Alexandrinum contendit Seldenus: sed refellitur. Eutychii Chronicon, cui Seldenus inhæret, multis vitiis scatet.*

VIII. *A S. Marco Evangelista plures in Ægypto Episcopos ordinatos fuisse veteres narrant. Ex aliis quoque Ecclesiasticis monumentis constat, multos in Provinciis Ægypti Episcopos constitutos.*

IX. *Alter Eutychii lapsus de ordinatione Patriarchæ Alexandrini corrigitur. Episcopus a vicinis Episcopis consecrandus est. Hieronymus, & Eutychius ex adverso non stant, sed de sola electione loquuntur.*

X. *Morini & Blondelli argumentis fit satis. Liberatus ritus duntaxat expendit consecrationi præmitti solitos in Ecclesia Alexandrina.*

XI. *Eutychius in Chronico non de Diœcesi Ægypti agit, sed de Delta Provincia, seu Ægypto proprie dicta.*

XII. *De jure quo in ordinandis Diœcesis Ægypti Episcopis Patriarcha Alexandrinus potiebatur.*

XIII. *Alexandrinus ad Synodos convocabat Metropolitas, & Episcopos Provinciarum suæ Diœcesis. Si quæ majores causæ emersissent, aut de Ægypti Episcopis judicium ferendum esset, id juris ad Alexandrinum Patriarcham pertinebat.*

I. Romano propior est Alexandrinus Patriarcha. Ejus Sedem a D. Petro Apostolorum Principe per Marcum Evangelistam sui discipulum ad tantum dignitatis fastigium fuisse evectam ea declarant, quæ in superioribus docuimus. Quam ampla esset illius Diœcesis, ex Notitia Imperii a Constantino, usque ad Arcadii, & Honorii Principatum productam discimus, in qua eæ Provinciæ sub Diœcesi Ægyptiaca collocantur: Libya superior: Libya inferior: Thebais: Ægyptus in duas Provincias ejusdem nominis secta ante Arcadii tempora: Augustanica a Gratiano ex Ægypto divulsa, quæ postmodum in duas ejusdem nominis divisa est: Arcadia sub Imperatore Arcadio a Thebaide distracta. Alias Provincias Alexandrino subjicit Nilus Doxapatrius, licet in quibusdam aberret: (1) „ Alexandrinus, inquit, etiam totam Libyam possidebat, & Æthiopiam, „ & Marmaricam, usque ad Tripolim Africanam, nec non universam Ægyptum, & Palæstinam ipsam, in qua sunt Jerosolyma. „ Habet itaque & ipse Provincias varias, & Metropoles tredecim. „ Primam Provinciam, primam Stamnicæ, (idest Augustanicæ) in qua prima Metropolis est Pelusium varios sub se habens Episcopatus; & secundam Provinciam Stamnicæ, in qua est Secunda Metropolis Leonto, habens diversos Episcopatus: & primam Provinciam Ægypti, in qua Alexandria est ceterarum caput; & secundam Provinciam Ægypti, & Provinciam Arcadiæ, in qua tertia est Metropolis Oxyrynchus, habens sub se varios Episcopatus; & secundam Provinciam Thebaidis, in qua est quinta Metropolis Ptolemais, habens sub se Episcopatus diversos; & Provinciam Libyæ, in qua est Metropolis Darico habens nonnullos Episcopatus diversos. Adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quæ fuerit septima Mariat, & octavam Tonesim in septimo Nili ostio sitam; septem enim ostiis Nilus in Mare infunditur, in quibus variæ civitates jacent. Hæ itaque octo Alexandrinæ Metropoles, quæ varios sub se Episcopatus habent, quamvis sint & aliæ quinque nullis Episcopatibus conspicuæ, nempe Damiata, Sata, Maris Rubri, Pharan, Aræ; omnes simul tredecim. Erant Alexandrino & alii Throni diversi; sed post Severi hæresim a Severianis sublati sunt; quemadmodum & ditio omnis Jerosolymitana, ipsaque Jerosolyma, omnesque aliæ Sedes, quæ nunc sunt sub Jerosolymitano Patriarcha. Namque, ut jam diximus, universam Palæstinam possidebat, & alias Provincias. Adhuc possidet Provinciam Libyæ Pentapolitanam, & Provinciam Tripolitanam, Barbariæ. Ex quo iis, quæ inter Alexandrinum, & Carthaginensem vertitur, dissolvitur. Binæ enim Tripoles sunt: una sub Oriente, & est decimus tertius Episcopatus Tyri sub Provincia Phœniciæ maritimæ; Tyrus vero est, ut antea scripsimus, prima Antiocheni Metropolis; & hæc una Tripolis est: altera est sub Diœcesi Ægyptiaca, quæ & Libyca est, quæ dicitur Barbariæ, Alexandrino obnoxia, non ipsa primario, neque enim Metropolis est, sed Episco-

pa-

(1) Nilus Doxapatrius de Quinque Patriarchalibus Thronis.

„ patus uni Alexandriæ Metropoli subjectus. Frustra itaque eam sibi „ vendicat Carthaginensis, qui Præsidenti Europæ, Romano scilicet „ subjicitur. Et hæc est Alexandrini, seu Libyæ Throni Diœcesis: „ & licet universus Oriens Asia vocaretur, universus Occidens Europa; sunt nihilominus civitates „ proprium sibi nomen Asiæ vendicantes, veluti Ephesus, quæ in „ Thracesio est, & Smyrna, & reliquæ ibidem urbes ut infra exponemus. Pari ratione etiam in Occidente spectantur urbes, quæ Europæ nomen sibi usurpant; ut Heraclea in Thracia Constantinopoli „ proxima. Sic etiam & in Libya „ nonnullæ proprie Libyæ nomen sibi „ adsciscunt, ut Provincia Libyæ „ Pentapoleos, ut supra innuimus. „ Has autem generalia nomina sibi „ usurpasse ob hanc causam existimo, quod inde unaquæque pars „ initium sibi sumat, Europæum ex „ Thracia, Asianum ex Thracesia, „ & pari ratione Libycum ex Pentapoli. „ Hactenus Nilus Doxapatrius.

II. Sed memoria lapsus est, Palæstinam Alexandrino attribuens, cui numquam addicta fuit. Primum enim Antiocheno fuberat, a quo abstracta, in Jerosolymitani ditionem cessit. In eo itidem corrigendus est, quod Provinciam Tripolitanam Alexandrini juris facit, cum tamen una sit ex Provinciis Africæ Primati Carthaginensi obnoxia, ut supra ostendimus. Nisi forsitan in Alexandrini potestatem transierit, posteaquam Africa a Barbaris capta est, Romanisque erepta: quod ego verisimile arbitror. Nam de Tripolitana Provincia tamquam Sedi suæ ablata, Carthaginensem Primatem cum Alexandrino Patriarcha contendisse, indicat ipse Nilus. Certe Notitia Leonis Sapientis, qui ante Nilum Doxapatrium floruit, sub Diœcesi Ægypti Provinciam Tripolitanam ponit, inter Libyam Pentapolis, & Libyam proprie dictam: *Provincia Tripolis*, inquit, *Sebon: Leptis: Hyon per Orientalem Diœcesin:* Has tres urbes ipsi attribuens. Eamdem Provinciam Alexandrino subjicit *Brevis Descriptio Finium Sanctissimorum Patriarcharum, & Apostolicarum Sedium enumeratio*, a D. Schelstrate *Tom. 2. Antiq. Eccles. Append. VI.* ex MSS. Codicibus Vaticanis sub num. 1167. & 1183. edita. Ubi Patriarchatus Alexandrini Diœcesim ita describit: *Tertius Sanctissimus, & Apostolicus Thronus Alexandriæ, Evangelistæ, & Apostoli Marci, qui factus est Filius summi Apostolorum Petri, obtinens usque ad interiorem Indiam, & Æthiopiam, quæ Sedes fuit Sancti Apostoli Thomæ; atque inde ad Marmaricam Africam, Tripolim, & universam Ægyptiorum Provinciam ad Palæstinæ usque fines Austri, atque Austro-Africi climata continens*. Itaque post Barbarorum incursionem in Africam, cum Africanæ Ecclesiæ ab ipsis devastatæ fuerint, Provinciarum quoque Ecclesiasticarum confusio facta est, indeque Tripolitana utpote proximior a Patriarcha Alexandrino suæ Diœcesi adgregata.

III. Æthiopiam inter Diœceseos Ægyptiacæ Provincias collocat Nilus Doxapatrius, quæ tamen abest a Notitia Imperii, propterea quod Regionem illam numquam Romani penetraverint. Æthiopas a Sancto Matthæo ad Christi fidem conversos, tradunt Socrates *lib. 1. cap. 19.* & Rufinus *lib.* 10. Thomam quoque Apostolum ibi Evangelium prædicasse testantur S. Gregorius Nazianzenus *Orat. cont. Arrianos*; & Chrysostomus *hom. 2. in cap. 2. Matth.* Veteres Æthiopiam appellarunt Indiam cite-

citeriorem, uti eam vocant Rufinus, Socrates, & Sozomenus. Quod cum minus accurate advertissent doctissimi viri Baronius, & Carolus a Sancto Paulo, Indiam illam, in quam, ut postea videbimus, Frumentius missus est a Sancto Athanasio, Indiam proprie dictam, ultra Gangem positam interpretati sunt. Hunc Geographicum errorem D. Lucas Holstenius in Notis ad Geographiam Sacram Caroli a Sancto Paulo *ad pagin. 267. num. 6.* egregie refellit, Athanasius, (1) inquit, in epistola ad Episcopos Africanos pro Nicæno Concilio adversus Ariminenses scripta, ait: *Nicænam Synodum noverunt etiam Indi, & quotquot apud alios Barbaros sunt Christiani:* ubi eum Indos hosce supra Æthiopiam, aut ipsam potius Æthiopiam intelligere, dubitari non potest; Barbaros quoque non alios, quam qui extremam Æthiopiæ oram accolunt: horum enim regio proprie *Barbaria* Arriano, aut quisquis ejus Peripli Auctor sit. Mox subdit *num. 7.* Fallitur, fallitque in hujus Indiæ nomine & situ explicando Carolus a Sancto Paulo, sicut etiam Baronius ad Martyrologium Romanum die 27. Octob. Nam India illa, in quam Frumentius missus est a Sancto Athanasio, est Æthiopia sub Ægypto, cujus Metropolis celeberrima fuit Auxumis; & sic Indiam illam Æthiopiæ finitimam vocat Socrates, quæ toto Cœlo ab Asiatica, seu Gangetica distat. Socrates totam hanc narrationem a Rufino accepit, sed neuter Gangem nominat, ut de Indis intra, vel extra Gangem sitis hic locus accipi possit. Cum enim interiorem Indiam ratione citerioris appellent, interior hic necessario pro exteriore, seu pro India extra Gangem accipienda foret; quia India extra Gangem nobis citerior est: atque hoc absurdum, & contra omnem veræ Geographiæ rationem. Itaque cum citeriorem Indiam hic appellent eam, quæ Æthiopiæ adhæret, in qua Bartholomæus Evangelium prædicavit, quam Æthiopiam sub Ægypto esse nemo dubitavit (quia Rubrum Mare attingit, ad Adulin, & ostium Sinus Arabici), India interior nulla alia intelligi potest præter Æthiopiam interiorem, cujus Metropolis erat Auxumis, quo antea nemo Præconum Christi penetraverat. Ejus meminerunt veteres aliquot, præcipue Arrianus, aut quisquis Auctor est, in Periplo maris Rubri, qui Auxumin octidui itinere ab Adulitico Portu in Mediterraneam Æthiopiæ remotam scribit. Sanctus Hieronymus etiam periculosam & longam navigationem Rubri maris ad urbem Auxumin describit epist. 4. ad Rusticum Monachum, ubi hactenus insigni errore *urbem maximam*, pro urbem *Auximin*, vel *Auxumam* editum legitur. Adde quod superioris seculi navigationibus compertum sit, Sanctum Thomam non in Parthia solum, & exteriori India, sed in intima ultra Taprobanam Evangelium prædicasse, ubi corpus ejus in Malapur oppido ad Gangeticum sinum repertum fuit. Ita ut Frumentius horum Indorum Apostolus appellari non possit. Hæc Holstenius, cui etiam observatum est in Notis ad Martyrologium Romanum, ipsos quoque Æthiopas, qui nunc Abissini dicuntur, sese Indos vocare, & Apostolum Gentis suæ Frumentium agnoscere. Recte quidem dixit Holstenius, universam Æthiopiam supra Ægyptum sitam Indiarum nomine quondam fuisse comprehensam. Nam Philostratus *lib. 3. de Vita Apollonii cap. 6.* narrat, Æthiopes ex Indis Orientalibus originem ducere, in-

(1) Holstenius in Notis ad Geograph. Sac. Caroli a S. Paulo ad pag. 267. num. 6. & 7.

indeque Æthiopiam a veteribus Indiam nuncupatam. Lucianus pariter in Vita Alexandri Pseudo-Prophetæ pag. 492. prodit: *Cum adolescens amne adverso in Ægyptum navigasset ad inundationem usque, subducto navigio, persuasus est, ut pariter in Indiam navigaret*. Erasmus perperam verba illa, *ad inundationem usque*, interpretatur ex Græco, pro loco quodam, quo pertingi possit, aut qui meta sit navigationis supra Nilum factæ. Non enim Lucianus urbem, aut oppidum aliquod designat, sed regionem, quæ est supra Nili catarractas, quæ a Græcis Catadupa appellantur ab aquarum sonitu: de quibus mentionem fecit Cicero: (1) *Sicut ubi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur præcipitat ex altissimis montibus*. Latinus Luciani interpres inundationem vertit, quæ catarracta, seu Catadupa dicitur, nempe locus ille, ubi Nilus e Lunæ montibus magno fragore, & impetu decidit (sic nuncupatus a verbo *catadupeo*, cum sonitu cado); quemadmodum observant Strabo *lib. ult.* & Henricus Stephanus in Thesauro Linguæ Græcæ, ex Eustathio in *lib. 23. Iliadis*. In Æthiopia siquidem Nili catarractas consurgere scribit Plinius de Nilo loquens: *Vectus* (2) *aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupa vocatur, novissimo catarracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere*. Ea igitur regio, quæ supra Catadupa est, a Luciano India vocatur: quo nomine illam veteres nuncuparunt. Notissima sunt de hac re Virgilii carmina: (3)

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem decurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Populos, quos Nilus alluit, Indos nominat Virgilius. Unde Auxumitæ, qui horum pars sunt, & urbem Auxumam Æthiopiæ Metropolim incolunt, Indi vocitantur.

IV. Peropportunum duximus hæc speciatim adnotare, ut nobis aditus pateat ad ea, quæ sunt istius loci propria, maxime vero ad dignoscendum qua via Æthiopia Alexandrino Patriarchæ obtigerit. Nempe Athanasius Episcopus Alexandriæ primum Æthiopiæ Episcopum consecravit Sanctum Frumentium, quem merito Gens illa velut Apostolum suum veneratur. Historiam hanc primus omnium contexuit Rufinus a quo eam Theodoretus, Socrates, & Sozomenus mutuati sunt, ac ceteri qui de Æthiopum conversione scripserunt. Ejus summa hæc est. (4) *In divisione Orbis per Apostolos facta, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu, India ulterior jacet. Metrodorus quidam Philosophus, inspiciendorum locorum, & Orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo etiam invitatus Meropius qui-*

(1) Cicero de Somno Scipionis.
(2) Plinius lib. 5. c. 9.
(3) Virgilius lib. 4. Georg.

(4) Rufinus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 19. Theodoretus lib. 1. cap. 23. Sozomen. lib. 2. cap. 23.

quidam Tyrius Philosophus simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos parvulos, quorum junior Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur pervisis, & in notitiam captis his quibus animus pascebatur, cum Philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterorum necessariorum causa ad portum quemdam navis qua vehebatur applicuit. Mox cum Philosophum a Barbaris interfectum narrasset, de parvulis subdit: *Parvuli reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes Barbarorum miseratione servati, ducuntur ad Regem. Horum illе alterum, idest, Ædesium, sibi pincernam fecit: Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat, & prudentem, rationes suas, scriniaque commisit; ex quo, & in honore magno apud Regem habiti, & in amore. At vero moriens Rex, uxorem cum parvulo filio Regni dereliquit hæredem; adolescentibus autem quid vellent, agendi dedit liberam facultatem. Quos tamen Regina suppliciter exorat, tamquam quæ nihil haberet in toto Regno fidelius, ut secum usqueque adolesceret filius, regendi Regni sollicitudinem partirentur, & præcipuè Frumentium, cujus prudentia ad moderandum sufficeret Regnum; nam alius fidem puram, & sobriam mentem simpliciter exhibebat.* Ea occasione Frumentius bene usus, *requirere sollicitus cœpit, siqui inter negotiatores Romanos Christiani essent, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere, ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent; sed & ipse multo magis eadem facere, & ita ceteros cohortari favore, & beneficiis invitare, præstare quicquid opportunum fuisset, loca ædificiis aliaque necessaria præbere, & omnino gestire, ut Christianorum ibi semen exurgeret.* Dum itaque Rege adhuc puero Frumentius Regni negotia administraret, Ecclesias aliquas ædificavit, ad quas cum ipse, & Ædesius, tum Mercatores Christiani orationis causa convenirent. *Sed cum Regius puer adolevisset, Frumentius ejusque sodalis, qui procurationem Regni gerebant, expletis omnibus, & ex fide traditis, multum licet detinentibus, & rogantibus ut manerent Regina vel filio, ad Orbem tamen nostrum revertuntur. Et Ædesio festinante Tyrum, parentes propinquosque revisere; Frumentius Alexandriam pergit, dicens æquum non esse, opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem, ut gesta est, exponit Episcopo, ac monet, ut provideat virum aliquem dignum, quem congregatis jam plurimis Christianis, & Ecclesiis constructis in Barbarico solo, Episcopum mittat.* Regebat tunc Alexandrinam Ecclesiam Sanctus Athanasius, *qui nuper*, inquit Rufinus, *Sacerdotium susceperat*: is autem Frumentii precibus inclinatus Concilium Alexandriæ habuit, ubi de eligendo novo Episcopo deliberans, non alium Apostolico munere digniorem judicavit, nisi Frumentium ipsum, quem cum Episcopum consecrasset, illuc redire jussit; *ex quo in Indiæ partibus, & Populi Christianorum, & Ecclesiæ factæ sunt, & Sacerdotium cœpit.* Hæc Rufinus, qui & addit, rem gestam se ab Ædesio Frumentii socio accepisse: *Quæ nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Ædesio, Tyri Presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente cognovimus.*

V. Quam Rufinus in hac narratione Indiam vocat, in quam Frumentius ab Athanasio Episcopus missus est, recte admonet Henricus Valesius *in Notis ad lib. 2. Sozomeni, cap. 24.*

cap. 24. & *ad Ammiani lib.* 25. *cap.* 4. & Antonius Pagi *ad ann.* 327. Æthiopiam esse intelligendam: qui & nonnullos Rufini lapsus contra Geographiæ leges emendarunt. Qua in re nunc Eruditi omnes consentiunt, & Frumentium Æthiopiæ Apostolum fatentur. Hoc sensu intelligenda sunt Martyrologii Romani verba ad diem 27. Octobris de S. Frumentio hæc narrantis: *Apud Indos Sancti Frumentii Episcopi, qui ibi primum captivus, deinde Episcopus a Sancto Athanasio ordinatus, Evangelium in ea Provincia propagavit*. Doctissimus Cardinalis Baronius cum apud Rufinum, Socratem, Sozomenum, & Theodoretum legisset Frumentium in Indiam profectum, duos ejusdem nominis viros Apostolicos distinxit, quorum alter Indorum, alter Auxumitarum in Ægypto Episcopus fuerit ab Athanasio consecratus: Indiam præterea citeriorem, seu Æthiopiam pro India Orientali perperam usurpavit. Haud dubium quin vir Clarissimus hac in re deceptus sit, cujus errorem correxit Eruditissimus Holstenius supra laudatus. Unus etenim idemque fuit Frumentius in Indiam citeriorem, seu Æthiopiam profectus, & a D. Athanasio Episcopus *Auxumeos* ordinatus, quæ urbs est non Ægypti, sed Æthiopiæ. Olim Regia Abissinorum fuit, & totius Regni Metropolis, quæ sensim decrevit, ex quo a Regibus suis, aula procul abscedente, deserta fuit. Eam pulcherrimis ædificiis, Basilica, Obeliscis, epitaphiis, aliisque Regalibus monumentis ornatam fuisse, inscriptiones litteris ignotis exaratæ, quæ adhuc invisuntur, argumento sunt; sed bellis dejecta, vel vetustate exesa jacet, & pago similior est, atque ut ait Ludolfus *in Historia Æthiopica lib.* 2. *cap.* 11. Turcarum invasione adeo vastata fuit, ut nunc vix centum coloni in ea degant, urbemque magnam quondam fuisse rudera tantum ostendunt. Antiquum adhuc *Auxumæ* nomen servat, hodieque in illa cernitur Ecclesia, ubi *Negus* Abissinorum coronatur. Multa de illa scripsit Ludolfus laudatus, & Balthasar Tellez in Relationibus Lusitanorum ab ipso in Æthiopia collectis, & Ulyssipone anno 1660. lingua Lusitana editis. Sita est in decimo quarto, & dimidio gradu latitudinis Septemtrionalis: campis circum fertilibus, iisque amœnis septa, atque Regiæ urbi convenientibus. Quadraginta quinque Leucis Lusitanis, sive sex, aut septem dierum itinere ob interjacentes montes difficili a Mari Rubro distat. Istius urbis meminit Procopius *lib.* 1. *de Bello Pers.* eamque Æthiopum Regiam vocat. Ab Octaviani Augusti tempore videntur Auxumitæ Romanos Imperatores coluisse, cum Numismata in eorum honorem percusserint, ut refert Scaliger *lib.* 7. *de Emend. Temp. pag.* 682. Aurelianum itidem in magna veneratione fuisse apud Auxumitas, tradit Tacitus, postea Imperator, in Oratione sua ad Senatum a Vopisco *in Vita Aureliani cap.* 41. recitata. Sub hujus Imperio gens illa magnis privilegiis aucta est, ut patet ex ejus *Epist. ad Tyrannos Auxumitarum* data, quam Baronius refert *ad ann.* 356. *num.* 23.

VI. Hujus itaque Auxumitanæ urbis primus Episcopus fuit Sanctus Frumentius, & Æthiopum Apostolus, quem cum D. Athanasius Patriarcha Alexandrinus consecrasset, ex inde Æthiopia Diœcesi Ægyptiacæ accessit. Unde & Relationes postremæ hujus ætatis nos docent, Æthiopiæ Imperii Ecclesias omnes, aliasque circumfusas, ab Alexandrina Sede fluxisse, eique ut parenti obno-

obnoxias semper extitisse. Alvares *in Itinerario suo Æthiopico*, *cap*. 98. refert, Primatem, seu Patriarcham Abissinorum, quem ipsi Abunam vocant, confirmari, ordinarique debuisse ab Alexandrino. Subjungit præterea, cum duo Imperatores Æthiopum statuissent, eum deinceps Abunam ab omnibus Imperii sui Populis habendum, colendumque, qui non ab Alexandrino, sed a Romano Pontifice confirmatus esset: viginti & tribus annis viduatam luxisse Abunæ Sedem; proindeque & plerasque tunc Pastoribus orbatas fuisse Ecclesias, quod vastissimo in hoc Regno solus ipse Clericos ordinet. Quæ Æthiopum pertinacia Imperatores a prima Sententia distraxit, coëgitque Abunam ab Alexandrino postulare. Ille duos misit, quorum alter superstes alteri succederet. Idemque Alvares affirmat ambos illos a se visos esse. Id etiam in Chronico Alexandrino Arabico proditum est ab anno 851. Abunam Abissinorum ab Alexandrino Patriarcha confirmari solitum. Verum Cophtorum, seu Jacobitarum secta in Ægypto grassante, etiam Æthiopiam invasit, ibique Eutychianam hæresim, quam Cophti profitebantur, late diffudit. A Lusitanis primum didicimus, (1) Abunam Æthiopum Patriarcham eligendum fuisse ab Abissinis Monachis Jerosolymam incolentibus; eamque electionem ab Alexandrino Patriarcha Cophto confirmandam, consecrandumque electum: denique ne eligi quidem posse nisi Alexandrinum, atque ex Cœnobiis Sancti Antonii. Quare Cophtorum erroribus tum ipsorum Patriarcha, & Clerici, tum reliquus populus fedati sunt. Anno quidem 1441. Cophti Ægyptii, & Abissini Sacramentum obedientiæ præstiterunt Eugenio IV. Summo Pontifici, a quo missa est ad eos formula fidei, statim post Synodum Florentinam scripta. Deinde anno 1482. Æthiopes alia legatione Sixtum IV. venerati sunt. Hanc postmodum altera subsequuta est, quam obivit Alvares, qui erat Joanni Portugalliæ Regi ab eleemosynis, & Imperatoris Æthiopum nomine Romam profectus anno 1533. ejus epistolam Romano Pontifici reddidit, una cum professione obedientiæ fideique Catholicæ. Firmatum jam fuerat istud unitatis fedus anno 1524. a Davide Æthiopum Rege, scriptis ad Clementem VII. litteris, sed nonnisi anno 1533. Romam delatæ sunt. Ceterum anno 1555. Davide Imperatore e vivis erepto, in pristinas sordes revoluta est Æthiopia, rursum invalescente Jacobitarum perfidia, & Alexandrini Patriarchæ communione: eaque viguit usque ad Pauli IV. ætatem, a quo in Æthiopiam Patriarcha cum duobus Episcopis directus est, quorum licet ingens fuerit zelus, & maximus labor, fructus tamen permodicos reportavit. Sufficit tamen ibi fata eorum sudoribus Catholica Fides, ut tractu temporis in messem amplissimam excreverit: anno siquidem 1600. Seltanus Æthiopum Imperator, se Regnumque suum Romanæ Ecclesiæ, & Orthodoxæ ejus communioni subjecit, quamquam id absolvi non potuerit, nisi Petri Sedem moderante Urbano VIII. Hæc ex Relationibus Lusitanorum fuse descripsit Spondanus, *ad ann.* 1524. *num.* 15. 1553. *num.* 1. 1555. *n.* 1. *& post ann.* 1600. Hæc de Æthiopia satis dicta sint.

VII. Quod ad reliquas spectat Ægyptiacæ Diœceseos Provincias in Notitia Imperii recensitas, jam nos singulas supra exhibuimus. Vestigan-

(1) Damia. Goes de Moribus Æthiop.

gandum nunc est num ante Demetrium Patriarcham unus dumtaxat esset in amplissima hac Diœcesi Episcopus, isque Alexandrinus, an plures etiam alii in suis Provinciis constituti. Quæstionem hanc excitavit Seldenus, eamque ita resolvit, ut præter Alexandrinum nullus alius in Provinciis Ægypti esset Episcopus usque ad Demetrii tempora. Sententiam suam probat auctoritate Eutychii Patriarchæ Alexandrini, cujus Chronicon ex Arabico in Latinum vertit. Eutychii verba hæc sunt: (1) *Ab Anania, quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usque in tempora Demetrii Patriarchæ, ibidem nullus erat in Provinciis Ægypti Episcopus, nec Patriarchæ, ante eum crearunt Episcopos. Ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos, & primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio successus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti*. Eduardus Stillindfleet Decanus Londinensis hoc eodem utitur testimonio Eutychii, ut Patriarcham Alexandrinum in Metropolitarum dumtaxat ordinem dejiciat, cui nulli alii subessent Metropolitæ. David Blondellus recens Calvinista in libro, quem inscripsit, *Apologiam Sancti Hieronymi*, istud inter plura, quæ congerit veterum testimonia profert, ut probet, Presbyteros cum ordine, tum Jurisdictione Episcopis jure divino æquales esse.

Testem sui erroris unum Eutychium laudant Novatores isti, cujus tamen Historiæ multa fidem abrogant in iis, quæ fundationem Ecclesiæ Alexandrinæ, ejusque mores antiquos respiciunt. I. Quod ab illius Ecclesiæ origine sit remotior, cum non nisi seculo nono ad exitum jam vergente floruerit. II. Quod genere Arabs Linguam Græcam veteribus Patriarchis, & plebi Alexandrinæ vernaculam minime calluerit. III. Quod Alexandrinæ Ecclesiæ Historiam adeo negligenter adornaverit, ut & quædam sibi contraria, & alia a vero procul posita in eam consarcinaverit; veluti cum prodit, Marcum Evangelistam nono Claudii Imperatoris anno Alexandriam profectum, primo Neronis anno ibidē Martyrio sublatum; & nihilominus ipsemet referat, Neronis tempore Marcum Romæ Evangelium scripsisse Petro dictante. Origenem tempore Quintæ Synodi Oecumenicæ vixisse affirmat, atque Justiniano coævum, nec eum Alexandrinum facit, nec celeberrimum tertii seculi ineuntis Scriptorem: *Fuit etiam*, inquit, *tempore Justiniani Origenes Episcopus Mangabensis, qui Metempsichosim asseruit, Resurrectionem negans*. Eumdem Origenem comminiscitur a Justiniano Imperatore Constantinopolim accersitum, atque ab Eutychio Patriarcha Constantinopolitano anathemate percussum. Cui & tres in itinere, non secus ac in anathemate comites adjunxit, nempe Ibam Episcopum Rohensem, Thaddæum Episcopum Massinensem, & Theodoretum Episcopum Ancyrensem; per Thaddæum Massinensem intelligens Theodorum Mopsuestenum; & Theodoretum pro Cyrensi Ancyrensem nominans. Quos etiam constat non vixisse Justiniani tempore. Præterea refert, Demetrium Patriarcham Alexandrinum, ad Gabium Episcopum Jerosolymitanum, Maximum Patriarcham Antiochenum, & Victorem Romanum Pontificem de ratione Computi Paschalis, deque Christianorum Jejuniis scripsisse. Gabium porro asserit anno decimo septimo Aurelii Augusti Jerosolymo-

 rum

(1) Eutychius in Chron. Alexandrino.

rum Episcopum consecratum, tribus tantum annis Ecclesiam illam rexisse. Quocirca oporteret, epistolam illam fuisse scriptam, aut sub fine Principatus Aurelii, aut sub ipso statim initio Commodi Imperatoris. At eo tempore non Demetrius Alexandriæ, sed Julianus, nec Victor Romæ, sed Eleutherus sedebat. Accedit, Narcissum Jerosolymis præfuisse, cum epistolæ ex Oriente de celebrando Paschate ad Victorem directæ fuerunt. Inter Gajanum autem ab Eutychio perperam Gabium appellatum, & Narcissum, novem Patriarchæ Jerosolymas gubernarunt. Præterquam nullis veterum monumentis proditum est, scriptas ad Victorem à Demetrio epistolas. Tandem idem Eutychius tradit, ab Alexandro Patriarcha, Achillam, qui ante ipsum fuerat Patriarcha, Sede Patriarchali motum, eo quod spreto Petri Alexandrini mandato, Arium suscepisset. Qua in re sibi minime constat, cum antea narrasset, Achillam, postquam sexennio sederat, ex hac vita migrasse. Qua ergo ratione fieri poterat, sub finem Concilii Nicæni eum ab Alexandro e gradu Patriarchali dejectum? Sed fefellit Eutychium similitudo nominis: erat quippe Achillas Presbyter, quem una cum Ario Alexander excommunicavit. Eutychio igitur tam imperito, tam inepto, tam secum ipso pugnanti Historico, nulla fides est adhibenda, præsertim in ea narratione, quam Seldenus tanti facit, utpote quæ antiquis omnibus Scriptoribus adversetur.

VIII. Primum siquidem Chronicon Orientale, & pervetus Auctor Vitæ S. Marci testantur, ab ipso Evangelista plures in Ægypto Episcopos fuisse creatos. Cum enim Ecclesiam Alexandrinam fundasset, ordinatis ibidem rebus, & Presbyteris institutis, abiit in Pentapolim, ubi juxta Chronicon Orientale mansit *biennio annuncians, & consecrans ipsis Sacerdotes*. Sacerdotum nomine Episcopos designat, ut patet ex antiquo Scriptore Vitæ Sancti Marci apud Seldenum ipsum: *Pentapolim pergit ordinans Episcopos per regiones illas, & Clericos*. Consentiunt Alfricus Archiepiscopus Cantuariensis, Rabanus Maurus, & Notkerus in Martyrologio ad VII. Kalendas Maii, asserentes, Marcum Aniano Alexandriæ relicto, *aliis quoque longe lateque Ecclesiis Episcopos, Presbyteros, & Diaconos constituisse*. Ex Græcorum item Synaxariis habetur, Sanctum Marcum Episcopos longe lateque per Ægyptum ordinasse. Iis omnibus suffragatur Nicephorus in sua Historia: (1) *Sanctus Marcus*, inquit, *apud Cyrenæos, & Pentapolitanos quamplurima admiranda fecit: Ecclesias construxit: Clerum, & Episcopos atque alia insuper, quæ opus erant, rite & ordine constituit*. Jam igitur Apostolorum ætate Episcopi in Diœcesi Ægyptiaca fuerant ordinati. Dolendum sane est complura Alexandrinæ, & Ægypti Ecclesiarum monumenta periisse, quæ si superessent, ex iis facile innotesceret, multos in civitatibus Ægypti Episcopos etiam primo & secundo seculo fuisse constitutos. Nonnulla tamen adhuc extant, ex quibus id conjicere possumus. Nam Dionysius Alexandrinus in epistola ad Fabium Antiochenum scribit, Chæremonem quendam grandævum, Nili urbis in Ægypto Episcopum, in persequutione Decii una cum conjuge in Arabicum montem fuga delapsum, non ulterius reversum esse. Dionysianæ epistolæ fragmentum recitat Eusebius *lib. 6. Hist. Eccles. c. 42.* Alias quoque transcripsit epistolas ab co-

(1) Nicephorus lib. 2. cap. 43.

eodem Dionysio ad varios Ægypti Episcopos datas: nempe epistolam de Paschatis die celebrando *ad Hieracem unum ex Ægypti Episcopis*, quam Eusebius exhibet *lib. 7. cap.* 21. Librum etiam de Pœnitentia edidit Canoni Hermopolitanæ Ecclesiæ Episcopo inscriptum. Alium de Promissionibus composuit contra Nepotem quondam Episcopum Ægypti, cujus meminit Eusebius *ibid. cap.* 24. Porro vita functus fuerat Nepos, antequam Dionysius hos libros edidisset. Refert quoque idem Eusebius *cap.* 26. Dionysium litteras misisse ad *Basilidem Pentapolitanum Episcopum*. Quod si posteriorem Dionysio ætatem inspiciamus, perspicua erunt nomina Episcoporum, qui sub Diocletiano in Ægypto passi sunt, inter quos Eusebius recenset, (r) Petrum Alexandriæ, Phileam Thmuitarum, Hesychium, Pachumium, ac Theodorum, *diversarum in Ægypto Ecclesiarum Episcopos*. Extincta Gentilium persequutione, cum res Christiana pacata esset, maximus Episcoporum numerus, etiam ante Nicænam Synodum, in Ægypti Provinciis conspicuus fuit. Alexander enim Petri in Sede Alexandrina successor adversus Arium Synodum celebravit, ad quam fere centum ex Ægypto, & Thebaide Episcopos convenisse, ipsemet fatetur *in epistola Synodica*, apud Gelasium Cyzicenum *lib.* 2. *Hist. Nicæni Concilii cap.* 3. & apud Socratem *libr.* 1. *Histor. Ecclesiast. cap.* 3. Demum Athanasius *Apol.* 2. affirmat, ex Ægypto, Libya, & Pentapoli centum propemodum Episcopos innocentiæ suæ testes in Synodo sedisse. Unde autem tot subito emerserunt Episcopi, si annis ante hoc tempus nonaginta nullus erat in tota Ægypto Episcopus præter unum Alexandrinum? Fuerunt igitur in Ægyptiaca Diœcesi ante Nicænam Synodum, & primis Ecclesiæ temporibus plures Episcopi, quibus sicuti Alexandrinus præerat ut Patriarcha, sic credere par est singulis ejus Provinciis proprios præfuisse Metropolitas. Et quamvis nos lateat, quinam in ejusmodi Provinciis extiterint Metropolitæ, eo quod vetera illarum Ecclesiarum monumenta ad nos minime pervenerint, lux tamen aliqua effulget in Meletio Lycopolitano, quem fuisse primæ Thebaidis Metropolitam diserte probat doctissimus Emanuel a Schelstrate *in Dissert. de Patriarchali, & Metropolitica dignitate contra Decanum Londinensem:* & *Tom.* 2. *Antiq. Eccles. Dissert.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. §. 3. (s) Sane Divus Epiphanius *hær.* 68. de Meletio ait: *Atque ille quidem ceteris Ægypti Episcopis antecellens secundum a Petro dignitatis locum obtinebat*. Dignitatem illam, qua Meletius reliquis Ægypti Episcopis præstabat post Alexandrinum fuisse Metropoliticam, aperte fatetur *hær.* 69. dum *Meletium Thebaidis in Ægypto Archiepiscopum* vocat; Rursumque de illo asserit: *Meletius Archiepiscopus in Ægypto, & Alexandro subjectus*. Libyæ itidem, & Pentapoli, & Provinciis ceteris suos Metropolitas fuisse præpositos verisimile est, cum *Nicæna Synodus c.* 6. statuat, ut in Ægypti, Orientis, aliisque Diœcesibus, sua Metropolitanis privilegia serventur. Hæc autem Metropolitanorum in Provinciis Ægypti institutio maxime enituit tempore Theodosii Junioris, qui in epistola ad Dioscorum Alexandrinum jubet, ut ipse ad Ephesinam Synodum veniat, *cum decem Metropolitis, qui sub ejus degunt Diœcesi*.

IX. Primo Seldeni errore depulso, alterum refellendum aggredimur, quem ille pariter ab Euthychio

(r) Eusebius lib. 8. c. 9.

(s) S. Epiphanius hær. 68. & 69

chio hausit. In ritu ordinationis Patriarchæ Alexandrini iste versatur, de quo hæc Euthychius tradit: [1] *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Anania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cùm vacaret Patriarchatus eligerent unum de duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent.... Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo 318. Is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent, & decrevit, ut mortuo Patriarcha, convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent*. Ex hoc Alexandrinæ Ecclesiæ ritu infert Seldenus, Rempublicam Christianam absque Episcopis regi posse; Presbyteros Episcopis pares esse, eosdemque a cœtu suo posse Episcopum eligere, & consecrare. Seldenum imitantur Salmasius, Blondellus, & alii Novatores. Ab his licet dissentiat Morinus, [2] eo tamen labitur, ut putet Episcopos Alexandrinos a Marco Evangelista usque ad Dionysii Alexandrini tempora, extitisse potius Ecclesiarum Oeconomos, quam Antistites, cum velit eos nulla impositione manuum ab Episcopis consecratos, nulla Ecclesiastica ordinatione supra ceteros Sacerdotes evectos. Id confirmat auctoritate D. Hieronymi, *epist.* 80. scribentis: quod Presbyteri usque ad Dionysium *unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominarint*.

Non minus in hac narratione deceptus est Eutychius ac in præcedenti. Falsum quippe est, Patriarcham Alexandrinum fuisse a Presbyteris manuum impositione ordinatum: nam Sanctus Cyprianus Heraclæ, & Dionysio Alexandrinis Patriarchis coætaneus, primâs totius Africæ, cujus Provinciæ adjacebant Diœcesi Ægyptiacæ, aperte affirmat, Episcopum a vicinis Episcopis esse consecrandum, atque hunc morem ex traditione divina, & Apostolica observatione prodiisse: [3] *Diligenter*, inquit, *de traditione divina, & Apostolica observatione observandum, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proxime quique conveniant*. Non in Africa tantum, sed in omnibus pæne Provinciis divinam hanc traditionem viguisse testatur; quis autem credat contrariam consuetudinem in Ægyptum a Marco Sancti Petri Discipulo inductam fuisse? Imo non in universum dicere potuisset, *apud nos quoque, & ferè per Provincias universas*, eum morem servari, si in Ægypti Provincia, Africæ contigua, & in ipsa Metropoli alius usus obtinuisset. Quomodo etenim de Alexandrina Ecclesia toto orbe celebri hoc ignorasset? Neque aliter Sanctus Hieronymus docuit, sed ritum dumtaxat describit a Presbyteris Alexandrinis servatum in electione novi Patriarchæ. En Hieronymi verba: [4] *Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Consulto dixit, *nominabant*,

(1) Eutychius in Chronico.
(2) Morinus Exercit. 5. c. 2. & Exercit. 7. c. 7.
(3) S. Cyprianus epist. 68.
(4) S. Hieronymus epist. 85.

bant, non ordinabant, ut innueret, a Presbyterorum Collegio electum quidem fuisse novum Patriarcham, non tamen ordinatum. Novam namque Ordinationem intercessisse, qua electus a Presbyteris, Episcopus consecraretur, satis indicat Hieronymus, cum peculiarem ad quædam effecta potestatem agnoscit in Episcopis, qua Presbyteri carerent, nimirum facultatem ordinandi Episcopos, & Presbyteros. Siquidem præfatis verbis hæc alia statim subjungit: *Quid enim facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Si ergo Ordinationum sacrarum potestatem non convenire Presbyteris Hieronymus fatetur, profecto innuit ab illis eligi dumtaxat consuevisse Patriarcham Alexandrinum, non consecrari: Quare id muneris Provinciæ Episcopis reservatum erat. Ordinatos autem fuisse Alexandrinos Antistites constat ex Chronico Eusebii, ubi de Aniano Successore Sancti Marci ait: *Post Marcum Evangelistam, primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus Anianus*. De Aniani Successore Meliano refert Chronicon Orientale ab Abrahamo Ecchellensi editum, *ad annum* 99. *Scriptum est in Vitis Patriarcharum: Assumpserunt hominem nomine Melianum, & ordinaverunt eum Patriarcham super Sede Marci, crevitque numerus fidelium in Ægypto, Pentapoli, & Africa*. Eodem loquendi modo utitur idem Chronicon in plerisque Patriarchis, quos ordinatos fuisse affirmat, nominatim vero Julianum, de quo tradit ad annum 191. ei ea nocte, qua moriturus erat, apparuisse Angelum Dei, & inquirente populo de futuro post ipsum Patriarcha, ipsi Demetrium indicasse: *Hic est*, inquit, *Patriarcha vester, quemadmodum præcepit mihi hesterna nocte Angelus Dei, quem autem tenentes vinculis ferreis obstrinxerunt, & ordinaverunt Patriarcham*. Et ii quidem Heraclæ, & Dionysio anteiverant: de Heracla autem hæc habet Eusebius in Chronico: *Alexandrinæ Ecclesiæ duodecimus Episcopus ordinatur Heraclas*. Ii omnes ante Dionysium, & Alexandrum in Throno Alexandrinæ Ecclesiæ sederunt, quos tamen ordinatos fuisse Episcopos Chronicon Orientale, & Eusebius fidem faciunt. Porro ex Divi Hieronymi, omniumque veterum Patrum Sententia ea ordinatio a Presbyteris celebrari non poterat: igitur necesse est, illam ab Episcopis fuisse peractam. Quocirca Hieronymus cum ait: *Alexandriæ Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominasse*, de sola electione a Presbyteris facta intelligendus est. Et vero cum ipse in Ægypto aliquando degerit, & cum Episcopis, ac Monachis illarum regionum familiares, & diuturnos inierit congressus, si annorum fere ducentorum tractu Presbyteri Alexandrini manus ei imposuissent, ac consecrassent, quem e Collegio suo Patriarcham elegerant, id utique ab ipsis didicisset, ac litteris commendasset; præsertim quia nihil conducibilius erat ad reprimendum fastum Diaconorum. Verum nihil hujusmodi commemorat; quin potius in illa ipsa ad Evagrium epistola, ubi veterem Alexandrinæ Ecclesiæ morem celebrat, expresse ordinandi potestatem Presbyteris minime tributam docet, sed solis Episcopis concessam. De una proinde loquitur electione novi Patriarchæ, quam duodecim Presbyteri olim Alexandriæ celebrabant. Hoc sensu Abrahamus Ecchellensis *in suo Eutychio Vindicato Par.* 1. *cap.* 2. exponit Eutychii Historiam, & recte adnotat manus impositionem

nem

nem a Presbyteris factam, & benedictionem, quam Patriarchæ recens electo impertiebantur, non fuisse veram ordinationem, sed electionem certis quibusdam cæremoniis Ecclesiasticis Alexandriæ fieri solitam. Atque ex vetustissimis illius Ecclesiæ constitutionibus probat, negatam fuisse Presbyteris ordinandi, aut consecrandi Episcopi auctoritatem; sed duplicem eis præscriptam manuum impositionem, quæ præcederet consecrationem ab Episcopis peragendam. Observat præterea, Seldenum ex Arabico male vertisse *crearent*, cum ex illius linguæ proprietate vertendum esset, *dignum judicarent*.

X. Nobis cum Seldeno hactenus certamen fuit. Nunc peculiaris Morini opinio explodenda est.(1) Contendit ille *Alexandriæ Presbyterum electum Patriarcham* olim non fuisse consecratum, nedum à primis seculis usque ad Alexandri ætatem; sed etiam ducentis saltem post Alexandrum annis. Modum vero, quo post Hieronymi tempora inauguratio fiebat, colligi posse credit ex Liberato Diacono Carthaginensi, cujus Breviarium Historicum a Garnerio editum hæc narrat: (2) *Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis accipere collo suo Beati Marci pallium, & tunc legitimè sedere. Dum hæc Theodosius nocte pertentat, cognoverunt populi, & Monasteria quid esset factum vespere in Episcopo studio Calotychii, & judicum, idest, Aristomachi Ducis, Dioscori Augustalis.* Hoc eodem Liberati testimonio utitur Blondellus, ut probet necessariam non fuisse singularem ordinationem, ut Presbyter crearetur Episcopus, ac proinde nulla ipsi jure divino nova accedebat potestas.

Verum nec Morinus, nec Blondellus Liberati mentem penetrarunt. Non enim de Ordinatione agit, quæ sicuti in Africa ubi ille scribebat, ita Alexandriæ, & in ceteris Ecclesiis adhibebatur, quia necesse non erat ad illud Historiæ caput, quod eo loci pertractandum susceperat: aliunde etiam neminem latebat Episcopum non nisi nova ab aliis Episcopis inauguratione consecrari. Quæ Liberatus narrat, ad ritus in electione adhiberi solitos pertinent, seu ad cæremonias, quæ præmitti consueverunt, antequam recens electus Thronum Sancti Marci conscenderet. Siquidem electio Patriarchæ Alexandrini duobus primis seculis ad ejusdem Ecclesiæ Presbyteros spectabat, qui semper unum ex cœtu suo eligebant, eumque in Throno collocabant, quod teste D. Hieronymo usque ad Dionysium, seu Hesychio auctore, usque ad Alexandrum obtinuit. Ceterum a tempore Alexandri plebis assensus necessarius esse cœpit, ut testatur Sanctus Gregorius Nazianzenus *Orat.* 21. de Sancti Athanasii electione loquens. Quia vero Alexandria civitas erat amplissima, & Presbyteri suas Ecclesias & distinctos cœtus habebant, ne mora tumultibus præberet occasionem, electio subito fiebat, ut testatur Sanctus Epiphanius: (1) *Alexandriæ autem consuetudo est, ut post Episcopi mortem successor non diutius differatur, sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo jurgia & contentiones existerent.* Inde absque dubio emersit mos ille, cujus meminit Liberatus. Attamen credere par est, vi-

(1) Morinus Exercit. 3. cap. 2. & Exercit. 7. c. 7.
(2) Liberatus in Breviario c. 20.

(1) S. Epiphanius hær. 69.

viciniores Episcopos ad funus Patriarchæ Alexandrini convenisse, atque ab iis Successorem ordinatum, priusquam defunctus Antistes tumularetur. Nam de Athanasio post Theonæ obitum electo Patriarcha, hæc scribit idem Epiphanius: *Non longe postea advenit Athanasius post Theonæ obitum, & undique congregatus est Orthodoxorum conventus, & sic ipsius constitutio facta est, & traditus est ipsi thronus digno*. In eo Orthodoxorum conventu, quem pro Athanasii ordinatione fuisse congregatum Epiphanius commemorat, etiam Episcopos adfuisse, qui eum consecrarent, fassi sunt Arriani apud Sozomenum, & (1) Nicephorum asserentes: quod *Alexandro mortuo quinquaginta quatuor Episcopi, qui partibus Alexandri, & Meletii favebant, ex Thebaide, & reliqua Ægypto in unum coacti communicarunt inter se de Episcopo creando; & dato jurejurando communibus suffragiis consenserunt de uno eligendo, qui Ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula susciperet: sed septem eorum violato jurejurando contra omnium voluntatem clam Athanasium Episcopum ordinasse*. Mendacium quidem fuit Arrianorum, ex quinquaginta quatuor Episcopis, qui convenerant, ut novum Patriarcham Alexandrinum initiarent, sex aut septem dumtaxat clanculum, & in abditis eum ordinasse; constat tamen ejus ordinationem ab Episcopis factam, quod etiam profitentur in epistola encyclica Concilii Alexandrini totius Ægypti, Thebaidis, Libyæ, & Pentapolis, hanc Arrianorum calumniam propulsantes, itemque asserentes, Provinciarum Episcopos Athanasii electioni, atque ordinationi interfuisse. Sed & Liberatus ipse, quem ex adverso laudant Morinus, & Blondellus, idipsum confirmat: agens siquidem de Episcopis Ægypti, post Concilium Chalcedonense ad propria revertentibus, ait: (1) *Expleto Chalcedonensi Concilio, & Dioscoro in exilium misso, reversi sunt Alexandriam, qui cum eo venerant Episcopi, & Clerici, Athanasius Busiridos Episcopus, & Nestorius Phlagoneos, & Auxonius Sebennitensis, & Macarius Cabasensis . . . . . ut cum omnium civium voluntate eligerent ordinandum Episcopum*. Mox subdit, totius civitatis voto electum Proterium, eumdemque ab Ægyptiis Episcopis ordinatum: *Ordinatus ergo Proterius, præsentibus supra memoratis Episcopis, qui in Synodo, sicut dictum est, subscripserunt, inthronizatur*. Quod de Proterii hoc ipsum & de aliorum Patriarcharum ordinationibus refert Liberatus in sequentibus Breviarii capitibus, ut mirum sit Morinum, & Seldenum id nequaquam advertisse.

XI. Nihil prorsus a Liberato discrepat Euthychius Patriarcha in suo Chronico per Seldenum edito, nisi perversa Seldeni versio optimi Scriptoris Historiam adulterasset. Neque enim Euthychius negat Episcopos fuisse *In Provinciis Ægypti* ante Demetrium Patriarcham, *sed in Territorio Ægypti*, quemadmodum habet textus Arabicus juxta sinceram Abrahami Ecchellensis versionem, *cap.* 8. nec legit, Demetrium *fuisse primum Patriarcham Alexandrinum, qui Episcopos fecit, sed primum qui Alexandriæ fecit Episcopos*, scilicet in Alexandriæ territorio, seu Delta, quæ specialiter *Ægypti* Provincia appellabatur. In reliquis vero Provinciis Alexandrinæ Diœcesis, nempe Libya, Pentapoli, aliisque proprii erant Episcopi, qui consecrabant Patriarcham. Ejus rei fidem facit Martyrologium Melchitarum *ad diem 25. Aprilis* de Marco loquens: *All-*

Pars Prima. Hhhh

(1) Sozomenus lib. 2. cap. 16. Nicephorus lib. 8. c. 44.

(1) Liberatus in Breviar. cap. 14.

Aliquamdiu moratus est in urbe Cyrenæ Cyrenæorum, indeque Alexandriam, quæ apud Pharum est, perrexit: deinde in Barcham profectus est, multaque edidit miracula, & Christi Ecclesias exornavit, constituens eis Episcopos, atque his inferiores Sacerdotes. Haud aliter Severus Alexandrinus Episcopus Asmonin in Vitis Patriartriarcharum Alexandrinorum in Marco: (1) *Inde discedens Pentapolim perrexit, mansitque ibi annos duos annuncians, & ordinans Episcopos, Presbyteros, & Diaconos in omnibus ejus Provinciis.* Hinc liquido constat, ducentorum annorum tractu, qui a Divo Marco usque ad Demetrium fluxerant, plures in Provinciis Ægypti fuisse Episcopos. Demetrius quippe Alexandrinam Sedem obtinuit, cum Origenes puer erat, teste Eusebio *initio lib. 6. Histor. Eccles.* nimirum seculo tertio vix ineunte. Igitur ante id tempus jam erant Episcopi in Provinciis Diœceseos Ægypti, qui Synodum constituebant, electumque a Presbyteris Patriarcham consecrabant. Quod aperte demonstrat laudatus Severus in Vita Celadiani, qui fuit octavus Patriarcha, & Demetrium præcessit: (2) *Erat autem in diebus in populo quidam amans Deum Celadianus, quem convenientes populus Orthodoxus, & Episcopi, qui erant iis diebus Alexandriæ, assumpserunt, & Patriarcham constituerunt, ac in Sede collocaverunt Evangelica.* Similia tradit de altero Demetrii prædecessore Juliano in ejus Vita. Cum itaque a primis fundatæ Ecclesiæ Alexandrinæ temporibus, ac deinceps, ejus Patriarchæ ab Episcopis consecrati fuerint, consequens est illam manuum impositionem a Presbyteris factam, cujus meminit Euthychius, meram fuisse cæremoniam Ecclesiasticam, præterquam necesse erat recens electum juxta divinam institutionem, & universalis Ecclesiæ Disciplinam, ab Episcopis solemni consecratione initiari. Hanc tamen consecrationem peculiaris ille ritus in Ecclesia Alexandrina præcedebat, quem supra ex Liberato retulimus. Nempe in honorem Sancti Marci novus Patriarcha a Presbyteris, & plebe electus, excubias super Decessoris sui corpus agebat, manumque dexteram ejus capiti suo imponebat, & sepulto manibus suis, accipiebat Beati Marci Pallium, & tunc legitime sedebat.

XII. Ab ordinatione Patriarchæ Alexandrini gradum facimus ad explicandum jus, quo ille potiebatur in ordinandis suæ Diœceseos Episcopis. Illius quidem ante Meletianum Schisma nullum apud veteres extat vestigium; ex his tamen quæ de usurpata a Meletio ordinandi Episcopos potestate referunt antiqui Scriptores conjicere possumus, quænam fuerit in hac re vetus Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudo. Meletius etenim, cum a Sancto Petro Alexandrino ob Idololatriæ crimen, aliaque delicta, in Concilio Episcoporum depositus esset, tam immane odium adversus Sanctissimum illum Patriarcham concepit, ut schisma faceret, ac ordinationes ipsi debitas usurparet. Rem narrat D. Epiphanius: (3) *Meletius tam in carcere, quam in itinere, ac quamcumque regionem, locumque peregeret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos instituit, ac privatas Ecclesias fundavit.* Quare cum Alexander post Petri obitum Alexandrinam regeret Ecclesiam, Meletium ea conditione recepit, ut deinceps ab ordinandis Episcopis, & Presbyteris abstineret, ac sola Lycopoli-

(1) Severus Alexandrinus in Marco.
(2) Idem in Celadiano.

(3) S. Epiphanius hær. 68.

litana Ecclesia contentus esset, justitque dari sibi catalogum illorum, quos ipse Episcopos, Presbyteros, & Diaconos initiaverat; ut scribit S. Athanasius *in Apolog. 2. cont. Arrianos*. Arrogasse sibi Meletium eam potestatem, quæ Alexandrini propria erat, indicat Decretum Nicænæ Synodi apud Sozomenum: (1) *Porro*, inquit, *eadem Synodus cum ea, quæ per Meletium in Ægypto acciderant examinasset, contra illum sententiam tulit, ut in urbe Lycopoli degeret solo Episcopi nomine contentus; nec deinceps sive in urbe, sive in vico, ordinationem ullam faceret. Hi vero, qui ab illo prius ordinati fuissent, communionem quidem, ac ministerium suum retinerent; reliquis tamen Clericis per singulas Ecclesias, ac Parochias constitutis honore inferiores essent; ita tamen ut in locum morientium per ordinem succederent, dummodo plebis suffragio judicarentur idonei, Episcopo Alexandrino electionem eorum nihilominus confirmante: ipsis autem ne liceret arbitrio suo eligere quos vellent. Atque id æquum esse Synodus judicavit, reputans scilicet Meletii ejusque consortium præcipitem in ordinationibus faciendis temeritatem: quippe qui dum Petrus Episcopus Alexandriæ, qui postea Martyrium consummavit, ob sævientem tunc persecutionem fugisset, ordinationes ad illum pertinentes sibi vendicaverat.* Ordinationes Episcoporum a Meletio factas ad Episcopum Alexandrinum pertinuisse affirmat Sozomenus. Episcopi autem illi, quos Meletius consecraverat, in variis Diœcesibus Ægypti fuerant constituti: nam in Breviario, quod Meletius Alexandro obtulit, quodque Sanctus Athanasius recitat, non unius, sed plurium Provinciarum Episcopi numerantur, scilicet Mena Arsinoës, quæ est Pentapolis civitas; Cales Hermetis Provinciæ Thebaidis, aliique ibidem descripti. Hinc Nicæna Synodus quamquam Meletianorum causam ita composuisset, ut qui a Meletio ordinati fuerant Episcopi, post mortem Episcopi Catholici, in ejus locum succedere possent, id tamen fieri non posse sancivit, nisi accedente Patriarchæ Alexandrini confirmatione. Extat Nicænæ Synodi epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, & Episcopos per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim constitutos, apud Theodoretum: (2) *Quod si quempiam eorum, qui in Ecclesia censentur, diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum, atque honorem provehantur ii, qui nuper adsciti sunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat, suffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Episcopo.* Eo jure usus est Theophilus Alexandrinus, cum Socrate auctore *lib. 6. cap. 7.* Dioscorum Monachum Hermopoleos, quæ vel Ægypti primæ, vel Thebaidis primæ civitas est, Episcopum designavit. Plures alios ab eodem Theophilo Episcopos vel consecratos, vel confirmatos, indicant ejus epistolæ, quibus Paschatis diem cunctis Ægypti Episcopis significabat, simulque Episcoporum recens a se ordinatorum nomina describebat. Sub finem primæ epistolæ (1) nominat *Nascam Lemnadi: Paulum Erythri: Verrem Omboes* Antistites creatos. *Ep. 3.* ex recens consecratis commemorat *Theodosium Nicbii; Arsinthium Teruntbidis; Pirozum Geræ; Musæum in Achæis; Athanasium Athrividis; Offellum Cleopatridis; Apellem in Oppido Laton:* quos asserit, *pro defunctis Episcopis in locum singulorum constitutos*. Recte autem obser-

 vat

(1) Sozomenus lib. 1. Hist. cap. 24.
(2) Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 6.

(1) Theophilus Alexandr. epist. 1. & 3. Pasch.

vat Morinus *lib.* 1. *Exerc.* 28. Ideo horum Episcoporum ordinationes a Theophilo judicari, quod eæ ad Patriarcham Alexandrinum spectarent. Porro non solius Provinciæ Ægypti Antistites erant ii, quos recenset; sed etiam aliarum Provinciarum: nempe Gera civitas erat Augustamnicæ II. Cleopatris, & Terunthis urbes Ægypti, Laton urbs Thebaidis. Ut quid vero variarum Provinciarum ordinationes ad Ecclesias totius Patriarchatus Alexandrini retulisset, nisi omnes aut ipse celebrasset, aut saltem confirmasset?

Ita plane, cum apud, illas Ecclesias irritæ haberentur ordinationes, quæ ab Alexandrino Patriarcha celebratæ non essent, aut citra illius consensum factæ. Quare Synesius Ptolemaidis Episcopus, & Pentapolitanæ Cyrenænsium Provinciæ Metropolitanus, Palæbiscæ Episcopum suæ Metropoli subjectum, legitimam consecrationem adeptum esse inficiatur, quia nec Alexandriæ fuerat constitutus Episcopus, nec ab Alexandrino confirmatus: Sic ille testatur in litteris ad Theophilum (1): *Quamobrem unum illum, & solum Palæbiscæ Episcopum creatum, sed neque legitimum, contra jura verò omnia, quantum de Senioribus accepi, cum neque sit Alexandriæ, neque a tribus hic constitutus, quamvis illuc ordinando signum datum esset.* Quia scilicet Episcopus Palæbiscæ, vel Alexandriæ ordinari debuerat a Patriarcha, vel saltem ejus jussu in propria Provincia Pentapolis. Idipsum declarat in altera epistola ad eumdem Theophilum data, ubi Olbiatis vici cujusdam in Pentapoli Episcopum, cujus electionem suffragio suo tanquam Metropolitanus probaverat, a Theophilo Patriarcha Alexandrino censet necessario esse confirmandam: (2) *Olbiatis, vici cujusdam hic populus est, Episcopi creatione opus fuit, cum beatissimus Pater Athamas una, & diuturna vita, & Sacerdotio functus obiisset. Me igitur in hujus deliberationis communionem advocarunt: atque ego sum quidem hominibus gratulatus, quod è multis iisque bonis omnibus optionem facerent, sed multo magis Antonio de sua probitate atque integritate sum gratulatus, quod bonis melior judicatus esset. Etenim in eum commune omninm suffragium collatum est: cumque se multitudinis Sententiæ duo religiosissimi Episcopi adjunxissent, quibuscum educatus, & quorum alterius manu Sacerdos consecratus fuerat: ne ipse quidem omnino Antonium ignorabam, sed illum de quibuscumque noram dictis, aut factis, de omnibus collaudavi; quin ea insuper, quæ sciebam præconia, quæ audieram, adjungens, meo quoque illum suffragio renuntio: ac pergratum mihi quidem erit, si illum in Episcopatu Collegam, ac Socium habuerim. Unum adhuc superest, sacra tua manus, hoc unum Olbiatis; mihi verò opus est precibus.* Eodem jure usos esse reliquos Patriarchas Alexandrinos, constat ex Palladio, & Joanne Moscho: ille *in Historia Lausiaca cap.* 12. refert, Ammonium a certæ cujusdam civitatis populis fuisse desideratum Episcopum, postulatumqne a Timotheo Alexandrino Patriarcha, qui illorum votis annuens, jussit ad se adduci virum, ut eum consecraret. Alter vero de tribus Episcopis ab Apollinare Alexandrino ordinatis hæc tradit (3): *Cum venissemus in Sina post paucos dies, Abbas misit me, & duos alios in ministerium in Alexandriam, tenensque nos Papa Alexandrinus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos,* unum

(1) Synesius epist. 67.
(2) Idem epist. 76.

(3) In Prato Spirituali cap. 124.

unum quidem Heliopoleos, *alium Leontopoleos*, *me vero in Babylonem misit*. Quidquid de Episcopis diximus, multo magis de Metropolitanis est asserendum, quorum ordinationes peculiari quadam ratione ad Patriarcham pertinebant, ut videre est apud Synesium laudatum *epist.* 67. & 105.

XIII. Reliqua Patriarchæ Alexandrini jura sunt exploratissima. Congregabat enim Episcopos suæ Diœcesis ad Synodum, cum gravior urgeret causa: quod a Dionysio Alexandrino bis factum testantur, Auctor Libelli Synodici, & Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 24. semel contra Sabellium, iterumque adversus Nepotianum, & Cerinthum: Dionysium postea imitatus Alexander Synodum contra Arium Alexandriæ coëgit, cui, ut ipsemet scribit *in epist. Synodica*, interfuerunt *fere centum Ægypti*, & *Libyæ Episcopi*. Alteram pariter adversus eumdem Hæresiarcham indixit Synodum Sanctus Athanasius sub Joviniano Imperatore, ad quam ex Ægypto, Libya, & Thebaide Episcopos convenisse affirmant, Libellus Synodicus, Definitio ipsius Synodi apud Athanasium *tom.* 1. & Theodoretus *lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 3. Siquæ insuper majores causæ emersissent, aut de Ægypti Episcopis judicium ferendum esset, id juris ad Alexandrinum Episcopum spectasse, nos docet Ansenii Hypselitarum ex Meletiano schismate redeuntis professio, quam D. Athanasio obtulit, eamque is refert *Apolog.* 2. ubi juxta sacros Canones, & vetera instituta profitetur, communes Ecclesiarum Ægyptiacæ Diœcesis, & Episcoporum causas ad Patriarcham Alexandrinum esse referendas, adeo ut nullus illarum regionum Episcopus de iis quidpiam statuere potuerit, nisi consensus Patriarchæ accessisset. Neque unius Episcopi eam fuisse Sententiam, sed omnium prorsus totius Ægypti, demonstrant Acta Concilii Chalcedonensis, ubi Dioscoro Sede moto, & in exilium acto, cum Episcopi Ægypti rogati essent, ut epistolæ Sancti Leonis subscriberent, enixe exorarunt Synodi Patres, ne ad id cogerentur ante consecrationem Patriarchæ: (1) *Petimus*, inquiunt, *vestram Clementiam expectare Præsidis nostri Sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & Sanctissimi Patres, qui in Nicæa congregati sunt, trecenti decem & octo hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo*. Cumque iterato ab ipsis deposcerent, ne diutius subscriptionem illam differrent, clamaverunt: *Petimus autem vestram sublimitatem, & hanc Sanctam, & magnam Synodum, ut misereamini nobis, & expectetis nostrum Archiepiscopum, ut secundum antiquam consuetudinem illius sequamur Sententiam. Quia si extra voluntatem nostri Præsidis aliquid faciamus, sicut præsumptores, & non servantes secundum canones antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in nos*. Et licet Patres nollent eorum precibus acquiescere; tamen gloriosissimi Judices indulgendum ipsis sanxerunt, quoadusque Patriarcha electus esset: *Quoniam dixerunt consuetudinem esse in Ægyptiaca regione, extra Sententiam & jussionem Archiepiscopi nihil tale se posse*. Inde patet Ægyptiacæ Diœcesis Episcopos in negotiis magni ponderis nihil agere consuevisse absque Sententia Alexandrini Patriarchæ: atque adeo non mirum

(1) Concil. Chalced. Act. 4.

rum si graviores causæ ex illis Provinciis ad eum referrentur: quod Nicæno Canone, & antiqua consuetudine statutum esse affirmabant. Nam & ante Nicæni Concilii tempora, cum in Pentapolitana Provincia nonnulli Episcopi Sabellii hæresim amplexi essent, id statim ad Dionysium Alexandrinum delatum fuit: Is vero Athanasio teste, [1] *Recognita ad cujus curam ea Ecclesiæ pertinebant, Legatos misit, qui authores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent*. Cur Episcopi illi Sabellio addicti ad Dionysium Alexandrinum delati essent, & ipse judices in provinciam mitteret, causam profert Athanasius, quia *ad ejus curam ea Ecclesiæ pertinebant*. Et tamen Episcopi præfati non peculiaris Provinciæ Ægypti, sed Pentapolis erant. Ex hac eadem Provincia Synesius ejus Metropolita, non solum Palæbiscæ, & Hydracis Episcoporum, sed etiam quorumdam Presbyterorum causas ad Theophilum Alexandrinum retulit, ut ipsemet scribit *epist. 67.* in cujus initio hæc habet observatu digna: [2] *Mihi quidem, & libet, & divina prope imposita necessitas pro lege id habendi, quidquid Thronus ille statuerit*: de Alexandrinæ Ecclesiæ Throno loquens. Non in Pentapolim solum, sed in Thebaidem quoque, & Libyam id juris adeptum esse Alexandrinum Patriarcham, auctor est S. Epiphanius *hæresi 67.* agens de Meletii Schismate: [3] *Hic enim mos est Alexandrinorum Episcoporum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam Ammoniacam, ac Pentapolim Ecclesiastica negotia administrent*.

CAPUT VI.

Synopsis.

I. *Antiochia prima ex Gentilium civitatibus Christi fidem suscepit: in ea S. Petrus primam sui Sedem posuit. Cur S. Lucas ejus rei non meminerit causam affert D. Hieronymus. De instituta a B. Petro Antiochena Sede veterum testimonia.*

II. *Ecclesia Festum Cathedræ Antiochenæ D. Petri quotannis celebrat. Richerius perperam hic Cathedræ vocabulo intelligit doctrinam Evangelicam. Exploditur ejus opinio.*

III. *Cur Antiochena Sedes infra Alexandrinam collocata fuerit ex Baronio declaratur.*

IV. *Quam late pateret Patriarchatus Antiochenus ex Notitia Imperii dignoscitur. Quindecim Provinciæ ipsi olim subjectæ erant: a quo deinceps divulsæ fuerunt Cyprus, & tres Palæstinæ. Provincias & Metropoles huic Patriarchatui addictas exhibet Nilus.*

V. *Asia quam illi adscripsit Nilus Doxapatrius, non Minor, sed Major Asia est. Strictim recensentur Asiæ Majoris Provinciæ Antiocheno obnoxiæ.*

VI. *Indiam Christi fide imbuerat S. Thomas Apostolus, ubi & Martyr occubuit Calaminæ. Hanc urbem esse oppidum, quod nunc Malapur dicitur, putat Holstenius.*

VII.

(1) S. Athanasius in epist. de Sententia Dionysii.
(2) Synesius epist. 67.
(3) S. Epiphanius hær. 67.

VII. Extincta fide in India, illuc fiunt & in alias Asiae Provincias ex Antiocheno Patriarchatu missi Praedicatores, sed haeresi infecti. Ab his variae Sedes constitutae.

VIII. De Jacobitarum secta, eorumque Patriarcha sub Antiocheni nomine.

IX. De Armenorum Patriarcha. Fr. Bonaventura Parvus Ord. Praed. plures in Armenia Catholicorum Ecclesias fundavit. Eorum Metropolita Naxivae residet. Suos etiam haeretici in Armenia & Perside Primates habent.

X. Babylonis Patriarcha Nestorianis praeest, qui in India, Perside, & Tartaria degunt.

XI. De Georgianis, eorumque Archiepiscopo.

XII. Notitia Antiocheni Patriarchatus a Guillelmo Tyrio edita.

XIII. Jura Patriarchae Antiocheni exponuntur.

I. PRior tempore, sed posterior ordine inter antiquas Sedes Patriarchales est Antiochena; in Regia urbe totius Orientis Metropoli, quae & Theopolis idest Dei civitas dicta est, collocata. Digna fuit, ut ex Gentilium civitatibus prima Christi fidem susciperet, tantaque hominum multitudo Evangelicis praeceptis imbueretur, ut (1) *cognominarentur primum Antiochiae Discipuli, Christiani*. Eam urbem idcirco Apostolorum Princeps adlegit, ut antequam Dei monitu Romam proficisceretur, primam ibi Sedem suam poneret. Eusebio siquidem referente: (2) *Petrus cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur*. Et ex Hieronymo *lib. de Script. Eccles.* discimus, quod *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiae Romam pergit:* (3) Quod etiam alibi indicavit: *Denique Petrum Episcopum Antiochenae Ecclesiae fuisse accepimus, & Romam deinde translatum*. Ne autem silentium Sancti Lucae in Actis Apostolicis nihil de Antiochena Petri Sede memorantis alicui dubitationem ingereret, protinus subdit: *Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quae Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia praetermiserit, & non est contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit*. Quod enim Sanctus Lucas praetermisit, hoc Apostolica Traditio nos docuit, cujus testes sunt antiqui Patres, Concilium Romanum sub Damaso; Innocentius I. *in ep.* 18. ad Alexandrum Antiochenum: S. Leo *serm. I. in Natali Apostolorum:* Chrysostomus *hom. de Laud. Sancti Ignatii*, aliique a nobis superius laudati. Sed instar omnium sit auctoritas Concilii Chalcedonensis, (4) cui sexcenti & triginta Episcopi interfuerunt, qui uno ore dicunt, *Magnae civitatis Antiochiae Thronus Beati Petri*. Quare Antiochena Sedes Patriarchicam dignitatem debet Apostolorum Principi, qui eam fundavit, & primus in ea sedit, uti nuper recensiti Patres testantur; maxime vero Concilium Romanum sub Damaso, cujus canonem ordine 236. Cresconius in sua Collectione ita recitat: (5) *Tertia vero Sedes apud Antiochiam Beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illam primitus quam Romam venisset, habitavit; & illic primum nomen Christianum novellae gentis exortum est*.

II. Hu-

(1) Act. cap. 2.
(2) Eusebius in Chronico.
(3) S. Hieronymus lib. I. in epist. ad Galat. c. 2.
(4) Conc. Chalced. Act. 7.
(5) Concil. Romanum sub Damaso.

II. Hujus propterea institutæ a D. Petro Sedis memoriam annuo festo celebrat universa, quæ sub Cœlo est, Ecclesia die 22. Februarii. Singulare hoc privilegium uni Petro concessum convellere tentat Edmundus Richerius: [1] *Per Cathedram Petri Doctrinam Evangelicam, quæ ubique una est, designari* contendit: *& tamen hanc Cathedram nomine Petri celebrari, quia interrogante Domino: quem me esse dicitis? Petrus pro omnibus Doctrinæ Evangelicæ summam, & fundamentum professus est his verbis: Tu es Christus Filius Dei vivi. Itaque nemini mirum videri debet, ob eam causam Patres Ecclesiæ primitivæ Festum Cathedræ Petri, idest doctrinæ Evangelicæ celebrasse sub nomine Cathedræ Antiochenæ.* Hoc ipsum antea docuerat *lib.* 2. *cap.* 4. ubi testimoniis, Sanctorum, Chrysostomi, Hieronymi Bedæ, Anselmi in Comment. super *cap.* 23. *Matth.* ostendit, Cathedræ nomine eos intellexisse doctrinam Evangelicam. Quantum audet captiosi hominis ingenium! Cum negare non posset, jam ab Antiquis primitivæ Ecclesiæ temporibus, celebrari per totum Christianum orbem Festum Cathedræ Divi Petri, in qua primum Antiochiæ sedit, eo temeritatis devênit, ut per Cathedram, non institutam a Divo Petro Antiochenam Sedem, sed doctrinam Evangelicam intelligeret. Etcur ergo Ecclesia Antiochenæ nomen usurpat, & non potius Jerosolymitanæ, aut Romanæ: immo cur solius Cathedræ vocem, absque ullius urbis nomenclatione non adhibet, si per Cathedram intelligit doctrinam Evangelicam? Ergone Antiochiæ tantum prædicavit Evangelium Petrus, & non potius primum Jerosolymis; ac tandem Romæ, ubi illud proprio sanguine consecravit, ibique Sedem fixit omnium Principem, & totius Ecclesiæ Matrem, & Magistram? Sed & Romanam quoque Petri Cathedram annua Festivitate colit Ecclesia: ut quid autem necesse erat distinctis nominibus Cathedræ Antiochenæ, & Romanæ Festum instituere, si doctrinam Evangelicam, quæ una eademque est ubivis gentium, se hoc titulo venerari profiteretur? Resellit istud Richerii commentum ipsa hujus solemnitatis institutio, quam eleganter exponit Sanctus Augustinus, cujus sermonem hac de re editum Ecclesia in Matutinis horis recitare solet: [1] *Institutio solemnitatis hodiernæ*, inquit, *a Senioribus nostris Cathedræ nomen accepit; ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatûs Cathedram suscepisse refeatur.* Non ex sua tantum, sed & ex veterum sententia se loqui profitetur Augustinus; causamque hujus institutionis eam affert, quod Petrus hac die Episcopatus Cathedram susceperit. Tum deinde hunc sacrum ritum commendat, ejusque condendi congruam rationem expendit: *Recte ergo Ecclesiæ Natalem Sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit: & ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastica ædificii altitudo consurgit.* Ad unum Petrum Ecclesiæ fundamentum refert Augustinus quidquid Ecclesia in ipsius honorem hac sacra cæremonia constituit, neque ullam Evangelicæ doctrinæ mentionem facit, sed de Sacerdotali Petri Cathedra ejusdem ritus institutionem interpretatur: *Quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur, Sacerdotale honoratur officium. Sibi hoc Ecclesiæ invicem præ-*

stant;

[1] Richerius lib. 3. Defen. cap. 5. num. 16.

[1] S. Augustinus ser. 15. de Sanctis.

stant; quia tanto necesse plus habet Ecclesia dignitatis, quanto Sacerdotale officium plus honoris. Quamvis autem unus Augustinus sufficiat, qui a *Senioribus* sententiam suam se accepisse fatetur; ut proinde non hujus, aut alterius sensus sit, sed veterum traditio; lubet tamen etiam aliorum suffragiis eamdem veritatem munire. Cyprianus *in lib. de Unit. Eccles.* relatus 24. *q.* 1. *Can. loquitur*, Cathedræ nomine, non doctrinam Evangelicam, sed Sancti Petri Episcopatum intelligit: (1) *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur: & Pastores omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur*. Sic etiam Chrysostomus hom. laudata, & Hieronymus *de Scriptor. Eccles.* in Petro, *Cathedram Sacerdotalem* appellant. Si vero causam institutionis istius Festi vestigare velimus, inde ea nascitur, quod a priscis temporibus laudabilis in Ecclesia illa viguit consuetudo, ut dies anniversaria ageretur, qua quis alicui Sedi præfectus esset Episcopus. Id enim tam in Occidentali, quam in Orientali Ecclesia observatum plura docent exempla, quorum aliqua refert Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, & ex eo Bollandus ad diem 18. Januarii. Hac itidem ratione Ecclesia eas dies solemniter agere consuevit, quibus Antiochenæ, & Romanæ Cathedræ natalis celebratur, quando nimirum S. Petrus Antiochiæ primum, dein Romæ divino consilio sedere cœpit, translata illuc Sede, quam septem annos tenuit Antiochiæ. Hæc igitur præcipua est causa, cur Ecclesia celebrat Festum Cathedræ Divi Petri, non ea, quam Richerius comminiscitur. Interdum quidem Cathedræ nomen etiam in Sacris Scripturis, & apud Patres doctrinam sonat; interdum vero potestatem designat; veluti cum in Psalmo dicitur: *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra Seniorum laudent eum*: quæ verba de Cathedra Episcopatus Sancti Petri exponit D. Augustinus. Verum quia Petri Cathedra utrumque complectitur, doctrinam scilicet Evangelicam, & potestatem Ecclesiasticam; idcirco Sancti Patres nunc unam, nunc alteram commendant; ut videre est apud Chrysostomum *hom.* 86. Unde Sanctus Optatus *lib.* 2. *cont. Parmenianum*, ait, Sedem Petri solam esse, & singularem Cathedram, a qua totus Mundus doceri debeat.

III. Cum ex nuper discussis exploratum sit, Antiochenam Sedem a D. Petro fuisse fundatam, merito inquiri solet, cur illa inter Patriarchicas Sedes jam a priscis temporibus tertium dumtaxat locum infra Alexandrinam obtinuerit? Quæstionem hanc sibi proposuit Eminentissimus Cardinalis Baronius, eamque ita resolvit. (1) „ Quantumlibet a „ Petro Antiochena Ecclesia ante „ Alexandrinam fuerit instituta; tamen quia Præfectura Alexandrina „ Augustalis dicta, ab Augusto eo „ nomine insignita, magnificentissime præ ceteris ab eodem fuerat „ nobilitata, longe præstabat Syriæ „ Præfecturæ; ea de causa factum „ apparet, ut quamvis Sedes Antiochena ante Alexandrinam a Marco nomine Petri erectam, fuerit „ instituta, tamen illi postposita habeatur. Sic etiam quoniam inter „ omnes Orientales Præfecturas Syriæ Proconsulatus præstabat, cum „ ejus Provinciæ Metropolis esset „ Antiochia: inde etiam accidit, ut „ prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur . . . . Majores enim „ in instituendis Sedibus Ecclesiarum non

(1) S. Cyprianus lib. de Unit. Eccles.

(1) Baronius Tom. 1. ad ann. 36.

„ non aliam inierunt rationem, quam „ secundum Provinciarum divisio- „ nem, & prærogativas a Romanis „ antea institutas. „ Huic sententiæ calculum suum adjiciunt omnes fere eruditi. Ecclesia etenim uti in Metropolibus, ita & in Patriarchicis Sedibus disponendis, urbes illas præ aliis selegit, quæ in civili Præfectura ceteris præstabant. Cumque post Romam Imperii Caput, Alexandria omnibus esset illustrior, ejusque Præfectura Augustalis Syriæ Præfecturæ antecelleret, congruum visum est, ut etiam Ecclesiasticus Alexandriæ Thronus Antiocheno præiret.

IV. Quam late paterent Patriarchatus Antiocheni limites, ex antiqua Imperii Notitia dignosci potest. Quæ enim Comiti Orientis Provinciæ parebant, eædem suberant Patriarchæ Antiocheno, ejusque Dioecesim Ecclesiasticam constituebant. Quindecim illæ recensentur: *Palæstina*, *Phœnice*, *Syria*, *Cilicia*, *Cyprus*, *Arabia*, *Isauria*, *Palæstina salutaris*, *Palæstina secunda*, *Phœnice Libani*, *Euphratensis*, *Syria salutaris*, *Osrhoëna*, *Mesopotamia*, *Cilicia secunda*. Ex his tamen Cyprus postea decreto Ephesinæ Synodi e Patriarchatu Antiocheno abstracta proprii juris evasit, ut alibi demonstratum est. Tres itidem Palæstinæ novam Patriarchatus Jerosolymitani Dioecesim composuerunt, quas sibi usurpaverat Juvenalis fretus auctoritate Theodosii Junioris, sed non citra controversiam; quo ad usque Concilii Chalcedonensis Statuto, pace inter Antiochenum, & Jerosolymitanum firmata, eas tuto possederit. Hinc est quod Joannes Antiochenus Patriarcha in epistola ad Proclum C. P. relata *in Synodico adversus Tragœdiam Irenæi cap.* 197. enumerans omnes suæ Dioecesis Provincias, in quibus Nicænam fidem jam fuisse receptam commemorat, undecim dumtaxat recenset, videlicet duas Syrias, Paraliam, seu Phœniciam Maritimam, Phœniciam secundam, duas Cilicias, Arabiam, Mesopotamiam, Osrhoënam, Euphratesiam, & Isauriam. Latius protraxit Antiocheni Patriarchatus limites Nilus Doxapatrius: Antiochenus in- „ quit, possidebat universam Asiam, „ & Orientem, Indiamque ipsam, „ in quam ad hæc usque tempora „ Catholicum ordinans mittit Ro- „ mogyreos vocatum; & Persiam, „ & Babylonem, cui nunc nomen „ Bagda est. Eo etiam mittebat An- „ tiochenus Catholicum in urbem „ Irenupolim, Irenupoleos dictum; „ & Armenias, & Abasgiam, & Ibe- „ riam, & Mediam, & Chaldæam, „ & Parthiam, & Elamitas, & Me- „ sopotamiam. Habet itaque Metro- „ poles tredecim.

1. *Tyri*, *quæ sub se habet Episcopatus xiii.*
2. *Tarsi*, *quæ sub se habet Episcopatus vi.*
3. *Edessæ*, *quæ sub se habet Episcopatus xi.*
4. *Apameæ*, *quæ sub se habet Episcopatus vii.*
5. *Hierapoleos*, *quæ sub se habet Episcopatus ix.*
6. *Bostri*, *quæ sub se habet Episcopatus xx.*
7. *Azarbi*, *quæ sub se habet Episcopatus ix.*
8. *Seleuciæ Isauriæ*, *quæ sub se habet Episcopatus xxiv.*
9. *Damasci*, *quæ sub se habet Episcopatus xi.*
10. *Amidæ*, *quæ sub se habet Episcopatus viii.*
11. *Sergiopolis*, *quæ sub se habet Episcopatus v.*
12. *Daras*, *quæ sub se habet Episcopatus x.*
13. *Emesæ*, *quæ sub se habet Episcopatus iv.*

„ Ha-

„ Habet præterea & alias Metropoles, quæ sub se nullos habent „ Episcopatus; aliis Metropolitanis „ obnoxiæ, in dignitatem Metropolitanam provectæ sunt, decretumque ne aliis Metropolitanis subderentur, sed tantummodo Patriarchæ Antiocheno: & quemadmodum ubique Metropoles per se caput essent, & quod ante erant Episcopatus, nullos sub se habent Episcopos, quemadmodum antiquæ „ Metropoles: & sunt numero octo.

1. Beryti.	2. Heliapolis, quæ ex Throno Damasci (excisa est.
3. Laodiceæ.	4. Samosatorum.
5. Martyropolis.	6. Mopsuestæ.
7. Adane.	8. Pompejupoleos.

Adhuc etiam Antiochenus habet ingentes Archiepiscopatus octo.

1. Berroëam.	2. Chalcedonem.
3. Agaballam.	4. Seleuciam Pieriæ.
5. Anasartham.	6. Palton.
7. Gabulam.	8. Balaamam.

Præter hos habet & alios Archiepiscopatus tenues, & liberos quinque.

1. Salamiam.	2. Berchum.
3. Rhason.	4. Agathem.
5. Barchusorum.	

„ Et hæ Ecclesiæ omnes Throno Antiocheno subduntur, quod „ plures Provincias, & civitates, ut „ jam diximus, sub se contineret. „ Namque præter Babylonem, & Indiam, & Persiam, habet etiam „ Cœlesyriæ Provinciam primam, in „ qua Antiochia sita est, & secundam, & Ciliciam, & Isauriam, „ quæ & Euphratesia Provincia est, „ & Hagiupoleos, & Theodoriadis, „ Osrhoëne, Mesopotamiæ, sive quartam Armeniam, & confinia loca, „ & terminos Syriæ, & Persiæ, nec „ non & alias Provincias diversas, „ & regiones admodum multas. Illiusque dominium diffundebatur „ usque ad Chalcedonem, quæ adversa est Byzantio, nunc Constantinopoli, in Propontide sitæ, in „ qua, quod dicitur Damalium, cernitur. Ibi enim Damalis bucula „ e marmore super columnam stabat. Hæc itaque omnia Antiochenus possidebat. „

V. Ita Nilus Doxapatrius, in cujus Notitia enucleanda oportet, ut parumper immoremur. Primum inter Provincias Antiocheno obnoxias collocat Asiam universam: quod tamen de Asia Minore falsum est; hæc siquidem ad Exarchum Ephesinum pertinebat, postea Patriarchæ CP. cessit. Arbitror idcirco Nilum Doxapatrium præcipue de Asia majore esse intelligendum, in quam late jura sua extendebat. Nam ut observat eruditissimus Thomassinus, Antiochenus (1) Patriarcha non plures complexus videbatur, quam quindecim

(1) Thomassinus de Vet. & Nova Eccl. Discip. P. 1. lib. 1. c. 16. §. 7.

cim Orientis Provincias, quæ Antiochiam propius circumstabant. Sed lapsu temporis concessisse in ejus jura reliquas Asiæ partes compertum est. Primaria & princeps fuerat Antiochia, non quindecim tantum minuscularum Orientis strictius sumpti Provinciarum, sed omnium prorsus qua latissime patet Asiæ regionum. Regia fuerat Imperii Græcorum in Asia, perinde ut Alexandria in Africa. Nemo nescit politiam Ecclesiasticam ad civilem in compluribus fuisse contemperatam. Denique perquam simile veri est, a Patriarchis Alexandriæ, & Antiochiæ missos primum esse verbi divini Præcones, qui extremas Asiæ, Africæque Provincias cœlesti Evangelii lumine perfunderent; adeoque penes ipsos residere debuisse jus summum in illas Ecclesias suis auspiciis conditas. *Canones Arabici* 33. 34. & 35. novum ad hæc ipsa argumentum suppeditant. Ex illis quippe conspicuum est, Catholicum, seu Primatem Seleuciæ, non secus ac Archiepiscopos omnes ejus imperio subditos, Antiocheno Patriarchæ paruisse. Jacobus de Vitriaco *Historiæ Orientis cap.* 32. ejusdem potestati subjicit Catholicum Bazeacensem, qui idem non immerito videtur esse, ac Seleuciensis: & Catholicum Persidis, aut Romagyriæ, qui Armeniorum Catholicus ab aliis dicitur. Hi duo Catholici seu Primates bene multis Archiepiscopis Episcopisque præsunt, quorum Provinciæ per totam Asiam, & ultra Gangem etiam protenduntur. In confesso ergo est, a tempore saltem Arabicorum Canonum, hoc est ab annis octingentis nongentisve, Patriarcham Antiochenum omnium Asiæ latius sumptæ Ecclesiarum Principem Pastoremque summum habitum fuisse. Hæc Thomassinus. Eas regiones initio suæ Notitiæ singillatim expressit Nilus Doxapatrius, nempe Asiam universam, Orientem, Indiam, Persidem, Babylonem, seu Bagdam, Armenias, Abasgiam, Iberiam, Mediam, Chaldæam, Parthiam, Elamitas, & Mesopotamiam.

VI. Indiam, quam Antiocheno subjecit Nilus Doxapatrius, Christi fide instruxerat Sanctus Thomas Apostolus. In hoc siquidem omnes Scriptores Ecclesiastici conveniunt, Sanctum Thomam in Indiis Evangelium prædicasse, ibique Martyrem occubuisse: quod præ ceteris tradunt, Gregorius Nazianzenus *Orat. cont. Arrianos*: Chrysostomus *hom.* 2. *in cap.* 2. *Matth.* Rufinus *lib.* 11. *Hist. Eccles. c.* 5. & Gregorius Turonensis *lib. de Gloria Martyrum cap.* 32. Neque Indos dumtaxat, sed etiam Parthos, Persas, Medos, & Brachmanas Indiæ populos a Sancto Thoma ad Christi fidem conversos fuisse referunt, Origenes *Comment.* 3. *in Genesim*: Eusebius *lib.* 3. *Histor. Eccles. cap.* 1. & Theodoretus *de Verit. Evang. lib.* 9. Eum Calaminæ Indiarum urbe juxta crucem lancea perfossum fuisse, & Martyrio coronatum, scribit Sophronius. Quæ tamen fuerit ea civitas incompertum est. Lucas Holstenius *in Notis ad Geographiam Sacram Caroli a Sancto Paulo ad pagin.* 267. *num.* 6. prodit, superioris seculi navigationibus compertum fuisse, Sanctum Thomam non in Parthia solum, & exteriori India; sed in intima ultra Taprobanam Evangelium prædicasse, ubi Corpus ejus in Malapur oppido ad Gangeticum sinum repertum fuit. Et vero Sanctissimum Apostolum ita ad Indias penetrasse, ut non modo ad Brachmanas, sed ad Insulam Taprobanam pervenerit, femina ibidem jaciens Christianæ Religionis, testatur Nicephorus *lib.* 2. *Hist. c.* 4. In primaria istius regionis, aut Brachmanorum

Re-

Regni urbe, olim Calamina, postmodum Maliapur dicta, repertum fuisse Corpus Sancti Thomæ, unde civitas illa a Lusitanis Sancti Thomæ appellari cœpit, testatur Historia Inventionis Corporis ejusdem Apostoli, quod inde a Lusitanis Goam translatum fuit. Auctor ejus Historiæ est Hieronymus Osorius Silvensis Episcopus, qui res Indicas optime novit, ac fidelissime scriptis prosequutus est; cujus insigne fragmentum retulit Baronius *Tom. 1. Annal. ad annum 57. num. 115.* ut cruci cultus exhibiti antiquitatem demonstret. Calaminæ urbis nomen veteribus ignotum fuit: verumtamen recentes Geographi eamdem esse volunt ac *Maliapur* in regione Caromandelis in ora sinus Gangetici sitam. Porro Caromandela regio est Indiæ, in Regno Bisingaris juxta sinum Gangeticum, versus Narsingam, & Negapatanum, ex adverso Taprobanæ Insulæ, ut observat Michaël Antonius Baudrand; qui & addit, urbem Maliapur distare a Taprobana 200. circiter milliaribus in Boream. Hæc civitas nunc a Lusitanis vocatur Sancti Thomæ, quod ibi Apostolus iste Martyrio coronatus sit in loco *Calbermina* dicto a Malabaribus, teste Athanasio Kirchero. Hinc fortassis corrupto vocabulo Calaminæ nomen derivatum est. Sed de his infra *Par. 3.*

VII. Sed ad incepta redeo, & propagatam fateor in Indiis Christianam Religionem a Sancto Thoma Apostolo; sicuti etiam ejus opera, Parthos, Persas, Medos, aliasque Nationes finitimas, Christi Evangelium suscepisse. Verum, quod rebus humanis plerumque accidit, hominum malitia, ac Dæmonis fraude, bene cœpta postmodum in deterius ruere, jacta in illis Regionibus rectæ fidei semina, vetere Gentilitatis superstitione paulatim extincta fuerunt. Secutis temporibus ex Oriente in universam prope Asiam directi sunt, qui novas fundarent Ecclesias; sed eorum aliqui Euthychiana, alii Nestoriana lue polluti, non tam fidem, quam errores suos in vastissimis illis regionibus sparserunt. Eas vero Antiocheno subjicit Nilus Doxapatrius, quia vel ipse, vel alii Metropolitæ ei obnoxii Ecclesias ibi erexerunt. Quotquot namque in Armenia, in Perside, Babylone, Seleuciæ, aut in aliis Asiæ partibus sunt Metropolitæ, seu Primates, quos ipsi Catholicos vocant, olim ab Antiocheno Patriarcha pendebant; vel potius e ruinis, & quasi ruderibus Patriarchatus Antiocheni, & Jerosolymitani emerserunt. Ejusmodi sunt Maronitarum, Jacobitarum Armenorum, Seleuciæ, Babylonis, & Mosulensium Catholici, seu Patriarchæ. Maronitæ Libani Montis incolæ a Marone Monothelitarum hæreseos parente sectam consequuti, peculiarem habent Patriarcham. Ii tamen ejuratis erroribus pristinis coram Aimerico, qui Latinorum tertius Patriarchatum Antiochenum administrabat, *ad Ecclesiam rediere Catholicam una cum Patriarcha suo, & Episcopis nonnullis.* Id testatur Willelmus Tyri Archiepiscopus *lib. 22. cap.* 8. quod etiam confirmat Jacobus de Vitriaco: unde illorum Patriarcha affuit Lateranensi IV. Concilio sub Innocentio III. A Maronitis numero quadraginta millibus frequentari montem Libani ferunt. Sunt præterea & alii ejusdem gentis homines plurimi, qui Aleppi, Damasci, aliisque Syriæ locis commorantur. Sedem plerumque suam habet Patriarcha apud Cœnobium, quod est rupi pæne insitum; & semel vitæ suæ tempore plenissimas largitur Indulgentias, ex peculiari privilegio sibi suisque Successoribus a Paulo V.

lo V. concesso. Sunt & quidam ejusdem Gentis Episcopi, itemque Archiepiscopus, qui urbem Heden habitat.

VIII. A Jacobo Syro, qui sub Anastasii Principatu insanam Euthychetis hæresim per totam Asiam sparsit, Jacobitæ sunt dicti: qua lue infecti Africæ etiam magnam partem polluerunt, adeout quadraginta & amplius Regna hac peste fedata fuisse, affirmet Jacobus de Vitriaco *lib.* 1. *Histor. Jerosolym. c.* 75. De Jacobitis tantum agimus in Asia degentibus, ubi suum Patriarcham colunt nomine tenus Antiochenum, cui obtemperant Metropolitani, seu Archiepiscopi complures, atque in iis præcipui censentur Jerosolymitanus, Mosulensis, Damascenus, Edessenus, & Cyprius. Antiqua Patriarchæ Sedes fuit Monasterium Saphram; sed nunc translata est in urbem Caramit. Habent & Aleppi Episcopum, qui & ipse Patriarcha vult appellari. Plures Jacobitæ possident Ecclesias in Asia, Assyria præsertim, Mesopotamia, & Diarbeka. De his Spondanus ad annum 1577.

IX. Armeni quoque inter Euthychianos recensentur a Photio *epistola* 2. Ipsorum Catholicus, seu Patriarcha omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Persidis, & utriusque Armeniæ Princeps, & Doctor appellatur a Willelmo Tyrio *lib.* 15. *cap.* 18. (1) *Catholici*, idest universalis nomen ipsi ab Armenis inditum, propterea quod mille, & amplius Episcopis imperaret, observat Otho Frisingensis Episcopus *lib.* 7. *cap.* 32. Eugenio III. in Petri Cathedra sedente, Armenorum Catholicus, ejusque Episcopi, missa in Italiam Legatione, eidem Pontifici, & Ecclesiæ Catholicæ conciliati sunt, ejuratis pristinis erroribus. Innovata deinceps, confirmataque fuit illa unio sub Cœlestino III. Innocentio pariter III. & Gregorio IX. Postremus hic Legatis in Armeniam directis, deterruit Patriarcham Armenorum, ne ab Antiocheni fide, & obedientia deflecteret. Coluerunt deinceps Armeni concordiam cum Clemente IV. Joanne XXII. Benedicto XII. & Clemente VI. Tandem novum fedus inierunt cum Ecclesia Romana sub Eugenio IV. in Concilio Florentino, ubi conditum fuit decretum pro Instructione Armenorum. Sed nunc magna Armeniæ pars in antiquis erroribus volutatur: soli in Catholica fide perseverant Franc-Armeni, hoc est Christiani Occidentales. Firmitatem, & incrementum ii debent Fratribus Ordinis Prædicatorum: eo siquidem a Romano Pontifice missus P. Bonaventura Parvus Bononiensis Provinciæ utriusque Lombardiæ, & Dominicani Ordinis egregium lumen, ibique Archiepiscopus ordinatus, complures in ea regione Ecclesias, & non pauca ejusdem Ordinis Monasteria ædificavit. (1) Post ejus obitum, ad hanc usque diem eo deductæ Dominicanorum coloniæ gentem illam concordia, & animorum conjunctione cum Romana Ecclesia devinctam tenent. Majorum exemplum æmulantes optimi filii, & Provinciæ Lombardiæ præsertim, hac etiam nostra ætate ad Apostolicum munus obeundum in Armeniam, & Persidem se contulerunt, ut populos jam Catholica Fide imbutos corroborent, Schismaticos vero ad unitatem reducant; nec sine vitæ discrimine. Naxiva, seu Naixeran, urbs Armeniæ, jam ab aliquot seculis Sedes est Archiepiscopi, qui semper ex Ordine Prædicatorum assumitur, ibique in Monaste-

(1) Baronius, & Spondanus ad ann. 1170. Rainaldus 1238. 1318. 1341. & 1351.

(1) Spondanus ann. 1318.

sterio sui Ordinis commoratur. Naxivanus proprius est Catholicorum Antistes. Hæretici, & Schismatici suos & ipsi Primates habent, quos Catholicos nominant. Procopius *lib. 2. de Bello Persico*, suo jam ævo usitatum fuisse Catholici nomen indicat, ubi asserit, Persas qui Christo nomen dederant uni subesse Episcopo, quem Catholicum vocabant. Eodem nomine Canones Arabici donant Seleuciæ Metropolitam, eumque Antiocheno Patriarchæ fuisse addictum affirmant, e cujus tamen imperio postea se subduxerit ob locorum distantiam. Addunt nihilominus id primo factum consensu Antiocheni, a quo Seleuciensis obtinuit, ut in posterum Archiepiscopos ordinaret. Seleuciæ Patriarcham ab illo Persarum distinguit Jacobus de Vitriaco *in lib. Hist. Orient. c.* 23. Ceterum Otho Frisingensis, & Marcus Polus Venetus in suo Itinerario, unum indicare videntur, licet nunc certum sit, duos esse: quorum ille Persarum Sedem habet apud Arad urbem Armeniæ, tametsi plerumque degat in Monasterio, cui nomen *Ermeazim*: Seleuciensis vero in Civitate Caramaniæ *Cis* dicta. Difficile creditu videtur, quod tradit Otho Frisingensis, supra mille Episcopos Armenorum subijci Patriarchæ. Nunc certe ille, qui apud *Ermeazim* habitat, ducentis præesse Episcopis creditur: alter autem qui apud *Cis* sedet, non amplius quam quinquaginta. Neuter illorum pendet a Patriarcha Antiocheno, cum Episcopus Armenus Constantinopoli degens, sibique nomen arrogans Patriarchæ pareat ei, qui Ermeazin commoratur: sicuti ex adverso quicumque Armenorum Jerosolymas, aut Aleppum incolunt, Patriarcham *Cis* venerantur. Sed de Armenorum Ecclesiis postea *Par.* 3.

X. Babylonis Patriarcha omnibus imperitabat Nestorianis, qui Ecclesias suæ sectæ propagaverant ad Indiam usque, Persidem, & Tartariam. Hos quoque commemorat Jacobus de Vitriaco *lib. 2. Hist. Jer. cap.* 76. itemque Marcus Polus Venetus, qui annis septemdecim Tartariam lustravit, plurimas esse affirmat Nestorianorum Ecclesias in Tartarorum, & Mogulorum Regnis; multas in ipso Sinarum Imperio; immo & in ipsa Sinarum Regia *Quinsajo*. Eorum Patriarcha apud *Mosul* ad Tigrim Sedem fixerat, indeque Archiepiscopos, & Episcopos dirigebat in Provinciam Babyloniam, & in omnes Indias. Quo pacto in vastissimis illis Regionibus Nestoriana lues longe lateque grassata est. Quisquis plura de his scire cupit, consulat Masseum, Osorium, ceterosque recentium in Indias Navigationum Scriptores, sicuti & Bzovium *ad annum* 1330. Existimat Ludovicus Thomassinus *de Vet. & Nov. Eccles. Discip. P.* 1. *lib.* 1. *cap.* 24. §. 9. Patriarcham Mosulensem, Babylonium, & Seleuciensem, unum eumdemque prorsus esse: ita enim statuunt in vetustæ Babylonis gloriam, & potestatem successisse Seleuciam, licet aliis visum sit, illam in ipsis antiquæ Ninives ruinis excitatam esse. Subdit idem Auctor, trecenta millia admodum Familiarum Nestorianorum in Asia reperiri, qui Chaldæi etiam in Oriente appellantur: octoginta autem millia Familiarum Euthychianorum seu Jacobitarum. Christiani Malabarenses, qui & Sancti Thomæ dicuntur, Nestorianum Patriarcham colebant, antequam eo sese conferrent Apostolici Prædicatores, totamque regionem illam in Ecclesiæ Catholicæ sinum revocassent. Primus Seleucensium Patriarcharum, qui in Ecclesiæ Romanæ fidem unitatemque se recepit, fuit

fuit Simon Sulacha Ordinis Sancti Pachomii. Is Romam adiit sub Julio III. abdicatisque erroribus, a Pontifice confirmatus fuit, & Pallio insignitus. Successor ejus Abdiesu ejusdem Ordinis Monachus, a Pio IV. & ipse confirmatus Concilio Tridentino interfuit. Quia tamen non omnes Nestoriani, seu Chaldæi huic cum Romana Ecclesia unioni consenserant, in duas scissa fuit Sedes Patriarchatus Mosulensis, seu Seleuciensis, Nestorianorum Patriarchâ a veteri Sede Mosulensi nequaquam recedente, cum interim alter Catholicorum, qui Adiesu successerat, Amedo, sive Charemedo, Zeinalbecum in confinio Persidis suam transtulisset. Verum cum is, tum ejus successores ob ignaviam, & supinitatem, Nestorianorum Patriarchæ ansam dederunt, ut rursus in illis regionibus late dominaretur. Hæc fuse persequitur Abraham Bzovius *in suis Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 1330.

XI. Idem Auctor Georgianorum meminit; quæ gens Persis finitima est, bellis victoriisque clara a Sancto Georgio Martyre, quem Patronum in prœliis invocat, nomen adepta. Græcorum moribus, ac doctrinæ student, tametsi ipsorum Archiepiscopus nulli Patriarchæ, aut Primati obtemperet. Olim tamen cum Antiocheno fuisse obnoxium, refert Vincentius Bellovacensis *in Spec. Hist. lib.* 30. *cap.* 96. & ex eo Rainaldus *ad ann.* 1496. *num.* 21. & cum diuturnis bellis interclusa esset eum adeundi facultas, Georgianus Archiepiscopus jugum excussit, obtinuitque ab Antiocheno, ut deinceps liberum esset populis suum sibi Catholicum creare, cui subessent Episcopi duodeviginti; tot namque apud Georgianos extare Episcopos Catholico subditos, testatur Bellovacensis laudatus. Tradit Rainaldus, a Constantino Georgianorum Rege ann. 1496. unum ex Monachis Sancti Basilii missum ad Alexandrum VI. qui obedientiam nomine totius gentis sponderet, atque subscriberet Ecclesiarum concordiæ in Concilio Florentino sancitæ.

XII. Quæ hucusque expendimus, apprime illustrant Notitiam Patriarchatus Antiocheni a Nilo Doxapatrio concinnatam, ostenduntque quam late sese in Orientem, Asiamque effuderit Antiocheni Episcopi auctoritas, cujus surculi quidam & veluti segmenta fuerunt tot Catholici, seu Primates nuper recensiti:

Huic adnectimus alteram Guillelmi Tyri.

Hæc est ordinatio sub Apostolica Sede Antiochiæ Catholicorum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Episcoporum.

Catholicus Irinopolis, quæ est Baldach. Catholicus Ani, qui est Persidis.

Sedes prima Tyrus. Sub hac Sede sunt Episcopatus XIII.

Porphyreon.	Archis.
Ptolemais.	Sidon.
Sarepta.	Biblium.
Botrion.	Orthosia.
Arados.	Antarados.
Paneas.	Aracli.
Tripolis.	

Se-

Sedes Secunda Tarsus. Sub hac Sede sunt Episcopatus V.

Sebasti. Thina. Pademdes. Mallos. Coridos.

Sedes Tertia Edessa. Sub hac Sede sunt Episcopatus X.

Verchi. Garron. Vanon. Ymeria. Tapsaron. Constantia. Marcopolis. Gedaron. Querquensia. Callinicos.

Sedes Quarta Apamia. Sub hac Sede sunt Episcopatus VII.

Epiphania. Larissa. Mariam. Arethusa. Seleucovila. Valannea. Raphania.

Sedes Quinta Hierapolis. Sub hac Sede sunt Episcopatus VIII.

Zeuma. Varnalis. Perri. Dolichi. Surron. Neocæsarea. Orymon. Europi.

Sedes Sexta Bostra. Sub hac Sede sunt Episcopatus XIX.

Gerason. Adraon. Austanidon. Zoroyma. Yceni. Constantia. Dionysia. Maximopolis. Christopolis. Lorea. Philadelphia. Mydanon. Delmundon. Herri. Eucuni. Paramboli. Conoathon. Philippopolis. Neylon.

Sedes Septima Anavarza. Sub hac Sede sunt Episcopatus IX.

Epiphania. Irinopolis. Flavias. * *Castavali*. Sysyn. Alexandros. Cambrisopolis. Rossos. Eguas.

* Castravali.

Sedes Octava Seleucia. Sub hac Sede sunt Episcopatus XXIV.

Claudiopolis.	Diocæsarea.
Oropi.	Dalisandos.
Sevila.	Kelenderis.
Anemori.	Titopolis.
Lamos.	Antiochia parva.
Hefelia.	Riftria.
Selenunta.	Yocopi.
Philadelphia parva.	Irinopolis.
Germanicopolis.	Mobsea.
Domeciopolis.	Abidi.
Zinonopolis.	Adrasson.
Mynu.	Neapolis.

Sedes Nona Damascus. Sub hac Sede sunt Episcopatus X.

Albi.	Malmipon.
Laodicia.	Suria, seu Zuria.
Konokora.	Yabruda.
Danabi.	Karacena.
Hardani.	Surraquini.

Sedes Decima Amida. Sub hac Sede sunt Episcopatus VII.

Yniloi.	Valentini.
Arsamosata.	Sophym.
Kicaris.	Ripha.
Zemus.	

Sedes Undecima Sergiopolis. Sub hac Sede Sunt Episcopatus IV.

Bozonovias.	Marcopolis.
Venotkala.	Ermenia.

Sedes Duodecima Theodosiopolis. Sub hac Sede sunt Episcopatus VII.

Orthros.	Mazinimi.
Maurocastron.	Aziamaria.
Axirri.	Carosa.
Politimos.	

Sedes Tertiadecima Emisa. Sub hac Sede sunt Episcopatus IV.

Arqui.	Orison.
Herigeni.	Oragison.

Me-

Metropolitani per se subsistentes VIII.

Deritus.	Heliopolis.
Laodicia.	Samosata.
Kyros.	Pompejopolis.
Mopsuestia.	Adana.

Archiepiscopi XII.

Verea.	Kalquis.
Gabula.	Seleucia.
Pyperia.	Anasarphon.
Paltos.	Germanicia.
Salamias.	Varcossos.
Fossos.	Anaugathon.

XIII. Eadem, quæ Patriarchis ceteris, jura Antiocheno tribuit Synodus CP. & II. Oecumenica, dum statuit: (1) *Et Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt.* Porro Privilegia, quæ a Sacro Concilio Nicæno Antiochenæ Sedi asseruntur, seu potius confirmantur, sunt jura Patriarchica, quorum primum est jus ordinandi Metropolitas, & Episcopos suæ Diœcesis, de quo agit Innocentius I. *in epistola* 18. *ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum*. Eam auctoritatem, cum Juvenalis Jerosolymitanus sibi usurpasset in Palæstinas, Phœniciam, & Arabiam, harum Provinciarum Episcopi, uti & ceteri Orientales graviter conquesti sunt in litteris ex Concilio Chalcedonensi ad Marcianum Augustum datis; quod jus illud esset Antiocheno proprium. Ob eamdem causam Jerosolymitani ambitum redarguunt, Sanctus Hieronymus in Epistola contra Joannem Jerosolymitanum, & Theodoretus *epist.* 79. ad Anatolium, & *epist.* 80. ad Eutrechium. Quod de Ordinationibus diximus, de jure quoque congregandi Episcopos Diœcesis Orientalis ad Synodum, asserendum est. Joannem siquidem Antiochenum post latam ab Ephesino Concilio sententiam adversus Nestorium, ex Episcopis suæ Diœcesis Synodum coëgisse, indicat Evagrius *lib.* 1. *c.* 5. & clare demonstrant Acta Latrocinii Ephesini, relata post Act. 1. Synodi Ephesinæ Oecumenicæ. Extat quoque Act. 14. Synodi Chalcedonensis Antiochenum Concilium sub Domno, cui plerique Diœceseos Orientis Metropolitani interfuerunt. Ex hoc insuper Concilio Antiocheno discimus, majores causas in Diœcesi illa emergentes ad Patriarcham referri consuevisse. Cum enim Athanasius Perrhensis Episcopus a suis Clericis accusatus esset apud Panolbium Hierapolitanum Euphratesiæ Metropolitam, ejusque judicium ille aufugisset, causa ad Domnum Antiochenum relata est, a quo Athanasius multorum criminum reus judicatus, & Sede motus fuit. Quia vero Athanasius ad Cyrillum Alexandrinum, & Proclum CP. confugerat, non ut Episcopi An-

(1) II. Synodus Oecumen Can. 2.

Antiocheni, sed ut Metropolitani judicium declinaret; ac tandem res ad Concilium Chalcedonense (1) delata esset, Judices Concilii decreverunt, Athanasio quidem ab Episcopatu abstinendum esse, causas vero illatas ei examinandas apud Maximum Antiochiæ Episcopum, & Domni Successorem.

CAPUT VII.

Synopsis.

I. *Post tres Patriarchas primum honoris gradum Jerosolymitano Antistiti dat Nicæna Synodus. Urbs illa a veteribus summo semper honore donata fuit.*

II. *Joannes Jerosolymitanus primum omnium jura Metropolitani Cæsariensis invasit.*

III. *Juvenalis jus Patriarchicum in tres Palæstinas, Phœniciam, & Arabiam sibi usurpat. Lis ei intentatur ab Antiocheno, quæ tandem ita composita fuit, ut Antiocheno Phœnicia, & Arabia restituerentur: Jerosolymitano autem subessent tres Palæstinæ.*

IV. *Hanc conventionem approbarunt Legati S. Leonis in Concilio Chalcedonensi: at ipse Leo primum id minime ratum habuit: postea consensisse videtur.*

V. *Juvenalis posthac jure Patriarchico usus est in tribus Palæstinis. Eodem jure potiti sunt Juvenalis Successores.*

VI. *Fallitur Guillelmus Tyrius, dum putat hunc Patriarchatum a Quinta Synodo institutum. Ea Synodus fines ejus tantum dilatavit, quot descripsit idem Guillelmus Tyrius.*

VII. *Notitia Provinciarum, & Metropoleon Patriarchatus Jerosolymitani.*

VIII. *Aliæ Notitiæ exhibentur a Leone Sapiente, & Nilo Doxapatrio adornatæ. Etiamnum Schismatici, & Hæretici suos habent Patriarchas.*

I. TRibus Patriarchis, quos a priscis temporibus coluit Ecclesia, propior semper fuit gradu Jerosolymitanus, cui propterea quartum dignitatis locum Nicæna Synodus *Can.* 7. (1) firmavit, quem ipsi semper detulerat antiquitas: *Quoniam obtinuit antiqua consuetudo & traditio ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, Metropoli propria dignitate servata.* Magna siquidem reverentia Jerosolymorum Sedem semper prosequuti sunt majores nostri, teste Eusebio *lib.* 7. *Hist. Eccles. c.* 19. quod urbem illam Salvator noster miraculis, prædicatione, ac proprio Sanguine consecraverit: unde Cyrillus ejus Episcopus eam vocat *Metropolim Fidei*: Secunda Synodus Oecumenica in epistola ad Damasum, *Matrem omnium Ecclesiarum*: & Justinus Imperator ad Hormisdam Pontificem, *Matrem Christiani nominis*. Attamen Nicæni Patres nullum jus Patriarchicum Jerosolymorum Sedi

(1) Conc. Chalced. Act. 14.

(1) Concil. Nicæn. can. 7.

di concesserunt, sed Cæsariensi tamquam antiquæ Metropoli subjectam esse voluerunt: *Servata*, inquiunt, *Metropoli propria dignitate*. Verum obtenta semel honoris prærogativa, Jerosolymitanus Antistes etiam Metropolitani dignitatem sibi arrogare tentavit. Accedebat Ecclesiam illam ab Apostolis fuisse fundatam, primumque Episcopum nactam esse Jacobum Apostolum, quemadmodum narrant, Hegesippus apud Eusebium *lib. 2. Hist. Eccles. cap.* 23. Eusebius ipse *lib.* 7. *c.* 19. Chrysostomus *hom.* 87. *in Joannem*, & Hieronymus *de Script. Eccles. in Jacobo*.

II. Primus ex Jerosolymitanis Episcopis, qui jus illud sibi usurparat, quibusdam fuisse videtur Sanctus Cyrillus, eam prætexens causam, quod Sedem illam Apostoli condidissent; quem propterea exauctoratum a Synodo Seleuciæ habita refert Sozomenus: (1) *Quod velut Sedis Apostolicæ Antistes cum Acbacio de jure Metropolitano dissentiret*. Quamquam reipsa ea abdicatio in Arrianorum odium potius rejicienda sit, quibus infensus erat Cyrillus; & potius ab adversariis id ei vitio datum crediderim, quam quod ipse alienum jus invadere tentasset. Arbitror ego hoc vulnus Cæsareensi Metropoli primum illatum a Joanne Jerosolymitano, aut saltem eum insolentius ceteris hanc Sedi suæ prærogativam vindicasse. Id sane criminis ipsi objecit Sanctus Hieronymus, quod adversus Epiphanium furens spreta Cæsarea propria Metropoli, despecto Patriarcha Antiocheno, cui Palæstinæ erant addictæ, contra Nicænos Canones ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum causam suam retulisset: (1) *Quæ hæc est tanta arrogantia non respondere de fide interrogantibus? Tantam Fratrum multitudinem, & Monachorum cohors, qui tibi in Palæstina non communicant, quasi hostes publicos æstimare? . . . . Cur ab alio provocatus respondens aliorsum arma convertis? Palæstinæ interrogaris, & respondes Ægypto . . . Palæstinæ provocatus, Alexandriæ loqueris . . . . Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor hoc tibi ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debueras, cui spreta communione tua, communicare nos noveras: aut si procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed novi cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere: sciebas quid fugeres, quid vitares; maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere*. Quibus verbis Hieronymus indicat, Jerosolymas subesse Cæsareæ tamquam Metropoli totius Palæstinæ; hanc vero Patriarchicæ Sedi Antiochiæ. Nec inficiari hoc potuit Joannes, dum Synodo Diospolitanæ, quæ Pelagii causam ventilare cœpit, ipse quidem interfuit, præfuit tamen Eulogius Cæsareensis Metropolita, ut testis est Sanctus Augustinus *lib.* 1. *cont. Julianum cap.* 5. In ordinandis itidem Episcopis primas obtinebat Cæsareensis: cum enim Porphyrius sanctitate, ac rerum gestarum fama celebris Gazæ Episcopus creatus esset, a Parilio quidem Jerosolymitano Presbyter ordinatus, non nisi tamen a Joanne Cæsareæ Metropolita Episcopus electus, consecratusque fuit.

III. At

(1) Sozomenus lib. 2. cap. 24.

(1) S. Hieronymus cont. Jo: Jerosol. in ep. ad Pammach.

III. At temporis lapsu Jerosolymorum Antistites veteris Sedis suæ gloria, loci sui sanctitate, peregrinorum eo confluentium frequentia elati, ultra præfixos sibi a Nicænis Patribus limites transilire tentarunt. Juvenalis Sedem illam adeptus, primam in Ephesino Concilio litem Antiocheno, & Cæsareensi Episcopo indixit de Patriarchico jure in tres Palæstinas, Phœniciam, & Arabiam, & facile tunc victoriam reportasset, nisi ex adverso stetisset Cyrillus Alexandrinus Nicænorum Canonum vindex, teste Leone Magno *in epist.* 62. ad Maximum Antiochenum data. Sed ille incœpti tenax, quod jure consequi non potuit, potentia Principis impetravit; nempe Theodosii Junioris Rescripto Jerosolymitanæ Sedi tres Palæstinas, duas Phœnicias, & Arabiam subjici curavit. Nihil tamen prætermisit Antiochenus, ut Ecclesiæ suæ jura intacta servaret, impetratis & ipse in ejus favorem Rescriptis a Principe. In longum tempus protracta lis est. Interea Juvenalis ordinationes Episcoporum celebrare non dubitavit: quam Orientis Episcopi injuriam, metu Principis patienter tulerunt, quousque is e vita migraret. Et sane post Theodosii obitum, prima eorum petitio e Synodo Chalcedonensi Marciano Imperatori porrecta hæc fuit: (1) *E nobis quidam a pientissimo Juvenali Jerosolymorum Episcopo olim ordinati fuimus, quamvis pro Canonibus certandum esset, ne videremur gloriæ nostræ causa dolere. Et nunc quoque illius studia, & præstigias tales per Phœniciam secundam, & Arabiam non ignoramus.* Graviores etiam querelas interposuit Maximus Antiochenus, cum apud Imperatorem, tum apud Synodi Patres: quare Juvenalis causæ suæ metuens, post magnam utrinque contentionem, pactum cum Antiocheno iniit, ut ejus Sedi Phœniciæ duæ cum Arabia restituerentur; Jerosolymitana autem Ecclesia tres deinceps Palæstinas possideret. Initum inter utramque partem dissidentem fœdus ipse Maximus Concilii Patribus manifestavit, ab ipsis confirmationem exposcens: (1) *Placuit mihi*, inquit, *& Reverendissimo Juvenali post multam contentionem per consensum, ut Sedes quidem Antiochensium maximæ civitatis Beati Petri habeat duas Phœnicias, & Arabiam; Sedes autem Jerosolymorum habeat tres Palæstinas: & rogamus ex Decreto Magnificentiæ vestræ, & Sancti Concilii, hæc ex scripto confirmare.*

IV. Hanc conventionem Legati Apostolicæ Sedis per Paschasium ceterorum nomine sententiam dicentem approbaverunt his verbis: *Hec concordantibus Fratribus nostris Maximo Reverendissimo Antiochiæ Episcopo, & Juvenale Reverendissimo, & Sanctissimo Jerosolymorum Episcopo pro bono pacis dicta noscuntur, hoc est, ut Antiochensium Ecclesia duas Phœnicias, & Arabiam habeat; Jerosolymorum vero tres Palæstinas possideat. Ad hoc autem & nostræ humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in posterum de hac causa prædictis Ecclesiis contentio relinquatur.* Consenserunt Legatorum sententiæ Concilii Patres; & ne ulla deinceps de hac re controversia umquam oriri posset, Rescripta Principis ab utraque parte prius impetrata gloriosissimi Judices a Marciano Imperatore delegati Synodi Decretum executioni mandarunt, in irritum missis Rescriptis, quæ Jerosolymitanus, & Antiochenus a Theodosio obtinuerant: *Cessantibus*, inquiunt, *secundum jus-sio-*

(1) Epist. Orientalium ad Marcianum Imper.

(1) In Concilio Chalced. Act. 7.

sionem divinissimi, & piissimi Principis omnibus Pragmaticis, & quocumque modo Sacris ab utraque parte litteris impetratis, insuper & mulctatione, quæ hujus rei causa noscitur contineri. Desiderabatur nihilominus, quod in hoc negotio præcipuum erat, nempe ut Sanctus Leo Papa Synodi decretum confirmaret. Quamquam enim assensi essent Legati Sanctæ Sedis *pro bono pacis*, ut scilicet sedaretur diuturna illa contentio: tamen Leo Pontifex universim testatus fuerat, improbari a se quod Chalcedone contra Nicænos Canones quispiam tentasset. Nam cum adhuc Romanæ Ecclesiæ Diaconus esset, apud Cœlestinum Papam Antiochenæ Sedis jura tutatus fuerat, & instante Sancto Cyrillo Patriarcha Alexandrino improbos Juvenalis ausus, & invasionem averterat. Quare quod in minori ministerio privatus egerat, multo magis in summo Romani Pontificatus fastigio positus sui muneris esse existimavit, editum contra Nicæni Concilii Canones Statutum improbare. Hujus rei causa Maximum Antiochenum admonuit, ut Ecclesiæ suæ privilegia intemerata custodiret: *Dignum* (1) *est, te Apostolicæ Sedis in hac sollicitudine consortem, & ad augendam fiduciam privilegia tertiæ Sedis agnoscere, ut in nullo cujusquam ambitione minuantur*. Mox Juvenalis conatus ad obtinendum Provinciæ Palæstinæ Principatum in Ephesina Synodo fractos commemorat, opera & zelo Sancti Cyrilli Alexandrini, cujus litteras hac de re scriptas penes se reperiri testatur. Tandem profitetur, sibi nequaquam probari, quæ a Legatis suis Chalcedone gesta fuerant, cum absque prævia Apostolicæ Sedis instructione, aut licentia pactionibus inter Maximum, & Juvenalem initis assensum præbuerint: *Siquid sane*, ait, *ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis. Quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a Sanctis Patribus apud Nicæam definitum*. At non multo post Sanctus Pontifex ad Juvenalem scripsit, ipsi gratulatus, (1) quod *resipiscentiam magis, quam pertinaciam delegisset*, gavisus insuper eum ad Episcopatus sui Sedem rediisse: *Gavisus quidem sum, quod tibi ad Episcopatus tui Sedem redire licuisset: sed confluentibus in recordationem omnibus causis, quæ te per quosdam excessus laborare fecerunt, dolui adversitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam*.

Tacito tamen consensu videtur Sanctus Leo postmodum admisisse novum Jerosolymitanæ Ecclesiæ Primatum, cui sui Legati assensum, & omnes Concilii Patres calculum suum præbuerant. Nam deinceps nihil ultra scripsit, quo id sibi displicere ostenderet. Ubi tamen cum de novo Patriarchatu Regiæ Urbis Canon 28. editus esset, eum irritum pronunciavit, & cum ipse, tum eius Successores diu, & pro viribus restiterunt. Ceterum post Chalcedonensem Synodum nullus Romanorum Pontificum reperitur, qui Jerosolymitanæ Ecclesiæ Patriarchatum improbaret; quod mihi argumento est ab Apostolica Sede una cum reliquis Concilii Chaldedonensis Actis fuisse confirmatum. Justæ Leoni fube-

(1) S. Leo epist. 62.

(1) Epist. 72.

berant causæ, cur ita res temperaret, atque aliter cum Episcopo Constantinopolitano se gereret, quam cum Jerosolymitano. Inita enim inter Antiochenum, & Jerosolymitanum pacta ab universo Concilio firmata fuerant, ea Legati Sancti Leonis rata habuerant, iisdem votum & auctoritas Principis accesserat. Contra vero pars tantum Concilii, nec sine fraude, Canonem 28. condiderat in gratiam Episcopi Constantinopolitani, insciis, & absentibus ceteris Episcopis: eidem Canoni palam contradixerant Legati Apostolicæ Sedis; idcirco Sanctus Leo semper pro viribus contra eum nisus est. Illud præterea causam Jerosolymitani juvabat, quod ejus Sedes una esset ex Apostolicis, cui spontanea ceterorum Antistitum concessione, & singulari cultu erga locum adorandis Christi vestigiis, & Mysteriorum salutis nostræ consummatione sanctificatum, antiquitas Primatum quemdam saltem honoris contulerat, & Nicæna Synodus roboraverat: nihil proinde mirum, si tandem illi etiam dignitatem, & jura Primatus Synodus Chalcedonensis, & Romana Ecclesia impertiit. Quæ prærogativæ cum deessent Constantinopolitanæ Sedi, jure ac merito Leo Pontifex institutioni ejus Patriarchatus palam obstitit.

V. Profecto Juvenalis postquam Ecclesiam suam repetiit, Patriarchæ munia implevit. Quo enim tempore Jerosolymis abfuit, cum hæretici Theodosium quemdam in ejus locum Episcopum substituissent, aut potius intrusissent: is vero in tribus Palæstinis nonnullos ordinasset Episcopos, ii a Juvenale post reditum suum depositi fuerunt. Rem narrat Evagrius in sua Historia, ubi & de Theodosio ab hæreticis intruso, & de Episcopis ab eo ordinatis, verba faciens, refert, ad eum plures ex urbibus trium Palæstinarum accessisse, & Episcopos ab illo sibi ordinari curasse: (1) *Ad hunc igitur multi ex urbibus trium Palæstinarum accedentes, Episcopos ab illo sibi ordinari curarunt. Inter quos fuit Petrus quidam oriundus ex Iberia, cui Majumæ, quod oppidum est juxta urbem Gazæorum, Episcopatus commissus est. Hæc ubi comperit Marcianus, primo quidem Theodosium ad se in comitatum perduci jubet, deinde Juvenalem mittit, ut ea quæ gesta fuerunt corrigeret, mandans ut cunctos, qui a Theodosio ordinati fuerant, expelleret. Post adventum igitur Juvenalis multa tristia atque acerba contigerunt, cum ex utraque parte fierent quæcumque furor ipsis suggerebat.* Istud Evagrii testimonium nos docet, Theodosium licet intrusum in Jerosolymorum Sedem, exercuisse nihilominus præcipuum jus Patriarchicum, quod in ordinatione Episcoporum situm est: Juvenalem vero Theodosio invasore detruso, altero Patriarchæ officio defunctum esse, cum Episcoporum causas judicavit eosque Sede submovit, quos Theodosius contra Canones tribus Palæstinæ Provinciis ordinaverat.

Post Juvenalis obitum omnia pæne antiquitatis monumenta nobis exhibent Episcopum Jerosolymitanum, tum primæ Palæstinæ Metropolitam, tum Patriarcham peculiaris Diœceseos, quæ tres Palæstinas complectebatur. Quotquot enim Synodi in Palæstina posthac habitæ sunt, eis semper Jerosolymitanus præfuit. Epistolæ Synodicæ ad Joannem Constantinopolitanum, relatæ *Act.* 5. Concilii Constantinopolitani sub Menna hæc inscriptio præfixa est: *Joannes Dei*

(1) Evagrius lib. 2. c. 5.

Dei miseratione Episcopus Jerosolymorum, & Sancta Synodus trium Palæstinarum. Altera quoque Synodus Jerosolymitana post Consulatum Flavii Belisarii anno 536. celebrata dicitur *in Colonia Ælia Metropoli, sive Jerosolymis præsidente Sanctissimo ac Beatissimo Patriarcha Petro in secreto venerabilis Episcopatus suæ beatitudinis, & assistentibus Sacerdotio suo Sanctissimis Episcopis trium Palæstinarum, sub Sanctis locis venerabilissimæ Synodi existentibus*. In Oecumenicis Synodis post alios Patriarchas Jerosolymitanus sedit, & subscripsit hoc eodem Patriarchæ titulo insignitus. In legibus itidem Justiniani Imperatoris, in epistolis Sancti Gregorii Magni, quintus inter Patriarchas locus Jerosolymitano tribuitur. Hanc in eo dignitatem veneratus est Avitus Viennensis Episcopus ad Jerosolymitanum Episcopum scribens: (1) *Exercet Apostolatus vester concessos a divinitate Primatus, & quod principem locum in Ecclesia teneat, non privilegiis solum studet monstrare, sed meritis*.

VI. Quamobrem falsitatis arguitur Guillelmus Tyrius in Phœnicia Archiepiscopus, qui Patriarchatus Jerosolymitani primordia repetit a Synodo Quinta Oecumenica. In Notitia quippe hujusmodi Patriarchatus, quam Historiæ suæ de Bello sacro subjecit, hæc habet: (2) *Juxta traditiones veterum, & quædam scripta, quæ auctoritatem habent non modicam apud Palæstinos, & maxime Græcos Jerosolymitana Ecclesia, usque ad tempora Justiniani sanctæ recordationis Augusti, Episcopum habuit nulla vel modicæ dignitatis prærogativa gaudentem; tempore vero prædicti Deo dilecti Principis congregata est Synodus Pars Prima generalis apud Constantinopolim tempore Domini Vigilii Papæ, Eutychii Constantinopolitani, Apollinarii Alexandrini, Domini Antiocheni, Eustochii Jerosolymitani Patriarcharum super tribus Capitulis .... In qua Synodo post alias Ecclesiæ Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas decrevit, Sanctorum Patrum, qui ad eam convenerant, auctoritas, prædictam Deo amabilem honorare Ecclesiam, & ejus Episcopo locum inter Patriarchas dare communi sanxit voluntate reverentiam exhibens sanctæ resurrectioni*. Hujus Decreti a Quinta Synodo lati nullum vel modicum extat vestigium. Decepit forsitan Guillelmum falsa opinio Græcorum, quos ipse laudat: quia enim Synodus Trullana *Can. 36.* in enumerandis Patriarchis primum post Romanæ Sedis Pontificem locum Constantinopolitano defert, quem deinde Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus sequuntur, idcirco Græcis perperam creditum fuit, decreto Quintæ Synodi Patriarchicam dignitatem Jerosolymitano fuisse concessam. Nullus siquidem ignorat, Trullanæ Synodi Canones a Græcis adscriptos esse Synodo Quintæ, & Sextæ. Id unum dumtaxat certum est, dilatatos fuisse ab eadem Synodo Patriarchatus Jerosolymitani fines, adjectasque Metropoles quasdam Syriæ, & Phœniciæ, ut Berytus, & Raba. Hinc Guillelmus Tyrius, & Græci, quos ille sequutus est, falso crediderunt de institutione Patriarchatus Jerosolymitani esse accipienda, quæ Quinta Synodus de sola finium ejus dilatatione sanciverat.

Hos fines descripsit idem Guillelmus Tyrius, statim post verba superius relata: (3) *Et quoniam prædicta*

LIII1

(1) Avitus epist. 23.
(2) Guillelmus Tyrius de Bello Sac. lib. 14. cap. 12.
(3) Ad calcem Hist. Guillelmi Tyrii pag. penes me 1045.

dicta Dei cultrix civitas in limine Alexandrini, & Antiocheni Patriarchatuum erat, nec haberent, unde illi urbes ordinarent suffraganeas, nisi utrique Patriarchæ aliquid detraherent, visum est expedire, ab utroque aliquid decerpere, ut eidem juxta formam aliorum Patriarchatuum ordinarent subjectos. Subtraxerunt ergo Antiocheno Cæsariensem, & Scythopolitanum, Metropolitanos; Alexandrino vero Rabbensem, & Beterensem item Metropolitanos. Et quoniam iterum eumdem Patriarcham oportebat habere præter supradictos Metropolitanos familiares suffraganeos, quos Græci Syncellos vocant, subtraxerunt prædictis Metropolitanis quosdam Episcopos, & quosdam de novo creaverunt usque ad viginti quinque: quorum urbium numerum, & nomina subjunximus, computatis prius Metropolitanis, & eorum Suffraganeis. Est autem ordo talis.

VII. *Sedes Prima Cæsarea maritima. Sub hac Sede sunt Episcopatus XIX.*

Dora.	Nicopolis.
Jamnias.	Sozucis.
Onus.	Regium Apatos.
Raphias.	Regium Livas.
Regium Jericho.	Azotus Paralias.
Regium Gadaron.	Etoumason.
Azotus Ippum.	Tricomias.
Estilion.	Saltum.
Tocrus.	Constantiniaquis.
Antipatrida.	

Sedes Secunda Scythopolis. Sub hac Sede sunt Episcopatus IX.

Capitoliados.	Myru.
Gadarum.	Pelon.
Villisypus.	Tetracomias.
Clima Galanis.	Comanas.

Sedes Tertia Rabba Moabitis. Sub hac Sede sunt Episcopatus XII.

Augustonopolis.	Arindila.
Karath.	Jerapolis.
Mensidos.	Elucis.
Sora.	Verossam.
Pentacomia.	Mamapson.
Mitromias.	Saltum Jeraticum.

Sedes Quarta Beryra Arabiæ. Sub hac sunt Episcopatus XXXV.

Andrason.	Dias.
Medavon.	Jerasson.
Nevi.	Philodelphias,
Jerapolis.	Essmos.

Nea-

Neapolis.
Philippopolis.
Constancianis.
Tricomias.
Saltum.
Exacomias.
Comozonias.
Comostanis.
Machaderon.
Comis Capron.
Comis Pitoareton.
Comis Ariathon.
ClimaAnatolis quivisinon.
Comis Ariothas.
Comis Nesdamos.
Fenustus.
Dionysius.
Pentacomias.
Canophados. * Anastados.
Votaneos.
Enacomias.
Comogeros.
Comis.
Como Coreatus.
Comis insuavos.
Comis Pecios.
Comis Neotis.
Comis Thraconos.

Suffraganearum Prima.

Lydda.
Ascalon.
Meimas.
Beit-Gerbein.
Sebastea.
Tyberiadis.
Legionum.
Mauronensis.
Nazareth.
Caraca, vel Petra.
Affra.
Farum,
Joppe.
Gaza.
Dioclicianopolis.
Neapolis.
Jericynthus.
Diocæsarea.
Capitolina.
Gedara.
Thabor.
Hadroga.
Kelis.
Helenopolis.
Mons Sina.

In hac Guillelmi Tyrii Notitia perperam Alexandrino Patriarchæ attribuuntur civitates Arabiæ, quas certum est ad Antiochenum pertinuisse. Nisi forsitan postquam Saraceni, & Arabes Ægyptum, & Palæstinam invaserant, eas sibi usurpaverit Alexandrinus Patriarcha. Nam & sub eorum dominatu Patriarcham Jerosolymis degisse ex eo constat, quod ejus Legati interfuerint Sextæ, Septimæ, & Octavæ Synodo, quibus subscripti leguntur. Arabia tamen Perræa Palæstinæ III. tributa erat.

VIII. Easdem Provincias, earumque Metropoles exhibet Notitia Leonis Sapientis. In Provincia Prima Palæstinæ primo loco ponit *Æliam Jerosolymorum sanctam civitatem*, velut propriam Patriarchæ Sedem. Tum deinde Cæsaream Metropolim, cui viginti octo Episcopatus subjicit. Huic adjungit Provinciam Palæstinæ secundæ, ejusque Metropolim Scythopolim cum quatuordecim Episcopatibus. Eam sequitur Palæstina tertia, cujus Metropolis Petra tredecim habet Episcopatus. Postremo loco describit Provinciam Arabiæ, & illius Metropolim Bostram, cui triginta tres Episcopatus obnoxios facit. Totidem Metropoles recensuit Nilus Doxapatrius, Cæsaream, Scythopolim, sive Basan, Petram, & Bostram,

seu Arabiam. Iis adjecit Archiepiscopatus vigintiquinque nulli subditos Metropolitæ. Scripsit Nilus Doxapatrius anno 1043. cujus Notitia edita est Græco-Latina in Sylloge variorum Opusculorum Græcorum: in qua hæc extat Patriarchatus Jerosolymitani descriptio: (1) *Nomen sibi Patriarcha Jerosolymitanus habuit, licet antea Episcopus esset sub Cæsarensi Palæstinæ: Palæstina enim habet Cæsaream Metropolim, sub qua erat Jerosolymitanus Episcopatus. Habuit vero & alias Metropoles, quæ varios Episcopatus sub se habebant, nempe secundam Scythopolim, sive Basan, tertiam Petram, quartam Bostram, sive Arabiam. Habet præterea Archiepiscopatus nemini obnoxios 25. nullis Episcopatibus nobiles, & qui subjacent Throno Jerosolymitano.*

1. *Diospolim, sive Georgiopolim.*
2. *Ascalonem.*
3. *Joppem.*
4. *Gazam.*
5. *Anthedonem.*
6. *Diocletianooplim.*
7. *Eleutheropolim.*
8. *Neapolim.*
9. *Sebastem.*
10. *Jordanem.*
11. *Tiberiadem.*
12. *Diocæsaream.*
13. *Maximianopolim.*
14. *Capetolladem.*
15. *Myrum.*
16. *Gadarum.*
17. *Nazareth.*
18. *Taborium Montem.*
19. *Cyriacupolim.*
20. *Adriam.*
21. *Gabalam.*
22. *Æliam.*
23. *Pharas.*
24. *Helenopolim.*
25. *Montem Syna.*

Nunc Schismatici, & Hæretici suum habent Patriarcham Jerosolymitanum; sicuti & Constantinopolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Utinam Deus Fidelium votis propitius fiat, & depulsa Turcharum tyrannide, sanctam Civitatem ad eam Fidei integritatem perducat, qua primum unigenitus ejus Filius Salvator, ac Redemptor noster proprio sanguine consecratam, eam illustravit.

CAPUT VIII.

Synopsis.

I. Quo tempore Byzantium conditum sit? Præclara semper fuit hæc civitas: tamen olim suberat Heracleæ tamquam Metropoli.

II. Heracleæ Episcopus quondam totius Thraciæ fuit Exarchus. Post auctum a Constantino Byzantium suoque donatum nomine illius Episcopus excussit jugum Heracleensis.

III. Græci Byzantinam Ecclesiam a Sancto Andrea fundatam referunt. Primus istius sententiæ Auctor fuit Nicephorus. Nullus ante Nicephorum id commemorat.

IV. Transf-

(1) Nilus Doxapatrius.

IV. Translata Constantinopolim Imperii Sede, ejus Episcopus Patriarchicam dignitatem sibi arrogavit in Diœceses Thraciæ, Asiæ, & Ponti: quam ipsi asseruerunt 150. Episcopi in Concilio Chalcedonensi. Quinimo sub Leone Isauro, ac deinceps sub Photio Illyricum, Siciliam, & Calabriam a Romano Patriarchatu avulsas suæ Sedi adscripsit.

V. Notitia Patriarchatus Constantinopolitani, tempore Leonis Sapientis edita, etiam Illyricum, Siciliam, & Calabriam complectitur.

VI. Idipsum habet Notitia Nili Doxapatrii, quæ & ceteras Provincias, ac Metropoles istius Patriarchatus enumerat. Status hodiernus Ecclesiæ CP.

VII. Ad alias quoque Provincias Imperio Orientis adjacentes suam auctoritatem extendit Episcopus Constantinopolitanus.

VIII. Etiam ante obtentam Patriarchicam dignitatem Episcopi Regiæ urbis in Thraciam, Pontum, & Asiam jus suum effundere tentarunt. Chrysostomus vel sponte ascitus a populis, vel delegatione Apostolica id juris aliquando exercuit.

IX. Quod Chrysostomus charitatis zelo egit, ejus Successores in argumentum auctoritatis sumpserunt, freti potentia Imperatoris.

X. Post Concilium Chalcedonense Episcopi Constantinopolitani liberius Patriarchico jure usi sunt in ordinationibus Episcoporum Orientis.

XI. Alia itidem Patriarchatus jura exercuerunt in tribus Diœcesibus. Immo ausi sunt etiam in Diœceses Alexandrini, & Antiocheni potestatem suam fundere.

I. Constantinopolis, præter juris ordinem Patriarchatus Sedem adepta, serius ceteris ad tantum dignitatis fastigium pervenit. Byzantium prius dicebatur, urbs Thraciæ ad ipsum sita bosphorum: primum a Pausania Spartanorum Rege condita, postmodum a Constantino in majus aucta, & Imperii Sede eo translata, ab illius nomine Constantinopolis est dicta. Post Romam conditam regnante Tullio Hostilio tertio Romanorum Rege Byzantium ædificatum esse, tradit Senator *in Chronico*. Porro Hostilius anno 2. Olympiadis 27. regnare cœpit. Quo autem Hostilii anno urbs illa constructa fuerit, Eusebius *in Chronico* declarat, nimirum anno 16. Regni ejus, Olympiadis vero trigesimæ anno 3. His Scriptoribus vetustior Herodotus *lib.* 4. affirmat, id contigisse anno 17. post ædificatam Chalcedonem; a quo non videtur dissentire Eusebius, dum Chalcedonis initium adscribit anno 2. Olympiadis 26. Tametsi autem varios fortunæ casus experta sit hæc civitas, nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium imperio parens, præclara tamen semper extitit, quam merito Strabo vocat *celebrem civitatem*, Stephanus *illustrissimam*, Justinus *nobilem, & maritimam*, & Chronicon Alexandrinum *Thraciæ Emporium*. Herodianus præ ceteris eam nominat, *Urbem Thracicarum maximam olim, & felicem, civiumque frequentia, & opibus florentem*. Ejus meminit Cicero pro Domo sua; & in Oratione de Provinciis Consularibus ait: *Urbem Byzantiorum Imperio Romano fidelissimam fuisse, refertissimam, atque ornatissimam signis*. Verumtamen ante Constantini ætatem Metropolis non fuit; quamquam eo donata sit nomine in Nummo Caii Cæsaris apud Occonem: quod olim nobilioribus civi-

vitatibus, etiam quæ non erant Provinciarum capita, interdum fuisse tributum alibi adnotavimus. Ex Suetonio quippe discimus, sub Vespasiano Imperatore, Byzantium cum aliis Urbibus, ac Regionibus in Provinciarum formam redactum, *ipsi libertate adempta*, cum ante id tempus civitas libera esset, uti eam appellat Tullius; itemque Plinius *lib.* 4. *cap.* 11. Byzantium vocans *liberæ conditionis oppidum*. Quia vero liberæ conditionis urbes propriis vivebant legibus, eoque jure Byzantium ante Vespasiani tempora utebatur; erat insuper Urbs Thracicarum maxima, civium frequentia, & opibus florens; illam idcirco Cajus Cæsar Metropoleos titulo honestavit, licet nondum Provinciæ formam consequuta foret. At a pristino decore decidit Byzantium, cum Pescennii Nigri partes sequens, gravi ac diuturna trium annorum obsidione cinctum, expugnatumque a Severo Imperatore, privilegia, libertatem, & jus civitatis amisit; adeo ut in vici formam redactum, Perintho, seu Heracleæ subjectum fuerit: quemadmodum testatur Dio Cassius *lib.* 74.

II. Eo ex tempore, quo Byzantii mœnia a Severo eversa sunt, Heraclea primatum Thraciæ obtinuit, nedum in politicis, sed etiam Ecclesiasticis rebus, ita ut ejus Episcopus universæ Thraciæ esset Exarchus, cui & Byzantinus parebat. Id observatum fuit Theodoro Balsamoni in Commentariis ad Canonem tertium Secundæ Synodi Oecumenicæ: *Ipsa* (1) *quidem urbs Byzantina Archiepiscopi honorem non habebat: sed ab Heracleæ Metropolitano Episcopus aliquando in ea ordinabatur. Scribitur enim, quod etiamsi esset Byzantium civitas, quæ per se regeretur, sed a Severo tamen Romanorum Imperatore obsessa est, & Perinthiis subjecta; est autem Perinthus Heraclea*. Hoc ipsum scribit Joannes Zonaras in Scholiis ad eumdem Canonem: & mox infert: (1) *Atque hinc Heracleensi Antistiti Patriarchæ ordinatio attribuitur, ut per quem Episcopo Byzantino manus sunt impositæ*. Significat enim Zonaras his verbis, olim Byzantii Antistitem Suffraganeum fuisse Heracleensis Metropolitæ, a quo eum consecrari oportebat. Itaque nonnisi post auctam a Constantino Magno Byzantii urbem, proprio donatam nomine, ibique constitutam Imperii Sedem, illius Episcopus Heracleensis Metropolitæ jugum cœpit excutere, ac Patriarchicam appetere dignitatem. Sensim tamen, & veluti per gradus ad eam conscendere studuit. Initio quippe secundum honoris locum obtinuit Canone tertio Secundi Concilii Oecumenici jam ab anno 381. ejusque possessionem quasi adeptus Nectarius, ante Theophilum Alexandrinum Patriarcham eidem Concilio subscripsit. Eodem ordine Anatolius in Synodo Chalcedonensi primus sedit ante Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum. Paulo post in hac ipsa Synodo Chalcedonensi Patriarchicam dignitatem, auctoritatemque in Diœceses Asiæ, Ponti & Thraciæ sibi deferri curavit *Canone* 28. quamquam principio obstitissent Apostolicæ Sedis Legati; tum diu etiam deinceps contradixissent Romani Pontifices.

III. Deerat huic Sedi prærogativa illa, quæ inerat Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ; non enim Constantinopolitana Petrum habuit auctorem, uti tres aliæ nuper recensitæ ab ipso sua noverant primordia. Immo nec inter Ecclesias illas censeba-

(1) Balsamon in Can. 3. Constantin. 1.

(1) Zonaras ibidem.

batur, quæ ab Apostolis fundatæ, Apostolicæ dicebantur. Quo nomine falsò tem Jerosolymitana gloriabatur. Quod ubi animadverterunt Græci Scriptores mediæ ætatis, ut Constantinopolitanæ Sedi honorem Apostolici Throni nequaquam deesse ostenderent, Ecclesiam illam dixerunt a Sancto Andræa Apostolo fuisse erectam. Primus qui id memoriæ tradiderit fuit Nicephorus, in sua Historia hæc de Andræa Apostolo referens: (1) *Sorte ea Provincia obtigit, ut ad gentes mitteretur; in Cappadociam scilicet, Galatiam, & Bithyniam: quibus peragratis, ad eam quoque accessit, quæ Antropophagorum dicitur, & ad Scytharum solitudines, ad utrumque Pontum Euxinum, orasque Septemtrionales, ad ipsum quoque Byzantii solum.* Hac vero in Urbe Evangelium ab Andræa prædicatum fuisse, infra commemorat: (2) Andræas *Thraciam, Macedoniam, & Euxinum Provincias fortitus, Byzantii Christum prædicavit; & cum a Zeuzippo tyrannidem ibi tenente ad necem quæreretur, Argiropolim transiit, atque ibi biennium conventus agens, permultos ad Christi fidem perduxit. Ceterum sacra in eo loco fundata Æde, & Stachi Episcopo creato, Synopem conscendit.* Idipsum narrat & Nicephorus alter Patriarcha CP. *in Chronico*, ubi loquitur de Ecclesia ab Andræa Apostolo Byzantii condita, cui præfecit Episcopum nomine Stachi. Græcorum Scriptores Nicephorum secuti eamdem historiam referunt, apud Georgium Codinum *lib. de Orig. & Antiq. Constantin.* Favet huic narrationi Martyrologium Romanum ad diem 31. Octobris: *Constantinopoli Sancti Stachis Episcopi, qui a Beato Andræa Apostolo primus Episcopus ejusdem civitatis ordinatus est.* Ante Nicephorum Callistum nullus veterum istius rei meminit. Ipsi Græci Antistites cum in secunda Synodo Oecumenica *Can. 3.* & in Concilio Chalcedonensi *Act. 16.* impense studerent Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eique eximia impertirentur privilegia, nulla de fundata a Sancto Andræa Apostolo Byzantina Sede mentione facta, solam illius Urbis præstantiam commendarunt; quod scilicet esset secunda Roma. Eusebius itidem, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & Evagrius altum de hac ipsa institutione silentium servant. Sane Divus Gregorius Nazianzenus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus factus, cum inter cetera ejus æmuli invidiam ipsi crearent, quod cum advena & extraneus esset, illius urbis Sedem occupare non posset, non aliter illorum objurgationem repressit, quam exemplo Andrææ Apostoli, qui in Epiro prædicavit, tametsi in illa Provincia advena esset, atque extraneus. Quod si Andræas in Thracia & Byzantii Apostolatus munere functus esset, id profecto non præteriisset Gregorius, quo nihil aptius, & validius afferri poterat ad coërcendam æmulorum suorum invidiam. Tandem Gelasius Papa in epistola ad Episcopos Dardaniæ, & Nicolaus I. aperte fatentur, Ecclesiam Constantinopolitanam a nemine Apostolorum institutam esse. Quare vel nutat fides Historiæ a Nicephoro adornatæ de Constantinopolitana Sede a Sancto Andræa Apostolo fundata: vel veteribus prorsus ignota fuit nec nisi sero deprehensa hæc institutio.

VI. Quibus ea Græcorum opinio fundamentis innixa sit, nihil refert vestigare. Hoc unum citra controversiam est, Constantinopolitanos cum cernerent Ecclesiæ suæ ingentem

(1) Nicephorus lib. 2. cap. 39.

(2) Lib. 8. cap. 6.

tem factam esse honoris accessionem illuc translata Imperii Sede, & novæ Romæ appellatione invecta, jus Patriarchicum sibi arrogasse in Thraciam Diœcesim, quæ sex Metropoles, in Asianam, quæ undecim, & in Ponticam, quæ totidem complectebatur, auctore Teodoreto *lib. 5. Hist. Eccl. cap.* 28. Foverunt illorum ambitum centum quinquaginta Episcopi Concilii Chalcedonensis, ex sexcentis triginta, qui interfuerant, edito speciali Canone 28. Nutantem hanc novam Sedem Patriarchalem, ac sæpius in contentionem adductam, fulciverunt suis legibus, vi potestateque Imperatores; adeo ut tandem illa Diœceses nuper recensitas ad se traxerit, imo & latius suam porrexerit jurisdictionem. Quemadmodum enim initio Regiæ urbis Antistites, & Clerici fraude, ac dolis tantam Ecclesiæ suæ dignitatem compararunt; ita deinceps iisdem artibus invadere aliorum confinia tentarunt. Primus ex Constantinopolitanis Epiphanius Thessaliam Illyrici Provinciam suæ Diœcesi adnectere molitus est, sed in Synodo Romana sub Bonifacio II. fracti fuerunt ejus conatus, ubi Theodosius Echinensis Episcopus ex Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii I. Cœlestini, Xisti, Leonis Magni literis ostendit: *Sedem Apostolicam specialiter gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse*. Sequutis temporibus integrum Illyricum, Sicilia, & Calabria a Patriarchatu Romano abstractæ, Constantinopolitano contributæ fuerunt ab impio Leone Isaurico, sacrarum imaginum hoste infensissimo.

V. Eamdem injuriam passa est Romana Ecclesia, Photio in Sedem Constantinopolitanam intruso. Nam Leo Sapiens in sua Notitia has Provincias Regiæ urbis Throno adscripsit: [1] *Avulsi sunt autem a Romana Diœcesi, Throno Constantinopolitano nunc subjecti Metropolitæ, & qui sub eis sunt Episcopi I. Thessalonicæ: II. Siracusæ: III. Corinthi: IV. Regii: V. Nicopolis: VI. Athenarum: VII. Patrarum: VIII. Novarum Patrarum. Hi adjecti sunt Sedi Constantinopolitanæ, propterea quod Papa veteris Romæ sub gentibus detentus est: sicut ab Orientali Diœcesi avulsus est Metropolita Seleuciæ Isauriæ, & ipse eum suis viginti quatuor Episcopis sub Constantinopolitano agit*. Loquitur profecto Leo Sapiens de Statu Ecclesiæ Orientalis sui temporis, quando occasione diri Schismatis Græcorum vi & potentia Principum totum Illyricum a Romano Patriarchatu divulsum. Constantinopolitano adscriptum esset, itemque Sicilia, & Calabria idem infortunium passæ essent, posteaquam Leo Isaurus Romanæ Ecclesiæ bellum intulit. Damnatus quippe propter Iconoclastarum hæresim a Summis Pontificibus Gregorio II. & III. quasi injuriam ulturus, patrimonia, & latifundia Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, & Calabria, ut vocat D. Petrus de Marca *lib. 3. Concord. cap.* 11. §. 4. seu census, & tributa quotannis impendi solita, uti censet Nicolaus Alemannus *in Dissert. de Lateran. Parietinis cap.* 15. in fiscum redegit: tum deinde earum omnium Provinciarum, quæ a Sicilia usque ad Thraciam per Illyricum, Epirum, Achajam, & Macedoniam excurrebant, administrationem a Romana Ecclesia abstractam, Constantinopolitanæ impertivit. Frustra Summi Pontifices Hadrianus I. Hadrianus II. Nicolaus I. & Joannes VIII. Provincias sibi ereptas reddi postularunt. Alter siquidem Leo Basilii filius, ve-

(1) Notitia Leonis Sapientis.

veluti opimis quibusdam spoliis de Ecclesia Romana reportatis, Notitiam Episcopatuum, qui a Leone Isauro Patriarchæ Regiæ urbis tributi fuerant, iis provinciis auxit, quæ ut ipse Leo Sapiens Basilii filius loquitur *leg. 1. Juris Græco-Romani*, *a Romana* Diœcesi avulsæ sunt.

VI. Ex hac vero Notitia Leonis Sapientis suam contexuisse videtur Nilus Doxapatrius, quæ hujusmodi est. „ (1) Nunc itaque possidet „ a Deo conservatus Thronus Con„ stantinopolitanus, quem primus „ vocatus Andreas fundavit, primum „ Episcopum in eo constituens, cum „ adhuc urbs Byzantium esset, par„ tem non minimam Asiæ Europæ„ que, ut infra indicabimus. Quæ „ sunt circa Adriaticum mare ab Il„ lyrico usque ad Propontidem, in „ qua est Constantinopolis, indeque „ usque ad Chersonem, & Chaza„ rem, & Chaldiam, & Gotthiam, „ & Abasgiam, & Iberiam, & Ala„ niam; namque in eam a Patriar„ cha Metropolitæ mittuntur. Sed & „ omnes Istriæ adjacentes civitates „ sibi subjiciuntur. Nec non & Da„ nubii fluminis, & Cappadociæ ur„ bes, & partes Armeniæ, & Cy„ clades Insulæ, & reliquæ omnes, „ quæ subsunt Imperio Constantino„ politano, multæ illæ quidem; & „ maximæ Insulæ duæ, Creta, & „ Eubœa, in qua est Eurypus: sed „ & Peloponnesus, & Græcia: nam„ que Cyprus sui juris est „. Quinimmo & in magnam Russiam a Patriarcha Constantinopolitano Metropolita mittitur. *Sunt itaque Provinciæ & Metropoles Constantinopolitano subjectæ in Oriente, & Occidente, & in aliis Regionibus hæ:*

1. *Cæsarea Cappadociæ habens Episcopatus vii.*
2. *Ephesus Asiæ habens Episcopatus xxxiv.*
3. *Heraclea Thraciæ habens Episcopatus xxv.*
4. *Ancyra Galatiæ habens Episcopatus viii.*
5. *Cyzicus Hellesponti habens Episcopatus xii.*
6. *Sardes Asiæ habens Episcopatus xxv.*
7. *Nicomedia Bithyniæ habens Episcopatus xii.*
8. *Nicæa ejusdem Bithyniæ habens Episcopatus vi.*
9. *Chalcedon ejusdem Provinciæ sine subditis.*
10. *Side Pamphyliæ habens Episcopatus xvi.*
11. *Sebastia Secundæ Armeniæ habens Episcopatus vii.*
12. *Amasia Helenoponti habens Episcopatus vii.*
13. *Melitenæ Armeniæ habens Episcopatus ix. Ex quibus est, & Episcopatus Cucusus, quo in Exilium missus est Aurea Lingua Joannis.*
14. *Tyana Secundæ Cappadociæ habens Episcopatus iii.*
15. *Gangra Paphlagoniæ habens Episcopatus iii.*
16. *Thessalonica Thessaliæ habens Episcopatus viii.*
17. *Claudionopolis Honoriadis habens Episcopatus v.*
18. *Neocæsarea Ponti Polemoniaci habens Episcopatus vii.*
19. *Pissinus Secundæ Galatiæ habens Episcopatus vii.*
20. *Myra Lyciæ habens Episcopatus xxxiii.*
21. *Stauropolis Cariæ habens Episcopatus xxvi.*

(1) Nilus Doxapatrius in Notitia Patriarchatuum.

22. *Laodicea Phrygiæ Pacatianæ habens Episcopatus xxi.*
23. *Synada Phrygiæ Salutaris habens Episcopatus xx.*
24. *Iconium Lycaoniæ habens Episcopatus xv.*
25. *Antiochia Pisidiæ habens Episcopatus xxi.*
26. *Perge, sive Syleum Pamphyliæ habens Episcopatus xvii.*
27. *Corinthus Peloponnesi habens Episcopatus vii.*
28. *Athenæ Græciæ habens Episcopatus xi.*
29. *Mocesus Cappadociæ habens Episcopatus ix.*
30. *Creta habens Episcopatus x.*
31. *Rhegium Calabriæ habens Episcopatus xiii.*
32. *Patræ Peloponnesi habens Episcopatus v.*
33. *Trapezus Laziçæ habens Episcopatus xv.*
34. *Larissa Græciæ habens Episcopatus xvii.*
35. *Naupactus Nicopoleos habens Episcopatus ix.*
36. *Philippopolis Thraciæ habens Episcopatus x.*
37. *Trajanopolis Rhodopes habens Episcopatus vii.*
38. *Rhodos Cycladum ins. habens Episcopatus xii.*
39. *Philippi Macedoniæ habens Episcopatus vii.*
40. *Hadrianopolis Hemimonti habens Episcopatus xi.*
41. *Hierapolis Phrygiæ Pacatianæ habens Episcopatus ix.*
42. *Rhodostolum, seu Distra Hemimonti habens Episcopatus v.*
43. *Dyrrachium habens Episcopatus iv.*
44. *Smyrna Asiæ habens Episcopatus v.*
45. *Syracusa Siciliæ habens Episcopatus xxi.*
46. *Catania, quæ cum Syracusani esset Episcopatus, propter Sanctum Leonem in Archiepiscopatus dignitatem provecta est.*
47. *Ammorum Phrygiæ habens Episcopatus v.*
48. *Camuchus Armeniæ habens Episcopatus viii.*
49. *Cotyajum Phrygiæ habens Episcopatus xiii.*
50. *Sancta Severina Calabriæ habens Episcopatus v.*
51. *Mitylenæ Lesbi insulæ habens Episcopatus vi.*
52. *Nova Patra Græciæ habens Episcopatus iv.*
53. *Theba Græciæ habens Episcopatus iii.*
54. *Serra Thessaliæ habens Episcopatus lvii.*
55. *Ænus.*
56. *Corcyra.*
57. *Mesembria.*
58. *Amastris Ponti.*
59. *Chomæ Phrygiæ.*
60. *Pompejopolis.*
61. *Atalia a Syleo avulsa.*
62. *Paranoxia a Rhodo avulsa.*
63. *Lacedæmonia a Patris Peloponnesi avulsa.*
64. *Madyta ab Heraclea avulsa.*
65. *Abydus a Cyzico avulsa, &c.*

Hæc

Hæc omnia Nilus Doxapatrius descripsit *lib. 5. de Thronis Patriarchalibus*, ubi ultra prædictas Metropoles sub Constantinopolitano, alias xxxv. enumerat.

Postquam Imperium Orientis Turcarum subjacet tyrannidi, deperiit omnino decus Constantinopolitanæ Sedis, & hodierna illius Patriarchæ auctoritas, cum veteri ipsius splendore comparata pæne evanescit. Thomas Smith Anglus præsentem Ecclesiæ Græcæ statum, quem hodie Constantinopoli habet, ita descripsit apud Schelstratem *Tom. 2. Antiq. Illustr. Append. xxvii.*

Status Hodiernus

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANI CONSTANTINOPOLI DESCRIPTUS.

Catalogus Provinciarum, sive Metropolium, & Episcopatuum Throno Constantinopolitano hodie subjacentium.

CÆSAREA.

Cæsariensis olim habebat sub se octo Episcopatus; hodie titulus tantum relinquitur, istis plane deficientibus.

Ephesus. Heraclea.

Penes hujus Archiepiscopum consecrandi Patriarcham jus usque manet. Dictus habet sub se quinque Episcopos.

1. Caliopoleos in Propontide.
2. Rodosti urbis maritimæ.
3. Tyriloës.
4. Metrorum.
5. Myriophiti prope Callipolim.

Ancyra. Philadelphia. Nicæa. Cyzicus. Nicomedia. Chalcedon.

Hodie in ignobilem pagum degeneravit, in quo unicum templum extat S. Euphemiæ martyri dicatum. In hac parva Provincia vix sexaginta Christianorum Ecclesiæ reperiuntur.

THESSALONICA.

Metropolita Thessalonicensis, novem habet Episcopatus.

1. Citros olim Gydria.
2. Serviorum.
3. Campaniæ.
4. Petræ.
5. Ardamerii.
6. Hierosi.
7. Sancti Montis, sive Athonis.
8. Plantamonis.
9. Poliaminæ.

ATHENÆ.

Sub hac Metropoli continentur Episcopatus quatuor.

1. Talantii. 3. Solonis.
2. Scirri. 4. Mindinitzæ.

PRUSA.

Philippopolis. Philipporum, & Drame.
Thebæ. Methymna.
Trapezus.

LACEDEMONIA.

Habet sibi subjectos Episcopatus.

1. Cariopoleos. 3. Brestene.
2. Amyclarum.

LARISSA.

Cujus Episcopatus sunt.

1. Demetriadis. 6. Radobisdii.
2. Zetunii. 7. Sciathi.
3. Stagonis. 8. Loëdoricii.
4. Thamaci. 9. Letzæ, & Agraphorum.
5. Gardicii.

ADRIANOPOLIS.

Cui solus subjacet Episcopatus.

1. Agathopoleos.

SMYRNA.

Mitylene. Serræ.
Christianopolis, Amasia in Cappadocia.
quæ & Arcadia. Iconium.
Neocæsarea.

CORINTHUS.

Cui subjicitur unicus Episcopus, nimirum.

1. Damalonis.

RHO-

RHODUS.

Huic olim subjecti Samius & Parius Antistites.

NOVÆ PATRÆ IN THESALIA.

Drystra. Aënus.

Tornobus. Hic Exarchus Bulgariæ.

Cujus Episcopatus sunt.

1. Lopitzi.
2. Tsernobi.
3. Presilabe.

Joanninorum habet Episcopos.

1. Bothronti.
2. Bellæ.
3. Chimarræ.
4. Et Drynopoleos.

Joannina autem urbs Ætoliæ olim Cassiope dicta.
Euripi Metropolita sine Suffraganeis.
Artæ.

Monembasiæ in Peloponneso, olim Epidaurus habet Episcopos.

1. Eleos.
2. Mæinæ.
3. Rheontis.
4. Et Andrusæ.

Nauplii.
Sophiæ Metropolita, absque Suffraganeis.
Paronaxiæ.
Siphni.
Carpathi.
Varnæ prope Danubium.
Leucadis.
Phanarii & Necorii Archiepiscopus.
Chii.
Tziæ prope Melo.
Sami.
Andri.
Cous.

VETERUM PATRARUM.

Habet Episcopos sub se:

1. Olenæ.
2. Methonæ.
3. Et Coronæ.

Præconnesi.
Gani.

Sunt

Sunt adhuc Episcopi & Metropolitæ.

Mediæ ad oram Ponti Euxini.
Prælabi ad Danubium.
Gotthiæ ibidem.
Didymotichi.
Bysiæ.
Zychnarum in Macedonia.
Melenici.
Pogogianæ.
Pisidiæ.
Myræ.
Æginæ.
Sozopoles.
Caphæ in Tartaria Præcopiensi.
Bindanæ prope Sophiam.
Lititzæ.
Selimbriæ.
Neurocopi.
Berrhoæ.
Chaldææ.
Imbri.
Santorinæ insulæ prope Melum.
Ungaro Valacchiæ.

In Moldavia 4. Episcopi.

Candia Metropolita Cretensis 3. Episcopis præerat.

VII. Tam late se se effundebat Patriarchæ Constantinopolitani auctoritas, ut non solum tres Diœceses Orientis Asiam scilicet, Pontum, & Thraciam, sed & alias Provincias a Nilo recensitas, Illyricum, & partem Italiæ sibi arrogaret. In magnam quoque Russiam, Gotthiam, & Alaniam extendebat imperium: & siquas Barbaras Nationes Orientis Principatui adjacentes Christo nomen dare contigisset, ad illas mittebat Episcopos a se consecratos. Id quippe juris ipsi concesserat Synodus Chalcedonensis Canone 28. ut quæ ante tribus Exarchis minoribus suberant Nationes Barbaræ, iis Patriarcha Constantinopolitanus ordinaret Episcopos. Eo jure usus fuerat Sanctus Joannes Chrysostomus etiam ante Concilium Chalcedonense, cum a Gotthis rogatus virum eximium Uvilam eis Episcopum præfecit; quo paulo post vita functo, iterum a Rege postulatus, ut alium mitteret, licet exul a propria Ecclesia, eo mitti curavit; quemadmodum ipse testatur *epist.* 123. ad Olympiadem. Ceterum post Chalcedonensem Synodum frequentiora occurrunt ejusmodi missionum exempla, in Bulgaria præsertim, cui recens ad Christi fidem conversæ Constantinopolitani Episcopos ordinaverunt, quamquam usurpata esset illa potestas, cum Bulgariæ Regnum ad Romanum Patriarchatum pertineret.

VIII. Regiæ urbis splendor quemadmodum calcaria addidit ipsius Episcopis, ut ad summum Patriarchatus fastigium properarent; ita & ambitum eorum concitavit, ut quæ sunt propria Patriarchis privilegia sibi vendicarent. Immo etiam ante adeptam hanc dignitatem Nectarius ea quodammodo affectasse visus est, ne dum extorto a secunda Synodo Oecumenica primo honoris gradu post Romanum Pontificem, sed insuper usurpata sibi potestate judicandi majores Episcoporum causas. In Synodo etiam Constantinopoli habita anno 394. litem disceptavit inter Agapium, & Ga-

Gabadium, contendentes de Episcopatu Bostrensi in Arabia, atque adeo ad Patriarchæ Antiocheni jus spectante. Nisi forsan Antiochenus ipse qui aderat in id consenserit, & Judicis arbitrio partium electi ille munus gesserit: præerat quippe Nectarius Synodo, cui aderant Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, Helladius Cæsareensis, aliique Episcopi complures. Istius Synodi acta Collectioni suæ inseruit Theodorus Balsamon. Nectarii Successor Chrysostomus ea in Diœcesibus Asiæ, Ponti, & Thraciæ egit, quæ nisi morum innocentia, & Sanctitas viri comprobassent, facile quisque damnaret. Sexdecim Episcopos ab eo depositos Theophili Alexandrini criminationes ipsi objectæ apud Palladium effutiebant: sex dumtaxat depositos narrat Palladius, octo Sozomenus. Apostolicæ id imputandum charitati, qua flagrabat Sanctissimus Præsul, censet Thomassinus: non enim ultro ipse, sed ob celebritatem nominis accitus a populis, a Clero, ab Episcopis, pergebat in Provinciam, ibique in Synodis, quæ in ordinationibus male acta fuerant, corrigebat. At Morinus existimat ex delegata sibi Apostolicæ Sedis vice hæc omnia egisse Chrysostomum. Undecumque tamen ea fluxerit Chrysostomi auctoritas, haudquaquam effugit multorum censuram. (1) Hac quippe illum accusatione lacessebant ejus æmuli, quod aliorum invaderet Provincias, Episcoposque ordinaret aliis Metropolitanis obnoxios. Immo Palladius testatur, Episcopos illos, quos Chrysostomus in aliorum locum consecraverat, postmodum fuisse Sede pulsos. Nondum enim per illas tempestates tanta Constantinopolitanæ Ecclesiæ facta fuerat potestatis accessio; sed Diœcesibus Asiæ, Ponti, & Thraciæ proprii præerant Exarchi, seu Primates, quibus plures Metropolitani parebant. Ii omnes, sicut & ceteri aliarum Diœceseon Patriarchæ, & Primates præfixas sibi a Conciliis Nicæno, & Constantinopolitano I. leges exacte servabant, quibus cautum erat, *Ne Episcopi ad Ecclesias, quæ sunt ultra suas Diœceses, suosque limites accedant*. Quas leges optime noverat Chrysostomus, & aliquando objecerat Theophilo Alexandrino, & Epiphanio Salaminæ in Cypro Episcopo; illi eo quod in Thracia extra suæ Diœceseos confinia Synodos cogeret, & de Episcopis sibi minime subjectis judicaret: huic vero, quod ordinationes Presbyterorum in Ecclesia Constantinopolitana usurpasset: quem propterea sic increpavit: (2) *Multa contra regulas agis, o Epiphani, qui primum quidem in Ecclesiis sub dispositione mea constitutis ordinationem feceris; deinde injussu meo ex tua ipsius auctoritate in iisdem Ecclesiis Missarum solemnia celebraveris*. Has itaque leges Ecclesiasticas cum apprime caleret Chrysostomus, jure ac merito inde conjicimus, eum in aliena Diœcesi vel ex charitate accitum a populo, a Clero, ab Episcopis, vel delegata sibi ab Apostolica Sede potestate ordinationes, & alia munia obiisse.

IX. Verum, ut apposite dixit Salustius: (3) *Omnia mala exempla a bonis initiis orta sunt;* Quæ Chrysostomus Apostolicæ charitatis zelo egerat, temere a suis successoribus in argumentum insitæ potestatis usurpata sunt. Nam Atticus & ipse Constantinopolitanus Episcopus post Arsacium, qui Chrysostomo suffectus fue-

(1) Baronius ad ann. 403. num. 19. Photius in Bibliotheca Cod. 59.

(2) Socrates lib. 6. cap. 14.
(3) Salustius de Conjurat. Catilinæ.

fuerat, Theodosio Juniori obrepsit, expressitque ab eo legem, *quæ juberet, ne quis Episcopus designetur absque sententia, & auctoritate Concilii Constantinopolitani*. Meminit istius legis Socrates *lib. 7. cap.* 28. Facile sibi blandiebatur Atticus, ut crederet, universalem quamdam, licet extraordinariam potestatem, in Orientis partibus aptissime convenire honorificentiæ consessus, & nominis gloriæ, qua decreto Secundæ Synodi Oecumenicæ fruebantur Episcopi Novæ Romæ, urbisque Regiæ. Hoc præoccupatus studio amplificandæ Sedis suæ Atticus legem illam extorsit a Principe, qua munitus Sylvanum Philippopolis Episcopum creavit, eumdemque triennio post transtulit Troadem in Phrygia, cum Throadis cives Constantinopolim appulissent, Episcopum petituri. Eadem erga alios Episcopos auctoritate ipsemet Atticus usus est. Istius vestigiis insistens Sisinnius, qui ei successerat, Cyzici Episcopo vita functo, Proclum hujus urbis Antistitem consecravit: sed Cyziceni cives rati Theodosii legem, non Sedi, sed personæ Attici concessam, ac proinde cum ipso extinctam, elegerunt Dalmatium Monachum, accelerata etiam illius ordinatione. Ita refert Socrates: (1) *Mortuo Cyzinorum Episcopo, Sisinnius Proclum illius urbis Antistitem ordinavit. Sed dum ille eo profectionem parat, prævertentes eum Cyziceni, Dalmatium quemdam Monasticæ professionis virum sibi Episcopum constituerunt. Idque ab illis factum est, contempta lege, qua sancitum est, ne præter sententiam Episcopi Constantinopolitani ulla fiat Sacerdotis ordinatio. Porro legem istam ideo neglexerunt, quod solius Attici personæ hæc prærogativa concessa esse videretur*. Ceterum Regiæ civitatis Antistites Sisinnium subsequuti hanc deinceps auctoritatem sibi arrogarunt. Sic Proclus Thalassium Episcopum Cæsareensem consecravit, ut tradit Socrates *lib. 7. c.* 48. Ex Synodo quoque Chalcedonensi *Act.* 16. constat, Gangrenses Galatiæ populos Episcopi sui ordinationem Constantinopolitano Antistiti detulisse.

X. Ante Chalcedonensis Concilii ætatem nec adeo frequentia fuerunt ejusmodi exempla, nec citra ullam controversiam usurpata. Ubi tamen *Canone* 28. ejusdem Concilii Patriarchatus dignitate donata fuit Sedes Constantinopolitana, iidem qui aderant Episcopi, & Canonem illum condiderant, rogati num sponte tres Exarchatus, Ephesinum videlicet, Cæsareensem, & Heracleensem Regiæ urbis Antistiti subjicerent, responderunt præ ceteris Romanus Myræ, Seleucus Amasiæ, Petrus Gangrorum, Critonianus Ephrodiensis, aliique Episcopi diversarum Provinciarum, libenter se ordinationi Patriarchæ Constantinopolitani obnoxios esse velle, quod scirent, ex Prædecessoribus suis non paucos ab ipso fuisse consecratos. Quare gloriosissimi Judices hoc decretum ediderunt: (1) *Ex his quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari: oportere autem Sanctissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis novæ Romæ eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse, & potestatem habere ordinare Metropolitas in Asiana, & Pontica, & Thracica Diœcesibus, secundum hunc modum, ut decreto facto a Clericis uniuscujusque Metropolis & possessoribus, atque Clarissimis Viris, su-*

(1) Socrates lib. 7. cap. 28.

(1) Concil. Chalced. Act. 16.

super hæc a Reverendissimis Episcopis Provinciæ omnibus, aut pluribus, eligatur is, quem præfati Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopi dignum esse probaverint. Referatur autem ab omnibus eligentibus sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis, ut penes eum sit, si velit, hunc qui electus est advenire, & hic ordinari, an secundum ejus permissionem in Provincia Episcopatus mereri decretum: uniuscujusque tamen civitatis sanctissimos Episcopos ordinari ab omnibus, aut pluribus Provinciæ Reverendissimis Episcopis, potestatem habente Metropolitano secundum Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis. Hoc itaque decreto assertum fuit Patriarchæ Constantinopolitano recens institutio jus ordinandi Metropolitas, quod & reliquis Patriarchis proprium erat. Quod ergo multoties tentatum fuerat, atque extra ordinem, hic tandem pro jure, & quidem pro jure ordinario statutum est.

XI. Huic & alterum consentaneum erat, a Patriarchica quoque pendens auctoritate, jus nimirum judicandi controversias, seu causas majores in Diœcesi emergentes. Quædam istius juris jecerant jam fundamenta Chalcedonenses Patres condito Canone, quo Episcopis suffraganeis, immo & Clericis facultas concedebatur, ut siquam haberent causam adversus Metropolitanum, eis fas esset illam referre ad tribunal vel Exarchi, vel Archiepiscopi Constantinopolitani: (1) *Si adversus Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Quæ optandi, alternandique libertas rursum confirmata fuit *Can.* 17. Plenam vero hujus judicii potestatem nactus est Episcopus Constantinopolitanus, quando ad Patriarchicam dignitatem conscendit. Tunc quippe, quemadmodum & reliqui Patriarchæ, majores causas ad se trahere cœpit, Synodos cogere, ad quas suarum Diœceseon Antistites convenirent, & id genus alia præstare, quibus Patriarchæ defungi possunt.

His incrementis aucta Archiepiscopi Regiæ urbis auctoritas fuse in tres Diœceses se se porrexit. Verum, nec tam amplis contenta limitibus, in aliorum quoque Patriarcharum ditionem interdum expandi visa est. Nam Acacius non pauca in Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesias tentavit: & licet (2) Simplicii Papæ delegationem obiret, præfixis tamen sibi terminis coarctari minime passus est. Eos siquidem prætergressus Patriarcham Antiochenum consecravit; quod nihilominus tunc Romanus Pontifex toleravit, cum id alendæ paci Imperator necessarium existimasset. Sæpe conquestus est Gelasius Papa, (3) Constantinopolitanorum Antistitum ausibus violari, obterique sacros Canones; sed inanis fuit pia tanti Pontificis sollicitudo, quamdiu Acacii, ejusque successorum schismate quassata fuit Orientalis Ecclesia. Quod magis mireris, Joannes Jejunator, qui Acaciano Schismati finem imposuit, de Gregorio Patriarcha Antiocheno judicium Synodale instituit, quo nihil audacius post Chalcedonensis Concilii tempora tentatum fuerat. Sic paulatim Constantinopolitani Archiepiscopi, non jure aliquo, sed injuria totum Orientem absorbere, qua dolis, qua Impe-

(1) Concil. Chalced. cap. 9. Act. 12.
(2) Simplicius epist. 15.
(3) Gelasius epist. 13.

peratorum potentia præsumpserunt: eo tandem audaciæ progressi, ut jugum Romani Pontificis, divinitus sibi impositum, diro schismate e collo excusserint. Sed longe gravius nunc imminet ipsorum cervicibus, Turcarum scilicet, sævissima tyrannis, sub qua pejus vilissimis jumentis quotidie gemunt. Periit pulcherrima illa Orientalis Ecclesiæ facies, & decus omne evanuit. Nullus in ea ordo, ubi fides nulla. Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus Patriarchæ antea liberi, nunc subsunt Constantinopolitano, quem velut Patrem venerantur, & a quo omnes pendent. Ipse vero tamquam vile mancipium Mahumetarum sectæ abjectissimis quibusque collum inflectit, qui dulce Christi jugum ferre detrectat, ne ejus, qui in terris Dei vices gerit, leve patiatur imperium.

FINIS PARTIS PRIMÆ.



PARER-

PARERGON
NOTITIAS
ALIQUOT
ECCLESIASTICAS
ET
CIVILES
DIVERSIS TEMPORIBUS EDITAS

Complectens.



FLORENTIÆ. Anno M.DCC.XXVIII.
Prope Ecclesiam Divi Apollinaris, sub Signo Palladis, & Herculis.

Typis Bernardi Paperini, Typographi S. R. C. Magnæ Principis Viduæ ab Etruria. *Superiorum Permissu*.



PARERGON
NOTITIAS
Aliquot Ecclesiasticas, & Civiles diversis temporibus editas complectens.





Uamquam multis variisque in istius Operis locis nonnullas exhibuerim Notitias Provinciarum, ac Metropoleon, non abs re tamen fecisse videbor, si hic alias adjiciam, quas Clarissimi Viri Carolus a Sancto Paulo, & Emanuel a Schelstrate ex Codicibus Manuscriptis erutas suis Operibus inseruerunt. Quemadmodum enim insignes etiam Pictores, Imaginem quampiam pingentes, flores, arbusculas, aviculas, & hujusmodi alia interdum addere consueverunt: quod (1) Plinius de Protogene scripsit, cum scilicet propylæum pingeret, adjecisse parvas naves longas, in his, quæ Pictores Parerga appellant: haud secus præter Notitias illas, quas sparsim in unaquaque Provincia indicavi, alias primæ huic Parti adnectere æquum duxi, ex quibus Lector Benevolus, siquæ in Ecclesiæ Episcopatibus mutationes successu temporis factæ sint (non enim omnes eadem editæ sunt ætate) nullo cum labore perspiciet; plures item antiquos Episcopatus, quorum in Conciliis, immo & præcedentibus Notitiis nulla memoria est, deprehendet. Hic vero præsertim lubet eas in medium proferre, quæ ad calcem Operis Caroli a Sancto Paulo de Geographia Sacra, nuper Amstelædami Typis cusi, una cum Notis, & Animadversionibus eruditissimi Viri Lucæ Holstenii, prima tantum excepta Patriarchatus Romani, ex veteri Notitia Imperii excerpta, quam initio exhibemus. Earum singulis breviusculas notas in margine alphabeti literis, prolixiores ad cujusque calcem asterisco designatas adjecimus.

(1) Plinius l. 35. c. 10.

NO-

NOTITIA SACRA PATRIARCHATUS ROMANI.



I.

Apud Carolum a S. Paulo pagin. 23.

IN ITALIA.

ROMA, Sedes Patriarchæ Occidentis, & Primatis Italiæ, & Metropolitani Latii utriusque novi & veteris, Campaniæ, Tusciæ, Umbriæ, Valeriæ, utriusque Piceni Annonarii, & Suburbicarii, Samnii, Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Brutiorum, & Corsicæ. (1)

Mediolanum, Metropolis Liguriæ, Alpium Cottiarum, & Rhætiæ utriusque. (2)

Ravenna Metropolis Flaminiæ, & Æmiliæ. (3)

Aquileja, Metropolis Venetiæ, & Istriæ. (4)

Syracusæ, Metropolis Siciliæ. (5)

Calaris, Metropolis Sardiniæ, (6) & Insularum Balearium. (7)

IN ILLYRICO OCCIDENTALI.

Syrmium, (8) Sedes Primatis Pannoniarum, & Norici utriusque, Laureacum, Syrmio diruto, Metropolis Pannoniarum, & Norici.

Salona, Metropolis Dalmatiæ.

IN GALLIIS. (9)

Arelatum, Sedes Primatus Galliarum, & Metropolis Secundæ Viennensis.

Vienna, Metropolis Viennensis Primæ, & Alpium Grajarum, seu Provinciarum.

Narbo Metropolis Narbonensis Primæ.

Aquæ Sextiæ, Metropolis Narbonensis Secundæ, dubia.

Ebrodunum, Metropolis Alpium Maritimarum.

Treveris, Metropolis Belgicæ Primæ, & duarum Germanicarum.

Rhemi, Metropolis Secundæ Belgicæ.

Lugdunum, Metropolis Primæ Lugdunensis.

Rhothomagus, Metropolis Secundæ Lugdunensis.

Turonum, Metropolis Tertiæ Lugdunensis.

Civitas Senonum, Metropolis Quartæ Lugdunensis.

Vesuntio, Metropolis Maximæ Sequanorum, dubia.

Bituricæ, Metropolis Aquitaniæ Primæ, Sedesque antiqua Primatis Aquitaniæ.

Burdigala, Metropolis Aquitaniæ Secundæ.

Elusa, Metropolis Novempopulaniæ.

(1) Vide supr. l. 4. c. 1. & l. 3. c. 4.
(2) Ibid. c. 6. n. 10. & seqq.
(3) Ibid. n. 1. & seqq.
(4) Ibid. n. 10. & seq.
(5) L. 4. c. 5. n. 1. & seq.
(6) Ibid. n. 9.
(7) De Balear. incertum.
(8) L. 5. c. 4.
(9) L. 5. c. 1. 2. 3.

IN

ANTIQUÆ. V

IN HISPANIA. (1)

(1) Ibid. c. 4. 5.

Hispalis, Sedes Primatis Hispaniæ per aliquod tempus, & Metropolis Bæticæ.
Carthago, primis sæculis Metropolis Provinciæ Carthaginensis.
Toletum, Metropolis primum Provinciæ Carpetanæ, & postea Carthaginensis, denique Sedes Primatis Hispaniæ.
Tarraco Metropolis Provinciæ Tarraconensis.
Emerita Augusta, Metropolis Lusitaniæ.
Brachara Augusta, prima Metropolis Gallæciæ.
Lucus Augusta, altera Metropolis Gallæciæ.

IN ILLYRICO ORIENTALI. (2)

(2) Supra l. 3. c. 1. & 2.

Thessalonica, Sedes Primatis Illyrici Orientalis per multa secula, & Metropolitani Macedoniæ.
Corinthus, Sedes Primatis Achajæ, & una ex Metropolibus ejusdem Diœcesis.
Athenæ, Metropolis Helladis, saltem quantum ad honorem.
Patræ, Metropolis altera Achajæ, saltem quantum ad honorem.
Nicopolis, Metropolis Epiri veteris.
Dyrrachium, Metropolis Epiri novæ.
Larissa, Metropolis Thessaliæ.
Scupi Metropolis Dardaniæ.
Achrida, Sedes Primatis primi Illyrici, & secundæ Pannoniæ. (3)
Sardica, Metropolis utriusque Daciæ, & Mœsiæ superioris.

(3) Supra l. 3. c. 1. n. 7. c. 2. & 3.

IN DACIA ANTIQUA.

Mœsia Secunda, & Scythia. (4)

(4) Ibid. c. 3.

Marcianopolis, Metropolis Mœsiæ inferioris.
Tomi, Metropolis Scythiæ.
Zarmzegetus, Gothorum Metropolis in Dacia.

IN AFRICA. (5)

(5) Lib. 4. c. 7. 8. & 9.

Carthago, Sedes Primatis Africæ, & Metropolitani Provinciæ Proconsularis.
Prima Sedes Numidiæ, in qua Senior Episcopus sedebat.
Prima Sedes Mauritaniæ Cæsariensis, & Tingitanæ, in qua Senior Episcopus sedebat.
Prima Sedes Mauritaniæ Sitifensis, in qua Senior Episcopus sedebat.
Prima Sedes Bizacenæ Provinciæ, in qua Senior Episcopus sedebat.
Prima Sedes Tripolitanæ Provinciæ, in qua Senior Episcopus sedebat. BRE-

BREVIS DESCRIPTIO

Finium Sanctissimorum Patriarcharum, & Apostolicarum Sedium enumeratio.



II.

EX vetusto Codice MS. Vaticano apud Carolum a S. Paulo, ad calcem Geographiæ Sacræ Dg.S.

Apud Emanuelem a Schelstrate, Antiq. Eccles. Tom. 2. in Appendice ad opus Chronologicum, num. 6. pag. 635. Edit. Romanæ, Ann. 1697.

Ex MSS. Codicibus Vaticanis sub num. 1167. & 1183. correctius edita. In utroque Græce, & Latine descripta est, nos Latine tantum hic exhibemus cum notis Caroli a S. Paulo, quasdam & nos adjecimus.

PRimus Thronus Coryphæi Apostolorum Petri, Senioris Romæ Præsulis, Apostolicam & Patriarchicam Sedem moderantis, ad terminos usque Sazorum (1) (in Cod. Vaticano, *Saxorum*) Gallorum, Camporum (2), Francorum, & Gades usque ad Herculis columnas, atque Oceanum, (*populorum*) initium habentium ab Occasu solis, ubi sunt mortuæ aquæ & quietæ ac densæ, ubi & insula (3) quædam ab extrema Maris Oceani, virorum admodum ferax, Christianorum innumeram multitudinem continens, qui sunt homines proceri, robusti, & fortissimi; atque inde Ravennam (4) usque & Longobardos (in altero Cod. Vaticano, *Longibardos*) ac Thessalonicam, Schlavos, Arrabos, (5) (in altero Cod. Vaticano, *Arabes*) Avares (6), & Scythas, ac Danubium flumen, Ecclesiasticas constitutiones terminorum Episcopalium complectens. Tum etiam Sardiniam, & Magiricas (7), Carthaginemque, & Hesperias oras, & simul omnes complectens regiones, atque concludens, in quibus circumfluentes spirant venti Circius Septemtrionalis, Aquilo, quin & Choreus, cujus in Actibus Apostolorum mentio fit medius deinde Favonius, Hesperius Occidentalis Africus, atque Austro-Africus. Hæc amplectitur omnia Supremus Apostolorum & præstantissimus Patriarcharum, Magnæ scilicet Romæ Antistes.

Secundus Sanctissimus Apostolicus Thronus & Patriarchicus Constantinopoleos, primi inter Apostolos a Christo vocati Andreæ, & Magni Theologi Evangelistæ, atque Apostoli Joannis, Europam, & Asiam ad Siciliam usque, quæ ad Occidentem est, ac Cycladas, indeque ad Chersonem, Avergiam-

(1) Forte Saxonum i. e. Anglorum, qui in extremis versus Septemtrionem.

(2) Cambrorum forte, seu Britannorum, qui Anglis vicini insulam cum ipsis partiebantur.

(3) Insula hæc, credi potest Hibernia virorum fœcunda, & insula Sanctorum dicta.

(4) i. e. Exarchatum, seu eam Italiæ partem, quæ Exarchis Ravennatibus parere solita, cum reliqua Italia Longobardis subjecta esset eo tempore.

(5) Arrabi videri possunt, qui Aravi in vetusta inscriptione, apud Goltzium, Aravisci Plinio forte, Arabisci Ptolemæo Pannoniæ populi.

(6) Avares, sive Abares populi ad Danubium Suidæ, qui prius Hunni.

(7) Legendum ni fallor *Majorica*.

giamque [1] (in Cod. Vatic. apud Schelstratem legimus, *Abasgiamque*): *porro Abasges, Stephano, sunt Scythiæ populi, vicini Sannigis: aliis vero, sunt populi Asiæ prope Caucasum montem, quorum fit mentio in quodam Tractatu ex collectis Anastasii Bibliothecarii, edito a P. Sirmondo*; (ex ejusmodi populorum Regione Absagem, seu Absarum fluvium nasci, indeque in Armeniam usque excurrere, tradit Plinius lib. 6. c. 4. & 9.) & Choldiam [2] (apud Schelstratem, *Chaldeam*) & Chazariam, ad [3] Cappadociam usque Borealia cuncta climata complectens.

Tertius Sanctissimus & Apostolicus Thronus Alexandriæ, Evangelistæ & Apostoli Marci, qui factus est filius summi Apostolorum Petri, obtinens usque ad interiorem Indiam, & Æthiopiam, quæ Sedes fuit Sancti Apostoli Thomæ, atque inde ad Marmaricam, Africam, Tripolim, & universam Ægyptiorum Provinciam ad Palæstinæ usque fines, Austri, atque Austro-Africi climata continens.

Quartus Sanctissimus & Apostolicus Thronus Antiochiæ & Patriarchicus, ac Coryphæi Apostolorum Petri prima Sedes, complectens versus Ortum solis iter 87. dierum versus Tiberiam (apud Schelstratem, *Iberiam*) & Abasgiam, [4] atque Armeniam, & usque ad interius desertum Chorosani, [5] Persas, Medos, Chaldæos, indeque ad extrema Arabiæ præfecturæ, Parthos, Elamitas, & Mesopotamios: Vulturni, Subsolani, & siquis est alius Orientalis ventus, climata comprehendit. Habet autem Metropoles duodecim, Tyrum, quæ habet Episcopatus xiii. (Schelstrates habet tantum iii.) Tarsum, quæ habet Episcopatus v. (apud Schelstratem iv.) Edessam, quæ habet Episcopatus xi. Apameam, quæ habet Episcopatus vii. Hierapolim, quæ habet Episcopatus ix. Anabanzam, (apud Schelstratem, *Anasarbæ*) quæ habet Episcopatus viii. Seleuciam Isauriæ, quæ habet Episcopatus xxiv. Damascum, quæ habet Episcopatus xi. Amidam, quæ habet Episcopatus viii. Sergiopolim, quæ habet Episcopatus v. Cædarach [6] (apud Schelstratem, *Daras*) quæ habet Episcopatus iii. *Autocephalos*. Eriti [7], Emesæ, Laodiceæ, Samasatarum, (apud Schelstratem, *Samosatorum*) Cyri. Archiepiscopos vii. Berroëæ, Chalcedonis, [8] Gabalorum, (apud Schelstratem, *Gabulorum*) Seleuciæ Pieriæ, Anatzarthon, Pluti Gabalorum, (apud Schelstratem, *Gabulorum*) Litti duo, Salamidis, (apud Schelstratem, *Salamiadis*) & Marcusarum, seu juxta Schelstratem, *Marcusorum*.

Quintus Sanctissimus & Apostolicus Thronus Jerosolymorum sanctæ civitatis, Sancti Apostoli & fratris Domini nostri Jesu Christi Jacobi, qui oculatus testis & minister fuit verbi, ac Mystes ineffabilium invisibiliumque Mysteriorum, cœlestium spectaculorum: continens totam Palæstinam usque ad Arabiam. [9] Cæsarea Metropolis, Dora, Antipatros, Diospolis, Jamnia, Nicopolis, Onus, Sozusa, Joppe, Ascalon, Ga-

(1) Avergia, forte Avarenorum reg. in Sarmatia.

(2) Cholchidem haud dubie.

(3) Gazariam. Sunt autem Gazari Sarmatiæ gens in Histor. Miscell. Chazari quoque leguntur & iidem opinor circa Chersonem.

(4) Abasgi Iberi sunt aut eorum pars.

(5) Chorosan forte. Ego puto Chorasmios populos Parthorum Herodoto lib. 3. qui Chorasmine Stephano. Aut forte sunt Choramnæi, sive Chorannei, Sylvestres populi Persidis, cursu velocissimi.

(6) Forte Cæsaream Ciliciæ, seu Daram ab Arsace conditã, de qua Justinus lib. 41.

(7) Beryti.

(8) Chalcidis.

(9) Quæ sequuntur desunt in Codicibus Vaticanis, quibus Schelstrates usus est.

za, Raphia, Anthidon, Diocletianopolis, Eleutheropolis, Neapolis, Sebaste, Regium Apathos, Regium Hiericho, Regium Libyæ, Regium Gadarorum, Azotus Paralus, Azotus Hispinus, Eucomazon, Vitelius, Tricomias, Toxus, Salton, Salton Geraiticus, sive Barsamon.

Provincia Palæstinæ secundæ Scythopolis, Pellas, Gadira, Capetolissa, Abila, Maximianopolis, Diocæsarea, Tiberias, Gadæ, Elenopolis, Hippus, Tetracomia, Clima Gaulames, Vicus Nais.

(1) Petræ legendum.

Provincia Palæstinæ tertiæ Patæ (1) Metropolis, Augustopolis, Arindela, Parochmuchi, Ariopolis, Mapses, Elusa, Zura, Birosamon, Elas, Pentacomia, Mamopsora, Metrcomes, Salton Hieraticum.

NOTITIA

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANI.

ORDO SEDIUM METROPOLITARUM.

III. *Ex eodem Cod. MS. Vaticano apud Carolum a S. Paulo p. 7. & seqq.*

i.	Provincia Cappadociæ.	M. Cæsareæ.
ii.	Provincia Asiæ.	M. Ephesi.
iii.	Provincia Europæ.	M. Heracleæ.
iv.	Provincia Galatiæ.	M. Ancyræ.
v.	Provincia Hellesponti.	M. Cyzici.
vi.	Provincia Lydiæ.	M. Sardeorum, seu Sardium.
vii.	Provincia Bithyniæ.	M. Nicomediæ.
viii.	Provincia ejusdem.	M. Nicææ.
ix.	Provincia ejusdem.	M. Chalcedonis.

Ab his Archiepiscopi.

(1) Secundæ potius legendum.

	Provincia Insulæ.	A. Cretæ.
	Provincia Peloponesi.	A. Corinthi.
	Provincia Insulæ.	A. Siciliæ.
	Provincia Illyricæ.	A. Thessalonicæ.
x.	Provincia Pamphyliæ.	M. Sidæ.
xi.	Provincia Armeniæ primæ.	M. Sebasteæ.
xii.	Provincia Helenoponti.	M. Amasiæ.
xiii.	Provincia Armeniæ prim. (1)	M. Melitinæ.
xiv.	Provincia Cappad. secundæ.	M. Tyanorum.
xv.	Provincia Paphlagoniæ.	M. Gangrorum.
xvi.	Provincia Honoriadis.	M. Claudiopoleos.
xvii.	Provinc. Ponti Polemoniaci.	M. Neocæsareæ.
xviii.	Provincia Galatiæ secundæ.	M. Pisinuntis.
xix.	Provincia Liciæ.	M. Myrorum.

xx. Pro-

	xx.	Provincia Cariæ.	M. Stauropolis.	
	xxi.	Provincia Phrygię Pacatianę.	M. Laodiceæ.	
(1) Nimirum Phrygiæ.	xxii.	Povincia Salutaris. (1)	M. Synadorum.	
	xxiii.	Provincia Lycaoniæ.	M. Iconii.	
	xxiv.	Provincia Pisidiæ.	M. Antiochiæ.	
(2) Nempe secundæ.	xxv.	Provincia Pamphyliæ. (2)	M. Perge sive Silæi.	
	xxvi.	Provincia Cappadociæ. (3)	M. Cokissi. (5)	(5) Lege Mocissi.
(3) Tertiæ.	xxvii.	Provincia Lazicæ.	M. Tuphandis. (6)	
	xxviii.	Provincia Thraciæ.	M. Philippopolis.	(6) Lege Phasidis.
	xxix.	Provincia Rhodopes.	M. Trajanopolis.	
	xxx.	Provinc. Insularũ Cicladũ.	M. Rhodi.	
	xxxi.	Provincia Hemimonti.	M. Adrianopoleos.	
	xxxii.	Provincia ejusdem.	M. Marcianopoleos.	
	xxxiii.	Prov. Phrygiæ Pacatianæ.	M. Hierapoleos.	
	xxxiv.	Provincia Helladis.	M. Athenarum.	
	xxxv.	Provincia Achajæ.	M. Patrarum.	
(4) Nimirum secundæ, seu Thessaliæ.	xxxvi.	Provincia Helladis. (4)	M. Larissæ.	
	xxxvii.	Provincia Macedoniæ.	M. Philipporum.	

Autocephalorum Archiepiscoporum.

	1.	Provincia Mysiæ.	A. Odissi vel Baræ.	
	2.	Provincia Scythiæ.	A. Tomis.	
	3.	Provincia Europæ.	A. Bizyæ.	
	4.	Provincia Paphlagoniæ.	A. Pompejopolis.	
	5.	Provincia Asiæ.	A. Smyræ. (9)	(9) Leg. Smyrnę.
(7) Isauriæ.	6.	Provincia Asiæ. (7)	A. Leontopolis.	
	7.	Provincia Rhodopes.	A. Maroniæ.	
	8.	Provincia Bithyniæ.	A. Apamiæ.	
	9.	Provincia Rhodopes.	A. Maximianopolis.	
	10.	Provincia Galatiæ.	A. Germiorum.	
	11.	Provincia Europæ.	A. Arcadiopolis.	
	12.	Provincia Thraciæ.	A. Beroæ. (10)	(10) Berrhææ.
	13.	Provincia Lesbi Insulæ.	A. Mitilenes.	
	14.	Provincia Hellesponti.	A. Parii.	
	15.	Provincia Cariæ.	A. Meliti. (11)	(11) Mileti.
(8) Pampyliæ.	16.	Provincia Lycaoniæ. (8)	A. Selgæ.	
	17.	Provincia Thraciæ.	A. Nicopolis.	
	18.	Provincia Insulæ.	A. Periconesi. (12)	(12) Præconnesi.
	19.	Provincia Rhodopes.	A. Anchiali.	
	20.	Provincia Europæ.	A. Selymbriæ.	
	21.	Provincia Lesbi Insulæ.	A. Methymnæ.	
	22.	Provincia Bithyniæ.	A. Cii.	
	23.	Provincia Europæ.	A. Apni. (13)	(13) Apri.
	24.	Provincia Rhodopes.	A. Cypselorum.	
	25.	Provincia Zechiæ.	A. Chersonis.	
	26.	Provincia ejusdem.	A. Bospori.	
	27.	Provincia ejusdem.	A. Nicopseos.	

(1) Isauriæ.

28. Provincia Sauriæ. (1) A. Cotradorum.
29. Provincia Elenoponti. A. Euchaitarum.
30. Provincia Insular. Cycladũ. A. Carpathi.
31. Provincia Rhodopes. A. Æni.
32. Provincia Europæ. A. Drixeparorum. (3)
33. Provincia Emimonti. A. Mesembriæ.
34. Provincia Armeniæ. A. Heracleopol. sive Pedachtarũ.
35. Provincia Amasiæ. (2) A. Sebastopolis.
36. Provincia Galatiæ. A. Amorii.
37. Provincia Ponti Polemon. A. Trapezuntorum.
38. Prov. Helladis, sive Achajæ. A. Athenarum.
39. Provincia Paphlagoniæ. A. Amastræ.
40. Provincia Lycaoniæ. A. Misthiæ.
41. Provincia Helladis. A. Æginæ.
42. Provincia Thraciæ. A. Dercorum.
43. Provincia ejusdem. A. Mesinæ. (4)
44. Provincia .... A. Gariallorum.
45. Provincia Siciliæ. A. Catanes.
46. Provincia Calabriæ. A. Rhegii.

(2) Abasgiæ Carolo a S. Paulo: aliis, Colchidis.

(3) Dryzipærorum.

(4) Mosynæ, seu Mosynopolis.

ORDO METROPOLITARUM

Prout descriptus est in Chartophilacio, & quot Episcopi subsint Metropolitis.



IV.

Recte hic adnotat Carolus a S. Paulo, hoc loco confusam esse Cæsariensem Provinciã cum Ephesina: quæ transposita sunt ex sequenti Notitia corrigi poterunt, & ex Notitia Leonis Sapientis.

I. Provincia Cæsarea Cappadociæ.

Metropolis Cæsarea.

Episcopatus.

1. Adramyttii.
2. Metropoles.
3. Colophonæ.
4. Nyssæ.
5. Assi.
6. Barettorum.
7. Lebedi.
8. Basilicarum Thermarum.
9. Gargari.
10. Magnæsiæ) addendũ Elææ.
11. Tei.
12. Theodosiopolis) Armeniæ.
13. Mastaurorum.
14. Aninatum.
15. Erythrarum.
16. Camulianorum.
17. Galloës.
18. Pergami.
19. Clazomenarum.
20. Cicosi. (1)
21. Bryullorum.
22. Aneorum.
23. Tandri. (2)
24. Pittanes.
25. Prienæ.
26. Theodosiopolis.

(1) Forte Cicissi.

(2) Antandri.

II. Me-

II. *Metropolis Ephesus.*
Episcopatus.

1. Myrinæ.
2. Arcadiopolis.
3. Perperinæ.
4. Ypetorum. (1) — (1) Hypæporum.
5. Phociæ.
6. Novæ Aulæ.
7. Cumæ.
8. Trallium.
9. Aureliopolis.
10. Templi Jovis.
11. Palæopolis.
12. Magnesiæ Meandri.
13. Nesæ.
14. Augazorum.

III. *Provincia Europæ. Metrop. Heraclea.*
Episcopatus.

1. Panii.
2. Calipolis.
3. Adrianæ.
4. Chersonesi.
5. Cylæ.
6. Rhodosti.
7. Lizici.
8. Tzorylli.
9. Theodoropolis.

IV. *Provincia Galatiæ. Metrop. Ancyrorum.*
Episcopatus.

1. Tabiæ.
2. Heliopolis.
3. Aspone.
4. Berinopolis.
5. Mnezi.
6. Cinnæ.
7. Anastasiopolis.

V. *Provincia Hellespontl. Metrop. Cyzici.*
Episcopatus.

1. Germes.
2. Pœmanii.
3. Ocæ.
4. Bareos.
5. Adriano Therarum.
6. Lampsaci.
7. Abydi.
8. Dardani.
9. Helii. (1) — (1) Ilii.
10. Troadis.
11. Pioniæ.
12. Melitopolis.
13. Adraneæ.

VI. *Provincia Lydiæ. Metrop. Sardis.*
Episcopatus.

1. Philadelphiæ.
2. Tripolis.
3. Thyatherorum.
4. Settorum.
5. Aureliopolis.
6. Gerdarum. (3) — (3) Gordorum.
7. Trallorum.
8. Satalorum. (4) — (4) Alibi legitur Salorum.
9. Silandri. (5) — (5) Silandi.
10. Meoniæ.
11. Fani-Apollinis.
12. Orcanidis.
13. Mustinæ. (6) — (6) Mostenæ.
14. Acrasi.
15. Apolloniadis.
16. Attaliæ.
17. Bagæ. (7) — (7) Banæ.
18. Balandi.
19. Mesotymoli.
20. Hierocæsareæ.

21. Dal-



PARERGON NOTITIAS

Aliquot Ecclesiasticas, & Civiles diversis temporibus editas complectens.





Uamquam multis variisque in istius Operis locis nonnullas exhibuerim Notitias Provinciarum, ac Metropoleon, non abs re tamen fecisse videbor, si hic alias adjiciam, quas Clarissimi Viri Carolus a Sancto Paulo, & Emanuel a Schelstrate ex Codicibus Manuscriptis erutas suis Operibus inseruerunt. Quemadmodum enim insignes etiam Pictores, Imaginem quampiam pingentes, flores, arbusculas, aviculas, & hujusmodi alia interdum addere consueverunt: quod (1) Plinius de Protogene scripsit, cum scilicet propylæum pingeret, adjecisse parvas naves longas, in his, quæ Pictores Parerga appellant: haud secus præter Notitias illas, quas sparsim in unaquaque Provincia indicavi, alias primæ huic Parti adnectere æquum duxi, ex quibus Lector Benevolus, siquæ in Ecclesiæ Episcopatibus mutationes successu temporis factæ sint (non enim omnes eadem editæ sunt ætate) nullo cum labore perspiciet; plures item antiquos Episcopatus, quorum in Conciliis, immo & præcedentibus Notitiis nulla memoria est, deprehendet. Hic vero præsertim lubet eas in medium proferre, quæ ad calcem Operis Caroli a Sancto Paulo de Geographia Sacra, nuper Amstelædami Typis cusi, una cum Notis, & Animadversionibus eruditissimi Viri Lucæ Holstenii, prima tantum excepta Patriarchatus Romani, ex veteri Notitia Imperii excerpta, quam initio exhibemus. Earum singulis breviusculas notas in margine alphabeti literis, prolixiores ad cujusque calcem asterisco designatas adjecimus.

(1) Plinius l. 35. c. 10.

NO-

NOTITIA SACRA PATRIARCHATUS ROMANI.



I. *IN ITALIA.*

Apud Carolum a S. Paulo pagin. 23.

ROMA, Sedes Patriarchæ Occidentis, & Primatis Italiæ, & Metropolitani Latii utriusque novi & veteris, Campaniæ, Tusciæ, Umbriæ, Valeriæ, utriusque Piceni Annonarii, & Suburbicarii, Samnii, Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Brutiorum, & Corsicæ. (1)

Mediolanum, Metropolis Liguriæ, Alpium Cottiarum, & Rhætiæ utriusque. (2)

Ravenna Metropolis Flaminiæ, & Æmiliæ. (3)

Aquileja, Metropolis Venetiæ, & Istriæ. (4)

Syracusæ, Metropolis Siciliæ. (5)

Calaris, Metropolis Sardiniæ, (6) & Insularum Balearium. (7)

IN ILLYRICO OCCIDENTALI.

Syrmium, (8) Sedes Primatis Pannoniarum, & Norici utriusque, Laureacum, Syrmio diruto, Metropolis Pannoniarum, & Norici.

Salona, Metropolis Dalmatiæ.

IN GALLIIS. (9)

Arelatum, Sedes Primatus Galliarum, & Metropolis Secundæ Viennensis.

Vienna, Metropolis Viennensis Primæ, & Alpium Grajarum, seu Provinciarum.

Narbo Metropolis Narbonensis Primæ.

Aquæ Sextiæ, Metropolis Narbonensis Secundæ, dubia.

Ebrodunum, Metropolis Alpium Maritimarum.

Treveris, Metropolis Belgicæ Primæ, & duarum Germanicarum.

Rhemi, Metropolis Secundæ Belgicæ.

Lugdunum, Metropolis Primæ Lugdunensis.

Rhothomagus, Metropolis Secundæ Lugdunensis.

Turonum, Metropolis Tertiæ Lugdunensis.

Civitas Senonum, Metropolis Quartæ Lugdunensis.

Vesuntio, Metropolis Maximæ Sequanorum, dubia.

Bituricæ, Metropolis Aquitaniæ Primæ, Sedesque antiqua Primatis Aquitaniæ.

Burdigala, Metropolis Aquitaniæ Secundæ.

Elusa, Metropolis Novempopulaniæ.

(1) Vide supr. l. 4. c. 1. & l. 3. c. 4.

(2) Ibid. c. 6. n. 10. & seqq.

(3) Ibid. n. 1. & seqq.

(4) Ibid. n. 10. & seq.

(5) L. 4. c. 5. n. 1. & seq.

(6) Ibid. n. 9.

(7) De Balear. incertum.

(8) L. 5. c. 4.

(9) L. 5. c. 1. 2. 3.

IN

ANTIQUÆ. v

IN HISPANIA. (1)

Hiſpalis, Sedes Primatis Hiſpaniæ per aliquod tempus, & Metropolis Bæticæ.
Carthago, primis ſeculis Metropolis Provinciæ Carthaginenſis.
Toletum, Metropolis primum Provinciæ Carpetanæ, & poſtea Carthaginenſis, denique Sedes Primatis Hiſpaniæ.
Tarraco Metropolis Provinciæ Tarraconenſis.
Emerita Auguſta, Metropolis Luſitaniæ.
Brachara Auguſta, prima Metropolis Gallæciæ.
Lucus Auguſta, altera Metropolis Gallæciæ.

(1) Ibid. c. 4. 5.

IN ILLYRICO ORIENTALI. (2)

Theſſalonica, Sedes Primatis Illyrici Orientalis per multa ſecula, & Metropolitani Macedoniæ.
Corinthus, Sedes Primatis Achajæ, & una ex Metropolibus ejuſdem Diœceſis.
Athenæ, Metropolis Helladis, ſaltem quantum ad honorem.
Patræ, Metropolis altera Achajæ, ſaltem quantum ad honorem.
Nicopolis, Metropolis Epiri veteris.
Dyrrachium, Metropolis Epiri novæ.
Lariſſa, Metropolis Theſſaliæ.
Scupi Metropolis Dardaniæ.
Achrida, Sedes Primatis primi Illyrici, & ſecundæ Pannoniæ. (3)
Sardica, Metropolis utriuſque Daciæ, & Mœſiæ ſuperioris.

(2) Supra l. 3. c. 1. & 2.

(3) Supra l. 3. c. 1. n. 7. c. 2. & 3.

IN DACIA ANTIQUA.

Mæſia Secunda, & Scythia. (4)

Marcianopolis, Metropolis Mœſiæ inferioris.
Tomi, Metropolis Scythiæ.
Zarmzegetus, Gothorum Metropolis in Dacia.

(4) Ibid. c. 3.

IN AFRICA. (5)

Carthago, Sedes Primatis Africæ, & Metropolitani Provinciæ Proconſularis.
Prima Sedes Numidiæ, in qua Senior Epiſcopus ſedebat.
Prima Sedes Mauritaniæ Cæſarienſis, & Tingitanæ, in qua Senior Epiſcopus ſedebat.
Prima Sedes Mauritaniæ Sitifenſis, in qua Senior Epiſcopus ſedebat.
Prima Sedes Bizacenæ Provinciæ, in qua Senior Epiſcopus ſedebat.
Prima Sedes Tripolitanæ Provinciæ, in qua Senior Epiſcopus ſedebat.

(5) Lib. 4. c. 7. 8. & 9.

BRE-

BREVIS DESCRIPTIO

Finium Sanctissimorum Patriarcharum, & Apostolicarum Sedium enumeratio.



II.

Ex vetusto Codice MS. Vaticano apud Carolum a S. Paulo, ad calcem Geographiæ Sacræ Ug. S.

Apud Emanuelem a Schelstrate, Antiq. Eccles. Tom. 2. in Appendice ad opus Chronologicum, num. 6. pag. 635. Edit. Romanæ, Ann. 1697.

Ex MSS. Codicibus Vaticanis sub num. 1167. & 1183. correctius edita. In utroque Græce, & Latine descripta est, nos Latine tantum hic exhibemus cum notis Caroli a S. Paulo, quasdam & nos adjecimus.

PRimus Thronus Coryphæi Apostolorum Petri, Senioris Romæ Præsulis, Apostolicam & Patriarchicam Sedem moderantis, ad terminos usque Sazorum (1) (in Cod. Vaticano, *Saxorum*) Gallorum, Camporum (2), Francorum, & Gades usque ad Herculis columnas, atque Oceanum, (*populorum*) initium habentium ab Occasu solis, ubi sunt mortuæ aquæ & quietæ ac densæ, ubi & insula (3) quædam ab extrema Maris Oceani, virorum admodum ferax, Christianorum innumeram multitudinem continens, qui sunt homines proceri, robusti, & fortissimi; atque inde Ravennam (4) usque & Longobardos (in altero Cod. Vaticano, *Longibardos*) ac Thessalonicam, Schlavos, Arrabos, (5) (in altero Cod. Vaticano, *Arabes*) Avares (6), & Scythas, ac Danubium flumen, Ecclesiasticas constitutiones terminorum Episcopalium complectens. Tum etiam Sardiniam, & Magiricas (7), Carthaginemque, & Hesperias oras, & simul omnes complectens regiones, atque concludens, in quibus circumfluentes spirant venti Circius Septemtrionalis, Aquilo, quin & Choreus, cujus in Actibus Apostolorum mentio fit medius deinde Favonius, Hesperius Occidentalis Africus, atque Austro-Africus. Hæc amplectitur omnia Supremus Apostolorum & præstantissimus Patriarcharum, Magnæ scilicet Romæ Antistes.

Secundus Sanctissimus Apostolicus Thronus & Patriarchicus Constantinopoleos, primi inter Apostolos a Christo vocati Andreæ, & Magni Theologi Evangelistæ, atque Apostoli Joannis, Europam, & Asiam ad Siciliam usque, quæ ad Occidentem est, ac Cycladas, indeque ad Chersonem, Avergiam-

(1) Forte Saxonum i. e. Anglorum, qui in extremis versus Septemtrionem.

(2) Cambrorum forte, seu Britannorum, qui Anglis vicini insulam cum ipsis partiebantur.

(3) Insula hæc, credi potest Hibernia virorum fœcunda, & insula Sanctorum dicta.

(4) i. e. Exarchatum, seu eam Italiæ partem, quæ Exarchis Ravennatibus parere solita, cum reliqua Italia Longobardis subjecta esset eo tempore.

(5) Arrabi videri possunt, qui Aravi in vetusta inscriptione, apud Goltzium, Araviscі Plinio forte, Arabisci Ptolemæo Pannoniæ populi.

(6) Avares, sive Abares populi ad Danubium Suidæ, qui prius Hunni.

(7) Legendum ni fallor *Majorica*.

giamque [1] (in Cod. Vatic. apud Schelstratem legimus, *Abasgiamque*): *porro Abasges, Stephano, sunt Scythiæ populi, vicini Sanigis: aliis vero, sunt populi Asiæ prope Caucasum montem, quorum fit mentio in quodam Tractatu ex collectis Anastasii Bibliothecarii, edito a P. Sirmondo*; (ex ejusmodi populorum Regione Absagem, seu Absarum fluvium nasci, indeque in Armeniam usque excurrere, tradit Plinius lib. 6. c. 4. & 9.) & Choldiam [2] (apud Schelstratem, *Chaldeam*) & Chazariam, ad [3] Cappadociam usque Borealia cuncta climata complectens.

Tertius Sanctissimus & Apostolicus Thronus Alexandriæ, Evangelistæ & Apostoli Marci, qui factus est filius summi Apostolorum Petri, obtinens usque ad interiorem Indiam, & Æthiopiam, quæ Sedes fuit Sancti Apostoli Thomæ, atque inde ad Marmaricam, Africam, Tripolim, & universam Ægyptiorum Provinciam ad Palæstinæ usque fines, Austri, atque Austro-Africi climata continens.

Quartus Sanctissimus & Apostolicus Thronus Antiochiæ & Patriarchicus, ac Coryphæi Apostolorum Petri prima Sedes, complectens versus Ortum solis iter 87. dierum versus Tiberiam (apud Schelstratem, *Iberiam*) & Abasgiam, [4] atque Armeniam, & usque ad interius desertum Chorosani, [5] Persas, Medos, Chaldæos, indeque ad extrema Arabiæ præfecturæ, Parthos, Elamitas, & Mesopotamios: Vulturni, Subsolani, & siquis est alius Orientalis ventus, climata comprehendit. Habet autem Metropoles duodecim, Tyrum, quæ habet Episcopatus xiii. (Schelstrates habet tantum iii.) Tarsum, quæ habet Episcopatus v. (apud Schelstratem iv.) Edessam, quæ habet Episcopatus xi. Apameam, quæ habet Episcopatus vii. Hierapolim, quæ habet Episcopatus ix. Anabanzam, (apud Schelstratem, *Anasarbæ*) quæ habet Episcopatus viii. Seleuciam Isauriæ, quæ habet Episcopatus xxiv. Damascum, quæ habet Episcopatus xi. Amidam, quæ habet Episcopatus viii. Sergiopolim, quæ habet Episcopatus v. Cædarach [6] (apud Schelstratem, *Daras*) quæ habet Episcopatus iii. *Autocephalos*. Eriti [7], Emesæ, Laodiceæ, Samasatarum, (apud Schelstratem, *Samosatorum*) Cyri. Archiepiscopos vii. Berroëæ, Chalcedonis, [8] Gabalorum, (apud Schelstratem, *Gabulorum*) Seleuciæ Pieriæ, Anatzarthon, Pluti Gabalorum, (apud Schelstratem, *Gabulorum*) Litti duo, Salamidis, (apud Schelstratem, *Salamiadis*) & Marcusarum, seu juxta Schelstratem, *Marcusorum*.

Quintus Sanctissimus & Apostolicus Thronus Jerosolymorum sanctæ civitatis, Sancti Apostoli & fratris Domini nostri Jesu Christi Jacobi, qui oculatus testis & minister fuit verbi, ac Mystes ineffabilium invisibiliumque Mysteriorum, cœlestium spectaculorum: continens totam Palæstinam usque ad Arabiam. [9] Cæsarea Metropolis, Dora, Antipatros, Diospolis, Jamnia, Nicopolis, Onus, Sozusa, Joppe, Ascalon, Ga-

(1) Avergia, forte Avarenorum reg. in Sarmatia.

(2) Cholchidem haud dubie.

(3) Gazariam. Sunt autem Gazari Sarmatiæ gens in Histor. Miscell. Chazari quoque leguntur & iidem opinor circa Chersonem.

(4) Abasgi Iberi sunt aut eorum pars.

(5) Chorosan forte. Ego puto Chorasmios populos Parthorum Herodoto lib. 3. qui Chorasmine Stephano. Aut forte sunt Choramnæi, sive Chorannei, Sylvestres populi Persidis, cursu velocissimi.

(6) Forte Cæsaream Ciliciæ, seu Daram ab Arsace condità, de qua Justinus lib. 41.

(7) Beryti.

(8) Chalcidis.

(9) Quæ sequuntur desunt in Codicibus Vaticanis, quibus Schelstrates usus est.

za, Raphia, Anthidon, Diocletianopolis, Eleutheropolis, Neapolis, Sebaste, Regium Apathos, Regium Hiericho, Regium Libyæ, Regium Gadarorum, Azotus Paralus, Azotus Hispinus, Eucomazon, Vitelius, Tricomias, Toxus, Salton, Salton Geraiticus, sive Barsamon.

Provincia Palæstinæ secundæ Scythopolis, Pellas, Gadira, Capetolissa, Abila, Maximianopolis, Diocæsarea, Tiberias, Gadæ, Elenopolis, Hippus, Tetracomia, Clima Gaulames, Vicus Nais.

Provincia Palæstinæ tertiæ Patæ (1) Metropolis, Augustopolis, Arindela, Parochmuchi, Ariopolis, Mapses, Elusa, Zura, Birosamon, Elas, Pentacomia, Mamopsora, Metrcomes, Salton Hieraticum.

(1) Petræ legendum.

NOTITIA

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANI.

ORDO SEDIUM METROPOLITARUM.

III. *Ex eodem Cod. MS. Vaticano apud Carolum a S. Paulo p. 7. & seqq.*

i.	Provincia Cappadociæ.	M. Cæsareæ.
ii.	Provincia Asiæ.	M. Ephesi.
iii.	Provincia Europæ.	M. Heracleæ.
iv.	Provincia Galatiæ.	M. Ancyræ.
v.	Provincia Hellesponti.	M. Cyzici.
vi.	Provincia Lydiæ.	M. Sardeorum, seu Sardium.
vii.	Provincia Bithyniæ.	M. Nicomediæ.
viii.	Provincia ejusdem.	M. Nicææ.
ix.	Provincia ejusdem.	M. Chalcedonis.

Ab his Archiepiscopi.

	Provincia Insulæ.	A. Cretæ.
	Provincia Peloponesi.	A. Corinthi.
	Provincia Insulæ.	A. Siciliæ.
	Provincia Illyricæ.	A. Thessalonicæ.
x.	Provincia Pamphyliæ.	M. Sidæ.
xi.	Provincia Armeniæ primæ.	M. Sebasteæ.
xii.	Provincia Helenoponti.	M. Amasiæ.
xiii.	Provincia Armeniæ prim. (1)	M. Melitinæ.
xiv.	Provincia Cappad. secundæ.	M. Tyanorum.
xv.	Provincia Paphlagoniæ.	M. Gangrorum.
xvi.	Provincia Honoriadis.	M. Claudiopoleos.
xvii.	Provinc. Ponti Polemoniaci.	M. Neocæsareæ.
xviii.	Provincia Galatiæ secundæ.	M. Pisinuntis.
xix.	Provincia Liciæ.	M. Myrorum.

(1) Secundæ potius legendum.

xx. Pro-

	xx.	Provincia Cariæ.	M. Stauropolis.	
	xxi.	Provincia Phrygię Pacatianę.	M. Laodiceæ.	
(1) Nimirum Phrygiæ.	xxii.	Povincia Salutaris. (1)	M. Synadorum.	
	xxiii.	Provincia Lycaoniæ.	M. Iconii.	
	xxiv.	Provincia Pisidiæ.	M. Antiochiæ.	
(2) Nempe secundæ.	xxv.	Provincia Pamphyliæ. (2)	M. Perge sive Silæi.	
	xxvi.	Provincia Cappadociæ. (3)	M. Cokissi. (5)	(5) Lege Mocissi.
(3) Tertiæ.	xxvii.	Provincia Lazicæ.	M. Tuphandis. (6)	
	xxviii.	Provincia Thraciæ.	M. Philippopolis.	(6) Lege Phasidis.
	xxix.	Provincia Rhodopes.	M. Trajanopolis.	
	xxx.	Provinc. Insularũ Cicladũ.	M. Rhodi.	
	xxxi.	Provincia Hemimonti.	M. Adrianopoleos.	
	xxxii.	Provincia ejusdem.	M. Marcianopoleos.	
	xxxiii.	Prov. Phrygiæ Pacatianæ.	M. Hierapoleos.	
	xxxiv.	Provincia Helladis.	M. Athenarum.	
	xxxv.	Provincia Achajæ.	M. Patrarum.	
	xxxvi.	Provincia Helladis. (4)	M. Larissæ.	
(4) Nimirum secundæ, seu Thessaliæ.	xxxvii.	Provincia Macedoniæ.	M. Philipporum.	

Autocephalorum Archiepiscoporum.

	1.	Provincia Mysiæ.	A. Odissi vel Baræ.	
	2.	Provincia Scythiæ.	A. Tomis.	
	3.	Provincia Europæ.	A. Bizyæ.	
	4.	Provincia Paphlagoniæ.	A. Pompejopolis.	
	5.	Provincia Asiæ.	A. Smyræ. (9)	(9) Leg. Smyrnę.
(7) Isauriæ.	6.	Provincia Asiæ. (7)	A. Leontopolis.	
	7.	Provincia Rhodopes.	A. Maroniæ.	
	8.	Provincia Bithyniæ.	A. Apamiæ.	
	9.	Provincia Rhodopes.	A. Maximianopolis.	
	10.	Provincia Galatiæ.	A. Germiorum.	
	11.	Provincia Europæ.	A. Arcadiopolis.	
	12.	Provincia Thraciæ.	A. Beroæ. (10)	(10) Berrhææ.
	13.	Provincia Lesbi Insulæ.	A. Mitilenes.	
	14.	Provincia Hellesponti.	A. Parii.	
	15.	Provincia Cariæ.	A. Meliti. (11)	(11) Mileti.
(8) Pampyliæ.	16.	Provincia Lycaoniæ. (8)	A. Selgæ.	
	17.	Provincia Thraciæ.	A. Nicopolis.	
	18.	Provincia Insulæ.	A. Periconesi. (12)	(12) Præconnesi.
	19.	Provincia Rhodopes.	A. Anchiali.	
	20.	Provincia Europæ.	A. Selymbriæ.	
	21.	Provincia Lesbi Insulæ.	A. Methymnæ.	
	22.	Provincia Bithyniæ.	A. Cii.	
	23.	Provincia Europæ.	A. Apni. (13)	(13) Apri.
	24.	Provincia Rhodopes.	A. Cypselorum.	
	25.	Provincia Zechiæ.	A. Chersonis.	
	26.	Provincia ejusdem.	A. Bospori.	
	27.	Provincia ejusdem.	A. Nicopseos.	

28. Provincia Sauriæ. (1)	A. Cotradorum.
29. Provincia Elenoponti.	A. Euchaitarum.
30. Provincia Insular. Cycladũ.	A. Carpathi.
31. Provincia Rhodopes.	A. Æni.
32. Provincia Europæ.	A. Drixeparorum. (3)
33. Provincia Emimonti.	A. Mesembriæ.
34. Provincia Armeniæ.	A. Heracleopol. sive Pedachtarũ.
35. Provincia Amasiæ. (2)	A. Sebastopolis.
36. Provincia Galatiæ.	A. Amorii.
37. Provincia Ponti Polemon.	A. Trapezuntorum.
38. Prov. Helladis, sive Achajæ.	A. Athenarum.
39. Provincia Paphlagoniæ.	A. Amastræ.
40. Provincia Lycaoniæ.	A. Misthiæ.
41. Provincia Helladis.	A. Æginæ.
42. Provincia Thraciæ.	A. Dercorum.
43. Provincia ejusdem.	A. Mesinæ. (4)
44. Provincia	A. Gariallorum.
45. Provincia Siciliæ.	A. Catanes.
46. Provincia Calabriæ.	A. Rhegii.

(1) Isauriæ.

(2) Absagiæ Carolo a S. Paulo: aliis, Colchidis.

(3) Dryzipa-rorum.

(4) Mosynæ, seu Mosynopolis.

ORDO METROPOLITARUM

Prout descriptus est in Chartophilacio, & quot Episcopi subsint Metropolitis.



IV.

Recte hic adnotat Carolus a S. Paulo, hoc loco confusam esse Cesariensem Provinciã cum Ephesina: quæ transposita sunt ex sequenti Notitia corrigi poterunt, & ex Notitia Leonis Sapientis.

I. Provincia Cæsarea Cappadociæ.

Metropolis Cæsarea.

Episcopatus.

1. Adramyttii.	14. Aninatum.
2. Metropoles.	15. Erythrarum.
3. Colophonæ.	16. Camulianorum.
4. Nyssæ.	17. Galloës.
5. Assi.	18. Pergami.
6. Barettorum.	19. Clazomenarum.
7. Lebedi.	20. Cicosi. (1)
8. Basilicarum Thermarum.	21. Bryullorum.
9. Gargari.	22. Aneorum.
10. Magnæsiæ) addendũ Elææ.	23. Tandri. (2)
11. Tei.	24. Pittanes.
12. Theodosiopolis) Armeniæ.	25. Prienæ.
13. Mastaurorum.	26. Theodosiopolis.

(1) Forte Cicissi.

(2) Antandri.

II. Me-

II. Metropolis Ephesus.
Episcopatus.

1. Myrinæ.
2. Arcadiopolis.
3. Perperinæ.
4. Ypetorum. (1)
5. Phociæ.
6. Novæ Aulæ.
7. Cumæ.
8. Trallium.
9. Aureliopolis.
10. Templi Jovis.
11. Palæopolis.
12. Magnesiæ Meandri.
13. Nesæ.
14. Augazorum.

(1) Hypæporum.

III. Provincia Europæ. Metrop. Heracleæ.
Episcopatus.

1. Panii.
2. Calipolis.
3. Adrianæ.
4. Chersonesi.
5. Cylæ.
6. Rhodosti.
7. Lizici.
8. Tzorylli.
9. Theodoropolis.

IV. Provincia Galatiæ. Metrop. Ancyrorum.
Episcopatus.

1. Tabiæ.
2. Heliopolis.
3. Asponæ.
4. Berinopolis.
5. Mnezi.
6. Cinnæ.
7. Anastasiopolis.

V. Provincia Hellesponti. Metrop. Cyzici.
Episcopatus.

1. Germes.
2. Pœmanii.
3. Ocæ.
4. Bareos.
5. Adriano Therarum.
6. Lampsaci.
7. Abydi.
8. Dardani.
9. Helii. (1)
10. Troadis.
11. Pioniæ.
12. Melitopolis.
13. Adranecæ.

(1) Ilii.

VI. Provincia Lydiæ. Metrop. Sardis.
Episcopatus.

1. Philadelphiæ.
2. Tripolis.
3. Thyatherorum.
4. Settorum.
5. Aureliopolis.
6. Gerdarum. (3)
7. Trallorum.
8. Satalorum. (4)
9. Silandri. (5)
10. Meoniæ.
11. Fani-Apollinis.
12. Orcanidis.
13. Mustinæ. (6)
14. Acrasi.
15. Apolloniadis.
16. Attaliæ.
17. Bagæ. (7)
18. Balandi.
19. Mesotymoli.
20. Hierocæsareæ.

(3) Gordorum.
(4) Alibi legitur Salorum.
(5) Silandi.
(6) Mostenæ.
(7) Banæ.

21. Dal-

21. Daldæ.
22. Stratoniceæ.
23. Cæraſeorum.
24. Atallorum.
25. Gabalorum.
26. Hermocapeliæ.

VII. Provincia Bithyniæ Metrop. Nicomediæ.
Epiſcopatus.

1. Pruſæ.
2. Preneti.
3. Elenopolis.
4. Baſilinopoleos.
5. Daſcylii.
6. Apolloniadis.
7. Neocæſareæ.
8. Adriani.
9. Cæſareæ.
10. Galli ſeu Doſiæ.

VIII. Provincia Bithyniæ. Metrop. Niceæ.
Epiſcopatus.

1. Modrenæ, ſive Melinæ.
2. Linoës.
3. Gordo-Servorum.

IX. Provincia Bithyniæ. Metrop. Chalcedonis.
Ab his Archiepiſcopi: deſunt nomina.

Provincia Cretæ. Metrop. Gortynæ.
Epiſcopatus.

1. Biennæ.
2. Cameræ.
3. Cherſoneſi.
4. Arcadiæ.
5. Subriti.
6. Eleutherræ.
7. Apternæ.
8. Ciſami.
9. Elyri.
10. Phœnices, ſive Ariadnę.
11. Hierapidnæ.
12. Alyngi.
13. Lectis.
14. Conoſsi. (1) (1) Gnoſſi.
15. Axii.
16. Lamparum.
17. Cydoneæ.
18. Cautaniæ. (2) (2) Cantaniæ.
19. Liſsi.
20. Inſulæ Claudi.

Provincia Peloponneſi. Metrop. Corinthi.
Provincia Siciliæ Metrop. Syracuſæ.
Epiſcopatus.

1. Catanes.
2. Tauromenii. (3) Meſſanæ.
3. Meſones. (3)
4. Cephaludii.
5. Thermarum.
6. Panormi. (4) Lilybæi.
7. Lilobii. (4)
8. Trocaleorum.
9. Agraganti, ſeu Agrigenti.
10. Tyndarii.
11. Leontines.
12. Aleſes.
13. Melitæ.

Provincia Macedoniæ Illyrici. Metrop. Theſſalonicæ.
X. Provincia Pamphyliæ. Zelarum (5) *Metrop. Sidæ.*
Epiſcopatus.

(5) Tranſpoſita ab Amaſiena Provincia videtur.

1. Selgæ.
2. Aſpendi.
3. Etenæ.
4. Orymni. (6) (6) Erymnii.

5. Ca-

5. Caforum.
6. Semneorum.
(1) Caralliorum. 7. Varalliorum. (1)
(2) Coracifii. 8. Corafii. (2)
9. Syedrorum.
(3) Mylyæ forte. 10. Milomæ, (3) five Juftinop.
11. Umandrorum. (4) (4) Alibi Onomandorum.
12. Dalifandri.
13. Hefmorum. (5) (5) Ifyndorum.
14. Lirdæ. (6) (6) Lyrbæ.
15. Colybrafi.
16. Manavorum. (7) (7) Alibi Manæorum.

XI. Provincia Armeniæ. Metrop. Sebaftea.
Epifcopatus.

1. Sebaftopolis.
2. Nicopolis.
3. Sattalorum.
4. Colojæ. (8) (8) Coloniæ.
5. Bireffæ. (9) (9) Alibi Beriffæ.

XII. Provincia Hellenoponti. Metrop. Amafeæ.
Epifcopatus.

1. Amifsi.
(10) Iberorum alias. 2. Iberorum. (10)
3. Sinopes.
4. Andrafporum. (11) (11) Andraporû.
5. Zalichi, five Leontopolis.

XIII. Provincia Armeniæ. (12) Metrop. Melitenes. (12) Secundæ scilicet.
Epifcopatus.

1. Arcæ.
2. Cucufi.
3. Arabifsi.
4. Ariarathnæ. (13) (13) Ariarathiæ.
5. Comanorum.

XIV. Provincia Cappadociæ. (14) Metrop. Tyanorum. (15) (14) Nimirum fecundæ.
Epifcopatus.

1. Cybiftrorum.
2. Fauftinopolis.
3. Safimorum. (15) Tyannorum.

XV. Provincia Paphlagoniæ. Metrop. Gangorum.
Epifcopatus.

1. Amaftridis.
(16) Junopolis. 2. Inopolis. (16)
3. Dadembrorum. (17) (17) Dadybrorû.
4. Sorarum.

XVI. Provincia Honoriadis. Metrop. Claudiopolis.
Epifcopatus.

1. Heracleæ Ponti.
2. Prufiadis.
3. Tii.
4. Cratiæ.
5. Adrianopolis.

XVII. Provincia Ponto-Polemoniacæ. Metr. Neocæfareæ.
Epifcopatus.

(1) Seu Trapezunton. 1. Trapezuntis. (1)
2. Cerafuntorum.
3. Polemonii.
4. Comanorum.

XVIII. Pro-

XVIII. Provincia Galatiæ Secundæ. M. Pisinuntorum.
Episcopatus.

1. Amorii.
2. Clanei.
3. Eudoxiadis.
4. Pitanisſi.
5. Trocnadorum.
6. Germocloniæ. (1)
7. Paliæ.

[1] Germo Coloniæ.

XIX. Provincia Lyciæ. Metrop. Myrorum.
Episcopatus.

1. Maſtaurorum.
2. Telemiſsi, ſive Anaſtaſiopolis.
3. Lymirorum.
4. Araxæ.
5. Aprillorum.
6. Podaliæ.
7. Arneandri. (1)
8. Tatorum. (2)
9. Arneorum.
10. Sidymorum.
11. Zenonopolis.
12. Olympi.
13. Tlorum.
14. Cyridallorum. (3)
15. Cani.
16. Acraſi.
17. Xanthi.
18. Bobi, ſeu Sophianopolis.
19. Marcianæ.
20. Onundorum.
21. Chomatis.
22. Cardamorum. (4)
23. Phelli.
24. Antiphelli.
25. Phatilidis. (5)
26. Rhodiapolis.
27. Acaliſsi.
28. Aucadorum. (6)
29. Poliotarum, ſive Juſtinopolis.
30. Eudociados.
31. Pattarorum.
32. Comborum.
33. Neſi.
34. Barburorum.
35. Miloitarum.
36. Cianeorum.

[1] Forte Orycandi.
[2] Alias Teporum.
[3] Lege Corydallorum.
[4] Alias Candanorum.
[5] Phaſelidis.
[6] Alibi Acandorum, & Aſcandenorum.

XX. Provincia Cariæ. Metrop. Stauropolis.
Episcopatus.

1. Cybiræ.
2. Syzorum.
3. Heracleæ Sala. (1)
4. Banes.
5. Apolloniadis.
6. Heracleæ La. (2)
7. Cymonis.
8. Taborum.
9. Larymorum.
10. Antiochiæ Meandri.
11. Tapaſſarum.
12. Arpaſſarum.
13. Neapolis.
14. Orthoſiadis.
15. Anotetartæ.
16. Alabandorum.
17. Stratoniceæ.
18. Alindorum.
19. Mylaſsorum.
20. Mizi.
21. Jaſsi.
22. Barbylii.
23. Alicarnaſi.
24. Ilarymorum.
25. Cnidi.
26. Detaborum. (3)
27. Mendi,
28. Hieri, ſive Fani.
29. Cindramorum.
30. Cerami.

[1] Heracleæ Salbaci.
[2] Heracleæ Latmi.
[3] Metaborum alias.

XXI. Provincia Phrygiæ Capatinæ. (1) Metr. Laodiceæ. (1) Capatianæ.

Episcopatus.

1. Tiberiopolis.
2. Azanorum.
3. Ancyris Synæi. (2)
4. Peltarum.
5. Sepiæ. (3)
6. Cadorum.
7. Icrionis.
8. Iluzarum.
9. Tranopolis.
10. Sebaſtæ.
11. Eumeniæ.
12. Timenotherarum.
13. Agathæ comæ, ſeu boni vici.
14. Alinarum.
15. Tripolis.
16. Atanaſsi.
17. Trapezopolis.
18. Siclii. (4)

(2) Ancyra, & Sinæum diverſa ſunt oppida.

(3) Apiæ.

(4) Syblæ vel Silbii.

Provincia Phrygiæ Salutaris. Metrop. Synodarum. (1) (1) Synadarum.

Episcopatus.

1. Comitii.
2. Doryllæi.
3. Nacoliæ.
4. Docimii.
5. Medæi.
6. Ipſi.
7. Promiſi.
8. Meri.
9. Sebindi.
10. Polyboti.
11. Phytiæ.
12. Hierapolis.
13. Eucarpiæ.
14. Lyſiadis.
15. Auguſtopolis.
16. Bizi. (2)
17. Otri.
18. Lycaoniæ.
19. Stecnonii. (3)
20. Cenaborii.
21. Conis, ſeu Demetriopolis.
22. Scyrdapiæ.
23. Nicopolis.
24. Auroclorum.

(2) Bryzi.

(3) Stectorii.

XXIII. Provincia Lycaoniæ. Metrop. Iconii.

Episcopatus.

1. Lyſtrorum.
2. Uſandarum. (1)
3. Ambladorum.
4. Umandorum. (2)
5. Meſtiorum.
6. Larandorum.
7. Berettæ.
8. Derbæ.
9. Hydæ.
10. Sabatrorum.
11. Canni.
12. Berinopolis, ſive Pſibilorum.
13. Galmanarum. (3)
14. Ileſtrorum. (4)
15. Pertorum.

(1) Onoſadarum.

(2) Onomadorũ.

(3) Galbanorum.

(4) Iliſtrorum.

XXIV. Provincia Piſidiæ, Philomelii. (1)

Episcopatus.

1. Agalaſſi. (2)
2. Sozopolis.
3. Atenoæ.
4. Apamiæ Ciboti.
5. Tyrajorum.
6. Baris.
7. Adrianopolis.
8. Anapolis.
9. Laodiceæ combuſtæ.
10. Seleuciæ ferreæ.

(1) Ex Phrygia tranſpoſitum loco Antiochiæ opinatur Carolus a S. Paulo.

(2) Sagalaſſi.

11. Adadorum.
12. Zarzelorum.
13. Timbriadorum.
14. Tomandi.
15. Justinianopolis.
16. Metropolis.
17. Papporum.
18. Parlai. (1)
19. Vindæi. (2)

(1) Paralai.
(2) Bindæi.

XXV. Provincia Pamphyliæ. Metrop. Pergæ seu Silæi.
Episcopatus.

1. Attaliæ.
2. Magydi.
3. Eudociadis.
4. Telmissi.
5. Isindi.
6. Maximianopolis.
7. Laginorum.
8. Palæopolis.
9. Cremnarum.
10. Corydalli.
11. Peltinissi.
12. Cætannaurorum. (1)
13. Ariasi.
14. Puglarum.
15. Adrianæ.
16. Sandidorum.
17. Barbes.
18. Syllæi.
19. Perbænorum.

(1) Alibi Adicetannaurensis.

XXVI. Provincia Cappadociæ (III. scilicet)
Metropol. Mucisii. (1)
Episcopatus.

1. Nazianzi.
2. Coloniæ.
3. Parnassi.
4. Doarorum.

(1) Repone Mocissi.

XXVII. Provincia Lazicæ. Metrop. Phasidis.
Episcopatus.

1. Rhodopolis.
2. Sajaenorum.
3. Petrarum.
4. Ziganeus.

XXVIII. Provincia Thraciæ. Metrop. Philippopolis.
Episcopatus.

1. Diocletianopolis.
2. Sebastopolis.
3. Diospolis.

XXIX. Provincia Rhodopes. Metrop. Trajanopolis.
Episcopatus.

1. Peri. (1)
2. Anastasiopolis.

(1) Topiris forte.

XXX. Provincia Insularum Cycladum. Metrop. Rhodi.
Episcopatus.

1. Sami.
2. Chii.
3. Coi.
4. Naxiæ.
5. Theræ.
6. Pari.
7. Leri.
8. Andri.
9. Tini.
10. Meliti. (1)
11. Pisenæ.

(1) Lege Meli.

XXXI.

XXXI. Provincia Æmimonti. M. Adrianopolis.
Episcopatus.

1. Mesembriæ.
2. Sozopolis.
3. Plutinopolis.
4. Troidarum.
5. Anastasiopolis.

XXXII. (r) *Metrop. Marcianopolis.*
Episcopatus.

1. Rhodostoli.
2. Tramariscorum.
3. Noborum.
4. Zecedeporum.
5. Scariæ.

(r) Hic deest Provincia: Marcianopolis autem quibusdam ad Mœsiam inferiorem, aliis ad Æmimonti spectat.

XXXIII. Provincia Phrygiæ Capatianæ.
Metrop. Hierapolis.
Episcopatus.

1. Mellopolis.
2. Dionysiopolis.
3. Ottudorum.
4. Mosynorum.

* Incertus animi fui aliquando ex duabus Notitiis, quarum altera Leoni Philosopho Imperatori, altera Hierocli Grammatico adscribitur, utram ordine præferrem; quod in iis recensendis Scriptores non eumdem servent ordinem. Nam Carolus a Sancto Paulo Hieroclis Notitiam prætulit alteri Leonis Philosophi: contra vero Emanuel a Schelstrate istam Leonis Imperatoris anteposuit illi Hieroclis Grammatici. Si hujus perspicuum esset tempus, quo floruit, uti perspicuum est illud Leonis Sapientis, nullus subesset dubitationi locus: ast incerta Hieroclis ætas ancipitem adhuc tenet animum. Ceterum si conjecturæ quidpiam tribuendum sit, libentius inhærere lubet Schelstratis methodo, ac Leoni Philosopho primam Sedem dare, quod hujus Notitiam, ante illam Hieroclis Grammatici vulgatam existimem. Id mihi argumento est, quoniam Constantinus Porphyrogenitus, ejusdem Leonis filius, *in lib. 2. de Thematibus*, Præfecturas, seu Provincias Imperii enumerans, non Leonis Patris Notitiam, sed Hieroclis Commentarium, quod *Comitem Peregrinationis* inscripsit, secutus est: neque aliam hujus rei causam afferri posse video, nisi hanc, scilicet Hieroclis opus tunc recens editum, Leone jam e vivis erepto. Fateor nihilominus & hanc conjecturam elidi posse ex eo, quod Hierocles Civilem, Leo autem Philosophus Ecclesiasticam Imperii Notitiam adornaverit; idcirco Constantinus Porphyrogenitus & ipse civiles Imperii Præfecturas descripturus, non Patris, sed Hieroclis Notitiam sequutus est. Ut ut res sit, arbitror Hieroclem nequaquam antevertisse tempus Leonis Imperatoris, cum utriusque Notitiæ illi cohæreant ætati: & ideo digniori primam Sedem tribuere æquum duxi.

Quod attinet ad tempus, Leo Sapiens, sive Philosophus vulgo nuncupatus, post Basilii Macedonis patris obitum, Imperii hæreditatem adiit anno 886. regnavitque ad annum usque 911. quo Constantinopoli defunctus est. Varia inter opera, quæ Græce eleganter scripsit, ob quæ Sapientis, seu Philosophi nomen sibi comparuit, Notitiam Ecclesiasticam condidit, cujus Epigraphe est: *Ordo Sedium Sanctissimorum Patriarcharum.* 1. *Romanus.*

2. *Constantinopolitanus*. 3. *Alexandrinus*. 4. *Antiochenus*. 5. *Jerosolymitanus*. Quo autem Imperii sui anno illam ediderit, infra dicetur. Illam Græce, Latineque descripserunt Carolus a S. Paulo, & P. Goar., Ordinis Prædicatorum, ex Regia Christianissimi Francorum Regis Bibliotheca; novissime vero Emanuel a Schelstrate, partim ex MS. Codice 848. Bibliothecæ Vaticanæ Græce, Latineque; partim ex laudatis Scriptoribus, sed Latine tantum. Quæ in Codice Regiæ Bibliothecæ, quo Carolus a S. Paulo usus est, desunt, supplentur ex Codice Vaticano apud Emanuelem Schelstratem; quæque in hoc Codice pariter desiderantur, ex Codice Regio vicissim desumentur, singulis in notis ad marginem adnotatis.

ORDO SEDIUM

SANCTISSIMORUM PATRIARCHARUM.

1. Romanus. 2. Constantinopolitanus. 3. Alexandrinus. 4. Antiochenus. 5. Jerosolymitanus.

Ordo Sedium Metropolitanorum, & Autocephalorum, & Episcoporum, sub Apostolico Throno urbis Regiæ, & a Deo custoditæ (Constantinopoleos) agentium.

V.

Notitia Leonis Philosophi ex Regia Bibliotb. apud Carolum a S. Paulo.

Provinciæ Cappadociæ.	M. Cæsareæ.
Provinciæ Asiæ.	M. Ephesi.
Provinciæ Europæ.	M. Heracleæ Thraciæ.
Provinciæ Galatiæ.	M. Ancyræ.
Provinciæ Hellesponti.	M. Cyzici.
Provinciæ Lydiæ.	M. Sardium.
Provinciæ Bithyniæ.	M. Nicomediæ.
Provinciæ ejusdem.	M. Niceæ.
Provinciæ ejusdem.	M. Chalcedonis.
Provinciæ Pamphyliæ.	M. Sidæ.
Provinciæ Armeniæ.	M. Sebastææ.
Provinciæ Elenoponti.	M. Amasææ.
Provinciæ Armeniæ.	M. Melitenæ.
Provinciæ Cappadociæ. (1)	M. Tyanæ, seu Christopolis.
Provinciæ Paphlagoniæ.	M. Gangrorum.
Provinciæ Honoriadis.	M. Claudiopolis.
Provinciæ Ponti Polemoniaci.	M. Neocæsareæ.
Provinciæ Galatiæ.	M. Pissinuntis, seu Justinianopolis.
Provinciæ Lyciæ.	M. Myrorum.
Provinciæ Cariæ.	M. Stauropolis.
Provinciæ Phrygiæ Capatianæ.	M. Laodiceæ.
Provinciæ Phrygiæ Salutaris.	M. Synadorum.

(1) Secundæ.

Pro-

Provinciæ Lycaoniæ.	M. Iconii.
Provinciæ Pifsidiæ.	M. Antiochiæ.
Provinciæ Pamphylıæ.	M. Perge feu Sylæi.
Provinciæ Cappadociæ fecundæ.	M. Mocifsi.
Provinciæ Lazicæ.	M. Phafidis.
Provinciæ Thraciæ.	M. Philippopolis.
Provinciæ Rhodopes.	M. Trajanopolis.
Provinciæ Infularum Cycladum.	M. Rhodi.
Provinciæ Æmimonti.	M. Adrianopolis.
Provinciæ ejusdem.	M. Marcianopolis.
Provinciæ Phrygiæ Capatianæ.	M. Hierapolis.

Exactior videtur hæc Metropoleon Patriarchæ Conftantinopolitano fubjectarum Notitia, quam illa ex Codice Vaticano a Schelftrate excerpta; nam pofterior hæc plures Metropoles continet ad alios Patriarchas, precipue Romanum fpectantes: interdum etiam Provincias pro civitatibus recenfet: ac tandem plures Archiepifcopatus pro Metropolibus accipit, cum tamen apud Græcos Metropolitæ ab Archiepifcopis differant. Hæc omnia ex Metropolibus fequentibus, quæ in Schelftratis Notitia fine Provinciarum nominibus exhibentur, perfpicua erunt: in qua præter ceteras nuper recenfitas, eæ defcriptæ funt. *Theffalonica. Corinthus. Athenæ. Patræ. Lariffa. Naupactus. Philippi. Dyrrhachium. Novæ Patræ. Thebæ. Methymna. Cercyra*, (ideft Corcyra) *Chriftianopolis. Lacedæmonia. Alania* (Provincia eft.) *Seleucia. Cacana. Amorium. Camachus. Cotyæum. Sancta Severina*, (urbs eft Calabriæ.) *Euchaita. Chonæ. Nydrus. Celefena. Colonia. Serræ. Rofia. Tiberiopolis. Euchania. Cerafus. Nacolia. Madyta. Bafileum. Diftra. Nazianzus. Abydus. Rhufium. Naxia. Atalia.*

Magna pars ejufmodi Metropoleon, feu Civitatum ad Illyricum, aliafque Romani Patriarchatus Provincias pertinebant, quæ tamen Photiano Schifmate tunc debacchante, vi ab eo fuerant avulfæ. Aliarum vero pleræque non Metropoles erant, fed Epifcopatus dumtaxat fuis Metropolibus in unaquaque Provincia fubjecti. Quæ autem reliquæ funt in Codice Vaticano apud Schelftratem Metropoleos titulo infignitæ civitates, in Codice Regio apud Carolum a S. Paulo, inter Archiepifcopatus Græcorum more aptius enumerantur. Nempe *Aenus*, feu *Aeni*. *Trapezus. Smyrna. Mitylenæ. Amaftris. Pompejopolis. Germania* (forfitan Germanicopolis fub Seleucia Metropoli Ifauriæ.) *Apamæa*. Tres item ultimæ apud Shelftratem, fcilicet *Miletus. Selybria. Apros*: eædem videntur, quæ apud Carolum a S. Paulo Archiepifcopatibus accenfentur; videlicet *Mileti*, in novifsima Editione, num. 15. *Selymbriæ*, num. 19. & *Apri*, num. 22. Ceterum altera Metropoleon Notitia, quam ex alio Codice Vaticano Schelftrates præcedenti adjecit, exactior eft, atque omnino Regiæ Bibliothecæ Codici confentanea.

Nunc fubjicimus Notitiam Archiepifcoporum, quos Græci Autocephalos appellant, ex eodem Codice Regiæ Bibliothecæ.

Ha-

Hactenus Metropolitæ, sequuntur Autocephali.

Apud Carol. a S. Paulo.

Provinciæ Mysiæ.	A. Odissi.
Provinciæ Scythiæ.	A. Tomes.
Provinciæ Europæ.	A. Bizyæ.
Provinciæ Paphlagoniæ.	A. Pompejopolis.
Provinciæ Asiæ.	A. Smyrnæ.
Provinciæ Isauriæ.	A. Leontopolis.
Provinciæ Rhodopes.	A. Maroneæ.
Provinciæ Bithyniæ.	A. Apameæ.
Provinciæ Rhodopes.	A. Maximianopolis.
Provinciæ Galatiæ.	A. Germiorum.
Provinciæ Europæ.	A. Arcadiopolis.
Provinciæ Thraciæ.	A. Beroæ.
Provinciæ Insulæ Lesbi.	A. Mitylenes.
Provinciæ Hellesponti.	A. Parii.
Provinciæ Cariæ.	A. Mileti.
Provinciæ Thraciæ.	A. Nicopolis.
Provinciæ Insularis.	A. Proconesi.
Provinciæ Rhodopes.	A. Anchiali.
Provinciæ Europæ.	A. Selymbriæ.
Provinciæ Insulæ Lesbi.	A. Methymnæ.
Provinciæ Bithyniæ.	A. Cii.
Provinciæ Europæ.	A. Apri.
Provinciæ Rhodopes.	A. Cysalorum.
Provinciæ Zichiæ.	A. Chersonis.
Provinciæ ejusdem.	A. Rospororum.
Provinciæ ejusdem.	A. Nicopsis.
Provinciæ Isauriæ.	A. Cotiadorum. (1)
Provinciæ Helenoponti.	A. Euchetarum.
Provinciæ Armeniæ.	A. Rænorum.
Provinciæ Insularum Cycladum.	A. Carpathi.
	A. Æni.
Provinciæ Rhodopes.	A. Driziparorum, seu Mesenes.
Provinciæ Europæ.	
Provinciæ Æmimonti.	A. Mesembriæ.
Provinciæ Armeniæ.	A. Heracleopolis seu Phylactoës.
Provinciæ Abasgiæ.	
Provinciæ Ponti Polemoniaci.	A. Sebastopolis.
	A. Trapezuntis.
Provinciæ Paphlagoniæ.	A. Amastridis.
Provinciæ Lycaoniæ.	A. Mysthiorum.
Provinciæ Pisidiæ.	A. Neapolis.
Provinciæ maris Ægæi.	A. Ægynæ.
Provinciæ Phrygiæ Salutaris.	A. Cotyaii.
	A. Selgæ.
Provinciæ Pamphyliæ.	

(1) Cotradorum.

A. Del-

A. Delcorum, quæ urbs sic dicta est ab adjacente palude Delco, ita enim eam vocat Diogenianus; inscite ergo Archiepiscopatum Dercis vocant R pro L assumentes.

Prior Schelstratis Notitia ex Codice Vaticano descripta triginta novem tantum Archiepiscopatus recenset, nonnullos omittens, quos tamen intra Metropoles recenset, alios vero adjiciens, qui a præfata Regiæ Bibliothecæ Notitia absunt. Omittit quidem *Odyssim*. *Tomes*, *seu Tomos*. *Maximianopolim*. *Beroam*. *Nicopolim*. *Anchiali*. *Nicopsim*, nisi forte sit *Nica* ibidem dicta. *Euchætarum*, nisi forte sit *Euchaita*, ibi inter Metropoles enumerata. *Rænorum*. *Heracleopolim*, seu *Philatoës*. *Sebastopolim*. Inter Metropoles autem collocat hos Archiepiscopatus, *Smyrnam*. *Apamcam*. *Pompejopolim*. *Methymnam*. *Aenum*. *Trapezuntum*. *Amastridem*. *Cotyajum*, seu *Cotyæum*. Addit autem, *Garellam*. *Brysim*. *Carabyzyam*. *Lemnum*. *Leucas*. *Cudram*. *Sotersopolim*. *Pedachton*. *Eroine*. *Gotthiam*. *Sugdiam*. *Phulli*. *Pharsalam*; *&* *Metracham*. Exactior est posterior Schelstratis Notitia ex altero Codice Vaticano extracta, in qua & numerus, & nomina Archiepiscopatuum cum Regiæ Bibliothecæ Notitia prorsus conveniunt.

Subjiciendæ hic sunt singulæ Provinciæ, earumque Metropoles, nec non Episcopatus, in quibus enumerandis utraque Notitia, tum Vaticana, tum Regia videtur conformis.

Provincia Cappadociæ.
Episcopatus.

1. Cæsareæ.
2. Regiarũ Thermarum. (3)
3. Nyssæ.
4. Methodiopoleos Armeniæ.
5. Camulianorum.
6. Cyzici.

(1) Apud Carol. a S. Paulo. Basilicarũ Thermarum legitur.

Provincia Asiæ.

1. Ephesi.
2. Hypetorum, seu Hypeporum.
3. Trallensium, seu Traleorum.
4. Magnesiæ ad Mæandrum.
5. Elææ.
6. Adramytii.
7. Assi.
8. Gargarorum.
9. Mastavorum, sive Mæstavorum.
10. Caloës.
11. Bryulorum.
12. Pittamnes.
13. Myrrhines.
14. Phociæ.
15. Aureliopoleos.
16. Nissæ, seu Nysæ.
17. Maschacomes.
18. Metropoleos.
19. Barettorum.
20. Magnesiæ.
21. Aninatorum.
22. Pergami.
23. Ancorum.
24. Prienes.
25. Arcadiopoleos.
26. Novæ Aulæ.
27. Jovis fani, seu Templi Jovis.
28. Augazorum.
29. Sion, seu Siorum.
30. Colophonis.
31. Lenedi, seu Lebedi.

32. Tei.

32. Tei.
33. Erythrarum.
34. Clazomenarum.
35. Antandrorum, seu Atandrorum.
36. Theodosiopoleos, seu Peperines.
37. Cumæ, seu Cyme.
38. Palæopolis.

Provincia Europæ.

1. Heracleæ Thraciæ.
2. Panii.
3. Calliopoleos.
4. Cherronesi.
5. Cylæ.
6. Rædesti.

Provincia Galatiæ.

1. Ancyræ.
2. Tabiæ.
3. Heliopoleos.
4. Aspones.
5. Berinopoleos.
6. Mizzi, seu Mnizi.
7. Cenes, seu Cinnes.
8. Anastasiopoleos.

Provincia Hellesponti.

1. Cyzici.
2. Germes.
3. Pœmanii.
4. Oces.
5. Bareos.
6. Adrianotherarum, seu Adriani Venatus.
7. Lampsaci.
8. Abydi.
9. Dardani.
10. Ilii.
11. Troadis.
12. Pioniæ.
13. Melitopoleos.

Provincia Lydiæ.

1. Sardium.
2. Philadelphiæ.
3. Tripoleos.
4. Thyatirorum.
5. Settorum.
6. Aureliopoleos.
7. Gordorum.
8. Troallorum.
9. Salorum.
10. Silandi.
11. Mæoniæ.
12. Fani-Apollinis.
13. Arcanidis, seu Orcanidis.
14. Mustines.
15. Acrasi.
16. Apolloniadis.
17. Attaliæ.
18. Bages.
19. Balandi.
20. Mesotymoli.
21. Hierocæsareæ.
22. Dales. (1)
23. Stratonicææ.
24. Cerasceorum.
25. Satalorum.
26. Gabalorum.
27. Hermocapeliæ.

(1) Carolus a S. Paulo in margine notat Daldæ.



Pro-

Provinia Bithyniæ.

1. Nicomediæ.
2. Prusæ.
3. Præneti.
4. Helenopoleos.
5. Basinopolis, sive Basilionopolis.
6. Dascylii.
7. Apolloniadis.
8. Adrianæ.
9. Cæsareæ.
10. Galli, seu Lophorum.
11. Daphnusiæ.
12. Eristæ.

Provincia ejusdem.

1. Nicææ.
2. Modrinæ, seu Melinorum.
3. Linoes, seu Linaes.
4. Godoserborum, seu Gordoservorum.
5. Numericorum, seu Numaricorum.
6. Taii.
7. Maximianæ.

Provincia Pamphyliæ.

1. Sides.
2. Aspendi.
3. Ettenes.
4. Erymnes, seu Orymnæ.
5. Cassorum.
6. Semneorum.
7. Caraliorum.
8. Coracisii.
9. Syetrhorum, seu Syedrorum.
10. Myrabes. (1)
11. Vamandensium. (2)
12. Dalisandi.
13. Isynorum.
14. Lyrbes.
15. Colybrassi.
16. Manæorum.

(1) Mylomes alibi.

(2) Onomadorum apud Carolum a S. Paulo.

Provincia Armeniæ.

1. Sebasteæ.
2. Sebastopoleos.
3. Nicopoleos.
4. Satalorum.
5. Coloniæ.
6. Cerisæ, seu Berissæ.

Provincia Helenoponti.

1. Amaseæ.
2. Amissi.
3. Sinopes.
4. Ibyrnorum, seu Ibornorum. (1)
5. Andrapodum, seu Andrapodorum. (2)
6. Zalichi, seu Leontopoleos.
7. Zelorum.

(1) Ibororum habet Carolus a S. Paulo in margine.

(2) Idem in margine legit Andraporum.



Provincia Armeniæ.

1. Melitines.
2. Arcæ.
3. Cucusi.
4. Arabesi, seu Arabissi.
5. Ariarathæ.
6. Ceomannorum, sive Comanorum.

Provincia Cappadociæ.

1. Tyanæ, seu Christopoleos.
2. Cybistrorum.
3. Faustinopoleos.
4. Sasimorum.

Provincia Paphlagoniæ.

1. Gangrorum.
2. Junopoleos.
3. Dadybrorum.
4. Sorarum.

Provincia Honoriadis.

1. Claudiopoleos.
2. Heracleæ Ponti.
3. Prusiadis.
4. Tii.
5. Crateæ.
6. Adrianopoleos.

Provincia Ponti Polemoniaci.

1. Neocæsareæ.
2. Trapezuntius.
3. Cerasuntis.
4. Polemonii.
5. Comanorum.

Provincia Galatiæ scilicet secundæ.

1. Pisinuntis.
2. Myricii.
3. Eudoxiadis.
4. Pitamissi, seu Petenissi.
5. Trocnadum, sive Trocnadorum.
6. Germocoloniæ.
7. Spaniæ, seu Justinianopoleos.
8. Orcisti.

Provincia Lyciæ.

1. Myræ.
2. Mastaurorum.
3. Telmesi.
4. Limyrræ.
5. Araxes.
6. Aprilorum.
7. Podaliæ.
8. Orcycandorum.
9. Taporum, sive Tæporum.
10. Arneorum.
11. Sitymorum, sive Sidimorum.

12. Ze-

12. Zenopoleos.
13. Olympi.
14. Cotlorum, seu Otlorum. (1)
15. Corydallorum.
16. Canæ, sive Alceæ, seu Acaliæ.
17. Acrassi.
18. Xanthi.
19. Sophianopoleos.
20. Marcianæ.
21. Uniaduum, sive Onudorum.
22. Chomatis.
23. Candanorum.
24. Phelli.
25. Antiphelli.
26. Phaselidis.
27. Rhodopolis.
28. Acalisi.
29. Lebissi.
30. Acandorum.
31. Paliotarum.
32. Eudociadis.
33. Patarorum. (1)
34. Comborum.
35. Nysorum.
36. Barburorum.
37. Meloitarum, sive Meloëtorum.
38. Coaneorum, sive Cianeorum.

(1) Ttlorum apud eumd. in Marg.

(1) Apud Schelstratem Catarorum.

Provincia Cariæ.

1. Stauropolis.
2. Cibyræ.
3. Sizorum.
4. Heracleæ Syalbacæ.
5. Apolloniadis.
6. Heracleæ.
7. Lacymorum. (1)
8. Taborum.
9. Larborum.
10. Antiochiæ ad Mæandrum.
11. Tapassorum.
12. Harpassorum, seu Arpasorum.
13. Neapolis.
14. Orthodoxiadis.
15. Anotetartæ.
16. Albandum, sive Albandorum.
17. Stratoniceæ.
18. Alindum, seu Alindorum.
19. Mylassorum.
20. Myzo. (1)
21. Jassi.
22. Barbyli, sive Barbyliorum.
23. Halicarnassi.
24. Hylarimorum.
25. Cnidorum.
26. Metaborum.
27. Mondi.
28. Heri, sive Templi.
29. Cindramorum.
30. Cerami.
31. Promisi.

(1) Apud Carol. a S. Paulo in marg. Latmorum.

(1) Apud eumd. in marg. Amyzorum.

Provincia Phrygiæ Capatianæ.

1. Laodiceæ.
2. Tiberiopolis.
3. Azanorum.
4. Ancyrosynsi, (putat Carolus a S. Paulo legendum *Ancyræ Sinai* forte diviso vocabulo.)
5. Peltorum.
6. Appiæ, seu Apiræ.
7. Acadorum.
8. Icriorum.
9. Cariæ.
10. Tranopoli.
11. Sebastæ.
12. Eumeniæ.

13. Timeno Therarum, ideft, Timeni Venatus.
14. Agathæ-Comæ, feu Boni Vici.
15. Alinorum.
16. Tripolis.
17. Atanaffi.
18. Trapezopolis.
19. Siblios.

Provincia Phrygiæ Salutaris.

1. Synadum, feu Synadorum.
2. Dotilæi.
3. Nacoliæ.
4. Medæi.
5. Hipfi.
6. Promifi.
7. Meri.
8. Sibildi, feu Sibindi.
9. Phytiæ.
10. Hierapolis.
11. Eucarpiæ.
12. Lyfiadis.
13. Auguftopolis.
14. Bryzi.
15. Otri.
16. Lycaonis.
17. Stectorii.
18. Cinaborii.
19. Conæ.
20. Scordapiæ.
21. Nicopolis.
22. Abroclorum.
23. Pifcopos Cademnorum, feu Epifcopus Cademnorum Alopex. Apud Schelftratem poftremus ifte fub eodem numero 23. ponitur: at vero apud Carolum a S. Paulo licet Epifcopus Cademnorum fub eod. numero recenfitus fit *Alopex*, tamen ultimo loco occurrit, fed num. 22. fignatus forte Scribæ lapfu, alioquin idem numerus geminaretur, & quidem inverfo ordine.

Provincia Lycaoniæ.

1. Iconii.
2. Lyftrorum.
3. Anafadæ, feu Onafadæ.
4. Amdadorum, feu Ambladorum.
5. Onamadorum, feu Onomanadorum.
6. Larandorum.
7. Beretes.
8. Derbes.
9. Hydes.
10. Sabatrorum.
11. Cani.
12. Berinopolis.
13. Galbanorum, feu Eudociadis.
14. Heliftrorum, five Iliftrorum.
15. Pertorum.

Provincia Pifidiæ.

1. Antiochiæ.
2. Sagalaffi.
3. Sozopolis.
4. Apameæ.

5. Gi-

5. Gibyræ, (existimat Carolus a S. Paulo legendum forte *Apamiæ Ciboti*.)
6. Tyræni, seu Tyræi.
7. Baris.
8. Adrianopolis.
9. Portuum, (apud Carolum a S. Paulo legitur *Limenorum*.)
10. Laodiceæ combustæ.
11. Seleuciæ ferreæ.
12. Adadorum.
13. Zarzelorum.
14. Tiberiadis, apud Carolum a S. Paulo *Tibriadorum*, seu *Timbriadorum*.
15. Tomandi.
16. Conanæ.
17. Mali.
18. Siniandi.
19. Tytiassi.
20. Metropolis.
21. Papporum.
22. Paralles, seu Paralais.
23. Bindei.

Provincia Pamphyliæ.

1. Perges, seu Sylæi.
2. Attaliæ.
3. Magydi.
4. Eudociadis.
5. Termisi.
6. Isindi.
7. Maximianopolis.
8. Laginorum.
9. Palæopolis.
10. Cremni.
11. Corydalorum.
12. Peltinissi.
13. Diciotanabrorum, seu Diciozanabrorum.
14. Ariassi.
15. Puglorum.
16. Ardianæ, seu Adrianæ.
17. Sandidorum.
18. Barbes.
19. Perbænorum.
20. Coi.

Provincia Cappadociæ.

1. Mocissi.
2. Nazianzi.
3. Coloniæ.
4. Parnassi.
5. Doarorum.

Provincia Lazycæ.

1. Phasiadis.
2. Rhodopolis.
3. Abisenorum.
4. Petrarum.
5. Tziganeorum.

Provincia Thraciæ.

1. Philippopolis.
2. Diocletianopolis.
3. Diospolis.



Pro-

Provincia Insularum Cycladum.

1. Rhodi.
2. Sami.
3. Chii.
4. Choi.
5. Naxiæ.
6. Theræ.
7. Pari.
8. Lethri.
9. Andri.
10. Teni.
11. Meli.
12. Pisyni.

Provincia Æmimonti.

1. Adrianopolis.
2. Mesembriæ.
3. Sozopolis.
4. Plutinopolis.
5. Zoidum, seu Zoidorum.

Provincia ejusdem. (1)

1. Marcianopolis.
2. Rhodostoli.
3. Tramarisci.
4. Noborum.
5. Zecedoporum.
6. Zarcaræ, seu Sarcaræ.

Provincia ejusdem. (2)

1. Trajanopolis.
2. Peri.
3. Anastasiopolis.

Provincia Phrygiæ Capatianæ. (3)

1. Hierapolis.
2. Metellopolis.
3. Dionysiopolis.
4. Anastasiopolis.
5. Attœdorum, seu Attudorum.
6. Mosynorum.
7. Marcianopolis.
8. Rhodostoli.
9. Tramariscorum. Hic Carolus a S. Paulo recte adnotat in Margine, hæc tria ultima nomina huc irrepsisse ex Provincia Æmimonti huc perperam translata.

Provincia Galatiæ Secundæ. (4)

1. Amorii.
2. Philomelii.
3. Docimii.
4. Clangis.
5. Polyboti.
6. Sunt & alii Metropol. avulsi a Romm. Diœcesi nunc subjecti throno Constantinopolitano, & qui sub ipsis sunt Episc.

1. Thes-

(1) Apud Carol. a S. Paulo in marg. *Masia.*

(2) Apud eumd. *Rhodopes.*

(3) *Phrygiæ Pacatianæ.*

(4) Aliis diversa est Galatiæ secundæ descriptio.

1. Thessalonicæ.
2. Syracusæ.
3. Corinthi.
4. Rhegii.
5. Nicopolis.
6. Athenarum.
7. Patrarum.
8. Novarum Patrarum.

Hic statim subdit Notitia Leonis Philosophi.

„ Hi additi sunt Synodo Constantinopolis eo quod Papa veteris Ro-
„ mæ sub gentibus positus esset: sicut & ab Orientali Dioecesi separatus est
„ Metropolita Seleuciæ Isauriæ, & ipse cum suis „ 24. Episcopis res facit
„ sub Constantinopolitano.

* *Post Notitiam præfatam Provinciarum & Metropoleon Patriarchatus Constantinopolitani, in MS. Regio apud Carolum a S. Paulo recensentur urbes Episcopales Italiæ, & Provinciarum Romanarum Africæ, sed adeo corrupte, ut vix aliquot verba integra remanserint, unde harum Notitiam quasi inutilem idem Auctor consulto omisit. Verum Emanuel a Schelstrate alteram ex MS. Codice Vaticano in ejus locum substituit, quam hic exhibemus.*

PROVINCIÆ

GLORIOSISSIMO ROMÆ,

SIVE

ITALIÆ

PRIMATI SUBIECTÆ.

Provincia Urbicaria.

Apud Schelstratem: confusus tamen est urbium ordo.

1. Roma Bruttiorum.
2. Nuceria.
3. Luna.
4. Neapolis.
5. Ferentium.
6. Albinimium. (1)
7. Genua.
8. Sipontus.
9. Portus Romanus.
10. Insula Cemtumcellæ. (2)
11. Ebolum.
12. Urbs Nepe.
13. Urbs Cajeta.
14. Urbs Tibur.
15. Urbs Nepe.
16. Insula Comacula. (3)
17. Puteoli, vel Formiæ, nunc Mola. (4)
18. Urbs Compsa, forsan Temsa.
19. Urbs Soranorum.
20. Urbs Fundi.
21. Urbs Ilva. (5)
22. Anagnia.

(1) Alias Albintimilium.
(2) Non est Insula sed Portus.
(3) Comaclum.
(4) In unam confusæ duæ civitates.
(5) Non urbs, sed insula.

Pro-

Provincia Campaniæ. [1]

1. Neapolis forte Brutia.	12. Urbs Sueſſa.
2. Brettania. [2]	13. Urbs Rhegium, (ſcilicet Lepidi.)
3. Panonia.	14. Urbs Taurata. [4]
4. Calabria.	15. Urbs Signia.
5. Venetiæ.	16. Gradus.
6. Meſſuna.	17. Urbs Patricum.
7. Vicus Valerius.	18. Urbs Scyllatium.
8. Taurata. [3]	19. Murgantia.
9. Apulia.	20. Urbs Crotona.
10. Urbs Viterbium.	21. Urbs Opitergium. [5]
11. Urbs Samnium.	

[1] Confuſæ ſimul urbes & Provinciæ.

[2] Corrupta hæc nomina.

[3] Forte Tauranium, ſeu Taurania.

[4] Forte Tauranum.

[5] Non Campaniæ, ſed Carnorum eſt oppidum; nunc Marchiæ Taviſinæ.

Inſula Siciliæ.

1. Syracuſæ.	12. Camarina.
2. Catana.	13. Leontium.
3. Tauromenium.	14. Aletæ, ſive Alæſa.
4. Meſſana.	15. Gaudos (inſula Melitæ proxima.)
5. Cephaloedis.	16. Melita.
6. Thermæ.	17. Lipara.
7. Panormus.	18. Vulcani inſula.
8. Lilybæum.	19. Didyme.
9. Troealis, ſive Triocola.	20. Uſtica.
10. Agragas (ideſt Agrigentium.)	21. Onarea.
11. Tyndarium.	22. Baſiludium.

Provincia Calabriæ.

1. Rhegium.	5. Conſentia.
2. Locri.	6. Tropia.
3. Scyllacis.	7. Tauriana.
4. Croton.	8. Sæpinum.

Provincia Annonaria.

1. Ravenna.	9. Tolentinum.
2. Fortunæ Fanum.	10. Urbs Ferentinum.
3. Aſculum.	11. Urbs Salernum.
4. Fulginum.	12. Urbs Tuder.
5. Picenum. [1]	13. Urbs Ancona.
6. Piſaurum.	14. Forum novum.
7. Tergeſtum.	15. Urbs Firmum.
8. Auguſtopolis.	16. Urbs Interamnia.

[1] Provinciæ cum urbibus, & inter ſe Provinciæ confuſæ: niſi forte pro Picenum legendum ſit, Picentia.

17. Fo-

17. Forum Cornelii.
18. Urbs Nursia.
19. Urbs Sora.
20. Urbinum.
21. Septempeda.
22. Urbs . . . .
23. Sena Gallia, quæ est Senogallia.
24. Cæsena.
25. Forum Populi, sive Popolii: (*melius Popilii.*)

Provincia Æmiliæ.

1. Brixellum.
2. Urbs Brinta: *Ptolemæo Brintum*, oppidum Æmiliæ inter montes, nunc excisum.

Sub Clarissimo Præfecto Africæ.

Provincia Byzacenæ.

1. Carthago.
2. Proconsularis. (1)
3. Zabi.
4. Cenculiana.
5. Junca.
6. Talapta.
7. Casæ Calaneæ.
8. Castulo.
9. Pezana.
10. Mamilla.
11. Madasumma.
12. Cululi.
13. Capse.
14. Adrumetum.

(1) Forte unienda cum Carthagine.

Provincia Numidiæ.

1. Calama.
2. Telepte.
3. Hippo Regius.
4. Castellum.
5. Vagarmelita.
6. Altaba.
7. Castra Vetera.
8. Scilita.
9. Egerenisium.
10. Tididita.
11. Vada.
12. Constantina.
13. Sitiphi.

Provincia Mauritaniæ. (1)

(1) Idest *Prima.*

1. Rhiconorum.

Provincia Mauritaniæ Secundæ.

1. Benepota in parte Hispaniæ.
2. Mesopotameni in parte Hispaniæ.
3. Majorica Insula.
4. Minorica Insula.
5. Sardinia Insula.
6. Carallis Metropolis.
7. Turris.
8. Suffara.

9. Sitæ. 12. Chrysopolis.
10. Sulchi. 13. Christianæ Lacus.
11. Phausania. 14. Tucca.

* Eo seculo quo Leo Philosophus in Oriente imperabat miserrimus erat Africanæ Ecclesiæ status, Sarracenorum illic impietate debaccante. Jam enim prope seculi Septimi finem Africa in potestatem Sarracenorum venerat, qui Mahumetanam impuram stolidamque sectam professi, Christianos ubique persequebantur. Eo igitur ex tempore florentissima jampridem Africana Ecclesia cœpit elanguescere, Episcoporum numerus paulatim deficere, Pastoribus vel naturali, vel violenta morte sublatis. Hinc nulli Antistites Africani interesse potuerunt Concilio Oecumenico septimo Nicææ Ann. 789. celebrato; nulli itidem Octavæ Synodo Oecumenicæ Ann. 891. habitæ; sicque deinceps tractu temporis deperiit pulcherrima illa Africanæ Ecclesiæ facies. Perseveravit tamen aliquando, teste Joanne Leone, licet Sarracenorum jugo pressa: nam Leo Sapiens in sua Notitia ex sex Africæ Provinciis, quatuor adhuc sua ætate superstites enumerat, Byzacenam scilicet, Mauritanias duas, Cæsariensem, & Sitifensem; & Numidiam, duabus aliis, nempe Proconsulari, & Tripolitana jam exstinctis. In Byzacena tredecim enumerat, siquidem *Proconsularis* nomen non alterius urbis a Carthagine est, sed cum ipsa copulandum: in Numidia pariter tredecim Episcopatus, in Mauritania prima unicum, in secunda vero quatuordecim recenset. Verum tamen est Mauritaniæ Secundæ adscribi duos Hispaniæ Episcopatus, Insulas quoque Baleares, & Sardiniam, non quod unquam ad Africanas Provincias eæ pertinerent; sed quod tunc iis Sarraceni dominarentur. Quæ nos hic adnotavimus, animadversa postmodum vidimus etiam ab eruditissimo Pagio, ad Ann. 893. ubi hæc habet. „ Auctor, ille qui sub Imperio Leonis Sapientis „ Ann. 891. vixit, ex Basilii Armeni libro Notitiam Episcopatuum exhibens, „ sub Eparcho Africæ constituit Provincias quatuor, Byzacenam cum 14. Civitatibus, Numidanam cum 15. Mauritaniam 1. cum Rynocucuro, & Mauritaniam 2. cum civitatibus 17. quas omnes Episcopali dignitate insignes „ exhibet. Notitiam illam edidit Goarus in corpore Byzantinæ Historiæ, & „ Beveregius Tom. 2. Pandectæ Canonum: & quamvis sub Provincia Byzacena „ appareat *Carthagena* Proconsularis, non ideo erroris arguenda hæc Notitia; „ ut enim habet Nilus Doxapatrius libro de quinque Thronis Patriarchalibus, „ Ann. 1043. Rogerio Siciliæ Regi nuncupati, *Romanus obtinebat Provinciam Byzaciæ, in qua est Carthago, & Mauritaniam* „. Quibus ex verbis Schelstratius Dissert. 4. de Eccles. Africana cap. 17. num. 5. colligit, introductam post Sarracenorum irruptiones aliam Provinciarum divisionem, *Carthagena* scilicet Proconsulari sub Byzacena Provincia collocata.

Quidquid reliquum est Notitiæ Leonis Philosophi, æque apud Schelstratem, & Carolum a S. Paulo descriptum hic ponimus.



Patriar-

Patriarchatus per Ægypticam Diœcesim ſub Duce Auguſtali.

Provincia Ægypti. *Patriarchatus Alexandrinus.*

1. Alexandria. Thronus Patriarchalis.
2. Hermopolis.
3. Mileos. (1) — (1) Forte Metelis.
4. Coſtus.
5. Pſanis Vicus.
6. Copridis. (2) — (2) Coprithis.
7. Sais.
8. Leontopolis.
9. Naucratia.
10. Andronicius. (3) — (3) Andron, & Nicii.
11. Zenonopolis.
12. Paphna.
13. Onuphes ſeu Onuphis.
14. Save. (4) — (4) Tana ex Carolo a S. Paul.
15. Cleopatris.
16. Mareotis.
17. Manelitorum, ſeu Manelaitarum.
18. Schedia.
19. Ternuthis, ſeu Terenunthis.
20. Sondra.

Provincia Auguſtamnicæ.

1. Peluſium Metropolis.
2. Sethroëtes.
3. Tanis.
4. Thmuis.
5. Rhenocurura.
6. Oſtracene, ſeu Oſtracine.
7. Pentaſchoenon.
8. Caſium.
9. Aphtæum. (1) — (1) Aphnæum.
10. Hephæſtus.
11. Panephuſus.
12. Gerus.
13. Itagerus.
14. Theneſus.

Provincia Auguſtamnicæ Secundæ.

1. Leonto Metropol. (1) — (1) Leontopolis.
2. Athreces. (2) — (2) Athribis.
3. Helias, ſeu Helius. (3) — (3) Heliopolis.
4. Bubaſtus.
5. Carbethus. (4) — (4) Pharbætus.
6. Arabius. Apud Schelſtratem *Anabius*.

Provincia Ægypti Secundæ.

1. Cabaſa.
2. Phragonis.
3. Pachnemonis.
4. Dioſpolis.
5. Sebennytus.
6. Cyno.
7. Buſiris.
8. Elearchia.
9. Regeon Paralus, apud Schelſtratem disjuncti ſunt.
10. Pariane Vicus.
11. Cyma.
12. Richomerium.
13. Xoeos, ſeu Xoes.

Provincia Arcadiæ.

1. Oxyrinchus Metropolis.
2. Heracleus, seu Heraclea.
3. Clisma, apud Schelstratem uniuntur Heracleus Clisma.
4. Nilopolis.
5. Arsenoëtes.
6. Theodosiopolis.
7. Aphroditon.
8. Memphilitus. (1)
9. Septem Ostia Nili.
10. Alexandria.
11. Colynten.
12. Agni.
13. Paralli.
14. Thasmatus.
15. Tamiathæ.
16. Tenesæ.

(1) Memphis, & Lotu, seu Latopolis.

Provincia Thebaidis Primæ.

1. Antino Metropolis.
2. Hermopolis.
3. Theodosiopolis.
4. Casus.
5. Lyco.
6. Hypsele.
7. Apollonios.
8. Anteon.
9. Panos.

Provincia Thebaidis Secundæ.

1. Ptolemais Metropolis.
2. Conto, (1) seu Justinianopolis.
3. Diocletianopolis.
4. Diospolis.
5. Tentyra.
6. Maximianopolis.
7. Thebais.
8. Leto.
9. Jambon. (1)
10. Hermunthes.
11. Apollonos, seu Apolloneos.
12. Villa Anasses.
13. Magnæ Thebaidis.
14. Superioris Ibeos.
15. Mathon.
16. Trimunthon.
17. Hermon.

(1) Coptus.

(1) Omboe.

Provincia Lybiæ Pentapolis.

1. Sozusa.
2. Cyrene.
3. Ptolemais.
4. Teuchira.
5. Adriane.
6. Beronice.

Provincia Tripolis.

1. Sebon.
2. Leptis.
3. Hyon per Orientalem Diœcesim.



Pro-

Provincia Libyæ.

(1) Darniorum. 1. Dranieon. (1)
(2) Paraetonium. 2. Paratojum. (2)
(3) Zagylus. 3. Tranzales. (3)
4. Ammoniace.
5. Antipyrgus.
6. Antiphron.
7. Edonia.
8. Marmorica.

Provincia Cilicie. (4)

1. Tarsus Metropolis.
2. Pompejopolis.
3. Sebaste.
4. Corycus.
5. Adana.
6. Augustopolis.
7. Malus.
8. Zephyrium.

(4) Quæ sequuntur Provinciæ pertinent ad Patriarch. Antiochenum, cujus in utraque Notitia deest titulus.

Provincia Ciliciæ Secundæ.

1. Anabarzus Metropolis. Alias *Anazarbus*.
2. Mopsuetia.
3. Aegia.
4. Epiphania.
5. Jeronopolis.
6. Flavias.
7. Alexandria.
8. Cabissus.
9. Castabala. Apud Schelstratem *Cartabala*.
10. Rhossus.

Provincia Isauriæ.

1. Seleucia Metropolis.
2. Cilendres.
3. Anemorium.
4. Titiopolis.
5. Lamus.
6. Antiochia.
7. Eliosebaste. (1) — (1) Julio-Sebaste.
8. Cestra. Apud Schelstratem *Sestra*.
9. Selenuntes.
10. Jostape. (2) — (2) Jotape.
11. Diocæsarea.
12. Olya. (3) — (3) Olbus.
13. Hierapolis.
14. Neapolis.
15. Dalisandus.
16. Claudiopolis.
17. Irenopolis.
18. Germanicopolis.
19. Zenopolis.
20. Sbidæ.
21. Philadelphia.
22. Adrasus.
23. Meloe.
24. Dometiopolis, seu Domitiopolis.
25. Nausadeæ. (4) — (4) Lausadeæ.
26. Et Climata Cassorum.
27. Banaborum.
28. Bolbosi.
29. Costradis.

Provincia Syriæ Primæ.

1. Antiochia, apud Daphnem Thronus Patriarchalis.
2. Seleucia.
3. Berroëa.
4. Chalcis.

Pro-

Provincia Syriæ Secundæ.

1. Apamea Metropolis.
2. Arethusa.
3. Epiphania.
4. Larissa.
5. Mariamme.
6. Seleucobelus.
7. Ramphaneæ seu Rhaphanea.

Provincia Euphratesiæ, & Agiopolis.

1. Hierapolis.
2. Cyrus, sive Agiopolis.
3. Samosata.
4. Doliche.
5. Germanicia.
6. Zeuma.
7. Europus.
8. Nicopolis.
9. Scenarchia.
10. Cæsarea.
11. Sergiopolis.
12. Orimorum.
13. Santon, seu Santorum.
14. Perre. (Postremus iste apud Schelstratem num. 7. antepositus est.)

Provincia Theodoriadis.

1. Laodicea Metropolis.
2. Paltus.
3. Balanea.
4. Gabala.

Provincia Osroënes.

1. Edessa Metropolis.
2. Carræ, seu Charræ.
3. Constantia.
4. Theodosiopolis.
5. Batnæ.
6. Callionicus, seu Leontopolis.
7. Nova Valentia.
8. Birborum.
9. Monithilla.
10. Therimachon.
11. Monjauga.
12. Macarta.
13. Marcopolis.
14. Anastasia.
15. Hemerius.
16. Circisia, seu Circisa.

Hucusque est complementum Mesopotamiæ, initiumque terræ Persidis.

Provincia Mesopotamiæ Superioris, sive quartæ Armeniæ.

1. Amida Metropolis.
2. Martyropolis. Ad 15. millia ab hac civitate oritur Tigris fluvius.
3. Daras. Sex millibus ab Urbe ista sunt confinia, & termini Persidis, atque Assyriæ.

4. Ca-

4. Castrum Riscephas, apud Schelstratem *Riscipbas*.
5. Castrum Ritidos, apud Schelstratem *Turitidis*.
6. Castrum Mardes.
7. Castrum Lornes.
8. Castrum Riphton.
9. Castrum Isphrios.
10. Castrum Tzauræ, apud Schelstratem *Izauræ*.
11. Castrum Audasorum, seu Audazorum.
12. Castrum Amarmes.
13. Castrum Tzinobiæ, apud Schelstratem *Izinobiæ*.
14. Castrum Intzietorum.
15. Castrum Banabelorum.
16. Castrum Chuddorum.
17. Castrum Hæsdaduos, apud Schelstratem *Aesdadæus*.
18. Castrum Masphroniæ, seu Masphronæ.
19. Castrum Regium.
20. Castrum Spelon.
21. Castrum Bijubaithæ.
22. Castrum Massorarorum.
23. Castrum Birthechabraës.
24. Castrum Siteonschiphas.
25. Castrum Calanis, seu Calonis.
26. Castrum Bibasitorum, seu Bibasirorum.
27. Castrum Tzauræ.
28. Castrum Bithræ.
29. Castrum Attachæ Climatis Arzanies. Schelstrates vertit *Climatis Arsanices*.
30. Castrum Aphuborum.
31. Castrum Arimachorum.
32. Castrum Florianarum.
33. Castrum Daphnudin.
34. Castrum Balues.
35. Castrum Samochartorum.

Hic finitur Mesopotamia, estque Taurus & clausura Balaleforum, atque initium partis Septemtrionalis, Major Armenia. Incolunt autem Taurum Montem maxime regionis illius duo Populi, dicti, alter Ischthomaitæ, alter Nasunitæ. Estque præcelsus mons Barathcen nomine, in quem Arca Noë aquis delata, diu mansit in vertice ipsius, estque id notum cunctis ejus incolis ad hunc usque diem.

Provincia Quartæ Armeniæ.

1. Dademon, nunc Metropolis Harmusatarum. Schelstrates posterius hoc nomen separatim ponit secundo loco.
2. Polichne.
3. Chozanorum.
4. Chosomacorum.
5. Citharizarum.
6. Castrum Marticertorum.
7. Castrum Bajuluos, apud Schelstratem *Bajuloeus*.
8. Castrum Polios, apud Schelstratem *Polius*.
9. Castrum Ardon.
10. Clima Sophenes.
11. Clima Anzitenes, apud Schelstratem *Anzitines*.
12. Clima Digesines, Schelstrati *Digesenes*.
13. Clima Garenes.
14. Clima Orzianices.
15. Clima Bilabitenes.
16. Clima Astianicæ.
17. Clima Mamuzurarum.

Scien-

Sciendum est hanc autocephalam (ideſt ſui juris) eſſe, non facientem ſacra ſub Apoſtolico Throno, ſed honoratam propter Sanctum Gregorium Armeniæ, habentem Civitates, & Caſtra 200.

Provincia Phœnices Paraliæ, ſive littoralis.

1. Tyrus Metropolis.
2. Sidon.
3. Ptolemais.
4. Beritus.
5. Biblus.
6. Tripolis.
7. Arcæ.
8. Orthoſias.
9. Botrys.
10. Vicus Gegarta.
11. Aradus.
12. Antaradus.
13. Paneas.
14. Gonaſitii Saltus.
15. Villa Politiana.
16. Villa Trieris.

Provincia Phœniciæ Libaniſiæ.

1. Edeſſa Metropolis.
2. Laodicea.
3. Heliopolis.
4. Abilla. Schelſtrati *Anbilla*.
5. Damaſcus.
6. Clima Imbrudorum.
7. Evarius, ſive Juſtinianopolis.
8. Palmyra.
9. Clima Magludorum.
10. Saltus Gonaiticus.
11. Salamias.
12. Clima Anatolicum, ſive Orientale.

* *Hactenus Provinciæ Patriarchatus Antiocheni. Quæ ſequuntur duæ ad Jeroſolymitanum ſpectant; cujus titulus deeſt in utraque Notitia.*

Provincia Palæſtinæ Tertiæ.

1. Petræ Metropolis.
2. Auguſtopolis.
3. Arindela.
4. Charagmucha.
5. Areopolis.
6. Mapſis, Schelſtrati *Napſis*.
7. Eluſa.
8. Zoora.
9. Biroſabon.
10. Elas.
11. Pentacomia.
12. *Salton*.
13. Mamopſora, apud Schelſtratem disjuncta ſunt, *Mamo. Pſora*.
14. Mitrocomia.
15. *Hieraticon*.

* Carolus a S. Carolo ſuſpicatur hæc duo nomina *Salton-Hieraticon* ſimul eſſe jungenda.



Pro-

Provincia Arabiæ.

1. Bostra Metropolis.
2. Adrasus.
3. Dia.
4. Medava.
5. Gerassa.
6. Neve.
7. Philadelphia.
8. Esbus.
9. Neapolis.
10. Philippopolis.
11. Phenutus.
12. Constantine.
13. Dionysias.
14. Pentacomia.
15. Tricomia.
16. Canothas.
17. Saltorum.
18. Batanis.
19. Exacomia.
20. Enacomia.
21. Come, seu Vicus Gonies.
22. Come Cherus.
23. Come Stanes.
24. Come Machaberos.
25. Come Coreathes.
26. Come Bilbanus.
27. Come Caprorum.
28. Come Pyrgoaretarum.
29. Come Setnes.
30. Come Ariachorum.
31. Neotes.
32. Clima Orientalium, & Occidentalium.
33. Come Ariathæ Saxosæ.
34. Come Bebdamus.

* *Absunt ab hac Notitia Leonis Philosophi, tum apud Carolum a S. Paulo, tum apud Schelstratem duæ Palæstinæ, Prima nimirum, cujus Metropolis Cæsarea, & Secunda, cujus Metropolis erat Scythopolis: neque aliam hujus rei causam afferri posse video, nisi quod Leonis Philosophi Imperatoris tempore cum Jerosolymæ, & duæ illæ Palæstinæ sub Sarracenorum jugo gemerent, illarum Ecclesiæ devastatæ erant; idcirco in hac Notitia prætermissæ. Easdem nihilominus ex Guilelmo Tyrio, initio Historiæ de Bello Sacro, jam supra libro sexto, dum egimus de Patriarchatu Jerosolymitano, descripsimus: quæque infra afferentur Notitiæ præcedentis defectum supplere poterunt.*

Postremo loco laudata Leonis Sapientis Notitia exhibet Provinciam Insulæ Cypri seorsim a Provinciis Antiocheni Patriarchatus, quoniam ea Insula quo ad Ecclesiasticam Politiam divulsa jampridem a jurisdictione Antiocheni Patriarchæ proprii esset juris. Qua de re supra suo loco disseruimus. Hanc causam expressit ipse Leo Sapiens his verbis.

„ Oportet scire Insulam Cypri autocephalam esse, (idest sui juris) nec „ subjici aut litare sub Apostolico throno, sed honoratam fuisse, eo quod in „ ea inventus fuerit Sanctus Barnabas Apostolus habens ad pectus Evange„ lium secundum Marcum; (*melius in Vaticano Codice apud Schelstratem le*„ *gitur* secundum Matthæum.) Sunt autem in ea hæ Urbes.

Provincia Insulæ Cypri.

1. Constantia Metropol.
2. Citium.
3. Amathus.
4. Curium.
5. Paphus.
6. Asenæ.
7. Soli.
8. Lapithus.

9. Cyrenia.
10. Tamasus.
11. Cythri.
12. Trimithus.
13. Carpasin.

Hæc expositio facta est anno 6391. sub Imperio D. Leonis Sapientis, & sub Patriarcha Photio.

* *Juxta exactissimam vero Periodum Græco-Romanam ab eruditissimo P. Pagio adornatam, Annus Mundi 6391. incidit in Christi Annum 898. qui fuit 13. Imperii Leonis Sapientis; ac proinde Anno Christi præfato, scilicet 898. hæc Notitia fuit condita.*

Notitiam Provinciarum Imperii Orientalis Appendici suæ, sub num. XVIII. inseruit Schelstrates, illam ipsam, quam ex MS. Codice Bibliothecæ Barberinæ, quo continentur Lucæ Holstenii Geographica, utpote qui hanc notitiam ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ descripsit, & ad alium Altempsianum Codicem MS. correxit. Verum quia exactiorem censemus illam, quæ ad Calcem novissimæ editionis Geographiæ Sacræ Caroli a S. Paulo adjecta est, præsertim cum in margine menda, quæ in textum irrepserant, corrigantur, a quibus tamen illa apud Schelstratem abstinuit; idcirco hac Schelstratis prætermissa, alteram Caroli a S. Paulo notis illustratam, atque castigatam hic describendam duximus. Sub ejus initio ad marginem hæc verba adnotantur. „ Hæc dispositio Civilis Provinciarum, „ & Civitatum Orientalis Imperii, ex eodem utere Codice Vaticano MS. edi- „ ta, Hierocli non leviter tribuitur. *Enumerantur autem in ejus Titulo Provinciæ 74. Civitates vero 935. Codex ille Vaticanus mutilus est, vixque 51. Provincias descriptas continet, in quarum ultima unica tantum civitas extat. Ex adverso autem in Codice, quo Schelstrates usus est, in Titulo 64. dumtaxat Provinciæ numerantur; sed Urbes 935. desinit quoque Codex iste in Provincia quinquagesima prima: nihilominus idem Schelstrates addit Supplementum reliquarum Provinciarum usque ad 64. quod in eodem Barberino Codice manu ejusdem Holstenii, ex MS. antiquissimo Bibliothecæ Farnesianæ descriptum affirmat. Quocirca & nos sub finem Notitiæ ad calcem Geographiæ Caroli a S. Paulo insertæ, illud ipsum Supplementum adjiciemus.*

Hieroclis Grammatici Comes Peregrinationis.

Veteres Provinciæ & Urbes, quæ sub Imperatore Romanorum apud Constantinopolim sedente, reguntur. Provinciæ 74. Civitates 935. ut infra scriptum est.

VI.

I. Provincia Thraciæ Europæ sub Consulari: Urbes XIV. (1)

(1) Urbes 13.

1. HEraclea.
2. Arcadiopolis.
3. Bizya.
4. Panonium. (2)
5. Orni.
6. Ganos.
7. Callipolis.
8. Morizus.
9. Siltica.
10. Synadia.
11. Aphrodisia.
12. Apros.
13. Cœlia.

(2) Panium.

II. Pro-

II. Provincia Rhodopes sub Præside: Urbes VI.

1. Ænus.
2. Maximianopolis.
3. Trajanopolis.
4. Marona. (1) — (1) Maronea.
5. Pyrus nunc Rusium. (1) — (1) Topyris.
6. Nicopolis.
7. Cereopyrgus.

III. Provincia Thraciæ sub Consulari: Urbes IV

1. Philippopolis.
2. Beron. (1) — (1) Beroë.
3. Diocletianopolis.
4. Sebastopolis.

IV. Provincia Æmimonti sub Præside: Urbes V.

1. Adrianopolis.
2. Achialus. (1) — (1) Anchialus.
3. Dibertius. (2) — (2) Develtus.
4. Plutinopolis.
5. Tzoides.

V. Provincia Mysiæ (1) sub Præside: Urbes VII.

(1) Idest Mœsiæ secundæ.

1. Marcianopolis.
2. Odyssus.
3. Dorostolus.
4. Nicopolis.
5. Novæ.
6. Appiaria.
7. Ebrættus. (2) — (2) Abritus.

VI. Provincia Scythiæ sub Præside: Urbes XV.

1. Tomis.
2. Dionyssopolis. (1) — (1) Dionysiopoli.
3. Acræ.
4. Calates.
5. Istrus.
6. Constantiana.
7. Zeldepa.
8. Tropæus.
9. Axiopolis.
10. Capidava.
11. Carsus.
12. Trosmis.
13. Novio Odunos. (2) — (2) Noviadunum.
14. Ægissus.
15. Almyris.

VII. Provincia Illyrica. 1. Macedonia sub Consulari: Urbes XXXII.

1. Thessalonica.
2. Pella.
3. Europus.
4. Dius.
5. Berya. (1) — (1) Berrhoëa.
6. Eordea.
7. Edesa.
8. Colla.
9. Almœpia.
10. Larissa.
11. Heraclea Laoci.
12. Antagnia Gemindi.
13. Nicedes.
14. Dioborus.
15. Idomene.
16. Dragylus.

17. Trimula.
18. Parthicopolis.
19. Heraclea Strymni.
20. Serræ.
21. Philippus.
22. Amphipus. (1)
23. Apollonia.
24. Neapolis.
25. Acanthus.
26. Berpe.
27. Araurus.
28. Clema.
29. Menticon, &
30. Acontisma.
31. Insula Thasus.
32. Insula Amothraces. (2)

(1) Amphipolis.
(2) Samothraces.

VIII. Provincia Macedoniæ secundæ sub Præside.
Urbes VIII.

1. Stoli.
2. Argos.
3. Eustrajon.
4. Pelagoniæ.
5. Bargala.
6. Celenidem.
7. Armonia.
8. Zapara.

IX. Provincia Thessalonicæ, (1) sub Præside.
Urbes XVIII.

1. Larissa.
2. Demetrias.
3. Thebæ. (2)
4. Æchionio. (3)
5. Lamia.
6. Hypata.
7. Metropolis.
8. Trocæ. (4)
9. Gomphi.
10. Cæparæa. (5)
11. Peonia.
12. Diocletianopolis.
13. Pharsalus.
14. Sartoburamision.
15. Satosiobios.
16. Iusula Scepola. (6)
17. Insula Sciathus.
18. Insula Peparisthes. (7)

(1) Legendum Thessaliæ.
(2) Phthioticæ.
(3) Echinus.
(4) Tricæ.
(5) Cypæra.
(6) Scopelus.
(7) Peparethus.

X. Provincia Elladis Achajæ, sub Proconsule.
Urbes LXXIX. (1)

1. Scarphia.
2. Elatina. (2)
3. Boë.
4. Drymna: Schelstrat. Drimya. (3)
5. Daulia. (4)
6. Cheronia.
7. Naupictus. (5)
8. Delphi.
9. Amphisa.
10. Tithora. (6)
11. Ambrosus. (7)
12. Anticyra.
13. Lebadia.
14. Coronia Bœotiæ.
15. Sterais. (8)
16. Opus.
17. Anastasius.
18. Ecepsus. (9)
19. Insula Eubœa. (10)
20. Anthodo. (11)
21. Bumelita. (12)
22. Thespiæ.
23. Hyttes. (13)
24. Thyastæ. (14)
25. Thebe, Metropolis Bœotiæ.
26. Panagra. (15)
27. Chalce Insula Evojæ. (16)

(1) 75.
(2) Lege Elatia.
(3) Drymæa forte.
(4) Daulis.
(5) Naupactus.
(6) Alias Tithorea.
(7) Alias Ambryssus.
(8) Stiris.
(9) Ædepsus.
(10) Ædepsus Insulæ Eubœæ.
(11) Anthedon.
(12) Opinor Bullia, & Melita.
(13) Forte Hyla.
(14) Thisbæ.
(15) Tanagra.
(16) Chalcis Insulæ Eubœæ.

28. Por-

28. Porthmus.
29. Cariftus.
30. Plateæ. (1) Alias Ægoftenia.
31. Ægoftenæ. (1)
32. Athenæ Metropolis Atticæ.
33. Magara. (2) (2) Lege Megara.
34. Pagæ. (3) Cromnion reponendum.
35. Emporium Cromon. (3)
36. Æginefus Infula.
37. Potœufa.
38. Cea.
39. Delus Adelus, *forte incerta*.
40. Infula Lemnes, *Lemnos*.
41. Scyrus.
42. Talemeneme. (4)
43. Thermopylon. (4) Salamis Inful.
44. Corinthus, quæ aliquando Ephyra Metropolis nova totius Græciæ.
45. Sicyon.
46. Ægeæ.
47. Methana.
48. Arizæna.
49. Pinaura.
50. Hieramione. (*Hermione*.)
51. Argos.
52. Tegea.
53. Tharpufa.
54. Mantina.
55. Lacedæmon Metropolis Laconiæ, quæ prius Sparta.
56. Gerenthræ.
57. Pharæ. (5) (5) Pheræ.
58. Afopolis.
59. Acreæ, *Acra alias*.
60. Phialæa.
61. Mefine. (6) (6) Meffene.
62. Coronia.
63. Afine.
64. Mothone. (7) (7) Methone.
65. Cyparifia.
66. Elis Metrop. Ætoliæ.
67. Infula Cephalinia.
68. Infula Panormus.
69. Zacinthus Infula.
70. Infula Cytheria.
71. Infula Mycon.
72. Infula Strophodia. (8) (8) Strophadia.
73. Infula Molus e regione Corinthi.
74. Infula Dorufa.
75. Infula Imbrus.

XI. Provincia Cretæ fub Præfide. Urbes XXII. (1) (1) 23.

1. Metropolis Gortyna.
2. Inatos.
3. Biena.
4. Hierapidna.
5. Camara.
6. Alingus.
7. Cherfonefus.
8. Lyctus.
9. Arcadia.
10. Conofus. (2) (2) Cnoffus.
11. Subritus.
12. Axius.
13. Eleuthera.
14. Lampæ.
15. Aptera.
16. Cydonea.
17. Cifamus.
18. Cantania.
19. Elyrus.
20. Laffus. (3) (3) Liffus.
21. Phœnece. (4) (4) Lege Phœnice.
22. Aradena.
23. Infula Claudus.

XII. Pro-

XII. Provincia veteris Epiri sub Præside: Urbes XII.

1. Metropol. Nicopolis.
2. Dodonæ.
3. Euræa.
4. Acnii.
5. Adrianopolis.
6. Appon.
7. Phœnece.
8. Anchiasmus.
9. Butritus. [1]
10. Photice.
11. Cercyra Insula. [2]
12. Thraconesus.

[1] Leg. Buthrotum.
[2] Ithaca Ins.

XIII. Provincia novæ Epiri sub Consulari: Urbes IX.

1. Dyrrachium, quæ Epidamus.
2. Scappa. [1]
3. Apollonia.
4. Bules.
5. Amantia.
6. Polycheriopolis.
7. Aulon, sive Aulinidos Metropolis.
8. Listron. [2]
9. Et Scepon. [3]

[1] Scampis.
[2] Æstreum.
[3] Videndum an Cæscepon legi debeat.

XIV. Provincia Daciæ Mediterraneæ sub Consulari: Urbes V.

1. Sardica Metropolis.
2. Pantalia.
3. Germaë.
4. Nainsus. [1]
5. Rhemesiana.

[1] Lege Næssus.

XV. Provincia Ripensis (supple Daciæ) *sub Consulari: Urbes V.*

1. Razaria Metropol. [1]
2. Benopia.
3. Accenas.
4. Castra Martis.
5. Idaüs.

[1] Rhetiaria.

XVI. Provincia Dardaniæ sub Præside: Urbes III.

1. Scupon Metropolis.
2. Merion.
3. Upiana. [1]

[1] Ulpiana.

XVII. Provincia Prevalium, sub Præside: Urbes III.

1. Scodræ.
2. Lissus.
3. Doracion Metropolis

XVIII. Provincia Mysiæ (intellige Mœsiam primam) *sub Præside: Urbes V.*

1. Vimenace Metrop. [1]
2. Singidonus.
3. Gratiana.
4. Pricomia. [2]
5. Orthemarchus.

[1] Viminatium.
[2] Tricornium.

XIX Pro-

XIX. Provincia Pannoniæ sub Præside. Urbes II.

1. Ermion. (1)
2. Basiana.

[1] Sirmium.

XX. Provincia Asiæ sub Proconsule. Urbes XLIII. [1]

1. Ephesus.
2. Enea. (3)
3. Prine. (4)
4. Magnesia Meandri.
5. Tralles.
6. Nyssa.
7. Priulla. (5)
8. Mastaura.
9. Anineta.
10. Hypeta. (6)
11. Ardiopolis. (7)
12. Dios Hieron, sive Fanum Jovis.
13. Evaza.
14. Colose.
15. Algiza. (8)
16. Nicopolis.
17. Palæopolis.
18. Baretta.
19. Auli Come.
20. Nova aula.
21. Colophon.
22. Metropolis.
23. Lebedus.
24. Tius.
25. Smyrna.
26. Clazomene.
27. Satrote.
28. Magnesiospolis. [9]
29. Apaë.
30. Temnus.
31. Phocea.
32. Myrrina.
33. Myce.
34. Pergamus.
35. Elæa.
36. Pittane.
37. Tianæ.
38. Theodosiopolis.
39. Adramyntium, quæ alias Lyrnesus.
40. Atadrus. [10]
41. Gadara.
42. Assus.

[1] 42.
[3] Anea.
[4] Forte Pryene.
[5] Briulla.
[6] Chypæpa.
[7] Arcadiopolis.
[8] Augaza.
[9] Magnesia Sipyli.
[10] Antandrus.

XXI. Provincia Hellesponti. Urbes XXX. [1]

1. Cyzicus Metropolis.
2. Proconesus.
3. Exoria.
4. Barispe. (2)
5. Parium.
6. Lampsacus.
7. Abydus.
8. Dardanum.
9. Ilium.
10. Troas.
11. Scamandrus.
12. Polichna.
13. Pœmanentus. (3)
14. Artemea.
15. Receta.
16. Bladus.
17. Scelenta.
18. Molis. [4]
19. Germe.
20. Cerge.
21. Sagara.
22. Adriani, & Heras. [5]
23. Pionia.
24. Coniosine.
25. Argiza.
26. Xius.
27. Tradus.
28. Mandacada.
29. Ergasterion.
30. Mandræ.
31. Hippi.....
32. Scepsis. [6]

[1] 32.
[2] Bares.
[3] Pœmanium.
[4] Melis, seu Melitopolis.
[5] Adrianotheræ.
[6] Apud Schelstratius & Tradus jug untur. Adduntur autem Heræ; Cisideron & Aptaus.

XXII. Pro-

XXII. Provincia Phrygiæ Capatianæ sub Consulari: Urbes XXIX. (1)

(1) 38.

1. Laodicæa.
2. Hierapolis.
3. Mosyna.
4. Attida.
5. Trapezopolis.
6. Colasæ.
7. Ceretapa.
8. Theomosonius. (2)
9. Valentia.
10. Sanis.
11. Coniopolis.
12. Sitopolis.
13. Crasus.
14. Lunda.
15. Molte.
16. Eumenia.
17. Siblia. (3)
18. Pepuza.
19. Briana.
20. Sebaste.
21. Iluza.
22. Acmona.
23. Adii.
24. Jucharathax.
25. Dioclia.
26. Aristium.
27. Cidysses.
28. Apia.
29. Eudocias.
30. Azani.
31. Tiberiopolis.
32. Cadi.
33. Theodosia.
34. Ancyra.
35. Synaos.
36. Temenothyræ. (4)
37. Tanapolis. (5)
38. Polycherianopolis.

(2) Themisonium.
(3) Silbium.
(4) Trimenothuri.
(5) Vel Trajanopolis.

XXIII. Provincia Lydiæ sub Consulari: Urbes XXIII.

1. Sardis.
2. Philadelphia.
3. Tripolis.
4. Thiatira.
5. Sitæ. (1)
6. Meonia.
7. Julianopolis.
8. Tralles.
9. Aureliopolis.
10. Attalia.
11. Hermocapelia.
12. Ocrasus. (2)
13. Apollinis Fanum.
14. Talaza.
15. Bagis.
16. Cerasa.
17. Mesotomellos. (3)
18. Apollones.
19. Hiero Castelli.
20. Mystene.
21. Sataleon.
22. Gordos.
23. Mostina.

(1) Septæ.
(2) Lege Acrassus.
(3) Mesotymolus.

XXIV. Provincia Pisidiæ sub Consulari: Urbes XXVI.

1. Antiochia.
2. Neapolis.
3. Limenæ.
4. Sabinæ.
5. Atmenia.
6. Pappa.
7. Sinethandus. (1)
8. Laodicæa exusta.
9. Tyrajum.
10. Adrianopolis.
11. Philomelium.
12. Sozopolis.
13. Timandrus. (2)
14. Metropolis.

(1) Alibi Siniandus.
(2) Tomandus alibi.

15. Ho-

(1) Lege Apamia. 15. Hopamia. (1)
16. Eudoxiopolis.
(2) Sagalassus. 17. Agalassus. (2)
18. Baris.
19. Seleucia ferrea.
(3) Tymbra, vel Tymbriadum. 20. Timbiadum. (3)
21. Themisonium.
22. Justinianopolis.
23. Mallus.
24. Dada. (4) (4) Adada.
25. Zorzila. (5)
26. Tetyassus. (5) Alibi Zarzala.

XXV. *Provincia Lycaoniæ sub Consulari: Urbes XVIII.*

1. Iconium Metropolis.
2. Lystra.
3. Misthea.
4. Amblada.
5. Onasada.
(1) Honomada. 6. Umanada. (1)
7. Listra.
8. Laranda.
9. Derbæ.
10. Barate.
11. Hyde.
12. Isauropolis.
13. Corona.
14. Sabatra.
15. Pteria. (2) (2) Perte: & Perna.
16. Carna. (3) (3) Canna.
17. Glavama.
18. Rignum.

XXVI. *Provincia Phrygiæ Salutaris sub Consulari: Urbes XXIII.*

1. Eucarpia.
(1) Otrum. 2. Hierapolis.
(2) Stectorium. 3. Hostrus. (1)
(3) Brixus alibi. 4. Sectorium. (2)
5. Bruxus. (3)
6. Cleros Horines.
7. Cleros Poleme.
8. Debalacia.
9. Lysias.
10. Synada.
11. Prymnesus.
12. Hipsus.
13. Polygotus. (4) (4) Polybotus.
14. Docimium.
15. Metropolis.
16. Merus.
17. Nacolia.
18. Doryllium. (5) (5) Dorylcum.
19. Medæon.
20. Demulicaon, seu Plebis Lycaonum.
21. Demu Auraclia.
22. Demu Alamassi.
23. Demu Phrypniasa.

XXVII. *Provincia Pamphyliæ* (intellige secundæ) *sub Consulari: Urbes XXXXVII.* (1) (1) 44.

1. Perge Syllæum.
2. Magydus.
3. Attalia.
4. Demu Uliambros.
5. Tresena.
(2) Diciozanabrus alibi forte. 6. Demu Canaura. (2)
7. Zobia.
8. Thermesus.
9. Et Eudocia.
10. Demu Mendeneo.
11. Demu Socla.
12. Sinda.
13. Berbie.
14. Sendaunda.
15. Myodia Chori. (3) (3) Forte sunt diversorum locorum nomina.
16. Homyliadica.
17. Olbasa.
18. Palæopolis.
19. Lysenara.
20. Comana. (4) (4) Conana.

(1) Corbaſa.

21. Colbara. (1)
22. Cremna.
23. Panemothicos.
24. Ariaſus.
25. Maximianopolis.
26. Ctema Maximianop.
27. Rege Salamara.
28. Limobramæ.
29. Codrula.
30. Demuſiæ.
31. Demuſabæon.
32. Paſtoleriſus. (2)

(2) Penteneliſſus.

33. Selpe. (3)
34. Trimopolis.
35. Sodi. [4]
36. Serna.
37. Lybre. [5]
38. Caſſa.
39. Cotana.
40. Horymena.
41. Coraceſion.
42. Syedrá.
43. Caralia.
44. Olybarſus. [6]

[3] Selge,
[4] Side.
[5] Lirbe.
[6] Colibraſſus.

XXVIII. Provincia Lyciæ ſub Conſulari: Urbes XXXIV. [1]

[1] 32.

[2] Phaſelis.

1. Phaſidis. [2]
2. Anapus.
3. Gaga.
4. Acaliſſus.
5. Elebeſus.
6. Lymyra.
7. Aryenada.
8. Podalia.
9. Choma.
10. Rencylias.
11. Myra Metropolis.
12. Arnea.
13. Cyaneæ.
14. Arpelæ.
15. Phellus.
16. Antiphellus.
17. Candyba. [3]
18. Eudocias.
19. Patara.
20. Xanthus.
21. Combe.
22. Miſæ. [4]
23. Pinara.
24. Didoma.
25. Tlos.
26. Telmiſus.
27. Caunos.
28. Araxa.
29. Bubon.
30. Enoanda.
31. Balura. [5]
32. Comiſtaraos.

[3] Condibæ alibi.
[4] Nyſa.
[5] Balbura.

XXIX. Provincia Inſularum ſub Præſide: Urbes XX. [1]

[1] 19.

1. Rhodus.
2. Cous.
3. Samos.
4. Chios.
5. Mitilene.
6. Methymna.
7. Petelus. [2]
8. Tenedos.
9. Proſelene.
10. Andros.
11. Tenus.
12. Naxus.
13. Paros.
14. Syphnos.
15. Melos.
16. Jos.
17. Thera.
18. Amolgus.
19. Aſtypalæa.

[2] Delus.



XXX. Pro-

XXX. Provincia Cariæ sub Consulari: Urbes XXXVI. (1)

(1) 30.

(2) Miletus.
(3) Heraclea.
(4) Latmi.

1. Melitus. (2)
2. Heracleas. (3)
3. Ogmi. (4)
4. Halicarnasi.
5. Amyndus.
6. Cnidus.
7. Ceramus.
8. Mylasa.
9. Stratonica.
10. Amizon.
11. Alinda.
12. Alapanda.
13. Orthosias.
14. Arpasa.
15. Neapolis.
16. Hylarema. (5)
17. Antiochia.
18. Metropolis Aphrodisias.
19. Heraclæa.
20. Tabæ.
21. Apollonias.
22. Sebastopolis.
23. Jasus. (6)
24. Frezus. (7)
25. Marcianopolis.
26. Anastasiopolis.
27. Chora.
28. Patrimonia.
29. Cibyra.
30. Coctemalicæ.

(5) Loryma.
(6) Jassus.
(7) Alias Erisa.

XXXI. Provincia Ponticæ (Bithyniæ scilicet) *sub Consulari: Urbes XVI.*

(1) Prænetum.

1. Chalcedon.
2. Prinetus. (1)
3. Nicomedia.
4. Elenopolis.
5. Nicæa.
6. Basilinopolis.
7. Cius.
8. Apamea.
9. Prusa.
10. Cæsarea.
11. Apollonias.
12. Dascilium.
13. Neocæsarea.
14. Adriani.
15. Regetatajos. (2)
16. Regodorie.

(2) Patavium.

XXXII. Provincia Honoriadis sub Præside: Urbes VI.

(1) Prusias.

1. Claudiopolis.
2. Prasias. (1)
3. Heraclea.
4. Tius.
5. Cratia.
6. Adrianopolis.

XXXIII. Provincia Paphlagoniæ sub Correctore: Urbes VI.

(1) Gangra.

1. Gagra. (1)
2. Pompejopolis.
3. Sora.
4. Amastrium.
5. Junopolis.
6. Dadybra.



XXXIV. Provincia Galatiæ (primæ) *sub Consulari*:
Urbes VII.

1. Ancyra Metropolis.
2. Tabia.
3. Aspona.
4. Cina.
5. Reganagalia.
6. Regemnezus.
7. Heliopolis.

XXXV. Provincia Galatiæ Salutaris sub Præside:
Urbes IX.

(1) Pessinus.

1. Pisinus. (1)
2. Regemaurecion.
3. Petinesus.
4. Æorium.
5. Clanus.
6. Regetnocada.
7. Eudoxias.
8. Myracion.
9. Germia.

XXXVI. Provincia Cappadociæ (primæ) *sub Consulari*: *Urbes IV.*

1. Cæsarea.
2. Nyssa.
3. Therma.
4. Regepodandus.

XXXVII. Provincia Cappadociæ Secundæ sub Præside:
Urbes VIII.

1. Tyana.
2. Faustinopolis.
3. Cybistra.
4. Nazianzus.
5. Sasima.
6. Parnasus.
7. Regedoara.
8. Regecucusus.

XXXVIII. Provincia Helenoponti sub Consulari:
Urbes VII. (1) (1) 8.

(2) Iborea.

1. Amasia.
2. Ibyra. (2)
3. Zela.
4. Saltum.
5. Zalichin.
6. Andrapa.
7. Amisus.
8. Sinope.

XXXIX. Provinciæ Ponti Polemiaci (1) *sub Præside*: (1) Lege Polemoniaci.
Urbes V.

1. Neocæsarea.
2. Comana.
3. Tolemonium. (2) — (2) Polemonium.
4. Cerasus.
5. Trapezus.

XL. Pro-

XL. Provincia Armeniæ Primæ sub Præside: Urbes V.

1. Sebastea.
2. Nicopolis.
3. Colonia.
4. Satala.
5. Sebastopolis.

XLI. Provincia Armeniæ Secundæ sub Præside: Urbes VI.

1. Melitene.
2. Arca.
3. Arabisus.
4. Cucusus.
5. Comana.
6. Ararasthia. (1)

(1) Ariarathia.

XLII. Provincia Ciliciæ Primæ sub Consulari: Urbes VIII.

1. Tarsus Metropolis.
2. Pompejopolis.
3. Sebaste.
4. Coricus.
5. Adana.
6. Agusia.
7. Malchus. (1)
8. Zephirium.

(1) Malus.

XLIII. Provincia Ciliciæ Secundæ sub Præside: Urbes IX.

1. Anazarbus Metropol.
2. Mopsuetia.
3. Ægeæ.
4. Epiphania.
5. Alexandria.
6. Rhosus.
7. Jerenopolis.
8. Flavias.
9. Castaballa.

XLIV. Provincia Cypri Insulæ sub Consulari: Urbes XV.

1. Constantia Metropol.
2. Tamassus.
3. Citen. (1)
4. Amathusia.
5. Coren.
6. Paphos.
7. Arsenoë.
8. Soli.
9. Lapithus.
10. Cirbœa.
11. Cythri. (2)
12. Carpasen. (3)
13. Cyrenia.
14. Trimethunton.
15. Leucosia.

(1) Citium.
(2) Chitrus.
(3) Forte Carpathus.

XLV. Provincia Isauriæ sub Præside: Urbes XXIII.

1. Seleucia Metropolis.
2. Celesderen. (1)
3. Anemurium.
4. Titiopolis.

(1) Celenderis.

5. La-

5. Lamus.
6. Antiochia.
7. Julio Sebaste.
8. Cestri.
9. Selinus.
10. Jotate. (1) — (1) Jotape.
11. Diocæsarea.
12. Olbe.
13. Claudiopolis.
14. Hierapolis.
15. Dalisandus.
16. Germanicopolis.
17. Jeronopolis.
18. Philadelphia.
19. Moloë.
20. Darasus. (2) — (2) Adrasus.
21. Zecde. (3) — (3) Sbida.
22. Neapolis.
23. Lauzadææ. (4) — (4) Nausadæe, Const. Porphyr. legit Lauzadas.

XLVI. Provincia Syriæ Primæ sub Consulari: Urbes VII.

1. Antiochia, juxta Daphnem.
2. Seleucia.
3. Laodicia. (1) — (1) Laodicæa.
4. Gabala.
5. Paltus.
6. Beroea.
7. Chalcis.

XLVII. Provincia Syriæ Secundæ sub Præside: Urbes VIII.

1. Apamea.
2. Epiphania.
3. Arethusa.
4. Larissa.
5. Mariame.
6. Balanea.
7. Rephanæ. (1) — (1) Raphanæ.
8. Seleucobolus. (3) — (3) Seleucobelus.

XLVIII. Provincia Euphratensis sub Præside: Urbes XII.

1. Hierapolis.
2. Cyrus.
3. Samosata.
4. Doleche.
5. Zeugma.
6. Germanicia.
7. Perre.
8. Nicopolis.
9. Scenarchæa.
10. Salgenoratixenum.
11. Syrima. (1) — (1) Urima.
12. Europus.

XLIX. Provincia Osrhoënes: Urbes IX. (1) — (1) 8.

1. Edessa.
2. Constantia.
3. Theodosiopolis.
4. Carrha.
5. Batnæ.
6. Nova Valentia.
7. Leontopolis, quæ & Callinica.
8. Birtha.

L. Provincia Mesopotamiæ sub Præside: Urbs I.

Amyda.

LI. Pro-

LI. Provincia Phœniciæ sub Consulari: Urbs I.

1. Tyrus.

* *Hic desinit Notitia Hieroclis Grammatici Græce, & Latine edita in Parergo, seu Appendice Geographiæ Sacræ Caroli a S. Paulo novissimæ Editionis. De aliis vero Provinciis, quæ in ea desiderantur, hæc subdit:* „ Reliquæ XXIII. „ Provinciæ Constantinopolitanis Imperatoribus ereptæ haud dubio erant, „ quo tempore hæc dispositio scripta fuit, idque a Sarracenis, ut arbitror. *Defectum hunc ex parte postmodum Schelstrates supplevit, additis nedum urbibus omnibus Provinciæ Phœniciæ, verum etiam tredecim Provinciis, quæ in MS. Codice antiquissimo Farnesianæ Bibliothecæ reperiuntur.*

Supplementum Notitiæ Imperii Orientalis Hieroclis Grammatici ex MS. antiquissimo Bibliothecæ Farnesianæ. Apud Schelstrat.

LI. Provincia Phœniciæ sub Consulari: Urbes XIV.

1. Tyrus.
2. Ptolemais.
3. Sydon.
4. Berytus.
5. Biblus.
6. Bostrys.
7. Tripolis.
8. Orcæ. (1)
9. Orthosias.
10. Aradus.
11. Antaradus.
12. Konstantina.
13. Pogonas.
14. Panæas.

(1) Arcæ.

LII. Provincia Phœniciæ Libani sub Præside: Urbes VI.

1. Emissa. (1)
2. Laodicea.
3. Damascus.
4. Heliopolis.
5. Abila.
6. Palmyra.

(1) Emesa.

LIII. Provincia Palæstinæ (Primæ scilicet) *sub Consulari: Urbes XXII.*

1. Cæsarea Metropolis.
2. Dora.
3. Antipatris.
4. Diospolis.
5. Azotus Maritima.
6. Azotus Mediterranea.
7. Eleutheropolis.
8. Elia quæ & Jerusalem.
9. Neapolis.
10. Libias.
11. Augusta Sebaste.
12. Anthedon.
13. Diocletianopolis.
14. Sycamazon.
15. Honus.
16. Sozusa.
17. Joppe.
18. Gaza.
19. Ramphia. (1)
20. Ascalon.
21. Ariza.
22. Bityle.

(1) Raphia.

LIV. Pro-

LIV. Provincia Palæstinæ Secundæ sub Præside:
Urbes XI.

1. Scythopolis.
2. Sella.
3. Gadara.
4. Abila.
5. Capetolias.
6. Hippus.
7. Tiberias.
8. Elenopolis.
9. Dioceſſa.
10. Maximianopolis.
11. Gabæ.

LV. Provincia Palæstinæ Tertiæ sub Præside:
Urbes X.

1. Petra.
2. Auguſtopolis.
3. Arindila.
4. Charagmuba.
5. Areopolis.
6. Zoara.
7. Mampſis.
8. Vitarus.
9. Eluſa.
10. Salton.

LVI. Provincia Arabiæ sub Conſulari:
Urbes XVII.

1. Boſtra.
2. Nilacome.
3. Adra.
4. Dia.
5. Exacomia Vicus.
6. Medava.
7. Geraſa.
8. Majudus.
9. Philadelphia.
10. Nova civitas Neapolis.
11. Hierapolis.
12. Philippopolis.
13. Phœna. (1)
14. Conſtantia.
15. Dionyſias.
16. Canotha.
17. Adraſſus.

(1) Phœno.

LVII. Provincia Ægyptiacæ sub Auguſtali:
Urbes XXIII.

1. Alexandria.
2. Hermopolis.
3. Menelaites.
4. Meletes. (1)
5. Vutos.
6. Cabaſſa.
7. Zaës.
8. Naucratis.
9. Andron.
10. Nicii.
11. Zois. (2)
12. Phravynes.
13. Pachnemoës.
14. Dioſpolis.
15. Sebonytus.
16. Onuphis.
17. Tava.
18. Cleopatra.
19. Cyno.
20. Buſires.
21. Oaſes.
22. Elearchia.
23. Paralios. (3)

(1) Metelis.
(2) Xois.
(3) Paralos.

LVIII. Pro-

LVIII. Provincia Augusta Prima (Augustamnica I.)
Sub Correctore: Urbes XIII.

(1) Ostracine.

1. Rhinocorura.
2. Ostranice. (1)
3. Cassium.
4. Pentascoenon.
5. Aphnajon.
6. Gerrhas.
7. Scenna.
8. Pelusium.
9. Sethraites.
10. Hephæstus.
11. Panithisos. (1)
12. Pannis.
13. Thmues (*Tanis.*)

(1) Paniphysos, vel Æphysos.

LIX. Provincia Augusta Secunda (Augustamnica II.)
sub Præside: Urbes VII.

(1) Atribis.

1. Leontò.
2. Atrides. (1)
3. Heliu.
4. Bubastus.
5. Pharzithus.
6. Arabia.
7. Clisma Castri. (1)

(1) Castrum.

LX. Provincia Arcadiæ sub Præside: Urbes IX.

1. Cynò.
2. Oxyrynchus.
3. Heracleus, Hercules.
4. Arsenoites.
5. Theodosiopolis.
6. Nicopolis. (1)
7. Aphrodito.
8. Pemphis. (1)
9. Littus.

(1) Nilopolis.
(1) Memphis.

LXI. Provincia Thebaidis proximæ sub Præside:
Urbes X.

(1) Hermai.
(1) Phacussa ab Casus.

1. Hermui. (1)
2. Theodosiopolis.
3. Antinò.
4. Acuasa. (1)
5. Lycorum.
6. Ypsile.
7. Apollon parvus.
8. Antei.
9. Panius.
10. Oases magna. (3)

(3) Oasis.

LXII. Provincia Thebaidis Superioris sub Duca:
Urbes XI.

(1) Tentyra.

1. Ptolemais.
2. Diospolis.
3. Tentrya. (1)
4. Maximianopolis.
5. Coptus.
6. Phicæ.
7. Diocletianopolis.
8. Eresbythus.
9. Lattorum.
10. Apollonias.
11. Ombri. (1)

(1) Ombi.

LXIII. Provincia Libyæ Superioris sub Præside: Urbes X. (1)

(1) 6.

1. Sozusa.	4. Teuchera.
2. Cyrene.	5. Adriane.
3. Ptolemais.	6. Veronice.

LXIV. Provincia Libyæ Inferioris sub Præside: Urbes VI.

1. Paraetonium.	4. Antiphrò.
2. Zogrozagules.	5. Darnes. (1)
3. Pidonia.	6. Amoniacæ.

(1) Darnis.

Sunt Occidentales Provinciæ sub Roma VII.

1. Italiæ.
2. Provincia Norici.
3. Provincia Galenorum, idest Gallorum.
4. Provincia Spaniarum, idest Hispaniarum.
5. Provincia Brisgamorum, idest Britannorum.
6. Provincia Pannoniarum.
7. Provincia Africæ.

* Provincia Siciliæ. Provincia Corsicæ.
Provincia Sardiniæ.

* Tres postremæ ad Italiam pertinent, & sic sunt VII.

De Hierocle Grammatico.

* Cum plures olim in Oriente Hieroclis nomine fuerint appellati, ut is, cui præcedens Notitia tribui solet, ab aliis discerneretur, Grammatici vocabulum obtinuit. De illo mentionem faciunt, Gesnerus, Vossius, & Lucas Holstenius ex Recentioribus, ex antiquis vero Constantinus Porphyrogenitus Imperator lib. 2. de Thematibus. Omnes ii hunc Hieroclem Auctorem fuisse Notitiæ Imperii Constantinopolitani fatentur. Integram ejusmodi Notitiam se editurum spoponderat Lucas Holstenius in illis Opusculis, quæ de Imperio Constantinopolitano, ejusdemque Provinciis pollicitus erat Byzantinæ Historiæ Collectoribus; quod ii Tom. 1. ibidem in Catalogo Scriptorum, pag. 13. adnotarunt: *Alterum quoque*, inquiunt, *Syntagma de Imperio Constantinopolitano, ejusque Provinciis, pollicetur U. C. Lucas Holstenius cum notis ex Tabulis Geographicis ejusdem Imperii. In eo, quæ mox sequentur, Opuscula continentur. I. Hieroclis Grammatici Synecdemus, sive Notitia Imperii Constantinopolitani integra ex duobus Codicibus MSS. II. Constantini Porphyrogenetæ Themata ex tribus MSS. emendata cum nova versione*. Sequuntur ibi duo alia Opuscula, præter quæ multo plura exhibentur a Lambecio in Syn-

Tom. 1. Histor. Byzantinæ in Catal. Script. pag. 13.

Syntagmate Geographorum Græcorum a Luca Holstenio edendorum. Illud Syntagma extat Tom. 1. Bibliothecæ Cæsareæ, pagin. 114. Quæ tamen publici juris nunc facta est ex Holstenii Operibus post ejus obitum, & Geographiæ Sacræ Caroli a Sancto Paulo adjecta, profecto integra non est: in titulo quippe multo plures enumerantur Provinciæ, & urbes, quam in ipsa Notitia appareant. Supplementum ex Farnesiano Codice typis cusum a Schelstrate, porrigitur quidem usque ad sexagesimam quartam Provinciam, at minime pertingit usque ad Septuagesimam quartam, quem tamen Provinciarum numerum Notitiæ ab Holstenio vulgatæ titulus pollicetur.

Integram quoque non esse ejusmodi Notitiam patet ex Constantini Porphyrogenetæ lib. 2. de Thematibus, ubi Themate I. de Dolonchorum Gente loquens, ut eam in Thracia sitam ostenderet, ad hoc probandum Hieroclis utitur testimonio: *Prima Natio* (Thraciæ) *Dolonchorum nominatur. Testis hujus assertionis est etiam Hierocles Grammaticus, qui conscripsit Commentarium Peregrinationis comitem, Dolonchorum Gentem Thraciæ connumerans, cum ita loquitur: sunt omnes Præfecturæ & Urbes, quæ ab Imperatore Romanorum Constantinopolim regente administrantur: Præfecturæ quidem 64. Urbes autem* 835. (1) *Quocirca principium Europæ imperatricem Urbium, & Mundi totius novam Romam ego constituo, ac propterea Thema circa ipsam, quod appellatur Thrace in Europæis partibus situm, Thematum primum statuimus. Quippe cum Urbs ipsa olim Byzantis nuncupata in Thracum regione stabilita sit: attamen Byzantium ipsum Megarensium, & Lacedæmoniorum, ac Bœotorum est Colonia, Græcorum antiquissimorum. Idcirco etiam Doriensium lingua utuntur scite, & eleganter. Dicimus itaque, ut antiquus ordo obtinebat, & ipsarum Præfecturarum nomina exposuimus.*

Constantinus Porphyrogen. l. 2. Themat. Themat. 1.

(1) In Græco tex. 935.

Præfectura Thraciæ, seu Europæ.

A Consiliariis reguntur quatuordecim urbes: Eudoxia, Heraclia, Arcadiopolis, Bisye, Panion, Orni, Ganos, Callipolis, Merisus, Saltice, Savada, Aphrodisia, Aprius, Cælia.

Præfectura Rhodopes, sub iisdem Urbes septem:

Parthicopolis, Heraclia, Strymni, Æmus, Maximianopolis, Serri, Philippi, Trajanopolis.

Præfectura Emimonti sub Duce, sex Urbes:

Adrianopolis, Anchialus, Debeltus, Plutinopolis, Tsoidis.

Præfectura Thraciæ sub Consiliario quinque Urbes:

Clima Mesticon, Acontisma, Philippopolis, Beroë, Insula Thasus, Insula Samothrace.

Præfectura Mysiæ sub Duce Urbes quindecim:

Tomis, *Dionysopolis*, *Acræ*, *Callatis*, *Ister*, *Zelpa*, *Tropæus*, *Axiopolis*, *Capidaba*, *Carpus*, *Trosmus*, *Nobiodunum*, *Agissus*, *Halmyris*. *Hucusque Thraciæ Thema*, & *Hieroclis Comes Peregrinationis*.

* Hæc quidem excerpta esse constat ex Hieroclis Grammatici Commentario Geographico, quod *Comitem Peregrinationis* appellavit, quæ fere eadem videntur quoad Præfecturas, cum iis, quæ in præcedenti Notitia a Luca Holstenio promulgata, exhibentur. Ceterum ejusmodi Notitiam integram non esse plura declarant. Cumprimis in ea non idem ordo prorsus servatur quoad quinque priores Provincias, qui in Themate Constantini Porphyrogeniti. Deinde in Provincia Thraciæ aliæ in ea Notitia, aliæ in dicto Themate Urbes apparent. Nomina item Urbium non eadem utrobique. Præterea Notitiæ Titulus apud Lucam Holstenium Præfecturas 74. Urbes vero 935. enumerat. In Codicibus autem Vaticano, & Farnesiano, quibus Schelstrates usus est, Præfecturæ tantum 64. & Urbes 835. recensentur; totidemque Constantini Porphyrogenetæ Latine redditus exhibet; tametsi, uti Schelstrates in margine adnotavit, in Græco Codice 935. urbes recenseantur. Tandem apud Lucam Holstenium quinquaginta & una dumtaxat Provinciæ referuntur; immo in Provincia 51. quæ est Phœniciæ unica solum Civitas Tyrus nominatur; ubi tamen apud Schelstratem quatuordecim occurrunt. Quamobrem dum Lucas Holstenius a Collectoribus Byzantinæ Historiæ laudatus pollicetur *Hieroclis Grammatici Notitiam Imperii C. P. integram ex duobus Codicibus MSS.* procul dubio alteram indicare voluit ab illa, quæ nunc ejusdem nomine vulgata est.

Quo tempore Hierocles Grammaticus vixerit, neque apud Lucam Holstenium, neque apud Lambecium, Schelstratem, aliosve, quos videre potui, scriptum inveni. Id unum liquet ex laudatis Constantini Porphyrogeniti verbis, eum paulo ante istius Imperatoris ætatem floruisse.

Hierocli Grammatico, ex iis quorum Notitiæ ad posteros pervenerunt, proximior est Nilus Doxapatrius, Græcus Scriptor seculi undecimi. Jussu Rogerii Siciliæ Regis Notitiam edidit quinque Patriarchatuum, cujus Fragmentum Ecclesias continens Constantinopolitano Patriarchatui addictas Leo Allatius typis cudendum curavit *lib.* 1. *de Consensu Ecclesiæ Occidentalis*, & *Orientalis*: sed postea integram Notitiam vulgavit Emanuel a Schelstrate *in Appendice ad Opus Geographicum num. xix.* cujus etsi varia fragmenta a nobis sparsim in hac Prima Parte præsertim lib. 6. relata fuerint; ne tamen mutilam exhibuisse videamur, lubet hic integram eamdem Notitiam proferre.

No-

Notitia Patriarchatuum Nili Doxapatrii.

VII.

EX GRÆCO.

Commentarius concinnatus a Nilo Doxapatrio Archimandrita jussu nobilissimi Magni Regis Rogerii de quinque Patriarchalibus Thronis, & illis subjectis Archiepiscopatibus, & Metropolitatibus, & qui Metropolitatibus subduntur, Episcopis, & Diœcesibus uniuscujusque Sedis Patriarchalis. Et quomodo, & quando Patriarchici Throni instituti sunt; & eorum ordine, & propriis nominibus, & cujus locum teneant. Concinnatus est ann. 6551. indictione sexta.*

*Rogerii nimirum Siciliæ Regis.

Annus Christi 1043. ut in margine notat Schelstrat.: sed fallitur, nam Rogerius ante Annum 1060. Siciliam non abstulerat Saracenis. Qua de re Pagius anno 1060.& seq. Annus tamen Periodi Græco-Romanæ 6551. est annus Christi 1058.

PErquam, Illustrissime Domine, de eo, quod ad me scripsisti, argumento recordor me, cum in castro Panormo essem, ad tuam quæstionem rescripsisse, non ita tamen fuse, ut nunc postulasti. Nunc vero quæ a te poscuntur, pleraque sunt, indigentque scriptione exactiore, & narratione. Propterea omni labore neglecto (hoc enim ex debito, quod effugere nemo valet, tibi debetur, toto pectore ac animo explere, quidquid a tua præcelsa eminentia mihi imponitur, & potissimum cum Sancti Patris mei imperium accedat.) Conabor breviter, uti potero, scriptione plana atque aperta commissa mihi omnia complanare. Tale vero sit principium.

Veteribus Historicis & Geographis Sapientioribus in tres partes universus Orbis divisus est: Asiam, Orientem nempe: Europam, Occidentem scilicet: & in Libyam. (1) Quare autem unaquæque pars id sibi nomen adsciverit, non est præsentis negotii dicere. Ex quatuor itaque ingentibus Regnis, quæ prævaticinatus fuerat Daniel Propheta, duo in Asia fuerunt. Primum Babyloniorum, & Assyriorum, & Medorum; & quod post hoc ultimum ortum habuit Persarum. Reliqua duo in Europa, tertium ordine Macedonum; quartum & ultimum, & omnium quammaxime ingens Romanorum. Fuere etiam in aliis regionibus maxima Regna, & particularia Dominia, veluti in Ægypto, Jerosolymis, & aliis locis. Verumtamen Domino & Salvatore nostro Jesu Christo nato anno 42. (2) Imperii Augusti Cæsaris (qui primus omnium & solus arbitrium Orbis Romæ tenuit, & universum terrarum Orbem descripsit) & post illius ascensionem in Cœlos, cum Apostoli sapientissimi totum Orbem peragrassent, veram piamque fidem per eum divulgarunt. Cum vero esset necesse eorum vitæ termino res fidei non circumscribi, sed ad consummationem usque seculi eam inconcussam permanere, & sic conservari ab eorum successoribus; propterea urbes

(1) Veterum more Africam Libyæ vocabulo intelligit.

(2) Juxta Baronium: vel 46. juxta Pagium.

bes circumeuntes, Episcopos in illis creabant, viros sufficientes & fideles, & quos vitæ institutum divinum reliquis commendabat. Quapropter, & magnus Apostolus Petrus cum ante alios gentiles, primi qui Antiochiæ erant, quæ in Cœle-Syria est, credidissent (præcellebat enim illa reliquis Asianis, & Orientalibus urbibus) in ea Ecclesiam fundans, & loco sui in ipsa Evodo in Episcopatum promoto, eo tempore reliquarum urbium principem, & præ aliis Europæ urbibus conspicuam progreditur, ibique Ecclesiam erigens Linum Episcopum constituit. Alii narrant, ibidem Linum invenisse, antea a D. Paulo in Episcopum [1] promotum, eumque excepisse: post mortem Lini Xystum [2] in Episcopum promovisse, & post Xystum Clementem. Et hac ratione in duabus partibus Universi, Asia nempe, & Europa, in primariis urbibus primus ipse Episcopi munere functus, & sui loco alios instituens; in tertia quoque parte, Libya nempe, aliquem Episcopum facere in animo fixit. Quare Roma mittit in Ægyptum, & Alexandriam universæ Libyæ civitatem primariam Marcum Apostolum & Evangelistam, qui Alexandriam progressus ibi fundata Ecclesia, omnem Libyam illuminavit. Sed & reliqui Apostoli quacumque gradientes & Evangelium annuntiantes in singulis civitatibus, ad quas pervenire contigisset, Episcopos creabant. Verum primas ante alios obtinebant tres prædicti; in Asia, Oriente nempe universo, Antiochenus [3]; in Europa, Occidente scilicet Romanus; & in Libya Alexandrinus, sub quo erat Palæstina omnis, in qua Jerosolyma locum habebat; Palæstina namque Libya est [4]. Jerosolymis vero Episcopus erat, qui a Domino ibi fuerat promotus, beatus Jacobus Apostolus frater Domini [5]. Quare & Jerosolyma ipsa sub Libya erat.

Possidebat itaque Romanus Europam universam ad confinia usque Mazorum, & Gallorum, Hispaniæ, Franciæ, & Illyrici, usque ad Gadira, & Columnas Herculeas, Oceanum, qui in occasum solis vergit, in quo sunt demortuæ aquæ & paludosæ, & Insula prope fines Oceani hominibus abundans, & est Christianorum universa multitudo usque ad Ravennam, Longobardos, Thessalonicam, & Sclavos, Abaros, & Scythas ad Danubium fluvium Ecclesiastica confinia extendit; & Mancariam possidet, & partem regionum Occidentalium, partem Siciliæ, & Calabriæ, in quibus perflant venti Septemtrio, Pareas, Chobeus, Zephyrus Occidentalis, & Libonotus, & totam plagam Occidentalem usque ad Byzantium, & insulas omnes interjacentes, nempe Sardiniam, Siciliam, Cretam, Euboeam, & ipsam Majoricam, & Peloponesum, Helladem universam, & Provincias, ac civitates omnes Europæ, nec non Hispaniam, & Superiores Alpes, & quæ ultra has extenduntur, & Insulas Britannicas usque ad Occidentalem Oceanum, & Gadira, & Columnas Herculeas; nec non Inferiores Gallias, quæ Italiæ sunt, sive Lombardiam, quæ nunc dicitur Longibardia, & Apuliam, & Calabriam, & Campaniam

(1) Error crassus.

(2) Error hic est in Xysto, cum dici debuisset Cletus.

(3) Antiochenus prior tantum est tempore; at Romanus Princeps est dignitate capitis totius Ecclesiæ.

(4) Errat Nilus, nam Palæstina & Jerosolymæ olim sub Antiocheno Patriarcha erant; nec in Libya, sed in Asia sitæ.

(5) Non a Christo, sed ab Apostolis post Christi Ascensionem S. Jacobus Jerosolymis præfectus fuit.

niam omnem; item Provinciam Byzaciæ, in qua est Carthago, & Mauritaniam, (1) & Venetiam, & Provincias, quæ ultra Sinum Adriaticum sese effundunt, nempe Pannoniam, & totum Illyricum, Macedoniam, & Thraciam, in qua est Byzantium (2), & quæ ultra sese extendunt Regiones Occidentales. Hæc omnia Romano subdebantur.

Antiochenus possidebat universam Asiam & Orientem, Indiamque ipsam, in quam ad hæc usque tempora Catholicum ordinans mittit Romogyreos vocatum; & Persiam, & Babylonem, cui nunc nomen Bagda est. Eo etiam mittebat Antiochenus Catholicum in urbem Irenopolim, Irenopoleos dictum (3); & Armenias, & Abasgiam, & Iberiam, & Mediam, & Chaldæam, & Parthiam, & Elamitas, & Mesopotamiam. Habet itaque Metropoles tredecim.

1. Tyri, quæ sub se habet Episcopatus XIII.
2. Tarsi, quæ sub se habet Episcopatus VI.
3. Edesæ, quæ sub se habet Episcopatus XI.
4. Apameæ, quæ sub se habet Episcopatus VII.
5. Hierapoleos, quæ sub se habet Episcopatus IX.
6. Bostri, quæ sub se habet Episcopatus XX.
7. Azarbi, quæ sub se habet Episcopatus IX.
8. Seleuciæ Isauriæ, quæ sub se babet Episcopatus XXIV.
9. Damasci, quæ sub se habet Episcopatus XI.
10. Amidæ, quæ sub se habet Episcopatus VIII.
11. Sergiopolis, quæ sub se habet Episcopatus V.
12. Daras, quæ sub se habet Episcopatus X.
13. Emesæ, quæ sub se habet Episcopatus IV.

Habet præterea & alias Metropoles, quæ sub se nullos habent Episcopatus; aliis Metropolitanis obnoxiæ, in dignitatem Metropolitanam provectæ sunt, decretumque ne aliis Metropolitanis subderentur, sed tantummodo Patriarchæ Antiocheno: & quemadmodum ubique Metropoles per se caput essent, & quod ante erant Episcopatus, nullos sub se habent Episcopos, quemadmodum antiquæ Metropoles: & sunt numero octo.

1. Bariti.	4. Samosatorum.
2. Heliopolis, quæ ex Throno Damasci excisa est.	5. Martyropolis.
	6. Mopsuestæ.
	7. Adane.
3. Laodiceæ.	8. Pompejupoleos.

Adhuc etiam Antiochenus habet ingentes Archiepiscopatus octo.

1. Berroeam.	3. Agaballam.
2. Chalcedonem.	4. Seleuciam Pieriæ.

5. Ana-

(1) Immo & totam Africam, excepta Ægypto

(2) Byzantium & Thracia erant olim Exarchatus Heracleensis, non Patriarchatus Romani.

(3) *Catholicum Persidis, & Catholicum Bagdacensis*; ut ex Codice Provinciali & MS. Græc. Sirleti, itemque ex Jacobo Vitriaco Hist. Orient. c. 32. discimus. Qui etiam Vitriac. addit: *Viginti olim Provincias Antiochenum Patriarcham sub se olim habuisse; quarum 14. Metropolitanos habebant cum sibi Suffraganeis Episcopis. Sex vero reliquas sub dictis Primatibus, seu Catholicis duobus continebantur.* Videndus etiam Aubertus Miræus, *Notitia Episcopatuum lib. 1. cap. 12.*

5. Anasartham, quæ & Theoduropolis dicitur.
6. Palton.
7. Gabulam.
8. Balaamam.

Præter hos habet & alios Archiepiscopatus tenues, & liberos quinque.

1. Salamiam.
2. Bercum.
3. Rhason.
4. Agathem.
5. Barcusorum.

Et hæ Ecclesiæ omnes Throno Antiocheno subduntur, quod plures Provincias, & Civitates, ut jam diximus, sub se contineret. Namque præter Babylonem, & Indiam, & Persiam, habet etiam Cælesyriam Provinciam Primam, in qua Antiochia sita est, & secundam, & Ciliciam, & Isauriam, quæ & Euphratesia Provincia est, & Hagiupoleos, & Theodoriadis, Osroënæ, Mesopotamiæ, sive quartam Armeniam; & confinia loca, & terminos Syriæ, & Persiæ, necnon & alias Provincias diversas, & regiones admodum multas. Illiusque dominium diffundebatur usque ad Chalcedonem, quæ adversa est Byzantio, nunc Constantinopoli, in Propontide sitæ, in qua, quod dicitur Damalium, cernitur. Ibi enim Damalis bucula e marmore super columnam stabat. Hæc itaque omnia Antiochenus possidebat.

Alexandrinus etiam totam Libyam possidebat, & Æthiopiam, & Marmaricam, usque ad Tripolim Africanam, nec non universam Ægyptum, & Palæstinam ipsam, in qua sunt Jerosolyma (1). Habet itaque & ipse Provincias varias, & Metropoles tredecim. Primam Provinciam, Primam Stamnicæ (2), in qua prima Metropolis est Pelusium varios sub se habens Episcopatus: & secundam Provinciam Stamnicæ, in qua est Secunda Metropolis Leonto, habens diversos Episcopatus: & primam Provinciam Ægypti, in qua Alexandria est ceterarum caput: & Secundam Provinciam Ægypti; & Provinciam Arcadiæ, in qua tertia est Metropolis Oxyrichus, habens sub se varios Episcopatus: & secundam Provinciam Thebaidis, in qua est quinta Metropolis Ptolemais, habens sub se Episcopatus diversos: & Provinciam Libyæ, in qua est Metropolis Darico habens nonnullos Episcopatus. Adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quæ fuerit septima Mariat: & octavam Tonesim in septimo Nili ostio sitam, septem enim ostiis Nilus in mare infunditur, in quibus variæ civitates jacent. Hæ itaque octo Alexandrinæ Metropoles, quæ varios sub se Episcopatus habent, quamvis sint & aliæ quinque nullis Episcopatibus conspicuæ, nempe Damiata, Sata, Maris Rubri, Pharan, Are; omnes simul tredecim (3). Erant Alexandrino & alii Throni diversi, sed post Severi hæresim a Severianis sublati sunt; quemadmodum & ditio omnis Jerosolymitana, ipsaque Jerosolyma, omnesque aliæ Sedes,

(1) Numquam Alexandrin. Patriarcha Palæstinam possedit.

(2) Idest Augustamnicæ.

(3) Pharan Mons Sinai, aliæque civitates Arabiæ olim ad Antiochenum Patriarchatū spectabant: post annum 1000. ad Alexandrinum: Jerosolyma tamen hucusque proprium Patriarcham habet.

Sedes, quæ nunc sunt sub Jerosolymitano Patriarcha. Namque, ut jam diximus, universam Palæstinam possidebat, & alias Provincias. Adhuc possidet Provinciam Libyæ Pentapolitanam, & Provinciam Tripolitanam Barbariæ. Ex quo lis, quæ inter Alexandrinum & Carthaginensem vertitur, dissolvitur. Binæ enim Tripoles sunt: una sub Oriente, & est decimus tertius Episcopatus Tyri sub Provincia Phœniciæ Maritimæ; Tyrus vero est, ut antea scripsimus, prima Antiocheni Metropolis, & hæc una Tripolis est: altera est sub Diœcesi Ægyptiaca, quæ & Libyca est, quæ dicitur Barbariæ, Alexandrino obnoxia, non ipsa primario, neque enim Metropolis est, sed Episcopatus uni Alexandriæ Metropoli subjectus. Frustra itaque eam sibi vendicat Carthaginensis, (1) qui præsidenti Europæ, Romano scilicet, subjicitur. Et hæc est Alexandrini, seu Libyæ Throni Diœcesis: & licet universus Oriens Asia vocaretur, universus Occidens Europa; sunt nihilominus civitates proprium sibi nomen Asiæ vendicantes, veluti Ephesus, quæ in Thracesio est, & Smyrna, & reliquæ ibidem urbes, ut infra exponemus. Pari ratione etiam in Occidente spectantur urbes, quæ Europæ nomen sibi usurpant; ut Heraclea in Thracia Constantinopoli proxima. Sic etiam & in Libya nonnullæ proprie Libyæ nomen sibi adsciscunt, ut Provincia Libyæ Pentapoleos, ut supra innuimus. Has autem generalia nomina proprie sibi usurpasse ob hanc causam existimo, quod inde unaquæque pars initium sibi sumat, Europæum ex Thracia, Asianum ex Thracesio, & pari ratione Libycum ex Pentapoli.

(1) Jure eam sibi vendicabat Carthaginensis, cum esset caput Provinciæ Tripolitanæ propria Primatis Carthaginensis.

Romanus autem, Alexandrinus, necnon Antiochenus suas Diœceses, modo quo diximus, gubernabant, cum nullus auderet in alterius Diœcesim pedem inferre, nec in ea ordinationes habere, nec quidquam aliud sacrum disponere (2). Proprias Diœceses unusquisque diviserunt in Exarchos, Metropolitanos, Archiepiscopos, & Episcopos, cum haud fieri posset, ut ipsi per se ipsos Parochiis suis omnibus modum imponerent, & seligerent Episcopos, & consecrarent, & res quærerent, jura dicerent, & pervestigarent propter itinerum longa intervalla. Propterea in eminentioribus Provinciis, & Regionibus Exarchos constituerunt, in aliis Provinciis unum, in singulis Metropolitanum. Cum vero sub eadem Provincia multæ civitates sint, unum quidem Metropolitanum, ut jam diximus, in totius Provinciæ spectabiliore urbe, quod illa veluti mater reliquarum urbium istius Provinciæ esset, ideoque & Præsulem in ea Metropolitanum nuncupabant; in aliis vilioribus urbibus creabant Episcopos; siquæ vero essent urbes in eadem Provincia, & magnitudine præstantes, & a prima illa parum differentes, in illis Archiepiscopos constituebant, qui nullos sub se Episcopos habebant. Siquidem duos in eadem Provincia Metropolitanos esse, haud probatum est; nisi postea Imperatoria liberalitate Episcopatus quispiam a sua Metropoli excisus, in Metropolis dignita-

(2) Hæc caute legenda; redolent enim Schisma Græcorum.

tem assumptus fuerit; vel Archiepiscopatus propter Episcopi, qui tunc vivebat, præstantiam, & hæc quidem Metropolis dicitur, licet nullas alias urbes sub se habeat, aut Episcopatus, quorum Metropolis fuerit. Exarchi itaque Provinciarum sub se, ut videtur, Metropolitanos habebant, eosque ordinabant, similiter & Archiepiscopos, quibus jura dicebant. Metropolitani vero subditos sibi in ea Provincia Episcopos. Exarchi omnes proprio capiti, & superiori Throno obnoxii erant (1), Omnes itaque hi Exarchi, Metropolitani, Archiepiscopi, & Episcopi superiori Throno subdebantur. Et si Exarchorum judicia Metropolitanis, aut Archiepiscopis, & Metropolitanorum Episcopis non probantur; hi quidem ad suprema appellabant, Episcopi ad Exarchos, indeque si id adlibuisset, ad Majorem. Nuper etiam Exarchi vocabantur Archiepiscopi.

(1) Exarchorum nomen hic aliter sumit, quam a recentioribus Scriptoribus sumi consuevit.

Dicendum est præterea, quomodo hæ tres magnæ Ecclesiæ, Romana nempe, Alexandrina, & Antiochena omnes, quæ sub se erant, Ecclesias gubernabant, & quanam ratione pares in dignitate aliæ duæ Ecclesiæ Constantinopolitana, & Aeliana sive Jerosolymitana factæ sunt. Aelia namque postmodum ex Aelio Hadriano Romano Cæsare dicta est. Hic enim post Vespasianum, & Titum expugnatis Jerosolymis, quod denuo Judæi rebellassent, ira percitus eosdem per omnem terram dissipavit, vili pretio eos divendens, cum singulis hordei parvam mensuram pretium statuisset: & eversa Urbe, ac Templo, sub proprio nomine Urbem, ac Templum reædificavit. In Templo proprium simulacrum, ut adoraretur, quod sane fuerat abominatio desolationis, apposuit; indeque institutum, ut proprio nomine in posterum Urbs Aelia nuncuparetur.

Postea Thronus Jerosolymitanus ex Diœcesi ac potestate (1) Alexandrini avulsus, in dignitatem elatus, per se caput aliaram Ecclesiarum extitit, & tribus aliis Thronis facultate par. Sancitum nihilominus est, post Antiochenum honore frui, & referri in Diptychis, & Sedem occupare. Nomenque sibi Patriarchæ Jerosolymitanus habuit, licet antea Episcopus esset sub Cæsariensi Palæstinæ, cum illius Metropolis Cæsarea esset, & Cæsareæ Jerosolyma, tamquam quæ Cæsareæ Episcopatus erat, subderetur. Habuit vero & alias Metropoles, quæ varios Episcopatus sub se habebant, nempe Secundam Scythopolim, sive Basan, tertiam Petram, quartam Bostram, sive Arabiam. Habet præterea & Archiepiscopatus nemini obnoxios 25. nullis Episcopatibus nobiles, & qui subjacent Throno Jerosolymitano.

(1) Antiocheni substituendum, ut supra dictum est.

1. Diospolim, sive Georgiupolim.
2. Ascalonem.
3. Joppem.
4. Gazam.
5. Anthedonem.
6. Diocletianopolim.
7. Eleutheropolim.
8. Neapolim.
9. Sebastem.
10. Jordanem.
11. Tiberiadem.

12. Dio-

12. Diocæsaream.
13. Maximianopolim.
14. Capetoliadem.
15. Myrum.
16. Gadarum.
17. Nazaret.
18. Thaborium Montem.
19. Cyriacupolim.
20. Adriam.
21. Gabalum.
22. Aeliam.
23. Pharas.
24. Helenupolim.
25. Montem Sina.

Et ſic quatuor hæc ingentia capita permanſerunt, Romanus, Alexandrinus, uterque Papa vocatus; tum Antiochenus, tum Jeroſolymitanus, uterque Patriarcha nuncupatus. Communi utique nomine Epiſcopi, & Pontifices Patres vocabantur, ſive illi majores, ſive minores. Sed adepti ſunt tres primi Patriarchæ dici Papæ, Patres ſcilicet; Papa enim notat Patrem: ſed & Archiepiſcopi dicuntur. Nihilominus ex uſu antiquo id obtinuit, Romanum peculiariter dici Papam, ſimiliter & Alexandrinum, Papam; Antiochenum vero, Patriarcham; quapropter ad hunc diem Antiochenus Patriarcha nuncupatur totius Orientis. Ita enim mos ex principio invaluit. Vocatus eſt etiam Patriarcha & ipſe Jeroſolymitanus, licet Epiſcopus eſſet ſub Cæſarea in Palæſtina. Ait itaque ſextus Canon Sanctæ & Oecumenicæ primæ Synodi Nicenæ: *Antiquæ conſuetudines ſuum habeant robur, quæ ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli; ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat facultatem, quandoquidem & Romanus Epiſcopus id ſuevit. Similiter & in Antiochia, & aliis Provinciis privilegia conſerventur Eccleſiis. In univerſum vero illud patet omnibus, ſi quis renuente Metropolita factus fuerit Epiſcopus, hunc eumdem magna Synodus decrevit non eſſe Epiſcopum.* Septimus autem ejusdem Synodi Canon de Aeliæ Jeroſolymorum Epiſcopo hæc habet: *Cum conſuetudo invaluerit, & traditio antiqua, Aeliæ Epiſcopum in honore eſſe, habeat honoris ordinem ſervata Metropoli propria dignitate.* Quid porro hoc eſt? Cæſarea, ut præſignificatum eſt, erat Palæſtinæ Metropolis, & poſſidebat Epiſcopatum Jeroſolymorum. Hoc itaque ait Canon. Non propterea quod Jeroſolyma in Patriarchatum provecta eſt, illa proprio honore minuetur, & a Metropoli in Epiſcopatum decidet, ſed hac etiam ratione manebit Metropolis, verumtamen ſub Jeroſolymitano Patriarcha. Conſecrabit vero ut antea, Cæſarienſis Patriarcham Jeroſolymitanum, & nulla re innovata eadem Metropolis ſua potietur dignitate, cum & Conſtantinopolitanum Heracleenſis in Thracia Europæ Metropolita in Patriarcham promoveat, quod Heracleæ Epiſcopatus erat Byzantium; & ipſe Heracleenſis ordinabat Byzantinum Epiſcopum, ubi poſtea Conſtantinopolis exædificata eſt: Propter hunc igitur Canonem Heracleenſis conſecrat. Sed de his infra ſtatim dicemus, cum de Throno Conſtantinopolitano ſermo incidet, quando & ille in Patriarchatum promotus ſit.

Conc. Nic. can. 6

Ibid. can. 7.

Sunt vero quædam Provinciæ, quæ non pendent a majoribus Thronis, quemadmodum & Insula Cyprus mansit sui juris, nullique Patriarcharum Throno subjecta, sed libera, quod in ea repertus sit Barnabas Apostolus in pectore habens Evangelium secundum Marcum (1). Sunt in ipsa Episcopatus tredecim, quorum primus est Constantia, reliqui Citium, Amathus, Curium, Paphos, Arsenoë, Soli, Lapithus, Cyrenia, Tamasus, Cythres, Trimithus, Carpasus.

(1) Satius dicendum secundum Matthæum.

Æque ac Cyprus sui juris est nulli ex maximis Sedibus subjecta, sed libere se gubernans, & a propriis Episcopis ordinationes accipiens Bulgaria, quæ a principio Bulgaria non erat, sed cum postea a Bulgaris fuisset occupata, Bulgariæ nomen sibi adscivit. Remansit itaque & ipsa sui juris, quod ductu auspicioque Imperatoris Basilii Porphyrogenetæ a Bulgarorum manibus fuisset erepta, & numquam Ecclesiæ Constantinopolitanæ supposita (2). Quapropter ad hæc usque tempora Cyprus, & Bulgaria ab Imperatore quidem accipiunt Episcopos, ordinantur vero hi a propriis, ut dictum est, Episcopis, vocanturque Archiepiscopatus, tanquam qui sui juris sunt. Habet vero Episcopatus Bulgaria triginta & amplius, quorum primatum obtinet Achris. Et hæc quidem de his.

(2) Bulgaria ab initio Patriarchatui Romano subjecta fuit.

Sed cum perfectum Ecclesiæ corpus esse oporteat, cujus unum caput Christus, singula vero corpora quinque sensibus gubernentur, & non quatuor: propterea ita disposuit Spiritus Sanctus, ut quinque essent Patriarchatus, qui unum corpus efficiunt, & unam Ecclesiam, sensuum vicibus præstantibus quinque Patriarchatibus. Quemadmodum enim corpus animantis a quinque sensibus dirigitur, & si unus ex his defecerit, corpus imperfectum est: sic & Ecclesia Christi, cum unum sit corpus, universa, & una in Christum Filium Dei fide firmata, a quinque Patriarchis, tamquam a sensibus dirigitur. Quinam vero Patriarchatus cujus sensus vicem sustineant, non est præsentis temporis dicere. (3)

(3) Silet Vir Schismatic. quod præcipuum est in Ecclesia, nem e ejus caput visibile Romanum Pontificem cui etiam omnes alii Patriarchæ subsunt, & a quo diriguntur.

Cum vero quinque esse Patriarchatus necessarium esset, ob causam jam dictam; propterea movit Spiritus Sanctus, & Oecumenicam Secundam Synodum, quæ contra Macedonium Spiritum Sanctum oppugnantem sub Imperatore Magno Theodosio Hispano Constantinopoli coacta est, præsentibus omnibus Præsulibus, & maximis Sedibus præsidentibus, Damaso scilicet Romano, Alexandrino, Jerosolymitano, & Antiocheno (4), præcipere scripto canone, Constantinopolim habere æqua privilegia cum Seniori Roma. Ait itaque tertius canon ejusdem Synodi: *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopus habeat privilegia honoris post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma*. (5)

(4) Solus Romanus Pontifex præsidet Conciliis Oecumenicis, non autem alii Patriarchæ.

(5) Canon iste non tribuit æqualia privilegia Constantinopolitano, sed tantum primatum honoris post Romanum: Imo etiam quo ad hoc fuit rejectus a Damaso Papa.

Pari ratione quarta Oecumenica Synodus Chalcedone congregata præscribens numerum Provinciarum, quæ Constantinopolitano subesse debebant, istam superioritatis causam ut optimam apposite, & ad verbum commemoravit: dicit enim 28. Ca-

Canon istius IV. Synodi: *Ubique SS. Patrum definitiones sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est 150. Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore Theodosio Magno in Regia civitate Constantinopoli nova Roma, agnoscentes; eadem quoque & nos definimus, & constituimus de privilegiis ejusdem Sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ. Etenim Sedi Senioris Romæ, quod Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt: & eadem consideratione moti 150. Deo amantissimi Episcopi, æqua privilegia tribuerunt Sanctissimæ Sedi novæ Romæ, recte judicantes Urbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus cum priore Regia Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam, magni fieri & extolli, secundam post illam existentem; ut & Ponticæ, & Asianæ, & Thraciæ Diœceseos Metropolitani soli, præterea & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur a prædicto Throno Sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ: nimirum unoquoque Metropolita earum ipsarum Diœceseon una cum Episcopis Provinciæ ordinante Provinciæ Episcopos, ut divinis Canonibus promulgatum est: Metropolitas vero Diœceseon earum ordinari a Constantinopolitano Archiepiscopo, electionibus convenientibus secundum morem factis, & ad illum perlatis.*

Vides [1], ex hoc Canone palam uti male feriatos redargui eos, qui dicunt, primos honores Romam consequutam propter Divum Petrum: Ecce enim Canon Sanctæ Synodi dicit, quod Roma imperat, ideo eam habere præeminentiam; ad ea enim tempora, & post multos annos a Constantinopolitano Imperatore eo Imperator mittebatur. Quando vero cessavit esse imperatrix, quod ab exteris servitute mancipata fuerit, & a barbaris Gentibus, & Gothis, & nunc quoque sub illis est tamquam quæ Imperio exciderit, excidit quoque & privilegiis, & Primatu. Constantinopolis quippe secundum locum occupavit decretis Sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantinopolitanæ, sicut & Quartæ, & Sextæ Synodi Oecumenicæ, in qua numeratur ordo singulorum Thronorum. Nam post Constantinopolitanum tertius statuitur Alexandrinus, post illum Antiochenus, postremus Jerosolymitanus. Quoniam vero Roma excidit proprio Imperio, & dignitate Regia, propter quam ut prima honorabatur, & nunc barbaris subjecta est [2], excidit omnino privilegiis & prærogativis, ea enim ut imperans habuit; & remansit vere imperantis Constantinopolis Thronus, primo imperare desinente, immo ab aliis ceteris Thronis avulso, & abscisso. Dicit enim 36. Canon Sanctæ Sextæ Synodi Oecumenicæ: *Renovantes ea, quæ a Sanctis 150. Patribus in hac Dei observatrice & Regia Urbe convenerunt, & 630. qui Chalcedone convenere constituta sunt, decernimus, ut Constantinopolitanus Thronus æqualia privilegia antiquæ Romæ Throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotiis, ut ille magni fiat, ut qui sit secundus post illum* [3]. *Post quem magnæ Alexandrinorum civitatis Thronus numeratur; deinde Antiochiæ; & post eum Jerosolymæ civitas.* Vides quo-

(1) Hic homo Schismaticus Primatum Romani Pontificis oppugnat ex Canone Chalcedonensi, quem non intelligit.

(2) Putidum mendacium, & stultum commentum hominis Schismatici.

Sexta Synodus can. 36.

(3) Nota, hoc Canone CP. secundum dici, relicto nimirū Primatu Throno veteris Romæ; sicque refelli, quæ Nilus antea & postea inscite dixit.

quomodo secundum Imperia Thronos constituant, primo in duobus Regiis urbibus veteri, & nova Roma; deinde quia Imperium Ægypti Antiocheno majus erat, tertius Thronus Alexandriæ constitutus est. Quia vero contigit Jerosolymam ipsam etiam regnare, Thronus vero illius minor fuit Antiocheno, & quia Coryphæus Petrus primo fuit Episcopus Antiochiæ, & quia Palæstina pars fuit Alexandriæ, ut Libycæ, & ab illis abscissa, propterea illius limites sunt aliorum Thronorum limitibus multo angustiores. Denique quia ultimo Patriarchatum obtinuit, ideo jure ac merito post Antiochenum collocatur. Et hæc quidem de ordine quinque Patriarcharum, & eorum nominibus. Vocati sunt enim Jerosolymitanus, & Constantinopolitanus Archiepiscopi & Patriarchæ; Archiepiscopi quidem, ut qui primo fuerint Episcopi, sed postea facti liberi, & sui prorsus juris & arbitrii: Patriarchæ vero ut æqualibus privilegiis decorati, quibus tres alii Patriarchæ, & digni habiti, qui eadem Sede, & honore fruerentur. Ideo Patriarcha Constantinopolitanus subscribit his titulis, quas consignat, litteras: *Archiepiscopus novæ Romæ, & Patriarcha Oecumenicus* (1); quandoquidem obtinuit privilegia, & Primatum Romæ. Regina quippe totius Orbis primo erat Roma, deinde ultimo Constantinopolis. Ideo Romanus & Constantinopolitanus jure dicuntur *Oecumenici*; alii vero tres Patriarchæ Oecumenici non vocandi. Propterea ergo Constantinopolitanus dicitur Patriarcha Oecumenicus. Sicut ergo Romanus privilegium habuit appellationes contra alios Patriarchas, & accusationes judicare; quandoquidem Constantinopolitanus privilegia Romani adeptus est (2), merito potest jura reddere tribus prædictis Patriarchis.

Quærendum porro est de Provinciis & Urbibus Throno Constantinopolitano subjectis, & quomodo se subjecerint. Primum quidem avulsi sunt, qui in quarta Synodo memorantur Metropolitani & Episcopi, & reliqui in Oriente, & Diœcesi, quæ erat Antiocheno, & in Occidentali, Romano obnoxia. Namque duo Exarchi Orientalis Diœceseos, qui aliis Metropolitis sub eorum ditione præcellunt, statim se submiserunt cum Metropolitanis sibi subjectis Constantinopolitano, Cæsariensis scilicet Cappadociæ, & Ephesinus in Asia, & ex eo tempore semper sub Constantinopolitano fuerunt (3). Quinam vero hi fuerint, & quot, infra dicemus. Rursus ex Occidentali Diœcesi duo Exarchi similiter reliquis Metropolitanis subjectis multo præstantiores, Constantinopolitano se subjecerunt, Thessalonicensis nempe, & Corinthius: quos sequuti sunt Metropolitæ reliqui, & Archiepiscopi, qui sub illis erant. Sed & hi quinam, & quot fuerint, infra prosequemur. Sicilia præterea, & Calabria se Constantinopolitano supposuerunt, & Sancta Severina, quæ & Nicopolis dicitur. Sicilia autem universa unum Metropolitam habet Syracusanum; reliquæ vero Siciliæ Ecclesiæ Syracusani erant Episcopatus, etiam ipsa Panormus, & Therma, & Cephalœdium, & reliquæ. Calabria quoque unum Metropolitanum

(1) Hunc titulum a Joanne Patriarcha CP. usurpatum S. Gregorius M. proscripsit.

(2) Nota Primatus privilegium, quod Romano competiisse Schismaticus homo negare non potest, Constantinopolim autem cum Regio Throno translatum fuisse ctat.

(3) Falsum est hos Exarchos, uti & Thessalonicensem & reliquos Illyrici, Calabriæ, & Siciliæ Metropolitas statim se subjecisse Constantinopolitano; vi enim ac potentia Imperatorum sæviente Schismate Græcorum a Romano Patriarcha fuerunt divulsi.

num Rheginum, reliquas vero Eccleſias Epiſcopatus ſibi vendicabat, Taurianam, in qua Sancti Fantini Monaſterium eſt; Bibonem, cujus locum occupavit Miletum; Conſtantiam, quæ Coſentia nunc dicitur; & reliquas omnes Calabriæ ſubjectas. Erat & Sancta Severina Metropolis, habens & ipſa ſub ſe varios Epiſcopatus, Callipolim, Aſyla, Acherontiam, & reliquas, & ſunt hæ Eccleſiæ deſcriptæ in Tacticis Nomocanonis ſub Throno Conſtantinopolitano. Sed & Catanea ipſa antiquitus cum eſſet Epiſcopatus, propter Sanctum Leonem ejusdem Epiſcopum ab Imperatoribus ad Archiepiſcopatum evecta eſt: quapropter nullum ipſa ſub ſe Epiſcopatum habet, licet eadem in Tacticis inter Sedes Conſtantinopolitano ſubjectas adnumeretur. Adnexæ itaque Siciliæ, Calabriæ, Sanctæque Severinæ Sedes Throno Conſtantinopolitano a Romano avulſæ, cum Barbari (deprehenſo Papa) Romam ſpolium factam in proprios uſus converterunt: quemadmodum & Creta, ſub Romano cum eſſet, ſub Conſtantinopolitano facta eſt. Nihilominus Pontifex viles quasdam partes, & Epiſcopatus nonnullos in Sicilia, & Calabria habere deprehenditur. Metropoles enim & urbes in eadem illuſtriores, ac digniores Conſtantinopolitanus poſſidebat uſque ad Francorum adventum. Sic etiam in Longobardia (1), & Apulia, & in omnibus iis regionibus maritimas Metropoles antea poſſidebat Conſtantinopolitanus, reliquas Romanus; ut regiones illæ per partes poſſiderentur. Namque melodus ac Poëta Dominus Marcus Hidruntum a Conſtantinopolitano miſſus fuiſſe comperitur. Cum autem univerſæ Longobardiæ Ducatus, quæ vetus Hellas erat, ſub Imperatore erat Conſtantinopolitano, Papa vero ſeparatus ſub aliis gentibus vivebat; propterea Patriarcha Eccleſias obtinebat: nam Brunduſium, & Tarentum a Conſtantinopolitano Sacerdotes accipiebant: idque nullum latet. Cum vero Franci hunc Ducatum occuparunt, tunc Romanus in omnibus hiſce Eccleſiis ordinationes tenuit; in iis enim regionibus, quas Conſtantinopolitanus Imperator obtinebat, vel poſtea a barbaris gentibus recuperabat, jure Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinationes habebat: cum Roma modis omnibus a Conſtantinopoli alienata aliis ſe ſubmiſiſſet. Papam vero partes aliquas antea in Sicilia obtinuiſſe, manifeſtum fit ex vita S. Gregorii Agrigentinorum Urbis, quæ nunc Gregentium dicitur, Epiſcopi: in ea ſiquidem ſcriptum eſt, Papam Sanctum Gregorium Agrigentinorum Epiſcopum ordinaſſe. Sed eo tempore Roma nondum penitus ſeparata erat a Conſtantinopoli. Tenebat itaque multos ab hinc annos Conſtantinopolis ex parte & Siciliam, & Calabriam; & Papa paucula quædam, quemadmodum & in Longobardia uſque ad ſeparationem: tunc enim ſeparatus eſt ab his regionibus Papa uſque ad Francorum adventum, ut jam diximus.

(1) In Longobardia nihil unquam Conſtantinopolitanus Patriarcha obtinuit; niſi forſan Græcorum more intelligat Ducatum Beneventanum, & partem Regni Neapolitani.

Nunc itaque poſſidet a Deo conſervatus Thronus Conſtantinopolitanus, quem primum vocatus Andreas fundavit, primum

mum Epiſcopum in eo conſtituens, cum adhuc Urbs Byzantium eſſet, partem non minimam Aſiæ Europææque, ut infra indicabimus; quæ ſunt circa Hadriaticum mare ab Illyrico uſque ad Propontidem, in qua eſt Conſtantinopolis, indeque uſque ad Cherſonem, & Chazariam, & Chaldiam, & Gottiam, & Abſagiam, & Iberiam, & Albaniam; namque in eam a Patriarcha Metropolitæ mittuntur. Sed & omnes Iſtriæ adjacentes civitates ipſi ſubjiciuntur: necnon & Danubii fluminis, & Cappadociæ urbes, & partes Armeniæ, & Cyclades Inſulæ, & reliquæ omnes, quæ ſubſunt Imperio Conſtantinopolitano, multæ illæ quidem, & maximæ Inſulæ duæ Creta, & Eubœa, in qua eſt Euripus. Sed & Peloponneſus, & Græcia. Namque Cyprus ſui juris eſt, ut ſupra memoravimus. Quinimo & in Magna Ruſſia a Patriarcha Conſtantinopolitano Metropolita mittitur. Sunt itaque Provinciæ, & Metropoles Conſtantinopolitano ſubjectæ in Oriente, Occidente, & in aliis Regionibus hæ.

1. Cæſarea Cappadociæ habens Epiſcopatus VIII.
2. Epheſus Aſiæ habens Epiſcopatus XXXIV.
3. Heraclea Thraciæ in Europa habens Epiſc. XV.
4. Ancyra Galatiæ habens Epiſcopatus VIII.
5. Cyzicus Helleſponti habens Epiſcopatus XII.
6. Sardes Aſiæ habens Epiſcopatus XXV.
7. Nicomedia Bithyniæ habens Epiſcopatus XII.
8. Nicæa ejuſdem Bithyniæ habens Epiſcopatus VI.
9. Chalcedon ejuſdem Provinciæ ſine ſubditis.
10. Sidæ Pamphyliæ habens Epiſcopatus XVI.
11. Sebaſtia Secundæ Armeniæ habens Epiſcopatus VII.
12. Amaſea Helleſponti habens Epiſcopatus VII. cujus Epiſcopatus erat & ipſa Iberia.
13. Melitene Armeniæ habens Epiſcopatus XVI. ex quibus eſt & Epiſcopatus Cucuſus, quo in exilium miſſus eſt aurea lingua Joannes.
14. Thyana Secundæ Cappadociæ habens Epiſcop. III.
15. Gangra Paphlagoniæ habens Epiſcopatus III.
16. Theſsalonica Theſſaliæ habens Epiſcopatus VIII.
17. Claudiopolis Honoriadis habens Epiſcopatus V.
18. Neocæſarea Ponti Polemoniaci habens Epiſcop. VII.
19. Piſinus Secundæ Galatiæ habens Epiſcopatus VIII.
20. Myra Lyciæ habens Epiſcopatus XXXIII.
21. Stauropolis Cariæ habens Epiſcopatus XXVI.
22. Laodicea Phrygiæ habens Epiſcopatus XXVI.
23. Synada Phrygiæ Salutaris habens Epiſcopatus XX.
24. Iconium Lycaoniæ habens Epiſcopatus XV.
25. Antiochia Piſidiæ habens Epiſcopatus XXI.
26. Perge ſive Syleum habens Epiſcopatus XVII.
27. Corinthus Peloponneſi habens Epiſcopatus VII.

1. Da-

1. Damalorum.
2. Argi.
3. Monembasiæ, sive Tenarusiæ.
4. Cephaleniæ.
5. Zacinthi.
6. Zarneres.
7. Marnæ.

28. Athenæ Græciæ habens Episcopatus XI.

1. Euripi.
2. Dauliæ.
3. Coroniæ.
4. Andri.
5. Ozæi.
6. Scyri.
7. Caristi.
8. Porthmi.
9. Aulonæ.
10. Syræ, & Seriphi.
11. Cei, & Thermiorum.

29. Mocesus Cappadociæ habens Episcopatus IV.
30. Creatæ habens Episcopatus X.
31. Rhegium Calabriæ habens Episcopatus XIII.
32. Petræ, Peloponesi habens Episcopatus V.

1. Lacedæmonis.
2. Methonæ.
3. Coronæ.
4. Bolænæ.
5. Olenæ.

33. Trapezus Laziçæ habens Episcopatus XV.
34. Lariffa Græciæ habens Episcopatus XVII.
35. Naupactus Nicopoleos habens Episcopatus IX.
36. Philippopolis Thraciæ habens Episcopatus X.
37. Trajanopolis Rhodopes habens Episcopatus VII.
38. Rhodus Cycladum Insularum habens Episcopatus XII.
39. Philippi Macedoniæ habens Episcopatus VII.
40. Hadrianopolis Hæmimonti habens Episcopatus XI.
41. Hierapolis Phrygiæ Capatianæ habens Episcopatus IX.
42. Rhodostolum, seu Distra Hæmimonti habens Episcopat. IX.
43. Dyrrhachium habens Episcopatus IV.
44. Smyrna Asiæ habens Episcopatus V.
45. Syracusa Siciliæ habens Episcopatus XXI.

1. Cataniæ.
2. Taurominiæ.
3. Messenæ. (1)
4. Cephalundii.
5. Thermorum.
6. Panormi.
7. Lilybæi.
8. Trocalorum.
9. Acraganti. (2)
10. Tyndarii.
11. Carines.
12. Leontines.
13. Alesæ.
14. Gaudi Insula.
15. Melita Insula, quæ dicitur Malta.
16. Liparis Insula.
17. Vulcani.
18. Didymi.
19. Ustinæ.
20. Tenari.
21. Basilundii.

(1) Messanæ.

(2) Agrigenti.

46. Catania, quæ cum Syracusani esset Episcopatus, propter S. Leonem in Archiepiscopatus dignitatem provecta est.
47. Amnorium Phrygiæ habens Episcopatus VIII.
48. Camuchus Armeniæ habens Episcopatus VIII.
49. Cotyæum Phrygiæ habens Episcopatus XIII.
50. S Severina Calabriæ habens Episcopatus V.
51. Mitylene Lesbi Insulæ habens Episcopatus VI.
52. Novæ Petræ Græciæ habens Episcopatus VI.
53. Thebæ Græciæ habens Episcopatus III.
54. Serræ Thessaliæ habens Episcopatus LVII.
55. Aeonis.
56. Corcyra.
57. Mesembria.
58. Amastris Ponti.
59. Chonæ Phrygiæ.
60. Pompejopolis.
61. Atalia a Syleo avulsa.
62. Paronaxia a Rhodo avulsa.
63. Lacedæmonia a Patris Peloponesi avulsa.
64. Madyta ab Heraclea avulsa.
65. Abydus a Cyrico avulsa.

Archiepiscopatus item, qui Throno Constantinopolitano subjacent, nulli tamen Metropolitanorum obnoxii, neque sub se habentes Episcopatus, omnes sunt.

1. Bizyra.
2. Leontopolis.
3. Parium.
4. Proconesus.
5. Cius.
6. Aspros.
7. Cypsela.
8. Psice.
9. Neapolis.
10. Selga.
11. Cherso.
12. Mesenæ.
13. Garela.
14. Brysis.
15. Dercus.
16. Carabyza.
17. Lemnus.
18. Leucas.
19. Misthia.
20. Pedachtæ.
21. Perme.
22. Bosphorus.
23. Cotradia.
24. Codræ.
25. Carpathus.
26. Cotro.
27. Rhisæum.
28. Gotthia.
29. Sygdia.
30. Phylli.
31. Ægina.
32. Pharsala.
33. Anchialus.
34. Heraclei.

Hæ omnes civitates, & Provinciæ Throno Constantinopolitano annumerantur.

De hypothesibus vero & suppositionibus partium seu regionum Occidentalium, verbi gratia Romæ, Longobardiæ, & Sici-

ciliæ, ego apud te disseram, ea qua par est libertate, & quæ decet tui observantissimum cultorem. Cum nimirum quidam ex Oriente populi limites suos egrederentur, & Imperium Romanum invaderent, quia Imperator, qui tunc rerum potiebatur, non poterat illis multum negotii facessere, tunc exortus est Desiderius, & factus est Rex Lampardiæ, (1) & expugnatis omnibus castris & castellis, quæ erant circa Romam, illa eruit & funditus evertit. Postea vero Romam ipsam aggressus est, quam sub jugum mittere tentavit. (2) Cum autem qui tunc Sedem Pontificalem occupabat Papa non esset par tanto molimini, nec illi vires sufficientes suppeterent, legatos ad Pipinum Franciæ Regem misit, eo quod nulla spes affulgeret opem & copias auxiliares ab Imperatore Romanorum accipiendi. Ea vero promissione Pipinum obstrinxit, quod si ab illo subsidium posset obtinere, illico Diadema & Coronam Romæ illi esset concessurus. Nulla mora Pipinus cum Carolo filio castra movet, & brevi Alpium juga superavit. (3) Providentia vero divina factum est, ut Desiderius in Longobardia tunc degens nulla habita pugna, solaque Pipini fama perterritus fuga sibi consuleret, & in arcem Cremonæ se reciperet. Insequutus vero Pipinus, illum & castrum obsidione cinxit; quo expugnato, illum & subditos captivos habuit. Statim vero misit Carolum filium suum ad Papam tamquam prodromum & præcursorem, qui omnia Romæ pararet & disponeret ad solemnia suæ coronationis. Carolum autem Pontifex & Romani maxima cum honoris significatione exceperunt. Cum vero Pipinus ipse Romam tandem pervenisset, eaque spe se lactaret, quod corona esset decorandus, hoc non potuit obtinere, regerentibus ipsi Papa & Romanis, se vehementer vereri ne Romanorum Imperator fugatis hostibus victor illos adoriretur, & contra illos arma moveret. Quapropter tunc temporis Patricii dignitate illum tantum ornare voluerunt, postquam illum honorifice excepissent, Rexque juramento se obstrinxisset, se Ecclesiæ futurum tutorem & vindicem. Illo autem domuitionem parante, & in Franciam reverso, moritur Pontifex Romanus, quo e vivis sublato alius locum occupavit, cui Leonis nomen erat. Post aliquod temporis intervallum contra istum Papam insurrexerunt, tantoque dedecore & contumeliis illum sunt prosecuti, ut & illum naribus truncarent. Roma ergo egressus cum suis Cardinalibus in Franciam perrexit ad Carolum, qui locum occupabat patris, qui fato functus erat. Statim vero illum flexit, & contra Romanos expeditionem movit: & Romam ingressus primos seditionis authores corripuit, oculisque orbatos in exilium deportandos curavit. Et postquam cum Carolo omnes suas injurias reparasset, & vindicasset, servosque omnes restituisset, his verbis Carolum adortus est: (4) Si vis a me coronari, juramento hoc fœdus inter nos confirmes: te nimirum eo inverecundiæ & impudentiæ numquam deventurum, ut contra Romam, illiusque vicina loca hostis accedas, sed tantum cum a me suc-

(1) Longobardiæ.

(2) Desiderius fuit ultimus Longobardorũ Rex, nec ipse primus Italiam invasit.

(3) Quæ sub Carolo M. sunt gesta, cum Pipino patre confundit. Pipinus non contra Desiderium, sed contra Aistulfum bis pugnavit: nec umquam Romam adiit, nec Patricius factus fuit; sed in Galliis a R. Pontifice ipse cum filiis coronam Regni accepit. Qua de re Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ in Aistulfo.

(4) Fabella Schismaticorum inferius refellenda.

cessoribusque meis tu tuique posteri eo fuerint invitati; & cum te vocabimus ad Ecclesiam vindicandam, te tanquam ad negotium prorsus necessarium celeriter advolaturum. Et quandoquidem tota regio est juris Imperatoris Romani, hoc inter nos ineatur pactum, te occupaturum Longobardiam & Regiones illi adjacentes; me vero possessurum Toscaniam, & regiones a Roma Longobardiam, & Siciliam usque circumfusas; teque illas vindicaturum, si aliquis illas invadere moliatur, ut jura libertasque Romana sarta & tecta conserventur. Postquam vero coronatus a me fueris, reges me fræno, & habenis equi mei, salvumque me, & incolumem ad Palatium usque meum reduces. Me autem & Successores meos ut Dominos Papas habebis, & illis honorem congruentemque observantiam tribues. Ego vero postquam a me fueris coronatus Imperatoris nomen & titulum tibi tribuam. Quibus omnibus inter illos concessis, & chartis instrumentique scriptis respectivis munitis, juramentoque Caroli firmatis & roboratis, consuetudo ista obtinuit, & obtinet ad præsens usque tempus.

Explicit hoc opus 23. Martii Anno 1011. Salvatoris nostri Jesu Christi, in Joannis manu Christoduli filii Demetrii Michaëlis. Hactenus Notitia Nili Doxapatrii, a Schelstrate ex Græco in Latinum versa. Error tamen manifestus irrepsit in postremum annorum computum ad calcem ejusdem Notitiæ designatum. Numerus enim ille annorum minime respondet alteri initio expresso. Quare legendum puto, ann. 1101. eo siquidem anno Rogerius post Ricardii mortem Siciliæ imperabat, non quod hoc anno hæc Notitia edita sit, sed quia ex Nili prototypo a Christodulo Demetrii Michaëlii filio tunc descripta fuit.

Notæ quædam in præcedentem Notitiam.

Præter breviores notas in margine relatas, nonnullæ hic sunt adjiciendæ, quibus varii errores Nili Doxapatrii emendantur. Cum primis Vir Schismaticus, ut supremam deprimat Romani Pontificis auctoritatem, universum Ecclesiæ Corpus in quinque Patriarchatus discerpit, parem unicuique Patriarcharum tribuens potestatem, adeo ut alter eorum, etiam ipse Romanus, in alterius Diœcesim nihil posit; sicque quinque ex æquo constituit Ecclesiæ capita. Quæ est hæresis manifesta, cum unum dumtaxat sit Ecclesiæ caput visibile Romanus Pontifex, cui & ceteri Patriarchæ, Exarchi, Metropolitæ, & Episcopi subsunt. Insulsa porro est illa ex quinque sensibus deducta comparatio, quæ si quidpiam evinceret, illud plane adstrueret, ante institutos Constantinopolitanum, & Jerosolymitanum Patriarchatus, Christi Ecclesiæ Corpus quinque fere seculorum spatio fuisse imperfectum; quod certe absurdum est, & erroneum. Hæc omnia errorum capita alibi fusius confutavimus in Tractatu de Primatu Romani Pontificis.

Errat

Errat deinde cum ait, Spiritu Sancto motas Oecumenicas Synodos, Secundam, & Quartam, quando ediderunt Canonem de Patriarchatu Constantinopolitano, æqualia ejus Episcopo cum Romano privilegia tribuentes. Cum primis enim Canones illi non æqualia impertiunt privilegia Constantinopolitano, sed tantum ei post Romanum Secundam Sedem supra tres alios Patriarchas concedunt. Deinde a Damaso, & a Leone Magno Canones illi fuerunt reprobati, & in Oriente vi solum & potentia Imperatorum obtinuerunt. Immo post Secundam Synodum S. Joannes Chrysostomus in Synodo ad Quercum Sede Constantinopolitana dejectus, ad Innocentium Papam, ut ad totius Ecclesiæ, & Patriarcharum caput provocavit, a quo & Sedi suæ fuit restitutus. Idipsum præstitit post Concilium Chalcedonense Sanctus Ignatius Patriarcha a Photio injuste depositus, sed a Romano Pontifice redditus Sedi suæ Constantinopolitanæ.

Turpe non minus labitur, dum asserit, Romanum Pontificem Primatu excidisse post translatum Constantinopolim Imperii Thronum: non enim Primatus Ecclesiæ a Cæsare, sed a Christo fuit institutus. Qua de re late egimus in Tractatu præfato. Quid vero stultius, quam cum ait, Romanum Pontificem a Barbaris detineri, idcirco dignitate cecidisse? In ipsos Græcos Schismaticos potius istud argumentum contorquetur, quorum Imperii, & Patriarchæ Thronum Turcæ occupant. Æque insulsum quod tradit, Siciliam, Italiæ partem, & Illyricum Romano Patriarchatui ereptas, quod Papa a Græcis se alienaverit. Græci enim repetito toties schismate in causa fuerunt. Neque verum est Græcorum Patriarchas semper Siciliam obtinuisse, pauca vero ac vilia dumtaxat loca Romanos Pontifices illic possedisse. Immo ex adverso Sicilia, uti & Calabria, & Apulia, & totum Illyricum ad Patriarchatum Romanum semper pertinuere, nec nisi vi a Leone Isaurico hæresis Iconoclastarum fautore ab illo fuerunt divulsa. Longobardiam autem quando unquam obtinuerunt Patriarchæ Constantinopolitani? Sunt hæc & hujusmodi cetera mera Schismaticorum somnia, in quibus evertendis diutius detineri non est opus. Nec minus fabulis scatet postrema narratio de pactis inter Carolum M. & Leonem III. initis. Verum quidem est, Pontificem illum a Paschali Primicerio, aliisque Romanis Schismaticis, crudeliter cæsum, ac membris mutilatum; sed intercessione S. Petri sanitati redditus, Caroli M. opera in Sedem restitutus, eumdem Carolum paulo post Romam profectum, nihilque cogitantem, immo ferentem ægerrime, coronavit Imperatorem: at hic ne se oblato munere indignum ostenderet, juravit se Ecclesiæ Protectorem fore.



No-

VIII.

Notitia Quinque Patriarchatuum.

EX REGIA BIBLIOTHECA.

In Parergo post Geogr.Sac.Caroli à S. Paulo pag. 55.

SAncta Romana Ecclesia mater Ecclesiarum omnium & Magistra habet sub se, vel habere debet, hos Patriarchas, & Metropoles, & Suffraganeos inferius denotatos. Sed magnam partem eorum subtraxit Romanæ Ecclesiæ superbia Græcorum, remotio locorum, repugnatio Hæreticorum, infidelitas Paganorum. Cum Summo vero Pontifice sunt hi Cardinales, Christi & Ecclesiæ negotia pertractantes.

Septem Cardinales Episcopi primæ Sedis, qui ad Sacrosanctum Altare Dominicum in Basilica Salvatoris per hebdomadas suas vice Apostolici celebrare debent quotidie, hi sunt. Episcopus Hostiensis, Episcopus Portuensis, Episcopus Sanctæ Rufinæ, Episcopus Albanensis, Episcopus Sabinensis, Episcopus Tusculanus, Episcopus Prænestensis.

Cardinales Sanctæ Mariæ Majoris sunt hi. Sanctorum Apostolorum, Sancti Cyriaci in Thermas, Sancti Eusebii, Sanctæ Pudentianæ, Sancti Vitalis, Sanctorum Marcellini & Petri, Sancti Clementis.

Cardinales Sancti Petri sunt hi. Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, Sancti Chrisogoni, Sanctæ Ceciliæ, Sanctæ Anastasiæ, Sancti Laurentii in Damaso, Sancti Marci, Sanctorum Martini & Sylvestri.

Cardinales Sancti Pauli sunt hi. Sanctæ Sabinæ, Sanctæ Priscæ, Sanctæ Balbinæ, Sanctorum Nerei & Achillei, Sancti Sixti, Sancti Marcelli, Sanctæ Susannæ.

Cardinales Sancti Laurentii sunt hi. Sanctæ Praxedis, Sancti Petri ad Vincula, Sancti Laurentii in Lucina, Sanctæ Crucis in Jerusalem, Sancti Stephani in Cælio Monte, S. Joannis & Pauli, Sanctorum Coronatorum.

Diaconiæ sunt XVIII. Sanctæ Mariæ in Dominica ubi est Archidiaconus, Sanctæ Luciæ in circo juxta septa solis, Sanctæ Mariæ Novæ, Sanctorum Cosmæ & Damiani, Sancti Adriani, Sanctorum Sergii & Bachi, Sancti Theodori, Sancti Georgii, Sanctæ Mariæ in Schola Græca, Sanctæ Mariæ in Porticu, Sancti Nicolai in Carcere, Sancti Angeli, Sancti Eustachii, Sanctæ Mariæ in Aquiro, Sanctæ Mariæ in Via Lata, Sanctæ Mariæ in æquo Marmoreo, Sanctæ Luciæ in capite Suburæ, Sancti Quirici.

Isti sunt Episcopi sub Romano Pontifice, non sub alio, vel alterius Provincia constituti.

Anagninus.	Alatrinus.
Signinus.	Verulanus.
Ferentinus.	Teracinensis.

Soranus.
Fundanus.
Gajetanus.
Tiburtinus.
Forconensis. (1)
Spoletanus.
Reatinus.
Tudertinus.
Ameliensis.
Narniensis.
Fulginas.
Nucerinus.
Eugubinus.
Callensis.
Urbinas.
Marsicanus.
Valuensis.
Teatinus.
Pennensis.
Aburtinus. (2)
Nepesinus.
Sutrinus.
Civitatonensis.
Ortanus.
Balneoregensis.
Ubevetanus. (3)
Auximanus.
Eninanus. (4)

(1) Furconiensis.
(2) Aprutinus.
(3) Urbevetanus.
(4) Forte, Humanus, seu Humanatensis.

Anconitanus.
Esinas. (5)
Asisynas. (6)
Esculanus. (7)
Firmanus.
Camerinensis.
Ravenensis. (8)
Ariminensis.
Viturbiensis. (9)
Tuscanensis.
Castrensis.
Suanensis.
Elusinus. (10)
Perusinus.
Castellanus.
Aretinus.
Grossetanus.
Vulteratinus.
Lucanus.
Pistoriensis.
Florentinus.
Fesulanus.
Lunensis.
Senogaliensis.
Fanensis.
Pensauriensis.
Forosimbronensis.
Feretranus.

(5) Æsinus.
(6) Assisinas.
(7) Asculanus.
(8) Ravellensis.
(9) Viterbiensis.
(10) Clusinus.

Panormitana Metropolis hos habet Suffraganeos.

Agrigentinum.
Milevitanum. (1)
Mazariensem.

(1) Melitensem Insula.

Archiepiscopus Montis Regalis hunc habet Suffrag.

Syracusanum.

Mesana Metropolis hos habet Suffrag.

Cephaludensem.
Pactensem.
Lipariensem.
Cataniensem.
Sancti Marci. (1)
Miletensem. (2)

(1) In Calabria.
(2) In Calabria.

Archiepiscopus Reginus hos habet Suffrag.

Cassanensem. (1)
Neocastrensem.
Catacensem.
Cropiensem. (2)
Oppensceinum, vel Oppidanum. (3)

(1) Forte Crotoniensem.
(2) Tropejensem.
(3) Oppidensem.

Ge-

Geratinum. (1) Miletensem, (2) est Domini Papæ. (2) Bis repetitur.
(1) Hieracensem. Squillacensem.
Bovensem.

Archiepiscopus Cusentinus hunc habet Suffrag.

Marturanensem.

Archiepiscopus Rossanensis nullum habet Suffrag.

Bisinianensem. Sancti Marci.
Est Domini Papæ.

(1) Sanctæ Severinæ. *Archiepiscopus S. Severini (1) hos habet Suffr.*

(2) Umbriaticensem. Ebuacensem. (2) Stroniensem. (4) (4) Strongulensem.
(3) Belcastrensem. Genetocastrensē. (3) Gerontinensem.
Insulensem. Sancti Leonis.

(1) Compsanus. *Archiepiscopus Consanus (1) hos habet Suffrag.*

(1) Muranum. Marannensem. (1) Montis viridensem.
Satrianum. Lequadonensem.

Archiepiscopus Tarentinus hos habet Suffrag.

(1) Motulensem. Mutilensem. (1) Castellanum. (2) (2) Castellanetensem.

Archiepiscopus Agerontinus (1) hos habet Suffrag. (1) Acheruntinus.

Potentinum. Tricanensem. (3) (3) Tiricaricensem.
Venusinum. Carponiensem.
(2) Gravinensem. Graumensem. (2) Anglonensem.

Archiepiscopus Brundusinus hunc habet Suffrag.

(1) Ostunensem. Aslunensem. (1)

Archiepiscopus Hidrontinus hos habet Suffrag.

Castrensem. Galopolitanum. (2) [2] Gallipolitanum.
[1] Seu Aletiensem. Liciensem. (1) Ugentinum.
Leucensem.

Archiepiscopus Barensis hos habet Suffraganeos.

[1] Bituntinum. Bocontinum. (1) Malfetanum. (3) [3] Melphitensem.
Salpensem. Cannensem.
[2] Minerbiensem. Menerviensem. (2) Polignanensem.

Ju-

Juvenacensem.
Betentinum. (1)
Caterinensem. (2)
Rubetinum. (3)
Conversanum.
Tivellinum. (4)

(1) Britentinum.
(2) Catharensem.
(3) Runo.
(4) Lavellensem.

Archiepiscopus Tranensis hos habet Suffrag.

Vigiliensem.
Andrensem.

Archiepiscopus Sipontinus hos habet Suffrag.

Nestanum. (1)
Trojanum, est Dom. Papæ.
Melfiensem, Domini Papæ.
Metropolitanum, (2) est Domini Papæ.
Rapollensem, est Domini Papæ.

(1) Vestanensem.
(2) Monopolitanū.

Archiepiscopus Beneventanus hos habet Suffrag.

Telesinum.
Binariensem.
Civitatensem.
Sanctæ Agathes.
Asculenum. (1)
Termolensem. (2)
Alifiensem.
Licherinum. (3)
Trequentinum.
MontisMarenensem.
Torribulensem. (4)
Frequentinum.
Montis Corvinum.
Draconariensem.
Buninensem. (5)
Avellinum.
Vulturanum.
Wardiensem. (6)
Vitanum.
Alarinum. (7)
Musanensem.
Avenensem. (8)

(1) Asculanum.
(2) Thermolensem.
(3) Lucerinum.
(4) Forte Turtibulensem.
(5) Bovinensem.
(6) Guardiensem.
(7) Larinensem.
(8) Forte Bojanensem.

Archiepiscopus Salernucanus (1) hos habet Suffrag.

Capudaquensem. (2)
Sarnensem.
Marsicensem.
Policastrensem.
Acerranensem.
Ravellensem.
Nusquetanum, vel Tuscanum.

(1) Salernitanus.
(2) Caputaquensem.

Archiepiscopus Amalficanus (1) hos habet Suffrag.

Capcitanum. (2)
Minorensem.
Lutaunum. (3)

(1) Amalphitanus.
(2) Capritanum.
(3) Forte Litteranensem.

Archiepiscopus . . . . (1) hos habet Suffrag.

Equensem.
Lubrensem.
Castelli Majoris, (2) vel Stabiensem.

(1) Supplendum Surrentinus.
(2) Castri Maris.

Archiepiscopus Neapolitanus hos habet Suffragan.

Aversanum. Nolanum.
Puteolanum. Cumanum.
Insculanum, (1) vel Insulanum.

(1) Isclanum.

Archiepiscopus Capuanus hos habet Suffragan.

Theanensem. Venastreanum. (1)
Casertanum. Calmensem. (2)
Suessanum. Cajeztensem. (3)
Caluensem. Aquetensem. (4)
Soranum.

(1) Venafranum
(2) Forte Calvensem: aut Carinolensem.
(3) Calatinum.
(4) Aquinatensem.

Archiepiscopus Pisanus hos habet Suffragan.

Massanum. Sagonensem.
Ajacensem. Aleriensem.

Archiepiscopus Januensis hos habet Suffragan.

Bobionensem. Albinganensem. (2)
Maraciensem, (1) Aprumacensem.

(1) Marianensem.
(2) Albigaunensem.

Archiepiscopus Ravennas hos habet Suffragan.

Adiensem. (1) Faventinum.
Comachelensem. Vinolensem. (4)
Cerviensem. Bononiensem.
Foropopuliensem. Mutinensem.
Foroliviensem. Regium.
Cesanetem. (2) Parmensem.
Sareviensem, vel Biensem, vel Sassanatum. (3)

(1) Adriensem.
(2) Cesenatem.
(3) Sarsinatensem.
(4) Imolensem.

Archiepiscopus Mediolanensis hos habet Suffragan.

Bergamensem. Saunensem. (4)
Vercellensem. Laudensem.
Albensem. Astensem.
Buxiensem. (1) Albigensem.
Yporiensem. (2) Novariensem.
Terdonensem. (3) Aquensem.
Cremonensem. Viginti miliensem.
Taurinensem. Placentinum est Dom. Papæ.

(1) Brixiensem.
(2) Eporediensem.
(3) Dertonensem.
(4) Savonensem.

Pa-

Papienſem, eſt Domini Papæ. Ferrarienſem, eſt Domini Papæ.

Patriarcha Aquilegenſis hos habet Suffragan.

Mantuanum.
Cumanum. (1)
Tridentinum.
Veronenſem.
Paduanum.
Vincentinum.
Tervifinum.
Concordienſem.
Cenetenſem.
Fleirenſem. (2)
Bellunenſem.
Polanenſem.
Parentinum.
Trieſtinum, vel Tericſtinum. (3)
Comadenſem, vel Petenſem. (4)
Capitis Yſtriæ, vel Juſtinopolitanum.
Civitatis novæ, vel Emonenſem.
Maranenſem. (5)

(1) Comenſem. (2) Feltrenſem. (3) Tergeſtinum. (4) Petinenſem. (5) Muranenſem.

Archiepiſcopus Gradenſis hos habet Suffragan.

Caſtellanum.
Equilenſem, vel Eſculanum.
Civitatis novæ.
Terſellanum.
Caprulenſem.
Clugienſem.

Archiepiſcopus Jadre, vel Jadretinus hos habet Suff...

Signenſem.
Veglenenſem. (1)
Novenſem. (2)
Aſparenſem. (3)
Arbenſem.

(1) Veglianenſem. (2) Nonenſem. (3) Auſarenſem.

Archiepiſcopus Spalatinus hos habet Suffragan.

Traguricnſem.
Croatenſem.
Signenſem. (1)
Scardonenſem.
Kerbanenſem.
Novenſem. (1)
Arbenſem. (1)
Tinienſem.

(1) Ii tres ſub duobus Archiepiſcopis multiplicati.

Archiepiſcopus Raguſiæ hos habet Suffragan.

Stanenſem. (2)
Tribunienſem.
Biduanum.
Boſſonenſem. (3)
Roſe. (4)
Catarienſem, qui eſt Suffrag. Barenenſis. (5)

(2) Stagnenſem. (3) Boſnienſem. (4) Roſonenſem. (5) Barenſis.

Archiepiſcopus Ananarenſis (1) hos habet Suffragan.

Dulchinenſem.
Polatenſem.
Sardenſem. (2)
Suacinenſem.

(1) Antibarenſis. (2) Sardanenſem.

Scodinensem. Drivacensem. (3) [3] Drivastensem.
Scutarensem. Arbanensem.

Archiepiscopus Strazgoniensis (1) *hos habet Suffrag.* [1] Strigoniensis, in Hungaria.

Agriensem. Nutriensem. (3) [3] Nitriensem.
(2) Vaciensem. Vatiensem. (2) Javerinensem. (4) [4] Javariensem.
Quinqueeclesiensem. Vesprunensem. (5) [5] Wesprimensem.

Archiepiscopus Colocensis hos habet Suffrag.

(2) Transylvanum, seu Cibinensem. Ultra-Silvanum. (1) Chenadiensem. (3) [3] Chanadiensem.
(2) Varadiensem. Waracliensem. (2) Zagabriensem.

Archiepiscopus Kevesensis (1) *hos habet Suffrag.* [1] Gnesnensis in Polonia.

(2) Uratislaviensem. Uredicilatensem, vel Gratislaviensem. (2) Mazoviensem. Lubicensem. (3) [3] Lubussensem.
Poznaniensem. Gracoviensem.
Plozensem. Pomeraniensem. (4) [4] Seu Caminensem.

Archiepiscopus Maguntinus (1) *hos habet Suffrag.* [1] Moguntinus.

Pragensem. Spirensem.
Curiensem. Pandeburgensem.
Alunstatensem. Herbipolensem, vel Wraburgensem.
(2) Olmucensem. Moraviensem, vel Holomocensem. (2) Verdensem.
Argentinensem. Constantiensem.
(3) Paderbonensem. Palteburnensem. (3) Ildemesensem. (4) [4] Hildesheimensem.
Eistetensem. Augustensem.

Archiepiscopus Coloniensis hos habet Suffr.

Leodiensem. Trajectensem.
Monasteriensem. Mindensem.
(1) Osnaburgensem. Osemburgensem. (1)

Archiepiscopus Bremensis hos habet Suffr.

Barduicensem. Solesvicensem.
(1) Rareburgensem. Raskeburgensem. (1) Zermensem.
(2) Lubecensem. Libicensem. (2) Rigensem, vel Amonensem.

Archiepiscopus Mandeburgensis (1) *hos habet Suffr.* (1) Magdeburgensem.

(2) Havelbergensem. Albebergensem. (2) Misensem, vel Misnensem.

Ci-

(1) Citizensem. Cicensem, (1) vel Nunbungenum. (2) Brandeburgensem. Meseburnensem. (3)

(2) Naumburgensé. (3) Merseburgensem.

Archiepiscopus Salesburgensis (1) hos habet Suffragan.

(1) Salisburgensis.

Patavienſem. (2) Friſingenſem. Brixinenſem. Ratiſponenſem. Gurcenſem.

(2) Vel Paſſavienſem.

Archiepiscopus Treverensis hos habet Suffrag.

Metenſem. Tullenſem. Virdunenſem.

Archiepiscopus Tharentasiensis hos habet Suffraganeos.

Sedunenſem. Auguſtenſem.

Archiepiscopus Bisuntinus hos habet Suffrag.

Baſilienſem. Lauſanenſem. Bellicenſem, vel Sillicenſem.

Archiepiscopus Ebredunensis hos habet Suffrag.

Dignenſem. Antipolitanum. Senecenſem. (1) Nicienſem. Glandecenſem. (2) Ventienſem.

(1) Sanicienſem. (2) Glannatinensé.

Archiepiscopus Aquensis hos habet Suffragan.

Aptenſem. Forolivienſem. (1) Siſtericenſem. Regenſem. (2) Vapicenſem. (3)

(1) Forojulienſem. (2) Rejenſem. (3) Vapincenſem.

Archiepiscopus Arelatensis hos habet Suffrag.

Maſſilienſem. Vaſioſenſem. (1) Carpentoratenſem. (2) Avinionenſem. Cavellicenſem. Tolonenſem. Auraſicenſem. (3) Triſcatinienſem. (4)

(1) Vaſionenſem. (2) Carpenctoractenſem. (3) Arauſicarum. (4) Tricaſtinensé.

Archiepiscopus Narbonensis hos habet Suffrag.

Carcaſonenſem. Lothovenſem. (1) Neumaſſenſem. (2) Biterrenſem. Tholoſanum. Uticenſem. (3) Agathenſem. Megalonenſem. (4) Elnenſem.

(1) Lutevenſem. (2) Nemauſenſem. (3) Ucetienſem. (4) Magalonensé.

Ar-

Archiepiscopus Viennensis hos habet Suffragan.

Valentinum. Diensem. (1) Maurianensem.
Vivariensem. Gratianopolitanum. Gebennensem.

(1) Dignicnsem.

Archiepiscopus Lugdunensis hos habet Suffragan.

Eduensem. Cabilonensem.
Lingonensem. Masticonensem. (1)

(1) Matisconensé.

Archiepiscopus Senonensis hos habet Suffragan.

Parisiensem. Nivernensem. Trecensem. Carnotensem.
Altissiodorensem. Meldensem. Aurelianensem.

Archiepiscopus Rhemensis hos habet Suffraganan.

Suessionensem. Morinensem. Silvanectensem. Cathalaunensem. Attrebatensem. Beluacensem.
Cameracensem. Ambianensem. Laudunensem. Tornacensem. Noviomensem.

Archiepiscopus Rothomagensis hos habet Suffragan.

Bajocensem. Ebroicensem. Luxoviensem. (1)
Abricensem. Sagiensem. Constantiensem.

(1) Lexoviensem.

Archiepiscopus Turonensis hos habet Suffragan.

Cenomanensem. Corisopitensem. Trecorensem. Andegavensem. Venetensem. Leonensem.
Redonensem. Macloviensem. Dolensem. Nannetensem. Briocensem.

Archiepiscopus Bituricensis hos habet Suffragan.

Claremontensem. Lemovicensem. Aniciensem, vel Podiensem, qui est Domini Papæ.
Ruthenensem. Cumacensem. Carturcensem. (1) Abigensem. (2)

(1) Cadurcensem.
(2) Albigensem.

Ar-

Archiepiscopus Burdegalensis hos habet Suffragan.

Pictavensem. [1]
Engolismensem.
Agennensem. [2]
Xanctonensem. [3]
Petragoricensem. [4]

(1) Pictaviensem. (2) Aginnensem. (3) Santonensem. (4) Petricoricensem.

Archiepiscopus Auxitanus hos habet Suffragan.

Aquensem.
Bigoriensem.
Vasacensem. [1]
Lectorensem.
Bajonensem.
Lascurrensem. [2]
Convennarum.
Tarviensem. [3]
Adurensem. [4]
Consuranensem. [5]
Olorensem. [6]

(1) Vasatensem. (2) Lascuriensem. (3) Tarbensem. (4) Aturensem. (5) Conseranensé. (6) Oleronensem.

Archiepiscopus Terraconensis hos habet Suffragan.

Barcinonensem.
Hylerdensem.
Cæsaraugustanum.
Gerundensem.
Oscensem.
Serragonensem, seu Nummacensem.
Leridensem. [1]
Tirasonensem.
Dortosensem. [2]
Ausonensem, sive Vicensem.
Caloguritanum.
Pampilonensem.
Urgellensem.

(1) Idem & Ilerdensis est. (2) Dortnensem.

Archiepiscopus Toletanus hos habet Suffragan.

Seguntinum.
Segobiensem.
Burgensem, qui est Domini Papæ.
Oxomensem.
Concensem. [1]
Segobricensem.
Accinctinensem. [2]
Palentinum.

(1) Conchensem. (2) Forte Giennensem.

Archiepiscopus Emeritensis hos habet Suffragan.

Abulensem.
Amacensem.
Ulisbonensem.
Placentinum.
Egitaniensem.
Legionensem, qui est Domini Papæ.
Elborensem.
Cannensem.
Ovetensem, qui est Dom. Papæ.
Salamantinensem.
Civitanensem.
Zamorensem.

Archiepiscopus Bracarensis hos habet Suffraganeos

Portugalensem.
Lamecensem.

Astori-

Aſtoricenſem. Viſenſem.
Colimbrienſem. Aurienſem.
Lucenſem. Mindunienſem.
Tudenſem.

Archiepiſcopus Hiſpalenſis hos habet Suffragan.

Valencienſem. Alchoroz.
Spala. Baecia.
Ugria. Accintina.
Demia. Oliſepona.
Petroſa. Urbs deſerta.
Goram. Gilbaltaria.
Sibillienſem. Tharuf.
Complutum. Septa.
Meleyda. Geyr.
Ubedanum. Ventoſa.
Malecha. Lucerna.
Evitia. Almaria.
Cordubenſem. Monequa.
Sativa. Caparra.
Formentaria. Adama; ſed hæ quatuor deſertæ.
Alacha.
Granada.

Archiepiſcopus Cantuarienſis hos habet Suffrag.

Londonienſem. Batonienſem.
Wintonienſem. Landovenſem. (2)
Herefordenſem. Menevenſem.
Roffenſem, ſive Roveceſtrenſem. Conventrenſem.
Saresbrienſem. (3)
Baligorenſem. (1) De Sancto Aſaph.
Helyenſem. Oxonienſem.
Exonienſem. Wingorinenſem. (4)
Lincolnienſem. Ciceſtrenſem.
Norvicenſem.

(1) Bangorienſem.
(2) Landavenſem.
(3) Sarisburienſem.
(4) Wigornienſem.

Archiepiſcopus Eboracenſis hos habet Suffrag.

Dunelmenſem. Cardocenſem, vel Carleolenſem.

Archiepiſcopus Londenſis (1) *hos habet Suffrag.*

Rochiltenſem. Othenienſem. (3)
Rippenſem. Wibergenſem. (4)
Burganenſem, vel Burgalenſem. (2) Seleuvicenſem. (5)
Artiſienſem. (5)

(1) Lundenſis, in Dania.
(2) Forte Alburgenſem.
(3) Ottonienſem.
(4) Viburgenſem.
(5) Slesvicenſem.
(6) Ahuſienſem.

Ar-

Archiepiscopus Nidroniensis (1) *hos habet Suffragan.* (1) Nidrosensis, in Norvegia.

Bergensem.
Amatropensem, vel Amarensem. (1) (1) Hammariens.
Nortadensem.
Stavangrensem.
Hasionensem.
Studergensem, vel Subtrajensem.

Archiepiscopus Ubsalensis (1) *hos habet Suffragan.* (1) Upsalensis.

Auguriensem.
Stratwinensem.
Scarensem.
Lingacopensem.

Archiepiscopus S. Andreæ hos habet Suffragan.

Glascuensem.
Dumblaniensem.
Morianensem.
Candidæ Casæ.
Brechinensem.
Rosmarchinensem.
Cathariensem.
Aberdonensem.
Dearegarchel, qui est Domini Papæ.
Dulchedensem.
Murenensem.

Archiepiscopus Armachiæ (1) *Primatus totius Hiberniæ hos habet Suffraganeos.* (1) Armachanus.

Connerinensem.
Deconnanas.
Dedamlialiagg.
Dedundalehglas.
Deardarchad.
Dedarrich.
Ingudunum.
Deralhboth.
Dunensem, vel Drumorensem.
Elualnirand, sive Midensem.
Derathlurig.
Renensem, vel Revelensem, vel Crocorensem.
Cluanensem, vel Cluanerdensem.
Rochinocensem, vel Rathbotensem.
Artagadon, vel Ardocadensem.
Conerensem.
Heugamensem.

Archiepiscopus Dublinensis hos habet Suffragan.

Glendelaci, vel Glandelacensem.
Caldetensem, vel Kiscarensem.
Fervensem.
Glensem, vel Gluisonensem.
Offinensem.
Darensem.
Gaininch.
Licelinensem.

Archiepiscopus Casellensis hos habet Suffragan.

Decendaluensem, vel Laonensem.
Derostreensem, vel Wldifordianum.
Deardesertensem.
Lunech.
Delusinor, vel Lismorensem.
Firmaberensem, vel Fymbarrensem.
De Insula.
Deduanam, vel Cluanum.
Laudensem.
Carthax.
Tubricensem.
Decelleninabrach.
Deconeagia, vel Corcagensem.
Artfertelensem.
Denulech, vel Umblicensem.
Derosailitchir.
Wartefordensem.

(1) Idest Thuamensis.

Archiepiscopus Tuam (1) *hos habet Suffragan.*

Demageonensem.
Deachad, vel Achadensem.
Nelfinensem.
Decellaid.
Deconairi.
Eacdunensem.
Roscomon.
Decelmundajach.
Cluartifertensem.
Deculvanferd.
Duacensem.
Bladensem.

Archiepiscopus Calaritanus hos habet Suffraganeos.

(1) Sulcitanum.

Sulciranum. (1)
Suellensem.
Doliensem.

Archiepiscopus Turritanus hos habet Suffragan.

Sorrensem.
Ampuriensem.
Othanensem.
Plavacensem.
Gisardensem.
Bosanum.
Sipharelensem.
Clastrensem.

(1) Arboriensis.

Archiepiscopus Albojensis (1) *hos habet Suffrag.*

Usellensem.
Terræ albæ.
Caldellilensem, qui est Domini Papæ.
Sanctæ Justæ.
Civitatensem, qui est Domini Papæ.

CHA-

CHANANÆA.

Patriarchatus Jerosolymitanus habet sub se hos Metropolos inferius annotatos, & hos Suffraganeos, quorum primus est Lidda, idest Sanctus Georgius, quæ prius . . . . . Gaza dicitur: Joppe idest Japhe. Bethleem idest Effrata

Meivias.	Beigeberin.
Diocæsarea.	Mauronensis.
Carrata.	Helispharan.
Piodicianopolis.	Bersabeæ.
Turris Stratonis prius Dor dicta.	Capitolina.
	Henelopolis.
Petra, idest Cara.	Sebastia, idest Samaria.
Ebron, idest S.Abraham prius Arbe dicta, vel Mambre.	Gedam.
	Patracensis.
	Jerico.
Legionensis, idest Ligum.	Tabor, ubi transfiguratus est Christus.
Adroga.	Tiberiadis.
Affra.	

Montis regalis qui habet sub se quemdam Episcopum Græcum, qui est in Monte Sinai. Ibi sunt & aliæ Civitates, quæ non habent proprios Episcopos, scilicet Aschalonia, quæ sub Episcopo de Bethleem, quæ prius Gaza dicebatur; ubi Joannes Baptista, Helyas, & Abdias Prophetæ mortui sunt.

Est & Neapolis 1. Siccima, quæ est in jurisdictione Canonicorum Sepulchri Domini.

Caiphas. 1. Porphyria, quæ est sub Episcopo Cæsareæ.

PALÆSTINA.

Sedes prima Cæsarea Maritima, quæ & Palæstinæ, quam reædificavit Herodes, sub hac sunt Episcopatus viginti videlicet.

Dora.	Antipasdrida.
Rapsias.	Regium Patos.
Azotuisti. (1)	Tipum. (1)
Jamnias.	Tocxus.
Gaza.	Emaus.
Estomason, vel Estilion.	Regium Gadaron.
	Saltium. (2)
Assur.	Onus.
Regium Jerico.	Azotuisti.
Tricomias.	Constantiniaquis. (2)
Nixopolis.	Sorucis.
Regium Lutas.	Parabas, idest Paliternum.

(1) Ex his duobus vocabulis conflce Azotus Ippini.

(2) Pro his duabus urbibus unam legit Tyrius, quam vocat Salton Constantiniaces.

Sedes secunda Scithopolis, idest Betsan: sed hodie translata est Sedes ad Nazareth ob reverentiam Annuntiationis Dominicæ, & nativitatem Beatæ Mariæ Virginis: sub hac sunt Episcopatus IX.

Capitoliados.
Pelonvillus. (1)
Climagaulanis.
Mirum.
Ypopolus, & Wilippus.
Comanas.
Gadarum.
Terratomias.
Tiberias.

(1) Pelle & Belles.

Ibi sunt adhuc Betsaida, Naum, & Capharnaum, sed alio nomine vocitantur, nec habent Episcopos.

Sedes tertia Arraba Moabitis, idest Petra Deserti: sub hac sunt Episcopatus XIII.

Augustopolis.
Elucis.
Mamapson.
Arindisa.
Zora.
Mitrocomias.
Karach.
Virossara.
Saltum. (1)
Jeraticon. (1)
Jarapolis.
Pentacomia.
Mensidos.

(1) Alibi Salton Jeraticon una urbs est, unde & 12. tantum Episcopatus Petræ subjiciuntur.

Sedes quarta Becerra Arabiæ: sub hac sunt Episcopatus XXXV.

Adrason.
Constantianis.
Conus (1) Mahdeicon.
Dyas.
Pentacomias.
Comocoreatas.
Medavero.
Triconias.
Philadelphias.
Votaneos.
Conus Pateris.
. . . .
Exacomias.
Comisariocon.
Esius.
Enacomias.
Neapolis.
Comagonias.
Conus Capron.
Jessaron.
Canafados.
Conus Vilvanos.
Nevi.
Saltum.
Conus Purgo, & Arethon. (1)
Comis Nectis.
Comis Vestamos.
Filippopolis.
Comogeros.
Comisariothas.
Fenustus.
Comostanis.
Comistraconos.
Dionysias.
Clima Anatolicum.

(1) Ubique legendum arbitror Come pro Conus.

(1) Pyrgoaruton.

Pa-

Patriarchatus Antiochenus antiquitus habuit sub se hos Suffraganeos, & Metropolos cum Suffraganeis suis inferius denotatos. Nunc enim habet centum quinquaginta & tres Ecclesias Cathedrales, ad instar illius Evangelii, impletum est rete magnis piscibus CLIII. *Aliæ autem Syriorum, & Armeniorum sunt, & Romanæ Ecclesiæ non obediunt: aliæ Paganorum, quæ nec Christo, nec Ecclesiæ obediunt, & hæ sunt Suffraganeæ ejus.*

Caris.
Bithynia.
Cæsarea.
Pisidia.
Nicæa.
Majeca.
Ephesus.
Nichomedia.
Dacus.
Laodicia.
Jerniolis.
Ancyra.
Tyatira.
Psmirina.
Reate.
Pergamus.
Darnia.
Mirrea.
Menandrius.
Troja.
Salmon.
Autandrus.
Gordien I.
Sardis.
Egea.
Yrinopolis I.
Hastach.
Calanne I.
Seleucia.
Celsona.
Palmaria.
Capadocia.
Thomis.
Catholica.
Cucusa.
Synopis.

Sedes prima ipsius Tyrus: sub hac Sede sunt Episcopatus XVI.

Porfireon I.
Caiphas.
Byblium. I.
Gibelet.
Atarados I.
Tortosa.
Athis.
Botrium I.
Butrini.
Paneas I.
Belinas, vel Cæsarea Philippi prius Cinereth dicta.
Ptolemaidis I.
Accon.
Orchosia I.
Sarchias.
Tiberias I.
Arath.
Sydon.
Arados.
Tripolis.
Sarepta I.
Sarsent.
Gabulanum.
Betutus I.
Baruth.

Se-

Sedes secunda Tharsus: sub hac Sede sunt Episcopat. VI.

Sebastis. Mallos.
Thyna. Charicos.
Podandos. Nicopolis.

Sedes tertia Edessa, ubi Beatus Thomas Apostolus requiescit: hæc prius dicta est Arech, prius Rages; modo dicitur Roaes. Sub hac Sede sunt Episcopatus isti.

Unchi, Querqunsia.
Aspason. Orina.
Peleocarea. Tesiphons.
Constancia. Tapsaron.
Tyrancerta. Susis.
Ebathanis. Antiochia.
Carra. Callunices.
Jerapolis. Isunibus.
Persepolis. Carabe.
Mereopolis. Ninitte.
Seleucia. Nisa.
Diospolis. Margaru.
Vatrion. Babilonia deserta.
Chilisipin. Buchepalon.
Fasiacis. Carsani.
Cedinaron. Thamarca.
Isibim. Ptinia.
Corduba. Emathia.
Ymeria. Escolera.
Elma. Aris.
Elimaidis. Cerdola.

Sedes quarta Apamia, idest Albani, sub qua sunt Episcopatus VIII.

Epiphania. Vallanea.
Larissa. Aretusa.
Mariane. Vualla.
Seleucia. Raphania.

Sedes quinta Jerapolis, idest Malbech, sub qua sunt Episcopatus VIII.

Heuma. Perrea.
Neocesarea. Europi.
Dolichi. Varvalis.
Sauron. Orcimon. Se-

Sedes sexta Bostra, idest Buselech, sub qua sunt Episcopatus XIX.

Gerison.	Lorica.
Adraon.	Cyeni.
Austando.	Conacori.
Philadelphia.	Nisibis.
Medavon.	Euthimi.
Belirendon.	Maximopolis.
Zoraima.	Syngara.
Paramboli.	Constancia.
Æylon.	Philipolis.
Herri.	Endemon.
Dionysia.	Crisopolis.

Sedes septima Anavarza, sub qua sunt Episcopat. X.

Epiphania.	Sisia.
Flavias.	Yrinopolis.
Egnas.	Castavalis.
Alexandos 1.	Militava.
Panna.	Cambrisopolis.
Roseos.	

Sedes octava Seleucia, sub qua sunt Episcopatus XXIV.

Galandiopolis.	Kisira.
Lamos.	Sibidi.
Yrinopolis.	Kelenderis.
Diocæsarea.	Seleminta.
Andochia. (1)	Zinopolis.
Parva. (1)	Anemori.
Germanicopolis.	Notapi.
Oropi.	Adrason.
Mobda.	Tytopolis.
Dalixandros.	Philadelphia parva.
Nephelia.	Miloi.
Demetiopolis.	Neapolis.
Seuyla.	

(1) Hæc duo vocabula in Notitia divisa unam designant Antiochiam parvâ.

Sedes nona Damascus, sub qua sunt Episcopatus X.

Abli.	Hardani.
Konokora.	Laodicia.
Karotea.	Danabi.
Pamipon.	Surraquini.
Yabruda.	Euxia.

Ar-

Archiepiscopus Nichosiensis hos habet Suffraganeos.

Paphensem.
Limichoniensem, vel Limochiensem.
Pamauguſtanum. (1)
Archiepiſcopus Torṫoniensis Primas eſt.
Archiepiſcopus Nelesbudienſis.
Archiepiſcopus Proſtibulenſis.

(1) Famaugustanum.

PATRIARCHA ALEXANDRINUS hos habet Metropolitanos, & Suffraganeos habet, & multos amiſit.

Themanum.
Puechanum.
Bosra.

Archiepiscopus Ptaphneos hos habet Suffraganeos.

Memphis I.
Damieta.
Heliopolis.
Thebe I.
Gesen.
Rameſſe.
Urbs Heroum.
Catinos.
Babilon prius Vellicus dicta.
Thionius.

Cyrene Metropolis hos habet Suffraganeos.

Berenice.
Bisantium.
Utica.
Pentapolis.
Ocha.
Pone Regium.
Ptolemaide.
Zeoges.
Cretensis Colonia.
Andromatus.
Kartago.
Rusicada.
Apollonia.
Berete.
Yponiene, in qua fuit Auguſtinus Episcopus.
Centria.
Leptis magna.

Tyngis Metropolis.

Cæsarea.
Lixa.
Hycosium.
Tiburtina.
Gneocesarea.
Septa Gades.
Stisi.
Colonia.



Con-

CONSTANTINOPOLITANA ECCLESIA *hos habet Suffraganeos, & Metropolos.*

Solumbribriensem. Geldoiba.
Janopolis. Panadensem.
Andianopolis. Lacedemonia.
Naturensem. Caonia.
Epyrus. Derquænensem.
Eraclot. Pelopen.
Sepigacensem. Molosia.
Micenas. Calcedonensem.

Archiepiscopus Tracliensis hos habet Suffraganeos.

Redestonensem. Cbyodotensem.
Danensem. Missinensem.
Archadopolitanum. Calyopolensem.
Peristasiensem.

Archiepiscopus Verisiensis hos habet Suffraganeos.

Rusiorensem. Kiptalensem.
Aptensem.

Archiepiscopus Maclitensis non habet Suffraganeos.

Archiepiscopus Adripopolitanus, nihil.

Archiepiscopus Traianopolitanus hunc habet.

Amensem.

Archiepiscopus Makcensis hunc habet Suffraganeum.

Maronensem.

Arch episcopus Messinopolitanus hunc habet Suffragan.

Xanthiensem.

Archiepiscopus Philippensis hos habet Suffraganeos.

Christopolitanum. Chrisopolitanum.
Pellanum. Dragmensem.

Archiepiscopus Sarrensis nullum habet.

Archiepiscopus Chessalonitensis hos habet Suffragan.

Citrensem. Verienum.

Archiepiscopus Larissenus hos habet Suffraganeos.

Dinutriensem. Amurensem.
Cardicensem. Sydoniensem.
Nazarocensem. Dunicensem.

Archiepiscopus Neopatrensis hunc habet Suffragan.

Lanacensem.

Archiepiscopus Thebanus hos habet Suffragan.

Zarodoniensem. Pelopen.
Castoriensem.

Archiepiscopus . . . . . hos habet Suffraganeos.

Thermopilensem. Abelonensem.
Nigriponthensem. Eguineum.
Magarensem. Saloniensem.
Davaliensem. Reonensem.

Archiepiscopus Corinthiensis hos habet Suffraganeos.

Argiviensem. Achajensem.

Archiepiscopus Patracensis hos habet Suffraganeos.

Mothonensem. Coronensem.
Anuclensem. Andrevillensem.
Cephalumensem. Jacithiensem.

Archiepiscopus Corsiensis.

Archiepiscopus Durathensis.

Archiepiscopus Cricensis.

Archiepiscopus Cretensis hos habet Suffraganeos.

Canticensem. Cortinensem.
Arianensem. Milopothamiensem.
Kirotonissiensem.

Ar-

Archiepiscopus Colocensis, qui dicitur Rhodo, hos habet Suffraganeos.

Rodum.	Samum.
Paphum.	Choum.
In Tenedos Insula	Tegne Civitas.
In Delos Insula	Delos.
In Paron Insula	Paros idest Melos.
In Sanos Insula	Samon.
In Coleos Insula	Dyoscaria.

* Quo tempore hæc notitia primum fuerit concinnata, neque Carolus a S. Paulo, neque Lucas Holstenius tradunt. Id unum mihi conjicere licuit, eam ante seculum duodecimum nequaquam prodiisse. Quamquam enim inter Episcopos, Romano Pontifici immediate subjectos, mentio Episcopi Cardinalis Sanctæ Rufinæ habeatur; quæ Ecclesia nonnisi ineunte seculo duodecimo Portuensi unita fuit; tamen inter Metropoles Ecclesiasticas Siciliæ Insulæ recensetur Mons Regalis, quæ Civitas Metropoleos dignitate donata fuit a Lucio III. Summo Pontifice Anno 1182. vel 1183. Quare nonnisi post hunc annum Notitia illa adornari potuit. Nisi forsan velimus Montis Regalis Metropolim adjectam illi postmodum fuisse, ob eam caussam quam indicavimus, nimirum illic mentionem fieri Episcopatus S. Rufinæ, qui tamen desiit Anno 1120. quo a Calixto Secundo cum Portuensi fuit conjunctus. Aut igitur Sanctæ Rufinæ nomen per errorem irrepsisse oportet, ac proinde in hac Notitia redundare: aut si illa ante seculum duodecimum condita fuit, necesse est Metropolim Montis Regalis, uti etiam Rossanensem in Calabria, Januensem in Liguria, Jaderensem in Dalmatia, ut de aliis taceam, postmodum fuisse insertas. Ego arbitror ejusmodi Notitiam post seculum duodecimum fuisse editam, atque ex variis præcedentibus Notitiis collectam, ac veluti consutam. Quæ ibi de Palæstina, Jerosolymis, itemque Patriarchatu Antiocheno exposita sunt, redolent tempora, quibus Latini iis locis dominabantur, antequam Sultanus Ægypti, & Turcæ ea loca Christianis eriperent. In Patriarchatu Alexandrino, sub Cyrene Metropoli plures Africæ civitates, quinimo & ipsa Carthago quondam illius Regionis caput, recensentur. Tingitana Provincia pariter Africæ, hic Alexandrino Patriarchatui adscribitur. Hæc vero indicant Carthaginensis Ecclesiæ Primatum jam tum excidisse, Africamque a Sarracenis occupatam. Utriusque etiam Illyrici Provinciæ, urbesque plures Constantinopolitano attribuuntur, diu antea a Romano Patriarchatu divulsæ. Tandem barbaries nominum, quibus variæ Provinciæ, earumque civitates appellantur, temporum quoque barbariem sapiunt, ac tum maximam Orientis partem Barbarorum armis subactam. Nonnulla ex ejusmodi nominibus, quoad licuit, in margine emendavimus; plura non tam tædio affecti, quam desperatione quadam reperiundæ propriæ illorum significationis in sua barbarie reliquimus: a quibus castigandis vel ipsi doctissimi Viri Carolus a Sancto Paulo, Lucas Holstenius, & Emanuel a Schelstrate abstinuerunt.

Ex hac Notitia, uti etiam ex altera Thuanæ Bibliothecæ inferius describenda, excerptæ videntur duæ aliæ, quas ex Vaticanis Codicibus recitat Schelstrates in Appendice ad Opus Geographicum num. xxiii. & xxiv. quarum altera tempore Cœlestini III. Anno 1225. conscripta fuit a Viro religioso, & Milone ejus Abbate: altera ab Episcopo Catharensi ante annos 1380. quas utpote recentiores, atque a præcedenti in paucis diversas omittimus.

Unam tamen iis adnectendam volumus solius Jerosolymitani Patriarchatus, quæ a 500. circiter annis exarata videtur, eamque laudatus Emanuel a Schelstrate Appendici suæ ad opus Geographicum inseruit, num. xxi.

Descriptio Parochiæ Jerusalem.

IX. *Ex MS. Codice 196. Bibliothecæ Reginæ Svetiæ ante annos 450. (nunc 480.) conscripto.*

DEscriptio Parochiæ Sanctæ Dei Civitatis Jerosolymæ, repertæ in SS. Canonibus, designatæ quidem a Sanctis Patribus per inspirationem Sancti Spiritus ab initio sui Patriarchatus.

Sunt quidem ei quatuor Metropolitæ, quorum primus Cæsareensis, Scitopolitanus secundus, Petrejus tertius, Bostrensis quartus.

Cæsareensis vero habet:

Doram.
Liviam.
Antipatram.
Gazaram.
Diospolim.
Azotum Paraliæ, quæ dicitur Ypinos.
Nicopolim.
Enchoniazon.
Benu.
Ethilui.
Sozusan.
Orichomias.
Joppen.
Tozum.
Ascalonem.
Saltum.
Constantii.
Gazam.
Saltum Therati, Raphati quoque dicitur.
Barsamon.
Atydonam.

Scytopolis habet:

Dyodicianopolim.
Pellem.
Neapolim.
Capitoliam.
Sebasten.
Gazarim.
Apathus.
Avillam.
Jericho.
Maximianopolim.
Diocæsaream.
Tyberiadem.
Panem.
Elenopolim.

Yp-

Yppum. Naim.
Tetrachoniam: Nazareth.
Clima-gablanim.

Metropolis Petræ habet:

Auguſtopolim. Zoaram.
Arnidilen. Viroſanum.
Chamidam. Ellas.
Arapolim. Pentachoniam.
Mampſim. Saltuiheratico.
Eluſam.

Boſtra habet:

Adraſon. Exachomiam.
Dyam. Eniachomiam.
Methlenam. Comigomiam.
Geraſſam. Comigerum.
Philadelphiam. Comiſtraneum.
Eſſuum. Comimacaeuron.
Jerapolim. Comicoreatham.
Fenuthon. Comibliblanum.
Philippopolim. Comicapron.
Conſtantiam. Comipyrgoareton.
Dionyſiam. Neotym.
Drychomicham. Comiariatim.
Canocham. Comitraconon.
Bathanim. Comibeddamon.

Hæc eſt Parochia Sanctæ Dei civitatis Jeruſalem.

* Alteram Patriarchatus Jeroſolymitani, itemque Antiocheni Notitiam edidit Guillelmus Tyrius, hujus urbis Metropolita a qua cognomen obtinuit: ſed utramque part. 1. lib. 6. retulimus. Auctor fuit Hiſtoriæ Sacræ de Palæſtina a Godofredo Bulionæo ſubacta, quæ ab anno 1095. exorditur, & ad annum uſque 1180. pertingit, lib. 23. comprehenſa, quibus ſex alios Joannes Heroldus adjecit. Gallus ne, an Germanus, an Syrus fuerit, incertum. Vir fuit maximæ eruditionis, ac probitatis. Interfuit Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. Ex ejus Notitia, uti etiam ex præcedenti conſtat, quantum eo tempore priſtini ſplendoris, & amplitudinis Antiocheno, & Jeroſolymitano Patriarchatibus deperierit, poſteaquam Perſæ, Sarraceni, & Turcæ Orientis Provincias, Regioneſque invaſerant. Eos quidem Chriſtiani Cruceſignati inſtaurare procurarunt; ſed longe infra priſtinam dignitatem, cum non omnes illas Regiones e barbarorum jugo ſolvere potuerint. Sed nunc reliquas Notitias, quæ minorem redolent vetuſtatem, ſequamur, cujuſmodi eſt illa ex Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ, qu ex Carolo a Sancto Paulo hic ſubjicimus.

No-

Notitia ex Veteri MS. Bibliothecæ Thuanæ.

X. *Isti sunt Episcopi sub Romano Pontifice, qui non sunt in alterius Provincia constituti.*

Ostiensis.
Portuensis.
Albanensis.
Prænestinus.
Sabinensis.
Tusculanus.
Tiburtinus.
Anagninus.
Signinus.
Ferentinas.
Alatrinus.
Verulanus.
Tarracinensis.
Soranus.
Fundanus.
Gajetanus.
Furconensis.
Marsicanus.
Valvensis.
Theatinus.
Pennensis.
Aprutinus.
Nepesinus.
Sutrius.
Civitatensis, seu Civitatis Castellanæ.
Ortanus.
Balneoregiensis.
Urbevetanus.
Viterbiensis.
Tuscanensis.
Castrensis.
Suanensis.
Clusinus.
Perusinus.
Castellanus.
Aretinus.
Senensis.
Grossetanus.
Vulteranus.
Lucanus.
Pistoriensis.
Florentinus.
Fesulanus.
Lunensis.
Asininas. * *Assisinas.*
Fulginas.
Nucerinus.
Eugubinus.
Spoletanus.
Reatinus.
Tudertinus.
Ameliensis, vel Amelinus.
Narniensis.
Interampnensis. * *Interamnensis.*
Esculanus. * *Asculanus.*
Firmanus.
Camerinensis.
Auximanus.
Humanas.
Anconitanus.
Esinus, vel Esisinas.
Senogalliensis.
Fanensis.
Pensauriensis. * *Pisauriensis.*
Forosemproniensis.
Callensis.
Urbinas.
Ariminensis.
Feretranus.



Pa-

Panormitana Metropolis hos habet Suffraganeos.

(1) Mazarensem.	Agrigentinum. Masariensem. (1)	Milevitanum. (2)	(2) Melitensem.

Archiepiscopus Montis Regalis hos habet Suffragan.

Syracusanum. Cathaniensem.

Archiepiscopus Messanensis hos habet Suffraganeos.

Cephaludensem. S. Marci. (1)
Pactensem. Militenum.

(1) Hi duo postremi ad alias Metropoles spectant S. Marci est in Calabria exemptus: Militenus, idest Melitensis subest Panormo.

Archiepiscopus Reginus hos habet Suffraganeos.

Cassanensem.	Oppensem. (1)	(1) Oppidensem.
Neucastrensem.	Bovensem.	
Cathacensem.	Geratinum. (2)	(2) Hieracensem.
Crotoniensem.	Squilatensem. (3)	(3) Squillacensem.
Tropensem.	Militicensem exemptũ. (4)	(4) Montis Mileti.

Archiepiscopus Cusentinus hunc habet Suffragan.

Marturanensem.

Archiepiscopus Rosanus nullos habet Suffragan.

Episcopus Bisignanensis est exemptus.

Archiepiscopus S. Severinæ hos habet Suffraganeos.

(1) Umbriaticensẽ.	Ebriacensem. (1)	Geneocastrensem. (3)	(3) Belicastrensem.
(2) Strongilensem.	Stroniensem. (2)	Geruntinum.	

Archiepiscopus Consanus (1) *hos habet Suffraganeos.* (1) Compsanus.

(1) Muranensem.	Moranensem. (1)	Laquedonensem.
	Satriansem.	Sancti Angeli.
	Montisviridensem.	

Archiepiscopus Aggerontinus (1) *hos habet Suffragan.* (1) Acherontinus.

Potentinum. Gravinensem.
Tricaricensem. Anglonensem.
Venusinum.

Ar-

Archiepiscopus Tarentinus hos habet Suffragan.

Mutulensem. (1)	Castellanum. (2)

(1) Motulanensem.
(2) Castellanetensem.

Archiepiscopus Brundusinus hunc habet Suffraganeum.

Astunensem. (1)

(1) Hostunensem.

Archiepiscopus Hydruntinus hos habet Suffraganeos.

Castrensem.	Ugentinum. (1)
Gallipolitanum.	Leutensem.
Liciensem.	

(1) Uxentinum.

Archiepiscopus Barensis hos habet Suffraganeos.

Horentinum.	Botentinum. (2)
Melphetanum. (1)	Conversanum. (3)
Juvenacensem.	Menetumensem. (4)
Rubetinum, vel Rubensem.	Polignanensem. (5)
Salpensem.	Catarinensem. (6)
Canuensem.	Lavellinum.

(1) Melphitanum.
(2) Bituntinum.
(3) Cupersanensẽ.
(4) Minervienens.
(5) Polymnianensem.
(6) Catarensem in Dalmatia.

Archiepiscopus Tranensis hos habet Suffraganeos.

Vigiliensem.	Andrensem.

Archiepiscopus Sipontinus hos habet Suffraganeos.

Vestanum.	Monopolitanum exemptum.
Trojanum exemptũ.	Rapollensem, vel Rapollanum exemptum.
Melphiensem exemptum.	

Archiepiscopus Beneventanus hos habet Suffraganeos.

Telesinum.	Lucerinum.
S. Agathæ.	Tortibulensem.
Aliphanum.	Dragonariensem.
Montis Marini. (1)	Vulturanensem.
Montis Corvini.	Alarinum. (3)
Avellinum.	Florentinum. (4)
Vicanum. (2)	Civitatensem.
Arianensem.	Lesiensem. (5)
Bojanensem.	Termolensem. (6)
Asculensem.	Frequentinum.

(1) Marrani.
(2) Trivicanum.
(3) Larinensem.
(4) Farentinum.
(5) Lesinensem.
(6) Thermularum.

Te-

Terventinum. Warcliensem.
(1) Bovinensem. Bivinensem. (1) Musanensem.

Archiepiscopus Salernitanus hos habet Suffraganeos.

Caputaquensem. Sarnensem.
Policastrensem. Acertenensem. (1) (1) Acernensem.
(1) Nusanum. Nusquitanum, vel Nustanum. (1) Marsicensem.
Ravellensem.

Archiepiscopus Amalphitanus hos habet Suffragan.

(1) Caprearum. Capricanum. (1) Minorensem.
Scalensem. Litteranum.

Archiepiscopus Surrentinus hos habet Suffraganeos.

[1] Massæ Lubrensis. Lobrensem. (1) Castelli Maris, vel Stabiensem.
[1] Vici Æquensis. Equensem. (1)

Archiepiscopus Neapolitanus hos habet Suffraganeos.

Aversanum. Cumanum.
Nolanum. Isclanum, vel Insulanum.
Puteolanum. Acertanum. (1) (1) Acerrarum.

Archiepiscopus Capuanus hos habet Suffraganeo.

Theanensem. Suessanum.
Calvensem. Venafranum.
(1) Carinulensem. Calunilensem. (1) Aquinatem.
Casertanum. Isernìensem.

Archiepiscopus Pisanus hos habet Suffraganeos.

Massanum. Aleriensem.
Ajacensem.

Archiepiscopus Januensis hos habet Suffraganeos.

Bobiensem. Naulensem.
(1) Acciensem. Apruniacensem. (1) Albiganensem. (3) (3) Albingaunensem.
(2) Marianensem. Maranensem. (2)



Archiepiscopus Ravennas hos habet Suffraganeos.

Adriensem.
[1] Comaclensem. Comiaclensem. (1)
[2] Cervensem. Cervicensem. (2)
Foroliviensem.
Foropopuliensem, vel Juvensem.
[3] Cesenatem. Cesanatem. (3)
Sartinensem, vel Bobiensem, vel Sassanetensem. (4) [4] Sarsinatem.
Faventinum.
Imolensem.
Bononiensem.
Mutinensem.
Reginum.
Parmensem.

Archiepiscopus Mediolanensis hos habet Suffraganeos.

Bergamensem.
Brixiensem.
Cremonensem.
[1] Laudensem. Laudunensem. (1)
Novariensem.
Vercellensem.
[2] Eporediensem. Sporiensem. (2)
Taurinensem.
Astensem.
Aquensem.
Albensem.
Terdonensem.
Saunensem.
Albigensem, vel Abiganensem.
Viginti miliensem. (3) [3] Albintimiliū.
Placentinum exemptum.
Ferrariensem exemptum.

Patriarcha Aquilejensis hos habet Suffraganeos.

Mantuanum.
(1) Comensem. Cumanum. (1)
Tridentinum.
Veronensem.
Paduanum.
Vicentinum.
Tervisinum.
Concordiensem.
Cenetensem.
(2) Feltriensem. Filtrensem. (2)
Belunensem.
(3) Polensem. Polanensem. (3)
Parentinum.
Triestinum, vel Tergestinum.
Cominaclensem, vel Petenensem.
Capitis Istriæ, vel Justinopolitanum.
Miranensem, hic non est. (4) (4) Maranum, seu Marianum.
Civitatis novæ, vel Emonensem.

Patriarcha Grandensis hos habet Suffraganeos.

Castellanum.
(1) Torcellensem. Torsellanum. (1)
Equilensem, vel Esulanum.
Caprulensem.
Clugiensem. (2) (2) Clodiensem.
Civitatis novæ.



Ar-

Archiepiſcopus Jadrenſis hos habet Suffraganeos.

Signenſem. Arbenſem.
Anſarenſem. Nonenſem.
Veglenſem. (1)

(1) Seu Veglianenſem.

Archiepiſcopus Spolatenſis (1) hos habet Suffraganeos.

(1) Spalatenſis.

Tragurienſem. Nonenſem.
Signenſem. Croatenſem.
Scardonenſem. Berbanenſem.
Arbenſem. Tinienſem.

Archiepiſcopus Raguſienſis hos habet Suffraganeos.

Stagnenſem. Roſe.
Boſſonenſem. Biduanenſem.
Tribunienſem. Barenſem.
Catarienſem; hic eſt Suffrag. Barelis. (1)

(1) Catarenſem Suffraganeum Barenſis.

Archiepiſcopus Antivarenſis hos habet Suffraganeos.

Dulcinenſem. Scodrienſem.
Suacinenſem. Arbanenſem.
Drivaſtenſem. Sardenenſem. (1)
Polatenſem. Scutarenſem.

(1) Sardicenſem.

Archiepiſcopus Strigonienſis hos habet Suffraganeos.

Agrienſem. Jaurienſem. (2)
Nutrienſem. (1) Quinque Eccleſienſem.
Watienſem. Veſprimienſem. (3)

(1) Nitrienſem.
(2) Jaurinenſem.
(3) Veſprinenſem.

Archiepiſcopus Colocenſis hos habet Suffraganeos.

Ultraſilvanum. (1) Waradienſem. (3)
Cagabrienſem. (2) Cenadienſem.

(1) Tranſylvaniæ.
(2) Zagabriæ.
(3) Varadienſem.

Archiepiſcopus Reneſenſis, vel Gneſnenſis hos habet Suffr.

Ureditilatenſem, vel Wratislavienſem. Gracobienſem vel Gracovienſem.
Poznavienſem.
Lubicenſem. (1) Mazovienſem.
Cinamenſem. (2) Pomeranienſem, vel Caminenſem.
Plorenſem. (3)

(1) Lubuſſenſem.
(2) Culmenſem.
(3) Plocenſem.

Archiepiſcopus Maguntinus hos habet Suffraganeos.

Pragenſem.
Moravienſem, vel Holomocenſem.
Ehiſtetenſem.
Herbipolenſem, vel Guizeburgenſem.
Conſtantienſem.
Curienſem.
Argentinenſem.
Spirenſem.
Warmacienſem. (1)
Verdenſem.
Ildeſemenſem.
Albeſtatenſem. (2)
Paldeburnenſem. (3)
Parabebergenſem. (4)
Auguſtenſem.

(1) Wormatienſem.
(2) Halberſtadienſem.
(3) Padebornenſem.
(4) Bambergenſem.

Archiepiſcopus Colonienſis hos habet Suffraganeos.

Leodienſem.
Trajectenſem.
Monaſterienſem.
Mindenſem.
Oſemburgenſem. (1)

(1) Oſnaburgenſem.

Archiepiſcopus Bremenſis hos habet Suffraganeos.

Barduicenſem. [1]
Solonicenſem.
Ratzeburgenſem. (2)
Michilburgenſem, vel Cerinenſem. [3]
Lubichenſem. (4)
Rigenſem, vel Livonenſem.

(1) Balduicenſem.
(2) Rotherburgenſem.
(3) Suverinenſem.
(4) Lubecenſem.

Archiepiſcopus Magdaburgenſis hos habet Suffraganeos.

Hasbebergenſem. (1)
Brandeburgenſem.
Miſenum, vel Miſnenſem.
Merſeburgenſem.
Cicenum, vel Numburgenſem.

(1) Haulburgenſem.

Archiepiſcopus Salzeburgenſis [1] *hos habet Suffragan.*

(1) Salisburgenſis.

Patavienſem.
Ratiſponenſem.
Friſingenſem.
Riemeſemenſem.
Lavendienſem. }
Remenſem. } de novo creatos.
Seckoenſem. }
Gurcenſem.
Brixinenſem.
Sequonenſem. [1]

[1] Secovienſem.



Ar-

Archiepiscopus Treverensis hos habet Suffragan.

Metensem. Virdunensem.
Tullensem.

Archiepiscopus Tarentasiensis hos habet Suffraganeos.

Sedunensem. Augustensem.

(1) Vesontiensis. *Archiepiscopus Bisuntinus* (1) *hos habet Suffraganeos.*

Basiliensem. Bellicensem.
Lausanensem.

Archiepiscopus Ebrudenensis hos habet Suffraganeos.

Dignensem. Glandetensem. (2)
(1) Niciensis. Nitiensem. (1) Senecensem. (3) (2) Glandatensem.
Antipolitanum. Ventiensem. (3) Sanitiensem.

Archiepiscopus Aquensis hos habet Suffragan.

Aptensem. Vapincensem.
Regensem. Sistericensem.
Forojuliensem.

Archiepiscopus Arelatensis hos habet Suffraganeos.

Massiliensem. Cavellicensem. (1) (1) Caballicensem.
Avinionensem. Tricastrinum.
(1) Arausicanum. Aurasicensem. (1) Carpentoracensem.
Vasionensem. Tolonensem.

Archiepiscopus Viennensis hos habet Suffraganeos.

Valentinum. Gratianopolitanum.
Vivariensem. Maurianensem.
Diensem. Gebennensem. (1) (1) Genevensem.

Archiepiscopus Lugdunensis hos habet Suffragan.

Eduensem. Cabillonensem.
Matisconensem. Lingonensem.

Ar-

Archiepiſcopus Senonenſis hos habet Suffraganeos.

Pariſienſem. Carnotenſem. Aurelianenſem. Nivernenſem. Antiſſiodorenſem. Trecenſem. Meldenſem.

Archiepiſcopus Remenſis hos habet Suffraganeos.

Sueſſionenſem. Tornacenſem. Cameracenſem. Cathalaunenſem. Morinenſem. Atrebatenſem. Ambianenſem. Noviomenſem. Silvanectenſem. Belvacenſem. Laudunenſem.

Archiepiſcopus Rhothomagenſis hos habet Suffragan.

Bajocenſem. Abricenſem. Ebroicenſem. Sagienſem. Lexovienſem. Conſtantienſem.

Archiepiſcopus Turonenſis hos habet Suffraganeos.

Cenomanenſem. Redonenſem. Andegavenſem. Namnectenſem. (1) Corofopitenſem. Wenetenſem. Maclovienſem. Briocenſem. Tregorenſem. (1) Leonenſem. Dolenſem.

(1) Nannetenſem.

(1) Trecorenſem.

Archiepiſcopus Bituricenſis hos habet Suffragan.

Claromontenſem. Ruthenſem. Cadurcenſem. Lemovicenſem. Mimatenſem. Albigenſem. Anitienſem exemptum.

Archiepiſcopus Burdegalenſis hos habet Suffraganeos.

Pictavenſem. Xantonenſem. Emgoliſmenſem. (1) Petragoricenſem. Agennenſem.

(1) Engoliſmenſem.



Ar-

Archiepiſcopus Auxitanus hos habet Suffraganeos.

Aquenſem.
Lectorenſem. (1)
Convenarum.
Bigorienſem, vel Tervienſem. (2)
Olorenſem.
Vaſatenſem.
Bajonenſem.
Laſcutrenſem. (3)
Adurenſem.

(1) Lectoratenſem.
(2) Bicoricenſem, ſeu Tarvienſem.
(3) Laſcurienſem.

Archiepiſcopus Narbonenſis hos habet Suffraganeos.

Carcaſſonenſem.
Bitterrenſem.
Agatenſem.
Lodovenſem, vel Lotovenſem. (1)
Tholoſanum.
Neumacenſem. (2)
Uticenſem.
Elnenſem. (3

(1) Lutevenſem.
(2) Nemauſenſem.
(3) Eleſtenſem.

Archiepiſcopus Terraconenſis (1) hos habet Suffragan.

Barchionenſem. (2)
Gerundenſem.
Auſonenſem, vel Vicenſem.
Hilerdenſem.
Oſcenſem.
Tyraſonenſem.
Galaguritanum. (3)
Urgellenſem.
Cæſarauguſtanum.
Dertoſenſem.
Pampilonenſem.

(1) Tarraconenſis.
(2) Barcinonenſem.
(3) Calaguritanũ.

Archiepiſcopus Tolletanus hos habet Suffragan.

Seguntinum.
Oxomenſem.
Burgenſem exemptũ.
Palentinum.
Segobricenſem.
Segobienſem.
Concenſem. (1)

(1) Conchenſem.

Archiepiſcopus Emeritenſis, ideſt Compoſtellanus hos habet Suffraganeos.

Abulenſem.
Placentinum.
Salamantinum.
Elborenſem. (1)
Caurienſem.
Ulixbonenſem.
Legionenſem exemptum.
Ovetenſem exemptum.
Camorenſem. (2)
Civitatenſem.
Egitanienſem. (3)

(1) Eborenſem.
(2) Zamorenſem.
(3) Igæditanienſem.

Archiepiſcopus Bracarenſis hos habet Suffraganeos.

Portugalienſem.
Colimbrienſem. (1)
Viſenſem.
Lametenſem. (2)
Aurienſem.
Tudenſem.
Lucenſem.
Aſtoricenſem. (3)
Mindunienſem. (4)

(1) Conimbricenſem.
(2) Lamacenſem.
(3) Aſturicenſem.
(4) Mindonienſem.

Ar-

Archiepiſcopus Cantuarienſis hos habet Suffraganeos.

(1) Londinenſem. Londonenſem. (1) Herefordenſem.
Roffenſem. Conventrenſem, vel Lichiffeldenſem.
Roveceſtrenſem. Linconienſem.
(2) Oxonienſem. Exonienſem. (2) Nervicenſem.
Ciceſtrenſem. Helienſem.
(3) Vintonienſem. Winconienſem. (3) Menevenſem.
Batonienſem. Laudavenſem.
(4) Vellenſem. Lewenſem. (4) Bangorenſem.
(5) Salisburienſẽ. Salesbirienſem. (5) De Sancto Aſaph.
Wigornienſem.

Archiepiſcopus Eboracenſis hos habet Suffraganeos.

Dunelmenſem. Candidæ Caſæ.
Cutenſem, vel Karleolenſem.

Archiepiſcopus Lundenſis hos habet Suffraganeos.

Rochildenſem. Wibergenſem.
Othonienſem. Aruſienſem.
Selevicenſem. Bxurglanenſem.
Ripenſem.

Archiepiſcopus Nidroſienſis hos habet Suffraganeos.

Bergenſem. Sodtenſem.
(1) Stavagienſem. Staviancienſem. (1) Inſulanum.
Hamarenſem. Facienſem, vel Revenſem.
Hasloenſem. Nislandenſem. (2) (2) Islandenſem.
Hortadenſem. Grevelandienſem.

Archiepiſcopus Ubſalenſis hos habet Suffragan.

Agurienſem. Brechenſem exemptum.
Strawinenſem. Murenenſem, vel Moranienſem exemptum.
Lingacopenſem. Roſmarchinenſem, vel Roffenſem exemptum.
Scarenſem. Catavenſem exemptum.
Sancti Andreæ exemptum. De Aregarchel, vel Liſmorenſem exemptum.
Glaſcuenſem exemptum. Dimcheldenſem exemptum.
Candidæ Caſæ exemptum.
Dumblanienſem exemptum.

Ar-

Archiepiscopus Armachanus Primas totius Hiberniæ hos habet Suffraganeos.

Connerivensem.
Dundalecglæensem.
Cluavitaird vel Midensem.
Connannas, vel Connarensem.
Ardachadensem.
Rathbot, vel Rathbonensem.
De Rathlurig, vel Rathurensem
Damlia, vel Dariennensem.
Damligoirensem.

Archiepiscopus Dublinensis hos habet Suffraganeos.

Dedendelachii, vel Glendelacensem.
Defernensem, vel Fervensem.
Deglen, vel Lechimensem.
De Celahar, vel Kildarensem.
De Tamie, vel Osorensem.

Archiepiscopus Casselensis (1) *hos habet Suffragan.*

De Cendalvan, vel Laoniensem.
De Lumnech, vel Limiricensem.
De Insula Gathay.
De Celvinabrach, vel Finaberensem.
De Imlech, vel Imlacensem.
Detrosoreensem.
De Lismor, vel Lismorensem.
Deduamiama, vel Gluanensem.
De Cortaja, vel Cortajensem.
De Rosailrchir, vel Rossensem.
De Ardefert.
Imilicensem.

(1) Cassiliensis.

Archiepiscopus Tuamensis hos habet Suffraganeos.

De Mageo.
De Cellalaid, vel Alathdensem.
De Roscommon, vel Elsinensem.
De Culvansert.
De Chad, vel Archadensem.
De Conairi.
De Celmunduach, vel Duacensem.

Archiepiscopus Calaritanus hos habet Suffraganeos.

Sulcitanum.
Doliensem.
Suellensem.

Archiepiſcopus Turritanus hos habet Suffraganeos.

Sotrenſem. Caſtrenſem.
Planacenſem. Othanienſem.
Ampurienſem. Roſanum.
Giſardenſem.

Archiepiſcopus Arborenſis hos habet Suffraganeos.

Uſellenſem. Terræ albæ.
S. Juſtæ. Civitatenſem exemptum.

PATRIARCHA JEROSOLYMITANUS hos habet Suffraganeos ſub ſe Metropolos inferius annotatos, & hos Suffraganeos.

Ebronenſem. Aſcalonenſem, qui etiam
Lidenſem. & Bethleemitanus eſt.

Archiepiſcopus Tyrenſis hos habet Suffraganeos.

Acconenſem. Paris.
Sidonienſem. Paneenſem, qui alio nomine dicitur Bellinenſis.
Birithenſem.

Archiepiſcopus Cæſarienſis hunc habet Suffragan.

Sebaſtenſem, quæ civitas Sebaſtia alio nomine dicitur Samaria.

Archiepiſcopus Nazarenus hunc habet Suffrag.

Tiberiadenſem.

Archiepiſcopus Petracenſis nullam habet Suffraganeum.

IN ANTIOCHENO PATRIARCHATU.
Sunt CLIII. Cathedrales Eccleſiæ ad inſtar illius Evangelii: *Impletum eſt rete magnis Piſcibus* CLIII.

De his temporibus iſte hos habuit Archiepiſcopos, qui inferius annotantur, hos habet autem Suffrag.

Lavodicenſem. Biblienſem, cujus civitas Biblium videlicet Gibilech dicitur.
Gabulenſem.
Anteradenſem.
Tripolitanum.

Ar-

Archiepiscopum Tarsensem.

Archiepiscopum Edessenum, qui alio nomine dicitur Rages Medorum.

Archiepiscopum Aphamiensem, qui hunc habet Suffrag.

Valeniensem.

Archiepiscopum Tulupensem, qui & Eliospolitanus appellatur.

Archiepiscopum Coricensem.

Archiepiscopum Manustrensem.

* Hæc Notitia recentior est altera, quam supra Num. VIII. ex Bibliotheca Regia descripsimus. In hac quippe ex Bibliotheca Thuana omittitur Cardinalis Episcopus Sanctæ Rufinæ, qui in illa Regia enumeratur. Quare post seculum duodecimum concinnata fuit; non tamen quartum decimum attingit, uti liquet ex Metropolitanis quibusdam Italiæ, Galliæ, Hispaniarum, aliarumque Regionum, qui in ea recensentur, post seculum quidem duodecimum, sed ante decimum quartum institutis. Multis etiam ista barbaris scatet vocabulis, quæ, quoad licuit, in margine emendare fategimus.

Quamquam autem utraque Notitia in exponendis Metropolitis quatuor Patriarchis Orientis subjectis, in multis detruncata sit, ac mutila, Regia tamen copiosior est, singulosque Patriarchas exhibet: At Thuana duos tantum commemorat, nempe Antiochenum, & Jerosolymitanum, de Alexandrino autem, & Constantinopolitano prorsus silet. Jam enim Ecclesiarum Orientis pulcherrima illa quondam facies ab aliquot seculis deperierat, ne dum schismatum, atque hæreseon maculis deturpata, verum etiam Sarracenorum, Turcarumque tyrannide oppressa, ac penitus conculcata. Inde contigit Notitias ejusmodi Patriarchatuum, quæ a seculo duodecimo, ac deinceps prodierunt, ab antiquis & Metropoleon, & Episcopatuum numero, & nominum appellationibus plurimum discrepare.

Subierunt præterea mutationes non paucas Metropoles Patriarchatui Constantinopolitano addictas sub Andronico Palæologo Seniore Græcorum Imperatore. Is anno 1283. Imperium solus administrare cœpit post Michaëlis Patris obitum, quod una cum ipso multis annis tenuerat; remque ab impietate inchoans, & apostasia, contra fidem Concilio Oecumenico Lugdunensi, & Romanis Pontificibus datam, in Schisma Græcorum relapsus,

Patrem Imperatoria sepultura adeo non honoravit, ut ne plebeja quidem sit dignatus, eo quod ille unioni ac Doctrinæ Ecclesiæ Romanæ adhæsisset. Ipso Imperii sui initio professores doctrinæ Ecclesiæ Romanæ impie persequutus, & in Schismate pertinax anathematis fulmen sibi ascivit, quod in ipsum vibravit Clemens V. tertio Nonas Junii, anno 1307. sed tandem scelerum pœnas luit; nam anno 1328. ab Andronico Juniore ejus Nepote, quem Imperii consortem creaverat, Regno privatus, paulo post corrupto ex doloris acerbitate corporis habitu, utriusque oculi visum amisit, factus ludibrio ipsismet suis custodibus, & famulis. Obiit anno 1332. Hæc fusius narrant Nicephorus Gregoras lib. 4. 6. & 9. Cantacuzenus lib. 1. & 2. quamquam posterior iste Andronico addictus minus sincere Historiam hanc referat: ex nostris vero Odoricus Raynaldus, & Henricus Spondanus, ad ann. 1283. 1307. & 1332.

In Extrav. com. cap. ad certitudinem de Sent. Excom.

Inter cetera, quæ Princeps ille Schismaticus, citra collatam sibi a Deo Ecclesiasticam potestatem usurpavit, Patriarcham Constantinopolitanum, quod cum Michaële Patre unionem cum Latina Ecclesia in Concilio Lugdunensi sancitam amplexus fuerat, Joannem Beccum nomine, virum Catholicum male habuit, adeo ut metu ejus tyrannidis Regia urbe excedere compulerit: eodemque legitimo Patriarcha superstite, Josephum anathematis vinculo obstrictum, qui ante Beccum, vivente adhuc Arsenio Patriarcha intrusus fuerat, ejus in locum reposuit; huic etiam ob senium se abdicanti Gregorium Cyprium superinduxit. Synodum præterea Schismaticorum Constantinopoli indixit adversus præfatum Joannem Beccum, & ejus Socios Catholicum Dogma de Processione Spiritus Sancti profitentes, quos, uti & Catholicos pæne omnes Latinis consentientes immaniter infestatus est, modisque omnibus exagitavit. Eam Synodum, vel potius Pseudo-Synodum commemorat Spondanus ad Annum 1283. numer. 10. Quæ omnia pluribus prosequitur Nicephorus Gregoras: subdit tamen, crudeles ipsos Novatores, qui in vexandis Catholicis Andronico manus junxerant, justas tandem pœnas luisse divinitus, cum illorum nemo in sua dignitate decesserit. Nequid vero in Ecclesiasticis rebus, quarum jurisdictionem sacrilega manu sibi usurpaverat impius iste Imperator, intactum præteriret, etiam ordinem Metropoleon ad Patriarchatum Constantinopolitanum pertinentium, ab antiquis Orientis Patribus institutum, invertit. Tenuit nihilominus etiam post Andronici Senioris obitum apud Græcos novus hic Ordo, eumque edidit eruditus P. Jacobus Goar Ord. Præd. in fine Historiæ Byzantinæ a Codino adornatæ, Parisiens. Edit. pag. 400. atque ex eo Schelstrates in Appen. num. xxv. notisque in margine illustravit. Est autem ejusmodi.



Ex-

Expoſitio Imperatoris D. Andronici Palæologi Senioris.

Quem locum nunc teneant Metropoles, quæ Conſtantinopolitano Throno ſubjectæ ſunt. XI.

1. Metropolis Cæſareæ.
2. Epheſi.
3. Nicomediæ.
4. Nicææ.
5. Heracleæ.
6. Ancyræ.
7. Cyzici.
8. Sardium.
9. Chalcedonis.

10. Philadelphiæ, quæ ad Epiſcopatum Sardium ſpectans, ab Imperatore Domino Andronico Palæologo decimus Thronus effecta eſt.
11. Theſſalonicæ, quæ cum inter Thronos decimum ſextum locum obtineret, a prædicto Imperatore in undecimum locum reducta eſt; nunc vero vices gerit Ancyrenſis Metropolitani.
12. Adrianopolis, quæ cum inter Thronos quadrageſimum locum obtineret, honoris cauſa duodecimum adepta eſt.
13. Sidæ, quæ cum Thronus decimus eſſet, in decimum tertium locum rejecta eſt.
14. Sebaſteæ, hæc Thronus fuit undecimus, & ad decimum quartum locum redacta eſt.
15. Amaſeæ, quæ cum duodecimus Thronus eſſet, ad decimum quintum devenit.
16. Melitenæ, ſimiliter ex decimo tertio loco in decimum ſextum evaſit.
17. Tyanenſis Metropolis ex decimo quarto loco ad decimum ſeptimum deſcendit.
18. Gangrenſis decimum quintum locum tenens, ad decimum octavum devenit.
19. Metropolis Heracleæ Ponti pertinebat ad Epiſcopatum Claudiopoleos: quam cum infideles occupaſſent, ipſa loco ejus ſtationem decimam ſeptimam, nunc vero decimam nonam inter Thronos conſecuta eſt.
20. Pruſæ, quæ cum centeſimus Thronus eſſet, ad vigeſimum locum evecta eſt.
21. Pegarum. Hæc ex Throno nonageſimo ad vigeſimum primum locum pervenit.
22. Metropolis Pergami, quæ ex loco ſexageſimo nono ad vigeſimum ſecundum deſcendit.
23. Neo-Cæſareæ. Hæc ex decimo (r) ſeptimo Throno vigeſimus tertius evaſit.

(r) Græc. tex. habet ὄγδοον: ſed Goar nihil notat.

24. Peſ-

24. Pessinuntis Metropolis ex Throno decimo nono ad vigesimum quartum descendit.
25. Myrensis, quæ vigesimum locum tenens, ad vigesimum quintum deducta est.
26. Stautropolis, quæ vigesimum primum locum obtinens, postea vigesimum sextum adepta est.
27. Laodiceæ, quæ ex vigesimo secundo Throno, vigesimus septimus evasit.
28. Synadensis post vigesimum tertium locum sortita est vigesimum octavum.
29. Iconii Metropolis inter Thronos vigesimum quartum locum tenens, ad vigesimum nonum descendit.
30. Berrhææ: hæc ad Episcopatum Thessalonicæ, vel ut alii volunt, Acridis spectans, honore trigesimi Throni effecta est.
31. Pisidiæ, quæ ex vigesimo quinto Throno trigesimus primus facta est.
32. Sylæi Thronus ex vigesimo sexto loco in trigesimum secundum devectus est.
33. Corinthi, quæ ex vigesimo septimo loco ad trigesimum tertium devenit.
34. Monembasiæ, cum ad Episcopatum Corinthi, vel, ut aliis placet, veterum Patrarum, pertineret, honorem Troni (1) trigesimi quarti obtinuit.
35. Athenarum Metropolis post locum vigesimum octavum, inter Thronos vigesimum quintum consecuta est.
36. Mocesi Metropolis vigesimum nonum locum tenens, postea ad vigesimum sextum pervenit.
37. Cretæ. Hæc ex trigesimo loco ad trigesimum septimum devecta est.
38. Calabriæ ex trigesima prima Sede Thronus quadragesimus tertius evasit.
39. Veterum Patrarum Metropolis, cum Thronus trigesimus secundus esset, trigesimus nonus evasit.
40. Trapezuntis Metropolis post locum trigesimum tertium ad quadragesimum descendit.
41. Larissæ: quæ cum trigesimum quartum locum obtineret, ad quadragesimum primum deducta est.
42. Naupacti Metropolis, quæ cum trigesimum quintum Thronum possideret, ad quadragesimum secundum redacta est.
43. Philippopoleos Metropolis ex Throno trigesimo sexto, Thronus quadragesimus tertius evasit.
44. Trajanopoleos. Hæc fuit Sedes trigesima (2) sexta, & quadragesima quarta effecta est.
45. Rhodi Metropolis trigesima octava, & quadragesima quinta evasit.
46. Serrarum: hæc ex quinquagesimo octavo loco, ad quadragesimum sextum adscendit.
47. Philippensium Metropolis ex trigesimo nono ad quadragesimum septimum deducta est.

48. Chri-

(1) Numerus hic in Græcis omittitur, in Regiis vero ponitur *decimus*.

(2) Græc. *septim.* sed Goar nihil notat.

48. (1) Christianopoleos Metropolis ex loco septuagesimo sexto, ad quadragesimum octavum pervenit.

(1) Ex Græc. Goar corrigit *Christipoleos*.

49. Hierapoleos: Hæc ex quadragesimo primo loco ad quadragesimum nonum descendit.

50. Dyrrachii: hæc post locum quadragesimum secundum, ad quinquagesimum deducta est.

51. Smyrnæ ex loco quadragesimo tertio ad quinquagesimum primum pervenit.

52. Mitylenæ ex loco quadragesimo nono quinquagesimum secundum obtinuit.

53. Joanninorum, cum Naupacti Episcopatui subderetur, honore Metropolitano honestata est.

54. Didymotichi Metropolis, cum jam olim Archiepiscopatus esset, honorem Metropolitanum obtinuit.

55. Melenici.

56. Catanæ post quadragesimum quartum locum ad quinquagesimum septimum deducta est.

57. Amorii Metropolis ex quadragesimo quinto loco ad quinquagesimum octavum pervenit.

58. Camachi ex Sede quadragesima sexta, quinquagesima nona facta est.

59. Cotyæi ex Throno quadragesimo septimo ad sexagesimum primum pervenit.

60. Sancta Severina post locum quadragesimum octavum ad sexagesimum primum devecta est.

61. Novarum Patrarum Metropolis ex quinquagesimo loco ad sexagesimum secundum devenit.

62. Aprensis e loco sexagesimo nono ad sexagesimum tertium ascendit.

63. Amastridis post locum quinquagesimum secundum ad sexagesimum quartum deducta est.

64. Chonarum Metropolis post stationem quinquagesimam tertiam, in sexagesima quinta constitit.

65. Hidruntis ex quinquagesima quarta Sede, sexagesima sexta effecta est.

66. Celtzenæ sexagesimum septimum locum obtinuit post quinquagesimum quintum,

67. Coloniæ Metropolis ex quinquagesimo sexto Throno evasit sexagesimus octavus.

68. Thebarum ex quinquagesimo septimo loco ad sexagesimum nonum devenit.

69. Pompejopoleos ex quinquagesimo nono loco, ad septuagesimum deducta est.

70. Russiæ post sexagesimum locum septuagesimum secundum obtinuit.

71. Aeni post sexagesimum primum locum in septuagesimo tertio constitit.

72. Alaniæ Metropolis post sexagesimum secundum locum ad septuagesimum quartum evenit. 73. Phar-

73. Pharsaliæ, cum Archiepiscopatus esset Metropolitano honore affecta est.
74. Tiberiopoleos sive Varnæ Metropolis sexagesima tertia fuit, & facta est septuagesima quinta.
75. Euchaitarum ex sexagesimo quarto Throno ad septuagesimum sextum pervenit.
76. Cerasuntis, post sexagesimum quintum locum obtinuit septuagesimum septimum.
77. Nacoliæ ex sexagesimo sexto ad septuagesimum octavum evasit.
78. Germii, cum esset ordine sexagesimus septimus, ad septuagesimum nonum devenit.
79. Madytorum Metropolis post sexagesimum octavum locum tenuit octogesimum.
80. Apameæ ex Archiepiscopatu honor Metropolitanus obtigit.
81. Litbada, vicina Magnæ Russiæ, Metropolitanum honorem obtinuerunt, imperante Domino Andronico, & Joanne Glyca Patriarcha.
82. Caucaci in gente Obydenæ, cum esset sub Episcopatu Bulgariæ, ad Metropolitæ dignitatem ascendit.
83. Gotthiæ, cum esset Archiepiscopatus, Metropolis evasit.
84. Basilæi, cum Thronus esset septuagesimus, ad octogesimum septimum descendit.
85. Nazianzi, cum esset Thronus septuagesimus secundus, ad octogesimum octavum descendit.
86. Corcyra Metropolis ex loco septuagesimo tertio ad octogesimum (1) octavum devenit.
87. Abydi, cum septuagesimus quartus esset, facta est nonagesimus.
88. Methymnæ.
89. Christianopoleos Metropolis ex septuagesimo sexto, facta est nonagesimus secundus.
90. Rodii Metropolis ex septuagesimo septimo ad nonagesimum tertium devenit.
91. Paronaxia prius erat Thronus septuagesimus nonus, postea nonagesimus quartus.
92. Attaliæ Metropolis post locum octogesimum tenuit nonagesimum quintum.
93. Zechiæ Civitas, cum Archiepiscopatus esset, ad Metropolitani honorem evecta est.
94. Bosphori, hæc etiam ex Archiepiscopatu altius evecta est.
95. Bitzinæ.
96. Sugdææ Civitas ex Archiepiscopatu Metropolis evasit.
97. Mesembriæ Metropolis ex loco octogesimo tertio venit ad locum centesimum.
98. Arcadiopolis post locum octogesimum secundum evasit ad centesimum primum.
99. Selybriæ Metropolis, cum esset octogesimus primus, facta est centesimus secundus.

(1) In Græc. est *nonum*; sed Goar nihil notat.

100. Mi-

100. Mileti, quæ post octogesimum quartum locum ad centesimum tertium descendit.
101. Gerdica ex loco octogesimo quinto ad centesimum quartum venit.
102. Argi Metropolis ex octogesima octava facta est centesima quinta.
103. Drifstræ, cum esset septuagesima prima, facta est centesima sexta.
104. Pyrgii Metropolis post nonagesimum locum tenuit centesimum septimum.
105. Sebastopolis Thronus erat quinquagesimus primus, & ad centesimum octavum devenit.
106. Euripi similiter cum nonagesimum secundum locum obtineret, ad centesimum nonum descendit.
107. Cybisti Metropolis ex nonagesima tertia facta est centesima decima.
108. Antiochiæ.
109. Achyari. (1)

(1) In Lugdun. Conc. nominatur.

Quæ Urbes nomen ultimo mutaverunt.

Epidamnus, quæ nunc Dyrachium.
Prebellis, nunc Achrida.
Heraclea, nunc Pelagonia.
Selasphorus, nunc Diabolis.
Illyricum, nunc Joannina.
Edessa, nunc Moglæna.
Axius fluvius, nunc Bardarius.
Argos Thessalicum, nunc Larissa.
Epea, nunc Corone.
Pedasus, nunc Methone. Huic vicina Chersonesus.
Pylus nomine, quondam Nestoris patria, nunc vocatur Abarinus.
Tricca, nunc Tricala.
Theopolis, nunc Prussa.
Apollonia, nunc Hierissus ad montem Atho sita est.
Amphipolis, nunc Chrysopolis.
Theodosiopolis, nunc Aprus, a Cari Socero Apro condita.
Orthagoria & Stagira, nunc Macre.
Topirus, nunc Russium.
Perinthus, nunc Heraclea.
Tiberiopolis, nunc Strumitza.
Valentiopolis, nunc Belosbudium.
Dares, nunc Taures.
Martyropolis, nunc Marphece.
Berrhoea, nunc Alep.
Propontides duæ, una versus Abydum, altera versus Hierum, & Psammathium.

Germanicia Syriæ, nunc Telesaura.
Mopsi vero fontes . . . . . *deest*.
Parchius fluvius, nunc Agriomelas.
Castaballa Ciliciæ, nunc Mamista.
Superæ Galliæ, & ulteriores Alpium regiones adjacent Oceano, Gallia videlicet, Hispania, &c.
Germani, Franci Græce vocantur.
Syrmium, nunc Hungaria & (1) Stridon: quondam vero Hungari Gepides vocabantur.
Doristolum, nunc Distra.
Odrysus, & Orestias, nunc Adrianopolis.
Mæotis Palus, nunc Galatia.
Potidæa, nunc Cassandria.
Colossus, nunc Tyrus.
Achaja, nunc Patra.
Danai, nunc Græci.
Asia, nunc Ephesus.
Jonia, nunc Pariasia.
Eubœa, nunc Eurippus.
Bœotia, nunc Thebæ.
Phthia, nunc Pharsalia.
Nicopolis, nunc Prebeza.
Aetolia, nunc Lechonia.
Corcyra, nunc Phæacia.
Dodone, nunc Bonditza.
Epirus, nunc Buthrotum.
Delphi, nunc Chrysus, & Solon.
Diospolis, nunc Rampetrum.
Cæsarea Philippi, nunc Tonopyrgos: eadem a Panæo monte Panæas.
Sardice, nunc Triaditza.
Larymna, nunc Larysa.
Thærmæ, & Hemathia, nunc Thessalonica.
Colossæ, nunc Chonæ.
Rhodope, nunc Philippopolis.
Italia dicitur etiam Longobardia.
Memphis, nunc Damiata.
Perge, nunc Pyrgium.
Aedira, vocatur etiamnum Polystilum.

(1) Græce habetur *Strionus*.

* In hac nominum permutatione, nonnullæ urbes Provinciarum vocabulis, ex adverso autem aliquot Provinciæ urbium vocabulis designantur. *Prebellis*, quæ proprie est *Prævalis*, pars fuit Illyrici, ejusque caput Achrida civitas. Heraclea urbs, *Pelagoniæ* regionis nomine significatur. *Sirmium* urbs est, *Hungaria* autem Regnum. *Achaja* regionis, *Patra* urbis: *Asia* item Provinciæ, *Ephesus* civitatis: *Bœotia* regionis, *Thebæ* civitatis sunt vocabula. *Longobardia* tandem Italiæ pars est, non Italia ipsa.

Ex-

Expositis hactenus Notitiis postremo loco subjiciendum reor Ordinem Thronorum Metropolitanorum, quorum aliqui a Græcis appellantur *Exarchi Hypertimi*, alii solum *Hypertimi*. Vox autem ista *Hypertimus* apud eos significat *Superhonoratum*; quo pacto, ut Schelstrates advertit, in Lugdunensi Concilio vox illa vertitur: aliquando tamen in eodem Concilio pro *Honorato* accipitur. Satius nihilominus visum est dignitatem Ecclesiasticam Græco vocabulo pronunciare, quæ alioqui posset, *Honoratissimus* verti. Hunc vero *Ordinem Thronorum*, collatum cum exemplari P. Jacobi Goar, ad calcem Codini Historiæ Byzantinæ, pag. 406. Græce, Latineque edidit Emanuel a Schelstrate ex MS. Codice 1185. pag. 416. Bibl. Vaticanæ, in Appendice ad Opus Geographicum, num. XXVI. ex quo Latine tantum hic exhibetur.

Ordo Thronorum Metropolitanorum.

Quorum aliqui dicuntur Exarchi Hypertimi, alii solum Hypertimi. XII.


1. CÆsareensis Cappadociæ Hypertimus Hypertimorum, & Exarchus totius Orientis.
2. Ephesinus Hypertimus, & Exarchus totius Asiæ.
3. Heracleensis Primas Hypertimorum, & Exarchus totius Thraciæ, & Macedoniæ.
4. Ancyranus Exarchus totius Galatiæ.
5. Cyzycenus Exarchus totius Hellespontì & . . . .
6. Sardensis totius Lydiæ, (1) *cujus loco* est nunc Philadelphiæ existens *Metropolita*, (2) equidem prius Episcopus sub Sardensi, factus vero Metropolita habet nunc locum Exarchi Sardensis, & ceteros sub se Episcopatus.
7. Nicomediensis totius Bithyniæ.
8. Nicænus similiter totius Bithyniæ.
9. Chalcedonensis similiter.
10. Sidensis totius Pamphyliæ.
11. Sebastenus totius Armeniæ.
12. Amasiensis (3) Euxinoponti.
13. Melitenensis Secundæ Armeniæ.
14. Tyanensis secundæ Cappadociæ.
15. Gangrensis totius Paphlagoniæ.
16. Thessalonicensis totius Thessaliæ, habet vero nunc locum Ancyrani.
17. Claudiopolitanus totius Honoriadis, (4) *cujus loco* est nunc Heracleensis Ponti Episcopus; cum esset sub Claudionopolitano *antea Metropolita*, factus vero Metropolita habet & locum, & Exarchiam illius.
18. Neocæsareensis Ponti Polæmoniaci.

(1) In Goaris Cod.
(2) In alio Cod. Græc. apud Goar.
(3) Doxapatrio *Hellenoponti*.
(4) Apud Goar.

19. Pissinuntis secundæ Galatiæ.
20. Myrensis totius Lyciæ.
21. Stauropolitanus totius Cariæ.
22. Laodicenus Phrygiæ Capatianæ.
23. Synadæ Phrygiæ Salutaris.
24. Iconiensis totius Lycaoniæ.
25. Antiochiæ totius Pisidiæ.
26. Sylæensis, qui & Pergensis dicitur, secundæ Pamphyliæ.... (*deest hic sed subintelligitur*, *cujus loco*) est nunc Attaliensis Episcopus quidem (*antea*) sub Pergensi, habet vero nunc Metropolita factus etiam locum illius.
27. Corinthius totius Peloponesi.
28. Atheniensis totius Græciæ.
29. Mocisinus secundæ Cappadociæ.
30. Seleuciensis secundæ Pamphyliæ.
31. Rhegiensis, qui & Calabriens dicitur, Exarchiam non habet.
32. Veterum Patrum (1) totius Achajæ.
33. Trapezuntis totius Laziceæ: (2) habet vero nunc locum Cæsareensis.
34. Larissænus secundæ Thessaliæ, & totius Græciæ.
35. Naupacti totius Aetoliæ.
36. Philippopolis Exarchiam non habet.
37. Trajanopolitanus totius Rhodopis.
38. Rhodius Cycladum Insularum.
39. Philippensis totius Macedoniæ.
40. Andrianopolitanus Hypertimus, & Exarchus Hæmimonti.

(1) Idest, *Patrarum*.

(2) Desunt in Cod. Goaris.



INDEX

INDEX

Omnium Rerum, quæ in hoc Opere continentur Cardinales numeri, quæ sunt in Parergo ostendunt.



S. Am-

Ar-

B

Bor-

Car-

Cybe-

Ebo-

E

Eu-

Pars Prima.

ap-

Ma-

N

Po-

Q

R

Rhæ-

S


Se-



				ERRATA	CORRIGE.
Pag.	101.	col. 2.	vers. 16. & 17.	Epirus Nova,	Epirus vetus,
	350.	2.	40.	deletam,	delata,
	456.	1.	25.	posternodum	postmodum
			29.	Arciepiscopos	Archiepiscopos
	457.	2.	6.	statuumque	statutumque
	493.	1.	25.	sonibus	sontibus
	542.	2.	3.	Thodoreto	Theodoreto
	545.	1.	in Not.	Eugenius	Evagrius
	577.	2.	16.	Alexandrinum,	*adde* institui,
	596.	1.	13.	productam	producta
	619.	2.	2.	*cobors*	*cohores*
	640.	1.	8.	Teodoreto	Theodoreto

IN PARERGON.

Pag.	iii.	lin. penult.	alphabeti litteris	*lege* numeris
	xxx.	in marg. num. 5.	Tavisinæ	Tervisinæ
	xiv.	in marg. num. 6.	Apud Schelstratius & Tradus	Apud Schelstr. Xius Tradus.



REGESTUM.

✠. ✝. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss. Tt. Vv. Xx. Yy. Zz. Aaa. Bbb. Ccc. Ddd. Eee. Fff. Ggg. Hhh. Iii. Kkk. Lll. Mmm. Nnn. Ooo. Ppp. Qqq. Rrr. Sss. Ttt. Vvv. Xxx. Yyy. Zzz. Aaaa. Bbbb. Cccc. Dddd. Eeee. Ffff. Gggg. Hhhh. Iiii. Kkkk. Llll. Mmmm. Nnnn. Oooo. Pppp. Qqqq. Rrrr. Ssss. Tttt. Vvvv. Xxxx. Yyyy. Zzzz. Aaaaa. Bbbbb. Ccccc. Ddddd. Eeeee. Fffff. Ggggg. Hhhhh. Iiiii.

Omnes sunt Duerniones.



FLORENTIÆ. MDCCXXIX.

Typis Bernardi Paperini Typographi Suæ Regiæ Celsitudinis Magnæ Principis Viduæ ab Etruria.

Propè Ecclesiam Divi Apollinaris, sub Signo Palladis, & Herculis.

CUM APPROBATIONE.